Digitized by Google

Phys 90
Phys 90
UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
003119
Digitized by Google

Digitized by Google

PHYSICÆ CURIOSÆ

CORRECTÆ ET AUCTÆ

PARS II.

Complectens ſex poſteriores libros, videlicet

VII. *Mirabilia Animalium in genere.*
VIII. *Mirabilia Animalium Terreſtrium.*
IX. *Mirabilia Animalium Volatilium.*
X. *Mirabilia Animalium Aquatilium.*
XI. *Mirabilia Meteororum.*
XII. *Mirabilia Miſcellanea.*

Digitized by Google

LIBER SEPTIMUS

De MIRABILIBUS ANIMALIUM IN GENERE.

PROOEMIUM.

Hominis gratiâ omnia ſunt condita.

DEUM, Conditorem rerum ſapientiſſimum, feciſſe omnia quæ Mundi ambitu continentur, in numero, pondere, & menſura, & res ipſæ conditæ loquuntur, & fatentur Sapientes univerſi. Nihil ergo ſuperfluum, nihil fruſtraneum, ἄτακτον & inordinatum nihil. Eundem hominis obſequio deputaſſe cuncta, quæ condidit, nè Beatis quidem Mentibus exceptis, Angelis dico, multis licèt naturæ dotibus homine excellentioribus, Sacræ clamant Litteræ, nec ſine piaculo diffiteri licet. Ergo nec animalia, ſeu magna illa ſint, ſeu puſilla, ſeu ferocia, ſeu manſueta, ſeu domeſtica, ſeu peregrina, ab hoc ſunt munere immunia. Ingentem eſſe animalium varietatem, innumerabilem penè numerum, vix eſt qui neſciat: quorum tamen pleraque, ut muſcæ, veſpæ, erucæ, vermes omnis generis, ſerpentes, ſcorpiones, crocodili, innumeraque alia, tantum abeſt ut homini proſint vel ad victum & amictum, vel ad utilitatem aliam, vel denique ad oblectamentum, ut multis potiùs modis obeſſe videri queant. Docet hoc experientia quotidiana, clamant idiotæ atque indocti, nec pauci eorum qui ſapientes ſibi videri volunt, queri erubeſcunt, & non tam Naturam (ſic loquuntur) quàm Naturæ Auctorem Deum præſumptuoſè, nè dicam impiè, accuſare audent.

Animalia omnia in hominis utilitatem cedunt.

Ego cum rectè ſentientibus ita ſtatuo. Ut aliis in rebus omnibus, ita in animalium quoque cenſu, nihil tam ad ſenſum aut æſtimationem exiguum, vile, noxium eſſe, quod non in hominis utilitatem, DEI ordinatione, cedat. At quo, inquies, modo? Vel

hoc

Digitized by Google

hoc ſolo, ſi alii deeſſent, quòd DEI ſapientiam, potentiam, ac bonitatem deprædicent, noſtriſque ingerant mentibus, ſi modò animum advertere non pigeat. Sed probare nunc non vacat; erit infrà fortaſſis locus, quo argumentum hoc explicatiùs ac fuſiùs diducere licebit. Si Deus ergo animalia condidit, & eo fine condidit, ut in divinæ ſapientiæ cognitionem, potentiæ admirationem, bonitatis laudationem atque amorem nos deducant; negari nequaquam poteſt, tempus ac ſtudium, quod in eorum perſcrutatione impenditur, non laude tantùm dignum, ſed DEO gratiſſimum eſſe, ſi modò fine bono, modoque debito impendatur. Nec ego præter Deum, auctorem alium agnoſco laboris illius penè dixerim inſani, quem Ariſtoteles, Plinius, Ælianus, Oppianus, Plutarchus, D. Baſilius, D. Ambroſius, Albertus Magnus, Conradus Geſnerus, Ulyſſes Aldrovandus, Joannes Euſebius, Nierembergius, Guilielmus Piſo, Jacobus *Bontius, cum* Joanne Nidero, Georgio Agricola, Laurentio Forero, Hieronymo Cardano, Joanne Jonſtono, Antonio de Ballinghem, Rondeletio, Bellonio, Gyllio, Wottono, Sperlingio, aliiſque non paucis Scriptoribus, antiquis æquè ac recentioribus, impenderunt in animalium naturis, proprietatibus, ingeniis, moribus, cæteriſque ſeu vitiis (ut ita dicam) ſeu virtutibus cognoſcendis, ſcriptiſque libris ſeræ poſteritati transmittendis. Horum veſtigiis ſi inſiſtere vellem, actum dubio procul agerem, inutiliqúe me labore conficerem. Ex omnibus igitur enumeratis, ac ſedulò lectitatis Auctoribus, rariora ſolùm & curioſiora (præſentis Operis argumento id poſtulante) ſeligam, & in hunc reducam ordinem. Primò agam de Animalibus in genere; deinde de Quadrupedibus; tum de Volucribus; demum de Piſcibus. De Reptilibus atque Inſectis alibi *fortaſſis agam.*

Animantium cognitioni vacare, Deo gratum.

Unum rogo Lectorem, antequàm progrediar, ne ſiquorum amore tam ſit ab humanitate alienus, tamque humanæ fidei adverſus, ut niſi oculis ſuis credere nolit, quodqúe teſtes omni exceptione majores ſanctè aſſerunt, faſtidiosè rejiciat. Non omne quod admirationem parit, & noſtram effugit αὐτοψίαν, veritati obſtat; nec quod rarum, & nobis non viſum, falſum. Innumera ſunt, quæ antiquitas fabuloſa putabat; frequens tamen experientia, & quotidiana ferè αὐτοψία, poſteris non credibilia modò, ſed præ frequentia ferè contempti-

Animalium hiſtoriis fides adhibenda.

tempti-

Digitized by Google

temptibilia effecit. Nec eſt quòd teſtium, quos proferam, fidem habeas ſuſpectam, Ariſtotelis inquam, Plinii, Æliani, aliorumque tum antiquorum, tum recentium, eorum præſertim qui noviſſimè de Indiarum animalibus ſcripsêre. Cauſa nulla ſubeſt, cur eos aut fallere voluiſſe, aut falſos eſſe credamus. Ariſtoteli, teſte Plinio lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 16. cùm ab Alexandro Magno, animalium naturas cognoſcendi cupiditate inflammato, cura fuiſſet demandata, in id ſtudium ut incumberet, & quidquid comperiſſet, libris committeret; aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæque tractu parêre juſſa traduntur, omnes videlicet quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant, aut delectabant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant; nè quid usquam gentium ignoraretur ab eo. Hos ipſe percontando, quinquaginta fermè volumina de animalibus condidit, adeo præclara, & erudita, ut furtum librorum Salomoniacorum eâdem de materiâ diu antè conſcriptorum aliqui credant. Hæc Plinius in arctum collegit, additis multis quæ ignoraverat Ariſtoteles, plurium annorum ſtudio, & duûm millium Auctorum lectione comparatis. Ælianus in Epilogo librorum ſuorum de animalibus fatetur, ſcripſiſſe ſe, quæcunque ſtudio, labore, curâ, ingenio, & æmulatione quadam honeſtorum, & eruditorum hominum, qui antè eum hoc argumentum veluti certatim excoluerant, diligentiam ſuperandi, indagare ac invenire potuit; & nè quid eorum, quæ aſſecutus erat, omitteret, operam dediſſe. Lege quæſo, Lector, dictum Epilogum, & mirare hominis in eo ſtudio curam ac aſſiduitatem. Mira narrat, ac nova, P. Joannes Euſebius Nierembergius de animalibus Novi Orbis; at illa vel ab oculatis teſtibus, vel à probatis Auctoribus, & Manuſcriptis variis omnem fidem merentibus accepit, præſertim Franciſci Hernandi, qui juſſu Philippi II. Hiſpaniarum Regis Orbem illum peragravit, ut ejus exploraret conditionem. Quæ Piſo prodit de Americæ animalibus, incredibili diligentiâ, dum ibidem commoraretur, conquiſivit. Quot laboribus, peregrinationibus, ſumptibus, alii plerique ſuprà laudati ſua ſcripſerint, fatentur ipſi; & ſi tacerent, ingentia eorum volumina loquuntur. Sed omiſſis parergis, rem ipſam aggrediamur.

CAPUT

CAPUT I.

Quid ſit Animal.

PRimus, qui poſt hominis in ſpectabilis hujus Mundi theatrum ingreſſum, de animalium doctrina ludum aperuit litterarium, DEUS fuit ter Optimus, ac ter Sapientiſſimus. Primus, quem divinus hic Magiſter primogenitæ iſtius eruditionis Diſcipulum numeravit, divinæ fuit Omnipotentiæ Benjaminus, ultimus ac dilectus increatæ Fœcunditatis partus, Adamus. Ipſe DEUS ut rerum aliarum, ita cunctorum quoque animalium cognitionem perfectam Protoplaſto inſpiraverat. Hujus divinæ Philoſophiæ ut periculum faceret diſcipulus, adduxit ad eum cuncta, quæ condiderat non longè antè animantia, ut *videret quid vocaret ea*, Geneſ. c. 1. verſ. 19. Vidit, & juxta uniuscujusque naturam ac proprietates ipſi perſpectiſſimas, nomina impoſuit: *omne enim quod vocavit Adam anima viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ.* En Adami ſapientiam atque ſcientiam, qui ſingulorum animalium naturas novit, eisque congrua indit nomina. Primus itaque Doctor de Animalibus Philoſophiæ DEUS fuit; primus in Orbe homo, primus tanti Magiſtri Diſcipulus. *Animalis naturas primus docuit Deus, dicit Adamus.*

Cognitionem hanc animalium diſſeminavit utique Adamus in poſteros, ac per hos in ſeros nepotes; ut mirum ſit, tantam nunc eſſe etiam inter primi ſubſellii Philoſophos hujus rei inſcitiam, ut ne definitionem quidem rudem Animalis, niſi per ambages ac polylogiam ediſſerant. Alii enim definiunt, *Vivens conſtans corpore, organis ſenſoriis inſtructo, & animâ ſenſitivâ:* Alii, *ſubſtantiam animatam ſenſibilem:* Alii, *corpus animatum ſenſibus præditum.* Ego breviſſimè ac ſimpliciſſimè definio, *vivens ſenſitivum:* ſi enim quid *vivens* ſit, quid *ſenſitivum*, intelligas; animalis conſtitutivum, atque ab aliis diſtinctivum ſufficientiſſimè concipis atque exprimis, ſi *vivens ſenſitivum* concipis. Non igitur omne vivens, animal; nec ullum non vivens, animal. Plantæ ergo, ſtellæ, Mundus ipſe, & alia, ab animalium cenſu excluduntur, ut probabitur ſuis locis. *Animalis definitio.*

CAPUT II.

De variis Animalium differentiis.

OMnium Philoſophorum, quorum monumenta extant, antiquiſſimus ac Theodidactus Moyſes, dividit animalia ratione loci in incolas Aquæ, Aëris, & Terræ, hoc eſt, in animalia Aquatica, Aërea, & Terreſtria, ſeu in Aquatilia, Volatilia, & Terreſtria. Nam *Geneſ. cap. 1. v. 20.* loquens *Animalis diviſiones variæ.*

Digitized by Google

de Aquatilibus & Volatilibus,ait: *Dixit etiam DEUS: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creavitq; DEUS cete grandia, & omnem animam viventem atq; motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas; & omne volatile ſecundùm genus ſuum.* Deinde *eodem cap. v. 24.* loquens de Terreſtribus animalibus,ait: *Dixit quoq; DEUS: Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Factumq; eſt ita. Et fecit DEUS beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo.* Per reptilia animæ viventis primo loco, intelligit ſacer Scriptor piſces (qui ſcilicet ſine pedibus aquis ventre incubant, & quaſi repunt in aquis) ut explicant Interpretes, & patet ex mox ſequentibus verbis in eodem capite 1. Geneſis.

Gentilium Philoſophorum non unius aut ſuperſtitio, aut vana religio, hanc introduxit animalium differentiam, ut alia mortalia dicerent, alia immortalia. Immortalia vocabant aſtra, cœlum, ipſumque Mundum totum (hæc enim omnia animata eſſe, aque ſentientia, imò & rationalia, putabant:) mortalia verò, hominem, & cætera infra hominem animantia. Hinc quatuor *Plato*, aliiq; nonnulli, animalium genera conſtituebant, terreſtria, aquatilia, volatilia, cœleſtia. Errorem hunc quoad immortalia, atq; cœleſtia animalia, refutabimus fusè in Mundo Mirabili, ac infrà quoq; fortaſſis nonnihil attingemus. Nunc ſufficit dicere, nullum animal immortale eſſe, atque incorruptibile; nè ipſum quidem cœlum, aut aſtra, ſi animalia forent; ſed omnia ſunt mortalia atq; caduca. Puto tamen Platonem, atq; Platonicos per cœleſtia animalia intellexiſſe Angelos, ſeu Genios, quos corporeos eſſe exiſtimabant, cum multis aliis ſequacibus, ut lib. 1. vidimus.

Animal nullum immortale.

Meliùs alii animal latiſſimè ſumptum dividunt primâ diviſione in rationale, & irrationale. De rationali, hoc eſt, homine, libro 3. ſermonem habuimus; de cæteris hîc, & in ſequentibus agemus. Irrationalia variè dividuntur; ratione loci in quibus degunt, aut naſcuntur; morum quibus prædita ſunt; ciborum quibus veſcuntur; motus quo moventur; aliorumque ſimilium accidentium ac circumſtantiarum. Ita *Ariſtoteles* lib. 1. de Hiſtor. Animal. c. 1. ubi ait: *Animalium verò differentias aut per vitas, aut per actiones, aut per mores, aut per partes conſtitui dignum eſt.*

Animalium diviſio Ariſtotelica.

Primò igitur ratione loci dividitur animal, ut paulò antè ex Moyſe diximus, in terreſtre, aquatile, aëreum. *Terreſtre* ſubdividitur in greſſile, quale equus, bos, leo, &c. in reptile, quale ſerpens, & multa inſecta &c. & in immobile, qualia ſunt Zoophyta. *Aquatile* aliud eſt purè tale, ut piſcis propriè dictus, cujus nimirum tale eſt temperamentum, ut extra aquam vivere nequeat; aliud amphibium, quod nimirum & in aqua, & extra aquam

Digitized by Google

aquam vivere poteſt, ut eſt caſtor, lutra &c. *Aëreum* animal eſt, quod per aërem volitat, & in aëre vivit. Ad hæc ultima revocantur, ſi quæ in igne vivunt; quod poſtea examinabimus. Alias diviſiones animalium ratione loci, victus, actionum &c. vide apud Ariſtotelem loc. cit. ubi de Aquatilibus loquens, ait; *Et aquatilium ordo duplex: alia enim in fluido degunt, victumque petunt ex humore, quem etiam humorem per vices recipiunt, & reddunt, nec vivere poſſunt, niſi verſentur in humore; quod plurima piſcium parti evenire apertum eſt. Alia degunt quidem in fluido, victumque inde emoliuntur, ſed aërem, non humorem recipiunt, & foris parere ſolent. Complura hujus generis ſunt, partim greſſilia, ut lutra, latax, crocodilus; partim volucres, ut mergi, ut urinatrices; quin etiam quæ multis pedibus innituntur, ut natrix. Nonnulla cùm victum in humore exerceant, nec foris vivere queant, nihil vel aëris, vel humoris recipiunt, ut urtica, & oſtrea. Aquatilis autem generis alia marina, alia fluvialia, alia lacuſtria, alia paluſtria, ut rana, ut cordula. Terreſtrium verò animantium alia accipiunt redduntque aërem (quæ reſpiratio nominatur) ut homo, & quæcunq; terreſtria habent pulmonem. Alia quamvis aërem recipiant, tamen ſedem in terra perpetuò tenent, & victum indidem capiunt, ut veſpæ, apes, & reliqua inſecta &c.* Plura leges apud ipſum. Ex quibus patet, Ariſtotelem aërea animalia revocare ad Aquatica.

Secundò dividitur animal ab *Ariſtotele* lib. cit. cap. 5. in viviparum, oviparum, & vermiparum: quibus addunt nonnulli quartum membrum expertium genituræ, propter animalia, quæ ſui ſimile non generant, ſi quæ ſunt. Vivipara ſunt, quæ intra ſe formant animal totum atq; perfectum, & deinde in lucem emittunt, ut equus, vitulus, leo, & reliqua, quæ pilis integuntur ex genere terreſtrium; & ex genere aquatilium, quæ cete & cartilaginea appellamus. Ovipara ſunt, quæ intra ſe conceptum ovum priùs pariunt, ac deinde incubando excludunt, ut gallinæ, & reliquus avium grex. Vermipara, quæ priùs vermem progignunt, ex quo deinde illius ſpeciei animal prodit. Animalium alia Ariſtotelica diviſio.

Tertiò ab eodem *Ariſtotele* lib. cit. cap. 4. dividitur animal in ſanguineum, & exſangue. Sanguineum eſt leo, equus, & omnia illa, *quæ aut perfecta pedibus carent, aut binis quaterniſvè pedibus conſtant.* Exſanguia ſunt apes, veſpæ, ſepia, locuſta, *denique omnia quæ pedibus plùs quàm quaternis innituntur.*

Quartò eſt etiam nota & communis diſtinctio animalium in perfecta, & imperfecta. Hæc ſunt, quæ ex ſemine ſui ſimilium, aut etiam diſſimilium procreantur: illa, quæ ex putreſcente materia, aut terræ, aut aquæ, aut ſtirpium, aut cadaverum oriuntur, ut aliquando muſcæ, veſpæ, ranæ, ſerpentes &c.

Digitized by Google

Omnes prædictæ animalium ſpecies aliis penè innumeris modis ſubdividuntur, ut apud Ariſtotelem in libris de Hiſtoria animalium, & de partibus animalium, aliosque Phyſiologos in Procemio citatos legi poteſt. Nobis hæc pauca indicaſſe ſufficiat. *Aſcanius Martinengus* in Gloſſa Magna in Geneſin, omnium ſanctorum Patrum diviſiones operoſo labore enumerat.

CAPUT III.

De prima animalium origine, ex Veterum Philoſophorum ſententia.

UT, qui ſine lumine per obſcura aberrant, aut ceſpitant frequenter, aut aberrant longè à deſtinato loco, aut prolapſi penitus ſubſiſtunt; ita qui ſine fidei divinæ ſplendore, & ſine Scripturæ Sacræ radiis primam Mundi, mundanarumque rerum originem veſtigant, aut in turpiſſimos errores, aut in inextricabiles difficultatum labyrinthos incidunt, aut cæcutientium atque palpantium more prolapſi longiſſimè à veritatis tramite deviant. Hinc tam exoticæ, ac potiùs riſu quàm refutatione dignæ Philoſophorum gentilium ac mundi Sapientum ſententiæ de dictarum rerum natalibus. De Mundi exordio quid iidem ſenſerint, prodam in Mundo mirabili: nunc diverſa placita, quæ ſibi quisq; finxit, aut ab aliis hauſta credidit, atq; ad poſteros propagavit, narrabo; narrabo inquam, quia tam abſurda decreta narrare, eſt refutare.

§. I. Origo Hominis, ex mente gentilium Philoſophorum.

Hominis origo, ex mente gentilium.

PEripatetici igitur (ut ab his incipiam, qui ſibi ac nobis plus cæteris ſapuiſſe videntur) Mundi æternitatem defendentes, uti & Pythagoras, Archytas, Xenocrates, Dicæarchus, ſemper humanum genus fuiſſe crediderunt. Negabant nimirum definiri poſſe, avesnè antè, an ova ſint generata, quoniam nec ovum ſine ave, nec avem ſine ovo gigni poſſe rebantur. Qui autem homines aliquos primigenios à DEO aut Natura factos crediderunt, multi quidem fuerunt, ſed aliter atque aliter in hac exiſtimatione verſati. Nam ut omittam Poëtarum fabulas, qui homines primos aut Promethei molli luto formatos, aut Deucalionis Pyrrhæq; duris lapidibus natos finxerunt; *Anaximander Mileſius* ex aqua terraque calefactis exortos eſſe ſive piſces, ſive piſcibus ſimillima animalia prodidit, & in his homines concreviſſe, fœtusque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis viros mulieresque, qui ſe jam alere poſſent, proceſſiſſe.

Empe-

Digitized by Google

Empedocles primò ſingula humani corporis membra ex terra quaſi prægnante paſſim edita confinxit, deinde coiviſſe in unum, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permixtam. Eadem ferè *Parmenidis* fuit ſententia. *Democrito Abderitæ* ex aqua limoque primùm viſum eſt homines procreatos. *Epicurus* credidit, ac docuit, limo calefacto, uteros neſcio quos, radicibus terræ cohærentes, primùm increviſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem Naturam miniſtrantem præbuiſſe; hos ita educatos atque adultos, genus hominum propagaſſe. *Zeno Citticus* principium humano generi ex novo Mundo conſtitutum putavit, primosq; homines ex ſolo adminiculo divini ignis, id eſt, DEI providentiâ genitos.

Hæc Græcorum ſunt de humani generis exordio deliria. Non minùs abſurda aliarum gentium Sapientes prodiderunt. Sinenſes reliquis ingenioſiores, Mundi & omnium rerum quoddam initium ſtatuunt, primumque hominem quem agnoſcunt, Puonchuum nominant, ut P. *Martinus Martinius* lib. 1. Sinicæ Hiſtoriæ tradit. *Eum dicunt è chao tanquam ex ovo natum, hujus teſtam ſeu corticem in cœlum, albumen in aërem, vitellum in terram abiiſſe, idque mediâ nocte ſub illud tempus, quo aſtra per cœlum penetrantia ſolſtitiali brumaliq; revocatione vertuntur. Primo tamen loco cœlos perfectos; ſtabilitam deinde terram; tum Spiritus; poſtremò homines extitiſſe &c. Alii tamen Puonchuum ajunt è deſerto quodam prodiiſſe, natalium ignorationem ultrò faſſi.* Hæc ille. Omitto aliarum gentium figmenta.

Hominis origo ex aliorum gentilium ſententia.

§. II. Animalium irrationalium origo, ex eorundem Veterum Philoſophorum ſententia.

NOn minùs ridicula aut abſurda de cæterorum animalium origine tradunt iidem Veterum Philoſophi. *Euripides*, ut aliarum rerum, ita & animalium procreationem ex diremptione cœli, & terræ, quæ in primitivo chao antea latuerant, agnoſcit. Ait enim, cœlum terramque unius formæ fuiſſe, ſed cùm fuiſſent abjuncta complexu mutuo, emerſiſſe omnes in lucem res progenitas, arbores, aves, feras. *Hermogenes* non vi divinâ, ſed aſpectu ebulliiſſe cuncta deliravit. *Plato* in Timæo docet, animalium opificium à ſummo DEO demandatum fuiſſe Diis ſecundis. Ex cujus doctrina *Alcinous* Platonicus ita ſcribit: *Cùm hæc omnia fabricata eſſent, animalium tria reſtabant genera, quæ mortalia erant futura, volatile, aquatile, & pedeſtre; quorum generationem filiis mandavit ſuis, nè ſi hæc quoq; genuiſſet, immortalia non minùs eſſent quàm reliqua. Illi igitur à prima materia particulas quaſdam ad definitum mutuati tempus, mortalia finxerunt animantium genera.* Ægyptii ex putrefactione terræ poſt magnam Nili inundationem erupiſſe animalia crediderunt. Alii aliter ſenſerunt. Nonnullorum ſenſum *La-*

Animalium irrationalium origo ex Veterum ſententia.

Digitized by Google

ſtantius his prodit verbis: *Ajunt certis converſionibus cœli, & aſtrorum motibus, maturitatem quandam extitiſſe animalium-ferendorum. Itaque terram novum ſemen genitale, folliculos ex ſe quoſdam in uterorum ſimilitudinem protuliſſe; eoſque, cùm maturuiſſent, Naturâ cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe. Deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoque alimento animantes eſſe nutritos.* Atque hæc ipſiſſima eſt Epicuri ſententia, de qua §. præcedenti. Cur autem nunc nihil horum contingat, cauſam ajunt eſſe, quia ſemel neceſſarium fuit ut animalia è terra naſcerentur; poſtquàm verò eſſe cœperunt, terram parere deſiiſſe, mutatâ temporis conditione.

Nihil hîc dicam de fabulari quorundam particularium animalium origine, aut varia metamorphoſi, quas fusè & eleganter enumerat *Nierembergius* lib. 4. Hiſtor. Natur. cap. 3. & 4.

CAPUT IV.

Animalium origo prima, ex Fidelium & vera ſententia.

Animalium prima origo vera.

VEram animalium originem aliunde non diſcimus quàm ex DEI verbo, & Sacra Mundi Chronologia, cujus Auctor DEUS, ſcriba Moyſes, interpres Eccleſia Catholica. Legerant eam fortaſſis, aut audierant nonnulli gentilium Sapientes, ſed velut ridiculam exploſerunt, ſubſtitutis ſuis, quæ ex parte vidimus, deliriis. Verba quibus animalium, homine excepto, prima continetur productio, dedimus cap. 2. Circa quæ ſequentes enodamus quæſtiones.

§. I. Quo die Mundi producta animalia.

Animalia quo die Mundi à DEO condita.

REſpondeo, Piſces & Aves productos die quintâ; Animantia cætera, die ſextâ. Ita expreſsè teſtatur *Moyſes* Geneſis cap. & verſibus citatis, & ita illa loca interpretantur Sancti *Ambroſius*, *Baſilius*, *Cyrillus*, *Chryſoſtomus*, & alii paſſim, quorum verba citant Interpretes. Malè ergo *Eugubinus* in Coſmopœia ſua docet, *quinti diei opus non ad amuſſim quintâ die conditum, quin in ſuperioribus diebus aliquod principium habuerit*, tunc nimirum, quando, (ut idem ſe explicat) è terris patefactis cœperunt naſci herbæ & ſtirpes, & ſimul ex aquis aquatilia pullulârunt parte unâ, parte verò aliâ animalium terreſtrium exordia fuêre inchoata. Malè inquam hæc Eugubinus adſtruit, quoniam ſex dierum, quibus Mundum per partes conditum atque ornatum fuiſſe Scriptura teſtatur, confuſionem invehunt, & operum in eis patratorum ſeriem interturbant, ac Moyſem mendacem faciunt. In tales

Digitized by Google

taleſs illidunt ſcopulos, qui ſuis præfidentes ingeniis à communi tramite deviant. & in magna laude ponunt, ſi audiant ſe ſolos calcaſſe nullis impreſſa veſtigiis.

Minùs etiam rectè *S. Auguſtinus* lib. 3. de Geneſi ad litteram c. 4. exiſtimat, die quinto non eſſe productos à DEO piſces actu, ſed tantummodò cauſaliter & potentialiter, datâ nimirum tunc aquis poteſtate piſces ſuo tempore procreandi. Sed hoc minimè concordat cum narratione Moyſis, qui ait, DEUM ex aqua produxiſſe die quinto omnia piſcium genera; nec aliter de piſcium productione loquitur, quàm de productione lucis, & firmamenti, & ſtellarum fuerat locutus, quando dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum, Fecit firmamentum & ſtellas &c.* quæ utique actualem productionem ſignificant.

§. II. Ex qua materia fuerint producta animalia, præſertim Aves.

Reſpondeo, Piſces, & Aves ex aqua, Animalia cætera ex terra. Ita nos docet Sacer Textus locis cap. 2. citatis. Et piſces quidem ex aquis productos, concedunt omnes, & clarè habetur illis verbis: *Producant aquæ reptile animæ viventis.* Et illis aliis: *Creavitque DEUS cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas.* Animalia prima ex qua materia fuerint à DEO producta.

Major controverſia eſt de avium materia. Nam licèt Vulgata editio latina, D. Hieronymo attributa, quâ Romana Eccleſia utitur, id inſinuet; tamen neq; Textus Hebraicus, neque Chaldaica Paraphraſis id docent; & Vulgata editio expreſsè aſſerit cap. 2. Gen. verſ. 19. eas ex terra eſſe productas. Textus Hebraicus, ſi ad verbum reddatur latinè, ita ſonat: *Repere faciant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper faciem extenſionis cœli:* Paraphraſis verò Chaldaica ſic habet: *Movere faciant aquæ reptile animæ viventis, & avis volitet ſuper terram juxta faciem expanſi cœlorum.* Ex nullo horum locorum apparet, Moyſen tradere, aves ex aquis eſſe productas. Quin imò eas ex terra eſſe factas, apertiſſimis verbis ipſe docet, ut dixi, *Geneſis* cap. 2. v. 19. in quo tam latinè, quàm græcè, hebraicè, & chaldaicè ita legitur: *Formatis igitur Dominus DEUS de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam.* Ex quo perſpicitur, aves ſimiliter ut terreſtres animantes è terra eſſe generatas. Ob has rationes, *Cajetanus*, *Catherinus*, & *Wielmus* Lect. 22. in Hexaëmer. putant, aves non ex aquis, ſed ex terra eſſe creatas. Idem ferè ſentit *Lipomannus*, & *Rabbini*; idemq; produnt verſio *Montani*, *Pagnini*, & *Tigurina*, ut advertit *Salianus* tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. Anno Mundi 1. Die 5. Pro eadem hac ſententia *Suarez* de Opere ſex dierum lib. 2. cap 10. num. 13. citat Pererium Comment. in Geneſim. Sed Pererius expreſsè, relictâ hac ſententiâ, Aves ex qua materia à Deo productæ ſint.

quam

quam multis explicaverat, & confirmaverat, amplectitur ſequentem ſecundam & communem ſententiam. Atque hæc eſt prima circa materiam avium ſententia. Quæ confirmari poteſt ex eo, quòd aves ex terra nutriuntur,& in ea ordinariè habitant ac vivunt.

Aves productæ à Deo ex aqua.

Verùm communis & vera ſententia *D. Ambroſii*, in Hymno illo, quo utitur Eccleſia Feria 5. ad Veſperas, *Magnæ DEUS potentiæ &c.* & lib. 1. in Hexaëm. *D. Cyrilli* lib.1.in Geneſ. *D. Hieronymi* Epiſt. 83. ad Oceanum, *D. Chryſoſtomi* Homil.7.in Geneſ. *D. Damaſceni* lib.2.cap.9. *D. Baſilii* Homil. 8. *Theodoreti* lib. 5. Divin. Decret. *Ruperti* lib. 1. cap. 49. *D. Auguſtini* variis in locis (quorum verba adducit Salianus loc. cit.) eſt, aves non ſecus ac piſces fuiſſe ex aquis productas. Quibus conſentit ipſe *Salianus*, *Pererius*, *Cornelius à Lapide*, *Del Rio*,& alii Scripturæ Sacræ Interpretes paſſim. Colligunt id *primò* ex verbis Vulgatæ editionis: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Cujus editionis Auctor utique non corruptiori exemplari Hebraico fuerit uſus, quàm Auctores contrariæ ſententiæ. Demus tamen, Textum Hebraicum,quo uſi ſunt Auctores illi, eſſe incorruptum quoad illum locum; debet in eo intelligi relativum *quod*, ut ſenſus ſit: *Repere faciant aquæ reptile animæ viventis,& volatile quod volet &c.* Quod relativum Septuaginta,& Latinus Interpres ſuppleverunt. LXX. habent, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Quin etiam Thargum Onkelos habet: *Et volatile quod volat ſuper terram.* Aſſentitur & *Mercerus* ex quorundam Hebræorum auctoritate, qui pronomen ibi ſupplendum eſſe exiſtimant. Chaldaica autem Paraphraſis nihil habet diverſum à Vulgata, ut conſideranti patet.

Colligunt *ſecundò* ex eo, quòd magna ſit piſces inter & aves cognatio, ut rectè docet *S. Ambroſius* lib. 1. Hexaëm. cap. 24. ut propterea non malè *Philo* vocet aves piſcium cognatas. Nam plurima volucrum genera natant ſicut piſces, ut alcyones, mergi, fulicæ, ardeæ, cygni, grues; & piſcium progreſſio in aquis eſt inſtar volatus avium in aëre:& utriſque alæ & branchiæ pro remis, cauda pro gubernaculo eſt. Omitto alia convenientiæ & quaſi cognationis ſigna. Non mirum ergo, quòd ambo, piſces inquam & aves, fuerint ex eadem materia producti.

Ad illud Sacræ Scripturæ teſtimonium ex *cap. 2. Geneſ. verſ. 19.* productum, *Formatis igitur Dominus DEUS de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*; reſpondetur, illam conjunctionem, *&*, non repetere particulas illas, *ex humo*, ut ſenſus ſit; Formatis ex humo tam animantibus terreſtribus, quàm volatilibus; ſed repetere illud participium paſſivum, *Formatis*, ut ſit hæc Moyſis ſententia; Formatis ex humo animantibus terreſtribus, & formatis etiam volucribus, id eſt, poſtquàm hæc duo genera animantium DEUS creaverat, adduxit

Digitized by Google

adduxit ea ad Adam. Ita hunc locum interpretantur *Pererius*, *Cornelius*, *Petavius*, *Molina*, *Valentia*, *Salianus*, & alii paſſim. Et niſi ita interpretemur hunc locum, dicere cogimur, Moyſen non feciſſe expreſſam mentionem materiæ avium, ſicut fecit piſcium, & animalium terreſtrium.

CAPUT V.

Aves, tametſi aëris ſint incolæ, ex aqua tamen factas, confirmatur.

PIſces ſeu Aquatilia incolas eſſe aquæ, Aves ſeu Volatilia aëris, Terreſtria animalia terræ, experientia & ſenſus docet, & penè nomina probant. Accedit ratio, quòd ad illud elementum ſpectant animalia, ubi verſantur, quà ſpatiantur, quo delectantur: atqui natatilia non natant niſi in aqua, & volatilia non volant niſi in aëre, & greſſilia non gradiuntur niſi in terra; adeò ut *piſces* plerique nunquam deſerant aquas, niſi amphibii ſint; aves *aliquæ* nunquam aërem relinquant, ut paradiſiaca; terreſtria animalia è terra nunquam in aliud commigrent elementum, excepto Maripeto Japonico, de quo libro ſequenti; ergo &c. Nec obſtat, quòd aves in terra quieſcant, tametſi in aëre volitent: nam & piſces in latibulis terræ conduntur, & humi cubant, & perambulant multi ſemitas maris; rectè tamen aquarum incolæ dicuntur. *Aves ex aqua factas à Deo confirmatur.*

Ex his tamen nemo rectè inferat, ut piſcium patria ac natalis locus aqua eſt, & terreſtrium animalium terra; ita avium aërem eſſe debere. Jam enim ſtatuimus ac ſtabilivimus, avium & piſcium communem vulvam in prima productione humorem fuiſſe; nec immeritò, quòd fraterculant aves cum piſcibus, & ideò piſces per aquam volant, & aves per aërem natant; illi aves pelagi, iſtæ piſces ſublimes, ut eleganter ludit *Nierembergius* lib. 4. Nat. hiſt. c. 13. ex *Eugubino* in Coſmopœia. Nec mirum, ut idem *Eugubinus* advertit, talem fuiſſe tum avium generationem, qualem penè prodigioſam hodie quarundam avium accepimus. Sæpe enim fit, ut ad Oceani littora appulſum navis aliquod fragmen, & ſabulo affixum, diuque fluctibus contuſum, & aquis ac diuturnitate pereſum, fungos albentes primùm proferat; pòſt certo temporis ſpatio, & calente ſole, pedibus aliſque adformatis, è ligno avellant ſeſe aves, quondam fungi, nunc volucres aëre tranantes. Exempla dabimus infrà lib. 9. *Eſt extra Italiam locus* (inquit Eugubinus lo. cit.) *ubi naſcuntur in frutice quaſi forma teretis vellera. Hæc certo temporis ſpatio ex arbore in flumen, quod infernè elabitur, decidentia, ut primùm aquam attigerunt, dant aves volatum, & in ſublimes regiones more cæterarum avium aufugiunt. De Ephemero ſimile quid prodit* *Aves ex ligni putridis.*

Digitized by Google

Ariſtoteles, ut infrà videbimus. Quod etiam nunc permultas aves in aquis degere, & multa genera earum ſtagna, lacus, palaudes, flumina, ac maria accolere, & propter generare videmus, argumentum eſt primæ earum originis, ut benè advertit dictus Eugubinus.

Rupertus lib. 1. de Operibus Trinitatis cap. 50. contra communem (quam & ipſe amplectitur) ſententiam opponit hoc: ſi aves ſimiliter ut piſces productæ fuiſſent ex aquis, ſimiliter quoque ut illi degere deberent in aquis; cùm tamen omnes vel in aëre, vel in terra degant. Ad hoc reſpondet ipſe, non eſſe productas aves ex denſa materia aquæ, qualis eſt ejus, quæ propriè appellatur aqua, ſed ex aqua tenuiori ac velut nubiloſa, ita ut per aquam, ex qua Scripturà, Patres, & Interpretes docent productos eſſe piſces & aves, intelligenda ſit non modò quæ vulgò & propriè dicitur aqua, hoc eſt, corpus liquidum & fluidum, ſed etiam tenuior aqua, qualis eſt vapor, vel nubes. Idem docent *S. Auguſtinus* lib. 3. de Geneſi ad litteram cap. 3. *S. Thomas* 1. parte quæſt. 71. art. 1. *Suarez* lib. 2. de Opere ſex dier. cap. 10. num. 17. *P. Kircherus* in Itinerario Exſtatico 2. Dialogo 2. c. 3. & 5. initio, & alii.

Sed nihil obſtat, quò minùs nomen *aqua* propriè & rigorosè accipiamus, ne concedere cogamur, aves non ex aqua ut piſces, ſed ex aëre productas. Certè nihil cogit aquæ vocabulum impropriè ſumere pro aëre, aut aqua in vapores & aërem converſa; & ſi propriè ſumatur, nullum ſequitur inconveniens. Sumendum ergo nomen *aqua* ut ſonat.

Placet hoc caput claudere eleganti carmine, quo *Claudius Viller* celebrat genethliacon avium ab humore, ſic:

Hinc volucres quoque, molle genus, traxêre vigorem:
Nam liquidas dum format aquas, immiſſaq; pontum
Vita ſubit, fervent multo tumida æquora partu.
Nec ſatis eſt piſces genus omne exſurgere, quodq;
Squamea turba ſalo ſummas evadit in undas
Ni volitans in aquis ſenſim natet æthere puro,
Æthereos volucris contingere docta receſſus.
Ergo materies avibusq; & piſcibus una eſt.

Ex dictis hactenus colligitur, quamvis productio animalium aliquando in Sacra Scriptura dicatur creatio, non tamen factam fuiſſe ex nihilo, ſed ex præjacente materia, modo tamen proprio Auctoris Naturæ, quia prævia alteratio, & organizatio materiæ, non fuit facta modo ordinario, nec cum mora, nec cum effectiva cooperatione cauſarum ſecundarum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quomodo piſces & aves ex aqua, cætera verò animantia ex terra fuerint producta.

VIdimus piſces & aves ex aqua, animantia cætera ex terra, tanquam ex materia, fuiſſe producta: inquirimus nunc, num illi ex ſola aqua, hæc ex ſola terra. Item, num aqua & terra ſolùm materialis cauſæ, an etiam efficientis influxum præſtiterint.

§. I. Sola aqua ad piſcium & avium, & ſola terra ad cæterorum animalium primam productionem concurrit.

QUoad primum, num ex ſola aqua piſces & aves, & ex ſola terra cæteræ animantes productæ fuerint, ratio dubitandi eſt, quia piſces & aves ſunt corpora craſſa, ſunt mixta, & mixta perfecta; quomodo ergo ex ſola aqua, quæ eſt elementum liquidum ac fluidum? *Albertus Magnus* apud *Nierembergium* lib. 4. Hiſt. Nat. c. 14. aquam in duas ſcindit portiones, humidum aqueum frigidum, & humidum vaporale calidum; & ex illo piſces, ex hoc aves procreatas aſſerit. *Quia verò in piſcibus* (ait) *& volatilibus præcisè paſſivum eſt humidum, & humidum aëris ſpirituale eſt, non incorporale; ideo materiale in avibus & piſcibus eſt humidum aqueum; ſed ex humido conſtante per frigidum, ſecundùm ſui generis naturam, magis ſunt piſces, & ideò ſecundùm ſuum genus ſunt frigidi, ſicut & locus aqua, in quo ſunt. Ex humido verò vaporali, conjuncto cum calido, ſecundùm ſui generis naturam, magis ſiunt aves; & ideò ſunt natura calida ſecundùm ſuum genus.* Piſces & aves an ex ſola aqua producti à DEO.

Rupertus, ut capite præcedenti vidimus, exiſtimat, piſces productos ex aqua denſa & propriè dicta, aves ex aqua rara & in vapores reſoluta: ideò cùm dicitur, piſces & aves productas ex aqua, aquæ nomine intelligit etiam aërem. Verba *Ruperti* lib. 1. de Operibus Trinit. c. 50. hæc ſunt. *Cùm ergo dixit*, producant aquæ, *licet aërem quoq; ſimul intelligi, quia videlicet cùm aſcendentes aquæ per aëris ſpatia, vi frigoris vertantur in nives, eâdem facultate per virtutem præcepti potuerunt verti in aves. Itaque de aquis productæ ſunt, & tamen ſub aquis vivere non poſſunt, quia fortè nequaquam ſub denſis fluctibus vitam ſumpſerunt, ſed de rarioris & per nebeculas volantis aquæ globis volantium avium corpuſcula facta ſunt.* Quærit autem Rupertus dicto capite, cur, cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam ſub aquis vivere poſſint. In hac eadem ſententia eſt, ut vidimus capite præcedenti, *Suarez, Kircherus*, & alii.

Sunt qui putent, Nierembergio teſte loc. cit. in ſuperficie undarum utrumque genus factum; & piſces quidem demerſos intra aquas, aves verò

emiſſas in aërem. Confirmari hoc poſſet exemplo non diſſimilis originis piſcium apud Ruthenos, ut *Michovius* narrat, apud quos non deferuntur piſces in piſcinas, uti apud alias gentes, ſed ubi adunata eſt aqua, in eam decidunt piſces è cœleſti rore, ſine cura aut induſtria humana. Sed quidquid ſit de hoc exemplo, diſtinctio illa, quòd piſces & aves facti ſint in aquarum ſuperficie, & illi demerſi, hi in aëra dimiſſi, non ſolvit quæſtionem.

Piſces è cœlo delapſi.

Communis ſententia Interpretum eſt, piſces & aves non ita ex aquis productos, nec cætera animantia ita ex terra, ut alia elementa nihil in eorum productionem contulerint, cùm ea vera eſſe corpora mixta nemo dubitet. *Jam enim* (inquit Salianus in Annal. Anno Mundi 1. Die 5. num. 6.) *aquis permiſta fuerat terra, & aqua terris, cùm Deus terram excitavit ex undis, eamq; quaſi ſpongiam replevit, ac fœcundavit aquis, quibus innatabat aër, igneo ac vivifico calore perfuſus. Ex aquis tamen, quaſi ex prædominante elemento, ut homo* & cætera animalia terreſtria *ex terra producta dicuntur. Et ſuper hæc omnia accedebat Sol, omnium viventium corpore conſtantium parens. Nec eſt ullus ex antiquis Patribus, qui piſces ex ſola aqua conditos putet, aut dicat, etſi non niſi aqua, ſicut nec Scriptura, in eorum productione meminerint.* Ita Salianus. *Nierembergius* lo.cit. ait, dici poſſe, non ex ſola aqua genitas aves, ſed ex limo dilutiore, ſub oras. Addit, fortaſſis hoc innui in Scriptura, dum rerum creatio cap.2.verſ. 19. ita reſumitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, ac volatilibus cœli.* Idem dici poſſe ait de piſcibus, non ex pura aqua genitos. Dici tamen potiùs ex aquis formatos piſces & aves, *vel prædominii ratione; vel quia ex eo loco, ſeu ex illa maſſa, ubi prævaleret humor; vel propter aliquam virtutem genitalem aquis in hac viventia conceſſam.*

Piſces & aves ex ſola aqua facti.

Ego exiſtimo, rectè dici poſſe, piſces & aves ex ſola aqua, animalia verò terreſtria ex ſola terra, fuiſſe producta, quoniam Sacra Scriptura illorum elementorum tantùm facit mentionem, nec quidquam nos cogit dicere, etiam alia elementa in conſortium fuiſſe à DEO aſſumpta: tam enim facile fuit DEO, ex ſola aqua, & ſola terra formare corpora craſſa & verè mixta, quàm ex pluribus aut omnibus elementis ſimul. Nimis debilem reddit divinam potentiam, quæ peculiariter in prima rerum productione ubique mirabiliter elucet, qui eam ad frivolas quaſdam convenientias adſtringit. Ego ſuppoſitâ divinâ omnipotentiâ, ubique verba divinæ Scripturæ ſumo ut ſonant, ſequens regulam S. Auguſtini, quando nihil abſurdi, aut aliis ejuſdem Scripturæ Sacræ locis contrarium ſequitur.

§. II. Aqua

Digitized by Google

§. II. Aqua & terra ſolùm materialis cauſæ, non etiam efficientis influxum præſtiterunt in prima animalium productione.

Aqua & terra ſolùm materialis cauſa animalium.

QUoad ſecundum, num aqua & terra ſolùm materialis cauſæ, an etiam efficientis influxum præſtiterint in prima animalium productione; *Eugubinus* in Coſmopœia, explicans illa verba, *Producant aquæ*, ait, ſtatim ac terra fuit à DEO ab aquis detecta, nec ipſam terram à producendo, nec aquas, Sole & fœcunditate primordiali omnia in lucem vocante, ceſſaſſe. *Itaque terra facilè de genitali utero ſuo herbas primùm, paulò pòſt arbores, non longè pòſt beſtias & reptilia generârunt, generataq; in lucem ediderunt. Interea dum terra patefacta ab aquis plantas produceret &c. aquæ quoq; non ceſſabant. Itaq; & ipſa paſſim ferventes, omnigena natura ſua monſtra procrearunt*, piſces nimirum, & volucres; quæ animalia deinde die quinto fuêre perfecta, ut ipſe putat. Idem explicans illa verba, *Producat terra animam viventem*, loquens de terreſtrium animalium productione, ait: *Produxit ergo terra ſuperioribus aquis conſperſa, & ſole tumefacta, quæ gremio ac ventre ſuo parturiebat, animalia. Prius generata, quinque dierum ſpatio, & creſcentia, membrisq; informata, quintâ luce edita jam & perfecta. Generabantur autem, ſimul atque aquæ ſeparatæ terras apertas reliquerunt. Tunc, (mirabile dictu) paſſim fervebat humus; utque terreſtris humor in medullas arborum vitalem ſtirpium ſuccum Solis calore convertitur, ſic vertebatur humus in carnes. Ut in utero matris exiguum ſemen tepefactum creſcit in carnem & membra, ſic item exigua ſemina & humorum partes coaleſcebant, in diverſorum generum animantes. Fiebat id volente DEO, qui omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: ſed & naturas paraverat ipſe tales, ut inde naſci hæc poſſent; terram tanquam matrem ac genitricem, Solem tanquam genitorem; jacentem ſtratamq; latè terram; Solem deſuper incumbentem; cupidiſſimum hunc generandi, hanc cupidiſſimè rapientem, in ſeq; continentem cœleſtem genituram.* Omitto alia, quæ in eundem ſenſum habet. Aquis igitur & terræ talem concurſum tribuit in animalia, qualem habet uterus matris cum ſemine in generatione animalium, & qualem nunc terra cum Sole & ſemine in productione ſtirpium. Ex quibus patet, Eugubinum velle, DEUM in principio ita præparaſſe aquas & terram, ut naturaliter ſecuta fuerit generatio plantarum & animalium, utique virtute Solis & aliarum cauſarum ſecundarum; adeoque præter concurſum paſſivum dictorum elementorum, agnoſcit concurſum effectivum aliarum cauſarum à DEO diſtinctarum; quod eſt contrarium omnibus Patribus ac Theologis, ut aſſerit *Suarez* lib. 2. de Opere ſex Dierum cap. 7. num. 6. eſtque per ſe incredibile, & prorſus voluntarium; quia etiamſi demus, in

dictis elementis præceſſiſſe aliquam præparationem ac diſpoſitionem, ea tamen non fuit ſufficiens, ut Sol, aut alia cauſa ſecunda materialis, tam brevi tempore, tam perfecta animalia produceret.

Sed redeamus ad aquam & terram. *Cajetanus* & *Burgenſis* putant, dicta elementa fuiſſe proximam cauſam efficientem plantarum & animalium. Fundamentum ipſorum eſt, quia DEUS dixit: *Germinet terra herbam virentem &c. Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile &c. Producat terra animam viventem &c.* verbum autem, *germinet, producat*, ſignificat efficientiam.

Animalium primorum cauſa efficiens fuit ſolus Deus.

Communis & veriſimilior ſententia eſt, DEUM ſolum tanquam principale, proximum, ac totale principium efficiens, ex terra, & aqua, tanquam ex materiali cauſa, animalia produxiſſe. Hanc ſententiam docent plerique Interpretes, ſumptam ex Sanctis Patribus, eamq; ſequitur *Suarez* lib. 2. de Opere ſex dier. cap. 10. num. 3. remiſſivè ad cap. 7. num. 7. Ratio eſt, quia non habuit aqua & terra naturali virtute dictam efficientiam, cùm neque ipſa per ſe habuerit hujusmodi virtutem naturalem, ut ex ſe patet, & omnes concedunt; neque etiam habuerit ſemina animalium, in quibus virtus illa inextiterit, alioquin etiam nunc haberet aut eandem virtutem, aut eadem ſemina. Et etiamſi demus, habuiſſe ſemina omnium animalium; non tamen tam brevi tempore & quaſi in momento potuiſſet effectivè animalia omnis generis producere naturaliter. Neque credendum eſt, terram & aquam fuiſſe ſupernaturaliter elevatam ad efficiendum per modum divini inſtrumenti, quia prima illa opera miraculoſa & ſupernaturalia non ſunt per ſe ad primam naturæ inſtitutionem accommodata, & ideò ſine divina revelatione fingenda non ſunt, ut benè notat *Suarez* loc. cit. cap. 7. num. 7.

Negandum ergo, verba illa Scripturæ, *germinet, producat*, ſignificare vim effectivam: ſolùm enim ſignificant vim in genere cauſæ materialis. Quare ſolus DEUS fuit cauſa efficiens primorum animalium, tanquam Auctor & Inſtitutor Naturæ. Et hanc ob cauſam dicitur expreſsè poſt illa verba: *Creavitq; DEUS cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ &c.* DEUS nimirum ut cauſa efficiens, aqua ut cauſa materialis. Item: *Et fecit DEUS beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta &c.* Eodem modo dicitur de productione plantarum: *Produxitq; Dominus DEUS de humo omne lignum &c.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

An animalia quædam ex aëre naſcantur.

IN prima animalium productione ſola aqua & terra materiam iis præbuit, ut vidimus, aër & ignis ſteriles fuêre. Videndum, num ita hæc duo elementa ſint infœcunda, ut nulla unquam ex iis genita ſint, aut etiam nunc generentur, tametſi nobiliora prioribus, & cœlo proximiora, nec fortaſſis à cœlo æthereo & igneis cœli corporibus diſtincta. De aëre hoc capite, de igne agemus capite ſequenti. Animalia in aëre, non ex aëre, aliquando facta.

§. I. In aëre ſubinde generari animalia, ex aëre nunquam, probabilius eſt.

PRimum probant diverſa animalia, è cœlo & nubibus diverſis temporibus ac locis delapſa, quorum aliqua ſaltem in aëre fuiſſe orta probabile eſt. Horum è numero *Scaliger* Exercit. 129. num. 3. cenſet eſſe animalcula illa ſeptentrionalia, *Lemmer* ſeu *Lammer* dicta. Scaligeri verba ſunt: *Locuſtarum ſimillima peſtis ea, quæ in Nortvegiam frequenter incumbit è nubibus putridis. Pluit ab iis beſtiola quadrupes, magnitudine ſoricis, pilo vario. Lemmer nomen habet. Depaſcitur locuſtarum more omnia virentia. Conſumpto pabulo intereunt. Corruptis aër inficitur lue: unde vertigine, & regio morbo incolæ corripiuntur.* Ita Scaliger, putans animalcula illa naſci in nubibus; quod tamen in controverſiam vocat *Olaus Magnus* lib. 18. c. 20. ubi de Hermelinis agens ait, non ſolùm in Norvvegia, ſed etiam in Helſingia, atque vicinis provinciis diœceſis Upſalenſis evenire, *ut beſtiolæ quadrupedes, Lemmar vel Lemmus dicta, magnitudine ſoricis, pelle variâ, per tempeſtates & repentinos imbres è cœlo decidant: incompertum unde, an ex remotioribus inſulis, & huc vento delata, an ex fœculentis nubibus temerè nata deferantur. Id tamen compertum eſt, ſtatim atque deciderint, reperiuntur in viſceribus herba cruda, & nondum decocta. Hæ more locuſtarum, in maximo examine cadentes, omnia virentia deſtruunt; & quæ morſu tantùm attigerint, emoriuntur. Vivit hoc agmen, donec non guſtaverit herbam renatam. Conveniunt quoque gregatim quaſi hirundines evolaturæ, ſed ſtato tempore, aut moriuntur acervatim cum lue terræ (ex quarum corruptione aër fit peſtilens, & afficit incolas vertigine, & ictero) aut his beſtiis, dictis vulgariter Lekat, vel Hermelini, conſumuntur: unde iidem Hermelini pingueſcunt, & reddunt pellium menſuram longiorem.* Hæc Olaus; quæ etiam confirmat lib. 10. cap. 30. addens, ranas etiam, & vermes, ac piſces ſæpe è nubibus decidere in regionibus ſeptentrionalibus, & forſitan ſæpiùs ac frequentiùs ibi, quàm alibi, ob nubium viſcoſitatem, & incluſum fœtificum calorem à ſulphu- Lemmer animalcula.

à ſulphureis mineris, quæ ibidem infinitæ, & efficaces ſunt, aut aliis fœcundis exhalationibus excitatum.

Plura exempla animalium è cœlo delapſorum adducemus alibi, cùm de Mirabilibus Meteororum agemus. Interim ex his probabile fit, generari ſubinde animalia quædam in nubibus, præſertim ranas: non enim ranæ ſolùm è pulvere pluviis lucente ſole conſperſo enaſcuntur, ſed cum ipſa pluvia decidunt, & mox per terram & gramina repunt, ut oculati & fide digniſſimi referunt teſtes.

Alterum probat aëris ſterilitas; quæ inde etiam colligitur, quòd in mundi primordio nullam à DEO fœcunditatem adeptus ſit, ob idq; nullum ex ſe animal pepererit, ut vidimus in præcedentibus. Cauſa fortaſſis eſt, quòd aër purus (de hoc enim eſt ſermo) ejusdem ſit naturæ atque ſubſtantiæ cum cœlo; quod nulli animali materiam tunc præbuit. Si ergo in aëre naſcuntur animalia, non aëris, ſed aquæ in nubes aut vapores reſolutæ fœcunditati adſcribendum eſt. Sic coturnices, quas *Olympiodorus* in Meteolog. ait ab aëre corrupto naſci, non aërem purum, ſed corruptos in aëre vapores habent pro materia.

§. II. Equæ Hiſpanicæ & Cappadocicæ an vento concipiant.

Equæ Hiſpanicæ an vento concipiant.

SEd quid de equabus Olyſſiponenſibus, Cappadocibusque dicemus? Conſtans enim inter Veteres fuit fama, & admiratio, circa Olyſſiponis urbis confinia equas vento concipere; ventus autem eſt aër agitatus. Docet id *Plinius* lib. 8. Hiſt. Natur. cap. 42. *Conſtat*, inquiens, *in Luſitania circa Olyſiponem oppidum, & Tagum amnem, equas Favonio flanti obverſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri, & gigni perniciſſimum, ſed triennium vita non excedere.* Ex Plinio deſumpſit quæ habet *Solinus* c. 36. Polyhiſt. dicens: *In proximis Ulyſſponis equæ laſciviunt mirâ fœcunditate; nam ſpirante Favonio, vento concipiunt, & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur.* Idem vel ſimile repetit cap. 57. in fine dicens: *Edunt equæ ex ventis conceptos; ſed hi nunquam ultra triennium, ævum trahunt.* Conſentit his *Silius* Poëta lib. 3, dum canit:

Hic adeò, cùm ver placidum, flatuſq́; tepeſcit,
Concubitus ſervans tacitos, grex proſtat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aurâ:
Sed non multa dies generi, properatq́; ſenectus.

Eadem quoque ante hos Auctores ſcribit *Varro* lib. 2. de Re ruſtica cap. 1. dicens. *In fœtura res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quòd in Luſitania ad Oceanum, in ea regione, ubi eſt oppidum Ulyſipo, monte Tagro, quædam è vento certo tempore concipiunt equæ, ut hic Gallinæ quoq; ſolent, quarum*

ova

Digitized by Google

ova hippenemia appellant. Sed ex his equis qui nati pulli, non plùs triennium vivunt. Eadem ſcribit *Columella* lib. 6 c. 26. his verbis: *Nec dubium quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coëundi fœminæ, ut etiamſi marem non habeant, aſſiduâ & nimiâ cupiditate figurantes ſibi ipſæ venerem (cohortalium more avium) vento concipiant &c. Cùm ſit notiſſimum, etiam in Sacro monte Hiſpaniæ, qui procurrit in occidentem juxta Oceanum, frequenter equas ſine coitu ventrem pertuliſſe, fœtumq́; educaſſe; qui tamen inutilis eſt, quòd triennio priùs quàm adoleſcat, morte abſumitur.* Similia habet D. *Auguſtinus* lib. 21. de Civ. DEI cap. 5. de equabus Cappadociæ. Quæ referens *Ludovicus Vives* in eum locum D. Auguſtini, & *Majolus* Colloquio de Quadrupedibus, non reprobant. Admittit *Lactantius*, qui ex hujusmodi equarum partu ſuadet lib. 4. cap. 12. ſine ullo attactu viri Virginalem MARIÆ uterum intumuiſſe repentè. *Quòd ſi animalia quædam* (inquit) *vento & aurâ concipere ſolere omnibus notum eſt, cur quiſquam mirum putet, cùm Spiritu DEI, cui eſt facilè quidquid velit, gravatam eſſe virginem dicimus?* Albertus *quoque* Magnus *ex Avicenna, cùm equæ proprium eſſe dixiſſet, pede aut coxâ aliquantulùm recalcitrare, cùm deſiderat coitum; addit:* Et hoc modo aperit uterum, hauritque eo meridionalem aut ſeptentrionalem ventum, quo plurimum delectatur. Scribit etiam Avicenna, ſenem quendam fide dignum, natum in Inſula cui Arabicum nomen Dealtuſa, ſibi narraſſe, quod equa Arabica illic concepta vento non ceſſarit currere per deſiderium coitus, donec octo leucas emenſa fines Inſulæ attigit.

Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. Animal. cap. 18. de equabus indiſcriminatim ita ſcribit. *Incenduntur libidine ex fœminis equæ potiſſimùm, mox vaccæ. Equæ itaque equiunt: unde vocabulum id ab hoc uno animali trahitur, male dicto in mulieres libidinoſas. Nec non eventari per id tempus equæ dicuntur &c. Cùm verò ita affectæ fuerint, currunt relictâ ſocietate &c. Currunt non orientem, aut occidentem verſus, ſed ex adverſo Aquilonis, aut Auſtri: nec appropinquare quenquam patiuntur, donec vel defatigatæ deſiſtant, vel ad marem deveniant. Tum aliquid emittunt, quod hippomanes appellatur, eodem, quo illud quod naſcitur, nomine.* Ex hoc Ariſtotelis loco creditur à *Petro Victorio* lib. 7. Variar. lect. cap. 6. & *Ludovico de la Cerda*, in Georgica Virgilii, ſumſiſſe *Virgilium* quæ ſcribit lib. 3. Georgic. ver. 266.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum &c.
Illas ducit amor trans Gargara, transq́; ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant.
Continuoq́; avidis ubi ſubdita flamma medullis
(Vere magis, quia vere redit calor oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum, ſtant rupibus altis,
Exceptantq́; leves auras: & ſæpe ſine ullis

Digitized by Google

Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convalles
Diffugiunt: non Eure tuos, neque ſolis ad ortus:
In Boream, Caurumq́ue, aut unde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluvio contriſtat frigore cælum.
Hinc demum hippomanes, vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus.

Hoc idem ante Virgilium innuit *Homerus* Ilia. 6. dum loquens de equis Achillis, ait: *Hos peperit Zephyro vento Harpyia Podarge, paſcens in prato juxta fluxum Oceani.* Hunc ſequitur *Calaber* lib. 3. & 4. & 8.

Ex tot Auctorum antiquiſſimorum optimorum teſtimoniis ſatis conſtare videtur, vanum nequaquam eſſe, quod de equabus ex vento concipientibus creditum hactenus fuit, & etiamnum paſſim creditur. Viſum nihilominùs aliquibus, inprimis *Juſtino* Hiſtorico lib. 44. hanc totam narrationem, ex Trogi ſententia, ad fabulas rejicere, & rem detorquere ad pernicitatem equorum Gallecię ac Luſitaniæ, quæ tanta eſſe dicitur, ut non immeritò ipſo vento concepti videantur. Verba Juſtini ſunt: *In Luſitanis juxta fluvium Tagum equas vento concipere, multi Auctores prodiderunt: quæ fabulæ ex equarum fœcunditate & gregum multitudine natæ ſunt, qui tanti in Gallecia ac Luſitania, tam pernices viſuntur, ut non immeritò ipſo vento concepti videantur.* Conſentire videtur *Ariſtoteles* in Problem. Sect. 10. Probl. 64. dum quærit: *Quam ob cauſam animantium alia non ſolùm coitu, ſed etiam ſponte naturæ procreantur, alia coitu duntaxat proveniunt, ut homo, ut equus?* Hinc idem *Ariſtoteles* loco antea citato, & cum ipſo *Virgilius*, non ajunt equas eventatas, ſeu ſubventatas, hoc eſt, vento impletas, parere veros pullos equinos, ut Plinius & cæteri citati Auctores Ariſtotele poſteriores aſſerunt; ſed tantùm dicunt, eas ejicere hippomanē aptum ad veneficia; quod Virgilius vocat virus. Quod & *Reſendius* lib. 1. Antiquitat. Luſitan. agens de monte Tagro, confirmat recenti hiſtoriâ, dicens: *Sed quanquam de conceptu ex vento diſputandum à me negavi, referam tamen quod inquirendæ rei gratiâ percunctanti mihi indicatum eſt. Diverti ab hinc ſeptennium apud colonum agri Beneventani, juxta Tagum: & cùm ab illo quærerem, ecquid de hujuſmodi conceptu aut ſciret ipſe, aut ab aliis auditum meminiſſet; reſpondit, neque ſe, neque vicinos, qui equarias haberent, de ea unquam re fuiſſe ſollicitos. Tantùm ut equire fœminas animadverterent, admitti eas curare. Se tamen, cùm pulchram equam haberet, cuperetque bene vendibilem in proximas nundinas efficere, ante hinnitum, in Inſula, quæ in medio Tago eſt, ſolam incluſiſſe, ut abundantiâ pabuli ſaginaretur. Inviſam poſt menſes duos reperiſſe gravidam, miratumque, eò quòd illuc nunquam acceſſiſſet admiſſarius, eventum exſpectaſſe. Septem ferè jam menſes cùm tuliſſet uterum, enixa non quidem animal, ſed concreti ſanguinis informem materiam,*

abortum

abortumq́ſuſpicatum. De hac equarum genitura aliud novi nihil. Miror tamen, ut Virgilium, Siliumq́ lib. 3. taceam, Varronem doctrinâ tantâ, eſſe veram aſſeverantem, Columellæ habitam pro notiſſima, Plinium conſtare teſtatum, nec uno id loco referentem. Verùm id inter ſe agitent Phyſici. Hæc Reſendius.

Damianus à Goës in Deſcript. Olyſſipon. cùm retuliſſet verba Juſtini ſuprà citata, addit: *Quæ ſententia nobis ſanè non ita diſpliceret, niſi Phyſici rationibus adniterentur probare, Naturam ipſam, ex fœmineo tantùm ſexu, ſineq́ marium congreſſu, multa gignere & procreare ſolitam eſſe.*

P. Euſebius Nierembergius lib. 1. de miraculoſis Nat. Europæ cap. 66. miratur quidem, Varronem & Columellam, tam ſerios Philoſophos, & tam ſapientes Naturæ Doctores, tam certò prædicta affirmare, quaſi comperta ipſis eſſent ex aliquo experimento evidenti, aut minimè reprobando; addit tamen, non credere aliquos id omnino fabuloſum, cùm non ſit extra Naturæ vires; *nam & piſces multi* (ſubjungit) *ſine mare fœcundantur, & equa viſa in Hiſpania edere mulam aliâ mulâ gravidam, quemadmodum de muribus refert Ælianus.* Addit deinde, non leve priſcæ, hoc eſt, immaritatæ fœcunditatis ſignum nunc apparere ex iis quæ Reſendius narrat, ut paulò antè vidimus. Quibus relatis, ſubjungit: *Quare Ludovicus Carrion, & Eduardus Wetonus famam antiquam veram fuiſſe cenſent. Accedit quòd Natura ſæpe mutari ſoleat; nec convincit: Non eſt hodie, ergo non fuit heri.* Inclinat ergo in ſententiam affirmativam Nierembergius. Libro tamen 6. cap. 1. inter fabulas id recenſet. Ego quid ſentiam, poſt ſequentem §. indicabo.

§. III. An alia quædam animalia vento concipiant.

De Gallinis.

GAllinas interdum concipere ex vento, & inde earum ova dici ὑπηνέμια, id eſt, ſubventanea, aſſerit *Varro* lib. 2. de Re Ruſt. c. 1. ut vidimus §. præcedenti. Idem inſinuat *Columella*, ut ibidem vidimus, & ante utrumque docuit *Ariſtoteles* lib. 3. Hiſtor. Animal. cap. 1. cujus verba citabimus, cùm de perdice agemus. Gallinæ an vento concipiant.

De Vulturibus.

VUltures etiam vento concipere, ſcribunt graviſſimi Philoſophi, Theologi, Hiſtorici, Poëtæ. Apud *Ariſtotelem* lib. 6. Hiſt. Animal. cap. 5. & lib. 9. cap. 11. Herodotus Bryſonis Rhetoris pater, *vultures ex diverſo orbe nobis incognito advolare putavit, quòd nemo nidum vidiſſet vulturis.* Apertiùs *Ælianus* lib. 2 de Animal. cap. 46. *Vulturem non naſci marem ajunt, ſed fœminas omnes generari. Quam rem non ignorantes hæ beſtiæ, pullorumq́ſolitudinem ac inopiam timentes, ad gignendos pullos talia machinantur. Adverſæ Auſtro volant: vel ſi Auſter non ſpirat, ad Eurum ventũ oris hiatu ſe pandunt: ſpiritus venti* Vultures an vento concipiant.

 influens,

Digitized by Google

influens, ipſas implet. *Dicunt, vultures non nidificare &c. Vultures etiam ova non excludere, ſed pullos potiùs parere, eos que ſtatim à partu volatiles eſſe intellexi.* Idem, at paulò aliter, *Horus Apollo* lib. 1. Hieroglyph. *Inter vultures,* inquit, *mas non eſt. Gignuntur autem hunc in modum. Cùm amore concipiendi fœmina exarſerit, vulvam ad Boream ventum aperiens, ab eo velut comprimitur per dies quinque quibus nec cibum, nec potum omnino capit, fœtus procreationi intenta.* Conſentit *D. Baſilius* Homil. 8. in Hexaëm. dicens, *ſubventanea ova in cæteris irrita eſſe, nec ex illis fovendo quidquam excuti, at in vulturibus citra coitum fœcunditate eſſe inſignia.* Et *D. Ambroſius* lib. 1. Hexaëm. c. 20. *Vultures dicuntur ſine concubitu concipere, & generare.* Idem aſſerit *Pictorius* in Pantopolio, & *Tzetzes* Chiliad. 12. c. 439.

Hæc de vulturum conceptione è vento abſque coitu: at quàm diu uterum gerant, & quid tandem pariant, mirè inter ſe variant. *Horus* loc. cit. ita ſcribit; *Animal illud trecentos illos ac ſexaginta quinq; dies, quibus completur annus, ita diſtribuit, ut centum quidem & viginti diebus prægnans maneat, totidem pullos enutriat, reliquis verò centum ac viginti ſui curam gerat, neque uterum ferens, neque alendis addictum liberis, ſed ſeipſum duntaxat ad aliam parans conceptionem. Quinq; autem illos, qui ſuperſunt, anni dies, in venti, ut jam dictum eſt, compreſſionem & coitum inſumit. Hac de cauſa Ægyptii annum ſignificaturi, vulturem depingunt.* Eadem fere ſcribit *Tzetzes* loc. cit.

Ego autem, ut inveni mares eſſe omnes Tigrides,
Sic & fœmineum Vulturum inveni omne genus,
Quinque autem diebus natibus volantes contra ventos,
His concipiunt prolem ſubventaneam;
In centum autem & viginti diebus procreant
Subventanea ova; in totidem verò aliis
Ex ovis extrudunt, & pullos generant:
In centum autem & viginti diebus aliis
Uſque ad alarum perfectionem ipſorum educant illos.

Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. Animal. cap. 5. ait: *Pariunt vultures ova bina.* Libro verò 9. cap. 11. ait: *Edit* (vultur) *non plus quàm unum ovum, aut duo compluri mum.* Apud *Plinium* lib. 10. Hiſt. Natur. c. 6. *Umbricius Aruſpicum in noſtro avo peritiſſimus, parere tradit ova tria: uno ex iis reliqua ova nidumq; luſtrare, mox abjicere.* Ideò ipſe Plinius ibidem aſſerit, quod vulturum *fœtus quidem ſæpe cernuntur ferè bini.*

Alii non ova, ſed pullos parere aſſerunt. Ita *Auctor Geoponicorum*, qui ab aliquibus Ariſtoteles, ſed falsò, putatur. *Vultures,* inquit, *tertio à conceptu anno pariunt, nec nidum ſtruunt, ut fertur, neque ova pariunt, ſed ſtatim pullos, eoſq; mox à nativitate volucres.* Huic conſentanea habet *Simocatus*, dicens, vultures triennio uterum gerunt; nullus enim eſt mas inter illos, ſed

Digitized by Google

ſed fœminæ ore aperto,extenſiſque alis Zephyrum, aut ejus loco Eurum hauriunt, ac inde concipiunt materiam quandam, quæ ob ſui tenuitatem plurimo tempore eget ad animalis perfectionem:animal enim,non ovum pariunt. Verba Simocatæ apud Nierembergium lib.6.c.7.hæc ſunt. *Multa inter aves genera non opus habent maſculorum copulatione ad conceptionem: ſed alia quidem, quæ ventoſa ſunt, non pariunt; vultures autem,ut ſine marium conjunctione pariant, Naturæ leges ferunt. Vulturem itaq, videre non eſt maſculum,ſed omnem ſexum iis interclusit Natura fœmina. Quod cùm ſciant vultures, orbitatem veriti liberorum, in conceptionem omne genus incumbit &c.* in prædictum ſenſum. Apud *Aldrovandum* lib.3. Ornithologiæ cap.1. *Philes* ita ſcribit:

Fœmina verò omnis vultur, & abſq, coitu gignit:
Hians enim, converſus in ſublime ad Notum,
Concipit ſpiritum, & tertio anno
Pullos volucres è matrice excludit;
Qui vivunt è veſtigio ope unguium rapacium.

Vides quanta ſit Auctorum varietas circa conceptionis & generationis modum vulturum, cùm alii ovipares, alii vivipares illos faciant: & hic intra centum viginti dies,ille non citiùs triennio parere aſſerat. Quid alii contrà ſentiant, ex dicendis §. ſequenti patebit.

De Perdicibus.

PErdices quoque ſimili ratione ſine marium coitu concipere, aliquando ſaltem, multi tradunt. *Ariſtoteles* lib.3. Hiſtor. Animal. cap. 2. ita ſcribit: *Celeriter magna pars avium & impletur, & ova ſubventanea illa concipit. Quod vel in perdice percipi poteſt,eo,quo libidine incitatur, tempore. Nam ſi contra marem ſteterit fœmina, aurâ ab eo flante fit prægnans, atque extemplò inutilis aucupiis. Olfactum enim eſſe exquiſitum perdicibus creditur.* Similia habet lib.3.cap.1.dicens: *Quamobrem de ſubventaneis* ovis *dicere non ſolent oriri ſponte,ſed reliquias eſſe prægreſſi coitus; quod falſum eſt: ſatis enim conſpectum eſt in novella, tum gallina, tum anſere, gigni ſine coitu: Dum etiam perdices fœminæ, & quæ nondum coierint, & quæ coierint, quarum uſus in aucupiis, cùm olfaciunt marem, vocemq, ejus audiunt, alteræ implentur, alteræ ſtatim pariunt.* Cauſam addit his verbis: *Cujus affectionis cauſa eſt eadem, quæ in homine, & quadrupede. Nam ſi fortè eorum corpora accenſa libidine turgent ad coitum, alia cùm primùm viderunt,alia cùm leviter tetigerunt, ſemen emittunt. Eſt hoc avium genus ſuâ naturâ libidinoſum, ut levi egeat motu, cùm turget, citòq, ſecernat, ut in iis,quæ non coierint,ova brevi augeantur,& perficiantur.* Eadem habet lib.5. Hiſtor. Animal,cap.5.

Perdices an vento concipiant.

De Piſcibus.

Piſces an ſine coitu concipiant.

DIcto hactenus virgineo modo, ſine nuptiis, ſine coitu, ſine mare, ſine ſemine, absque virtute adventitia in corpus generantis & parientis transfuſâ, aut communicatâ, generari ex piſcibus qui dicuntur Rubelliones, inſinuat *Ariſtoteles* lib. 3. de Generat. Animal. cap. 1. his verbis. *An in piſcibus quoque fiat conceptus ſine mare, non aequè apertum eſt. Sed potiſſimùm in fluviatili genere rubellionibus id accidere viſum eſt. Etenim nonnulli ſtatim habere ova videntur, ut de his in Hiſtoriis ſcripſimus.* Apertiùs idem aſſerit lib. 2. de Generat. Animal. cap. 4. dicens. *Si quod autem genus eſt, quod fœmina ſit, & marem diſtinctum non habeat, id ex ſe ipſo animal generare poteſt. Quod etſi nondum fide dignâ exploratum habemus, tamen facit ut in genere piſcium dubitetur: eorum enim quos rubros ſive rubelliones vocant, mas nullus adhuc viſus eſt, ſed fœminæ omnes fœtu plenæ reperiuntur. Verùm de his nondum compertum habemus, quod fidem faciat ſatis. Quod autem nec mas, nec fœmina ſit, in genere quoque piſcium eſt, ut anguilla, & genus mugilum quoddam in fluviis lutulentis. At verò in quibus ſexus maris & fœminæ diſtinctus habetur, fieri non poteſt ut fœmina ipſa per ſe generet perfectè: ita enim mas fruſtra eſſet. Quam ob rem in iis mas ſemper perficit generationē: hic enim ſenſualem dat animā, aut per ſe, aut per geniturā.*

Omitto multa alia animalia, quæ à variis Auctoribus dicuntur ſine maris opera concipere, aut parere.

§. IV. Noſtra ſententia de equarum, & aliorum quorundam animalium ex vento conceptione.

EX dictis hactenus patet, materiam hanc de animalium quorundam conceptione ex vento indigere longiori indagine, ſpectareq; maximè ad Philoſophos Medicos; à quibus etiam fortaſſis pertractata fuit. Quod quia mihi non conſtat, hæc interim breviſſimè ſtatuo.

Equæ non concipiunt vento ita, ut perfectū pariant animal.

I. Neque Hiſpanicæ, neque Cappadocicæ, neque ullæ aliæ equæ videntur poſſe vento concipere ita, ut perfectum gignant animal Moveor auctoritate *Ariſtotelis* loc. cit. ex lib. 6. Hiſtor. Anim. cap. 18. ubi ait, equos dum eventantur, aliquid emittere quod hippomanes appellatur. Quod & *Virgilius* & *Reſendius* affirmant locis §. 2. citatis. Accedit auctoritas & ratio ejuſdem Ariſtotelis paulò antè cit. loc. ex lib. 2. de Gener. Animal. cap. 4. ubi ait, fieri non poſſe, ut in quibus animalibus ſexus maris ac fœminæ diſtinctus habetur, fœmina ipſa per ſe generet perfectè, quòd alioquin fruſtra eſſet mas Qua etiam de cauſa idem in Problematib. Sect. 10. Problem. 64. ait, equam coitu tantùm concipere Si quæ ergo equæ vento aliquando concepêre, ac peperêre non fuit partus ille pullus perfectus, ſed aliquid ſimile molæ, quæ in uteris mulierum aliquando generatur, atque ab illis ejicitur, teſte *Ariſtotele* lib. 4. de Generat, Animal. cap. 7. & *Plinio* lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 64. ubi dicunt, molam eſſe carnem informem, atque inanimam, duram adeò, ut ferri ictum & aciem reſpuat, Et hanc maſſam vo-

cat

cat Virgilius *Virus*, Reſendius *ſanguinis materiam informem.* Generatur fortaſſis in equarum utero, dum Venere ſtimulatæ exponunt os vulvæ vento,eoq; hauſto magis ſtimulantur,atque ad ſeminationem excitantur, ac tandem dictâ molâ imprægnantur. Atque hæc origo eſt, meo judicio, fabulæ,quòd equæ Hiſpaniæ & Cappadociæ vento concipiant,ac pariant; cui fabulę acceſſit mendacium de pullis natis,ac per triennium tantùm viventibus. Vulgi ergo errore decepti ſunt Varro,Columella,& alii §.2. citati Auctores. Pro nobis ſtat etiam *Fromondus* lib. 4. Meteoror. cap.8. art. 4. dicens,Luſitanos hodie negare, pullos ex equabus vento gravidis naſci, *quia tam perfecta animantia gigni non valent ſine mixtura ſeminũ utriuſq; ſexus.*

II. Vultures non concipiunt ex vento. Nam nidificant (quod contrariæ opinionis Auctores negabant) idque in excelſis rupibus, ut *Ariſtoteles* aſſerit locis cit. §.3. & *Plinius* lib. 10. Natur.Hiſt. cap. 6. *Niphus* quoq; apud Aldrovandum lib. 3. Ornithol.cap. 1.ſcribit,ſe vulturis nidum in Italia vidiſſe: & *Albertus Magnus* apud eundem aſſerit, eos non ſolùm nidos exſtruere, ſed & Venerem exercere, dicens; *in montibus, qui ſunt inter civitatem Vangionum, quæ nunc Wormatia vocatur, & Treviros, ſingulis annis nidificant vultures, ita ut magnus undiq; fœtor ex congeſtis cadaveribus ſentiatur. Quod autem fertur, quoſdam vultures non coire, falſum eſt: nam illic quoque ſæpe permiſceri videntur.* Huic opinioni aſſentitur etiam *Aldrovandus* loc.cit. dicens, pleroſque vultures coire ſibi certum eſſe,& fabuloſa reputat, quæ de conceptu ex vento feruntur. Cauſam addit; *Etenim & marem & fœminam in vulturum genere reperiri, & fœminam à mare iniri, Natura lex dictat: ſunt enim vultures aves veræ, & perfecta animalia, quæ omnia communi Naturæ præſcripto, utroq; ſexu gaudent.* Addit deinde cauſam, ex qua ortam putat fabulam de conceptu vulturum ex vento. Non tamen concedit, omnes fœcundos eſſe; quod noſtræ ſententiæ nihil officit.

Vultures non concipiunt ex vento.

III. Perdices & gallinæ edunt quidem ſubinde ova ſubventanea; ea tamen ſterilia ſunt. Docet id Ariſtoteles lib.6.de Hiſt.Anim.cap.2. his verbis. *Nec audiendi ſunt, qui ova hypenemia dicta à vento, quaſi ſubventanea dixeris, reliquias eſſe partus, quem coitus fecerit, arbitrantur: jam enim aliquas gallinarum & anſerum juvencas expertes adhuc coitus, parere hypenemia viſum ſæpius eſt. Sunt hæc ſterilia, & minora, ac minùs jucundi ſaporis, & magis humida, quàm ea quæ fœcunda gignuntur, ſed plura numero. Humor eorum craſſeſcere incubatione avis non poteſt, ſed tam candida, quàm lutea pars, ſimilis ſibi perſeverat. Pariunt genus id ovi plures aves, ut gallina, perdices, columbæ, pavones, anſeres, & quæ ab anſere & vulpe compoſito nomine chenalopeces, id eſt, vulpanſeres dictæ ſunt.* Et paulò pòſt ait, ova illa non à vento ſolo oriri. *Sunt qui hypenemia,* inquit, *hoc eſt, ſubventaneos illos partus Zephyria nominent, eò quòd verno tempore aves flatus illos fœcundos ex Favonio recipere videantur. Sed idem faciunt etiam, ſi digito in genitale palpetur.* Subdit deinde modum,

Perdices & Gallinæ edunt aliquando ova ſubventanea, ſed ſterilia.

Ova ſubventanea quæ animalia pariant.

quo

Digitized by Google

quo ova illa ſubventanea redduntur fœcunda. Nobiſcum etiam ſentit *Fromondus* loc.cit. dicens, ova illa hypenemia probabilius imaginatione maris formari, cùm ova pullorum tantùm ſemina ſint, imaginatio autem ſeminare poſſit.

Similes reſponſiones ad ſimilia exempla dabo, donec meliùs quidpiam occurrat. Quæ de piſcibus allata ſunt exempla, non ſunt ad rem: nemo enim dixit, piſces ex vento concipere.

Ex his patet, vel nulla animalia ex vento concipere, verè ac propriè loquendo; vel ſi in aliquibus id contingat, ventum ſeu aërem non eſſe cauſam materialem illorum, aut quæ ſeminis loco ſit.

CAPUT VIII.

An aliqua animalia in igne vivant, & ex igne naſcantur.

ANtequàm decidamus, num ignis animalia generet, ventilandum priùs, an aliqua hoſpitetur: hoc enim non minùs, quàm primum, videtur mirabile. Qui aſtra vivere adſtruunt, & æthera igneæ naturæ ſtatuunt; litem facilè dirimunt. At his nullam nunc intendimus, præſtituri id in Mundo Mirabili. Ad alia ergo pergimus. Referemus priùs quid alii ſentiant, deinde quid nos.

Ignis parcit quibusdam rebus. Asbeſtus ab igne non læditur.

Ignem parcere rebus nonnullis non viventibus, conceditur à multis, & confirmatur experientiâ. Ex illorum genere dicitur eſſe adamas, quem, ob ſubtiliſſimos, propter nimiam ſoliditatem, poros, ignis penetrare non poſſe creditur. Hoc nos alibi examinabimus. Parcit quoque ignis asbeſto, ut docuimus *par. 4. Magiæ lib. 2. Syntagm. 2. cap. 1. §. 10.* & alibi iterum dicemus. De hoc utique loquitur *Strabo* lib. 10. Geographiæ, dicens: *Ad Caryſtum lapis naſcitur, quem pectunt, nent, texunt. Inde mantilia conficiuntur, egregiè contexta: ea ubi ſordeſcunt, in flammam projecta non ſecus emundantur, quàm ſi maculas elueris.* Vide *D. Auguſtinum* lib. 21. de Civit. cap. 6. & *Ludovicum Vivem* ibidem, uti & *Plinium* lib. 19. cap. 1. & lib. 37. cap. 10. Solin. c. 17. Pyrimachum quoque lapidem ab igne immunem eſſe commemorant, adeò ut nè calefiat quidem. *Auguſtinus Torniellus* in Annal. Mundi die 6. num. 2. ait, vidiſſe ſe *ligni genus ſatis leve, & aſpectu valde combuſtibile, quod ex Janua* (Jauæ fortaſſis) *montibus delatum ajebant, cujus modica ſanè portio cultello ſecta, & in referto carbonum ardentium foco injecta, ibidem, me præſente, aliisq́; multis inſpectantibus, diu relicta, non modò abſumi, ſed neque accendi, vel minimùm lædi unquam potuit. Nam forcipe mox inde detracta, omnino ut priùs integra viſebatur.* Sed de inanimatis hiſce alibi; nunc de animantibus eſt quæſtio.

Lignum incombuſtibile.

§. I. De

§. I. De Pyrauſtis.

ARiſtoteles libro quinto Hiſtoriæ Animalium cap. 19. ait: *In Cypro Inſula, ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ, paulò muſcis grandibus majores, quæ per ignem ſaliant, atque ambulent. Emoritur & hoc genus, & illud nivis alumnum* (de quo paulò antè) *cùm alterum ab igne, alterum à nive dimotum eſt. Nonnulla corpora eſſe animalium, quæ igne non abſumantur, ſalamandra claro documento eſt: quæ, ut ajunt, ignem, inambulans per eum, extinguit.* Sed de Salamandra poſtea. Ex Ariſtotele deſumpſit *Plinius* quæ lib. 11. Natur. Hiſtor. cap. 36. ſcribit de pyrali, ſive pyrauſta, dicens: *Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum. Siquidem in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni, majoris muſcæ magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyralis, à quibusdam pyrauſta. Quàm diu eſt in igne, vivit: cùm evaſit longiore paulò volatu, emoritur.* Ab his diverſæ non ſunt, quas Charyſtias aves appellat *Solinus* in Polyhiſt. cap. 17. dicens, eas impunè involare flammas. Quem locum citans *Albertus* lib. 23. de Animalib. ait: *Charyſtiæ ſunt aves, ut dicit Solinus, & Jorah, quæ innocuè flammis involant, ita quòd nec pennis, nec corpore adurantur. Sed illi Philoſophi multùm mentiuntur; & puto quòd hoc ſit unum de mendaciis eorum.* Contrarius ergo eſt Albertus citatis hactenus Auctoribus. Conſentit tamen *D. Auguſtinus* lib. 21. de Civ. cap. 2. aſſerens, *eſſe animalia, profectò corruptilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivunt. Nonnullorum etiam genus vermium, in aquarum calidarum ſcaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impunè contrectat. Illos autem non ſolùm ſine ulla ſui læſione ibi eſſe, ſed extra eſſe non poſſe.* Diu ante hos *Diogenes Laërtius* in vita Pyrrhonis Helienſis teſtatus eſt, animalium aliqua absque coitu gigni, & ex horum numero eſſe quæ in igne vivunt, & πυρρίβια vocantur.

Pyrauſta.

Charyſtiæ aves.

Vermes in aqua calida illæſi.

Ælianus lib. 2. de Animal. cap. 2. ſcribit, Pyrigonos volucres beſtiolas, ex igne & generari, & in eo vivere, his verbis. *Terra mariq; naſci animalia, nihil mirum: nam materia, & nutrimentum, & natura, horum cauſa eſt. Ex igne verò generatas beſtias volucres exiſtere, nuncupatos pyrigonos, & in eo ipſo igne vivere, & ali, hucq; & illuc volare, hoc admirabilitatem facit. Illud item admirationem excitat, cùm extra ignem nutricium egrediuntur, & frigidum cœlum attingunt, ſtatim exeunt è vita. Quæ autem cauſa ſit, igne ut naſcantur, contraq; aëre (temperato elemento) extinguantur, aliis dicendum relinquo.* Idem de Pyrauſta ita ſcribit lib. 12. de Animal. cap. 8. *Ex ignis fulgore pyrauſta quòd vehementi afficitur voluptate, idcirco cùm flamma vel maximè viget, ad lucernas advolat, atque nonnihil captare videtur; at etiam lapſus vivus comburitur.* Ex quibus apparet,

Pyrigoni volucres.

Pyrauſta Æliani.

Digitized by Google

apparet, pyrauſtam Æliani diverſam eſſe à Plinii & aliorum pyrauſta; pyrigonum veró eundem.

§. II. De Salamandra.

SAlamandræ, quam Plinius animal ſtellatum, Aëtius lacertam venenariam vocat, duæ ſunt ſpecies; terreſtris alia, alia aquatica.

Salamandra terreſtris. Terreſtris, lacertæ viridi eſt ſimilis, niſi quòd caput & ventrem habet craſſiora, caudam breviorem, colorem nigrum, maculis luteis inquinatum, ſed quâdam lævitate pellucidum. *Geſnerus* invenit unam in Alpibus totam fuſcam, absque ſplendore, caudâ brevi; à qua percuſſa dimanabat ſuccus lacteus. *Matthiolus* in quibusdam Germaniæ ſylvis obſervavit dorſo nigerrimas, ventre rubentes. *Vitriacus* ei caudam longam & tortuoſam, ungues aduncos & hamatos adſcribit. Variæ ergo ſunt formæ, coloris, & magnitudinis. Nonnullorum effigies apponimus. Incolunt loca frigida, humida, & opaca. Cœlo pluvio apparent; ideò iis viſis ruſtici tempeſtatem præſagiunt. Venenatæ ſunt. Integras familias periiſſe tradunt, quæ aquas, in quas Salamandræ ceciderant, biberunt. Tardè ingrediuntur.

Vide Iconiſmum XXIII.

Salamandra aquatica. Aquatica Salamandra, aliis lacertus aquaticus, Cordulus, & Scincus aquæ dicitur. Variæ quoque ſunt ipſarum formæ, & magnitudines. Nonnullarum icones exhibemus. Lacunis opacis, & pingui ſolo ſitis delectantur, aquis inprimis, in quibus limus albus eſt. Ibi ſub petris hærent, & raró ad ſuperficiem veniunt. Pellis adeò dura, ut gladio reſiſtat. Ex vulneribus lactea ſanies prodit. Sunt & hæ virulentæ: teſtatut enim *Nierembergius* lib. 4. Hiſt. Nat. cap. 19. aquatili Salamandræ imputatam ſubitam necem totius cœnobii, præter coquum, qui nondum cibum ſumpſerat. Tardè & hæc ingreditur.

Salamandra an in igne vivat. Salamandram porrò in igne vivere, imò & ignem contrario frigore ſuo vincere atque extinguere, refert ex auditu *Ariſtoteles* lib. 5. Hiſtor. Animal, cap. 19. ut vidimus §. 1. De eadem *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 67. hæc ſcribit. *Sicut Salamandra, animal lacerti figurâ, ſtellatum, nunquam niſi magnis imbribus proveniens, & ſerenitate deficiens. Huic tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo quàm glacies. Ejusdem ſanie, qua lactea ore vomitur, quâcunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili; idque quod contactum eſt, celerem in vitiliginem mutat.* Conſentit his *Philes* Poëta, ita canens:

Quid ſalamandram, aërnè, tellusnè educat?
In oſſibus namq; eſt caruncula tenuis,
Cum pellis alarumq; parvo tegmine.

Sed

Iconiſmus XXIII. Ponatur è regione pag. 706.

Salamandra.



Salamandra aquatica minor.




Salamandra aquatica. maior.



Salamandra terrestris.



Salamandra aquatica.



Salamandra aquatica prona.



Digitized by Google

Digitized by Google

Sed tu, Imperator, hanc videns miraberis,
Quod non tremiſcat devorantis omnia
Ignis furorem; quem involans atrociter
Elidit, ac fornacis æſtus enecat, &c.

Sed ut bene advertit *Nierembergius* loc. cit. hæc non ſalamandra eſt; quam diximus lacertæ eſſe ſimilem, tardè ingredi, nec pennis alleviari. *Nicander* in Alexipharmacis ait, ſalamandræ nullum poſſe nocere ignem. *Ælianus* lib. 2. de Animal. cap. 31. ita de ſalamandra ſcribit. *Ex animalibus tametſi ſalamandra non eſt, quæ ex igne naſcuntur, quales ſunt Pyrigoni; contra tamen hunc ire audet, contraq; illius flammam veniens, tanquam adverſus hoſtem quendam, ſic eam expugnare aggreditur. Cujus rei teſtimonium fabri, quorum opera atque artificium igne nititur, afferunt. Nam quàm diu ex flamma ſplendore ignis flagrare, eorumque artem fabrilem adjuvare videtur; hujuſmodi animal magnâ ſecuritate ipſi negligunt: Cùm autem ignis exrareſcit, ac reſtinguitur, fruſtraque folles flant; hoc ſibi tum animal adverſari præclarè intelligunt. Quare hoc ipſum perveſtigant, atque inveſtigatum ulciſcuntur.* Quæ de ſalamandra in ignibus vivente aſſerunt citati hactenus Auctores, admittit etiam *D. Auguſtinus* lib. 21. de Civit. cap. 4. *Olympiodorus* in Comment. libri 4. Meteororum ait, non eſſe fabulam de ignis extinctione per ſalamandram: ſuo enim tempore fornacarios papyri faſces excutere, ut decutiant ſalamandras; extingui ſiquidem ab iis ignes in caminis. *Cardanus* lib. 9. Subtilit. ait, ſalamandram animal eſſe notiſſimum, & lacertæ fermè ſimillimum, inveniri in fontibus, maceriis murorum, & ſub terra; eſſe frequens in Italia, maculoſo colore & lurido, caudâ ſerpentis ferè; parvis ignibus admotam vix ſentire, & humore effuſo illos reſtinguere.

§. III. Examinatur quæſtio propoſita de animalibus quibusdam in igne genitis, aut viventibus.

ANimal ullum in igne aut vivere, aut generari, adeò pertinaciter nonnulli negant, ut relatis hiſtoriis ac teſtimoniis omnibus omnem abrogent fidem. Cauſam deſumunt ab ignis & animalis natura: tanta enim vis eſt & efficacitas ignis (inquiunt) ut quodcunque animal comprehenderit, vel illicò, vel paulatim totum conficiat atque conſumat; præſertim verò quia non poteſt conſtare animal ſine tactu; qui cùm in primarum qualitatum temperatione conſiſtat, neceſſe eſt ut ab exſuperante quacunque qualitate, maximè verò calore corrumpatur atq; diſſolvatur. Ita *Pererius* lib. 1. in Geneſim, in Expoſit. Operis Sexti diei in fine, & lib 3. in Danielem: quem ſequuntur *Conimbricenſes* in Problematib. annexis libris de Cœlo, Sect. 4. num. 9. *Suarez* lib. 2. de Opere ſex. dier. cap. 10. n. 18. De ſalamandra ſic ſcribit Galenus lib. 3. de Temperam. poſt medium:

Digitized by Google

Enim verò quòd horum omnium, quæ frigida per naturam ſunt, quidquid plus juſto calefeceris, ex propria id natura recedat, præterquàm quòd nullam dubitationem habet, etiam prædictis à nobis adfert teſtimonium. Sicut enim ſalamandra ad certum uſq; terminum ab igne nihil patitur; uritur autem, ſi longiore ſpatio igni ſit admota; ſic & mandragora, & cicuta, & pſillium, brevi ſpatio igni admota proprium adhuc temperamentum ſervant, largiùs autem excalefacta illicò corrumpuntur. Idem docet *Dioſcorides* lib. 2. cap. 56. quem locum explicans *Matthiolus*, ait, ſe opinionem Veterum de ſalamandra in igne vivente falſam comperiſſe, multis ſalamandris experiendi causâ in ignem conjectis, brevique extinctis. Omitto alios, qui animalia in igne vivere, nedum naſci poſſe negant. In hac controverſia ego hæc ſtatuo.

Animalcula quædam volatica in igne vivunt.

I. Animalcula quædam volatica deprehenſa aliquando, quæ in igne viverent, ut Ariſtoteles, Plinius, & alii aſſerunt, ſive pyrauſtas ea voces, ſive pyrigonios, ſive caryſtias aves, ſive alio quopiam nomine, videtur omnino probabile, propter tot antiquorum Scriptorum teſtimonia. Neq; obſtat ignis activitas, & animalium temperamentum: nam etiam chartarum, linteorum, funium, aliarumque ſimilium rerum temperamentum tale eſt, ut ignis activitati ordinariè non reſiſtat, & tamen reperiuntur quæ non abſumuntur, quæ nimirum ex asbeſto conficiuntur; ergo tametſi mirum, incredibile tamen non eſt, idem contingere in animalibus, unum videlicet alterumvè animalium genus ignem tolerare poſſe, quem alia non poſſunt.

Animalcula quædam in igne, at non ex igne generantur.

II. Probabilius mihi videtur, dicta animalcula generari in igne, tametſi non ex igne, ſed ex materia terrea, fumis & vaporibus miſta. In igne generari, docet Ariſtoteles, cum aliis antiquis Scriptoribus. Non ex igne generari, diſco ex eodem *Ariſtotele* lib. 2. de Generat. & Corrupt. tex. 21. in fine, ubi diſertis verbis docet, nec ex glacie gigni quidquam, nec ex igne poſſe, propter nimium frigoris & caloris exceſſum. Idem docet *Cardanus* lib. 9. de Subtilit. & lib. 10. de Variet. cap. 51. & alii.

Ad materiam, ex qua generantur dicta animalcula, quod attinet, putat *Cardanus* loc. cit. de Subtil. ea generari ex *putredine humidi ſolidiſſimi metallorum, in ignis vicina parte*, ut propterea non corrumpatur humidum ab igne. Itaque non in igne, ſed extra ignem generari putat Cardanus; vivere tamen in igne, propter frigidiſſimum temperamentum. *Mercurialis* putat, generari in igne ex terra metallis commixta. At nos putamus cum *Nierembergio* lib. 4. Hiſt. Nat. cap. 18. ex materia quam diximus. Verba Nierembergii do. *A quo igitur generantur, quæ in igne? Ab illo utique elemento generantur, ex quo: neque enim quòd in igne pyrauſtæ enaſcantur, ex igne naſcuntur. Permixtus, impurus iſte ignis eſt, turbulentus vapore, & halitu, quos fumus involvit, & quos emittunt metalla & lapides aduſti. Itaque*

ex

ex aqua aut terrea ſubſtantia iſta animalia erumpunt. Ex his conciliat Nierembergius loca Ariſtotelis citata ex lib. 5. de Hiſtor. Animal. cap. 19. & lib. 2. de Generat. tex. 21. in quorum primo aſſerit, dicta animalcula naſci in medio igne; in ſecundo verò ait, nihil ex igne generari: in igne enim generantur, non tamen ab igne, aut ex igne, ſed ex materia terrea & humida.

Reſiſtunt autem ignis efficacitati dicta animalcula, non antipathiâ ſeu odio naturæ, nec frigore, ut Cardanus putat; ſed temperamento proprio igni familiari.

III. Salamandra in igne vivit quidem aliquo tempore, & flammam frigore ſuo, aut humore aliquo emiſſo reſtinguit; tandem tamen moritur; non tamen facilè conſumitur. Conſtat frequenti experientiâ factâ à multis, quorum unus Collega meus, vir doctiſſimus, & in hac Herbipolenſi Univerſitate Sacroſanctæ Theologiæ Profeſſor, Burdigalis in Gallia unam projecit in ignem ex ſolis ſtipulis excitatum, quæ tamen brevi tempore fuit extincta, non tamen abſumpta, ſed inſtar corii ambuſti corrugata. Qui itaque ſcribunt, ſalamandram ſemper in igne vivere, vulgi errore decepti fuère. Quo etiam errore imbuti fabri & chartarii (quorum in allatis teſtimoniis fuit mentio facta) excuſſêre fornaces, & lignorum faſces.

Salamandra aliquamdiu in igne vivit, at deinde moritur.

CAPUT IX.

An in nive vivant & naſcantur aliqua animalia.

Animalia an in nive vivant, & naſcantur.

INtra nives ſæpe reperiri, atque adeo etiam ibidem naſci vermes quosdam piloſos (quos teredines vocat Theophanes apud *Strabonem* lib. 11. Geograph. alii verò communiter vermes nivium) & lumbricos, docet Ariſtoteles, Plinius, Strabo, multique alii antiqui & moderni Scriptores, & teſtatur ipſa experientia quotidiana. De his ſcribit ita *Ariſtoteles* lib. 5. Hiſtor. Animal. cap. 19. *Quin etiam in iis, quæ putredinem nullam poſſe recipere exiſtimantur, naſci animalia novimus, ut vermes in nive vetuſtiore, qui hirti ſunt pilis, & rubidi, quoniam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit. Sed in nive mediæ terræ candidi & grandiores inveniuntur. Torpent omnes, ac difficulter moventur*; & cùm à nive dimoventur, moriuntur, ut paulò pòſt ibidem aſſerit Ariſtoteles. Idem *Ariſtoteles*, vel quicunque eſt Auctor lib. 2. de Plantis, ita ſcribit. *Ita ferè non invenitur planta in nive, licèt in ea viſa ſit nonnunquam proveniſſe, ut & animalia quædam, præcipuè lumbrici: hi enim in nive gignuntur, & flomus, & herbæ omnes amaræ.* Quod de hirtis ac piloſis vermibus nivium dixit Ariſtoteles, exſcripſit *Plinius* lib. 11. Nat. Hiſt. cap. 35. qui tamen locus corruptus eſſe videtur. Verba Plinii ſunt. *Quippe cùm & in nive candidi reperiantur, & vetuſtiore vermiculi, in media quidem altitudine*

Digitized by Google

rutili (nam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit) hirti pilis, grandiores torpenteſque. De iisdem ſine dubio vermibus loquitur *Strabo* lib. 11. Geograph. circa finem, ubi ait: *In nive animalia quædam creari, quæ Apollonides vermes appellat, Teophanes verò montanas teredines, &c.*

Veteribus hiſce ſubſcribunt recentiores, ut *Cardanus* lib. 9. de Subtil. & & lib. 7. de Variet. cap. 28. *Marſilius Cagnatus* lib. 1. Variar. Obſervat. c. 23. *Olaus Magnus* lib. 22. cap. 7. *Scaliger* Exercit. 54. num. 2. *Nierembergius* lib. 4. Hiſtor. Natur. cap. 21. *Aldrovandus* lib. 6. de Inſectis cap. 9. *Fortunius Licetus, Agricola,* & alii.

Hiſce auctoritatibus, & quotidianâ quoque experientiâ adducti quidam, concedunt quidem reperiri in nivibus animalia; at pernegant in ea & ex ea naſci, hac potiſſimùm nixi ratione, quòd omni calore nix deſtituatur, ſine quo tamen animal naſci ac vivere non poteſt, ut etiam Ariſtoteles concedit, negans ideo ex glacie produci vivens poſſe, quòd glacies frigidiſſima ſit. Addunt, agricolas in hyeme deſiderare nives, quibus pernicioſæ frugibus beſtiolæ ac vermes enecentur. Si qui ergo vermiculi in nivibus reperiuntur, eos non ex nivibus, ſed ex terra nivibus operta natos eſſe autumant.

Reſpondet optimè *Cagnatus* loco citato, nivem eſſe miſtum (licèt imperfectum,) & humidum quoddam, utpote ex vaporibus concretum; nullum autem miſtum, nullumque humidum ſine calore eſſe, aſſerunt *Averroës* lib. 4. Meteor. & Ariſtoteles lib. 5. de Generat. Animal. Glacies autem longè magis congelata eſt quàm nix, ut conſtat, ideoque mirum non eſt, ſi in glacie nullum oriatur vivens, in nive oriatur. Nix porrò, quæ ab agricolis optatur in hyeme, pernicioſa eſt beſtiolis, quoniam eæ non ex nivibus, ſed ex terra ortum habent, ideoque differentis ſunt temperamenti, & tanti frigoris minimè patientes.

Ego cum Ariſtotele & ſequacibus ſentio, ajoque, nives ob aëris & ſpirituum copiam admiſtam, minimè ineptas eſſe ad animalcula prædicta producenda, ac conſervanda.

CAPUT X.

Quot in unaquaque ſpecie animalia, & quibus in locis fuerint initio Mundi à DEO producta.

MUltæ enodandæ ſuperſunt quæſtiones ac difficultates circa primam animalium in Mundi primordio productionem, à DEO creatore factam. Hic duas excutimus, unam circa multitudinem, circa locum alteram.

Circa

Digitized by Google

Circa multitudinem conſideramus, an duo tantùm in ſingulis ſpeciebus individua, an plura fuerint producta. Circa locum, an prope paradiſum tantùm, an diverſis in locis toto Orbe.

Animalia plura quàm duo in ſingulis ſpeciebus producta à DEO.

Plura quàm duo in ſingulis ſpeciebus fuiſſe producta, exiſtimat *Moyſes Barcepha*, allegans D. Ephræmum, *Vielmus* in Geneſim, *Suarez* lib. 2. de Opere ſex dierum cap. 10. num. 5. *Salianus* in Annal. Anno Mundi 1. Die 6. num. 17. allegans *D. Auguſtinum* lib. 12. de Civit. cap. 21. *D. Gregorium Nyſſenum* lib. de hominis opificio. In eadem ſententia eſt *Molina* in 1. *Par.* D. Thomæ, explicans opus ſextæ diei creationis Mundi, & multi alii. Rationes & congruentiæ hujus ſententiæ ſunt ſequentes. *Primò*, quia cùm DEUS ejiceret Adamum & Evam, poſt peccatum, è paradiſo, fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos, *Geneſ. cap. 3. verſ. 21.* Si ergo non niſi duo fuiſſent individua illius ſpeciei animalis, cujus pelles fuerant, periiſſet illa ſpecies, ſive uni tantùm, ſive utrique detractæ fuiſſent. *Secundò*, quia quando DEUS in productione animalium dixit, *producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram*; Item, *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas*; allocutus eſt totam aquam, & totam terram, non verò ſolùm terram Edem, aut vicinas illi regiones; ergo non ibi tantùm, ſed ubique producta fuēre animalia, atq; adeò plura quàm duo. *Tertiò*, quia utiq; etiam ante diluvium univerſale fuēre animalia in omnibus Mundi regionibus, etiam vaſtiſſimis maribus ab Aſia, in qua primi mortalium habitârunt, ſejunctis, ut in America, & aliis circumpolaribus terris: non autem credibile eſt, fuiſſe eò ab hominibus deducta, aut ſponte eò tranâſſe; ergo à DEO fuerunt ibi producta: non poſt primam animalium productionem; ergo eo ipſo die quo cætera fuēre in Aſia creata. *Quartò*, quia in principio Mundi leo, tigris, aquila, accipiter, aliaque ſimilia animalia, quæ nunc carnibus prædâ captis veſcuntur, non minùs carnivora erant quàm nunc; ergo plura aliquarum ſaltem ſpecierum individua fuerunt à DEO producta, nè aut carnivora illa cogerentur perſeverare longo tempore jejuna, vel ſine convenienti alimonia; aut deficerent ſpecies aliquæ, quarum ſcilicet vel unum abſumpſiſſent individuum. Idem argumentum militat, & quidem fortiùs, pro piſcibus, quorum majores devorare debebant minores, ut nunc fit, quoniam nec intra aquas, neque extra, alium convenientem cibum reperire poterant. *Quintò*, quia ſaltem piſces & volucres fuēre producti in magna copia; ut innuitur in Scriptura Sacra, verbis illis, *producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram*, &c. ubi vox שרץ *Sarats*, quâ divinum præceptum enuntiatur, ſignificat non ſolùm producere, ſed ſcaturire, ebullire, & in magna copia gignere. Hoc autem præceptum non fuiſſet impletum, ſi in toto Oceano non niſi

duo

Digitized by Google

duo haleces, duo delphini, duo lucii, &c. & in toto aëre non niſi duo paſſeres, duo corvi, duæ columbæ, &c. fuiſſent producti. Hæc ſunt præcipua argumenta primæ opinionis.

Aſcanius Martinengus in Geneſis Caput I. pag. 1173. concedit, *in unoquoq; genere non tantùm duo, ſed fortè plura individua fuiſſe creata; & plures fortè fœmellas, quàm mares.* Et hæc, ut ſpecies citiùs propagarentur, cùm unus mas pluribus fœmellis implendis ordinariè ſufficiat. Idem ſentit *Vielmus* apud ipſum paginâ citatâ.

Pauca tantùm, & quidem bina in unaquaque ſpecie, producta fuiſſe, ut primitias & ſemen futurorum, aſſerit *D.Baſilius* Homil. 7. in Hexaëm. *Theodoretus* quæſt. 17. in Geneſ. *Lactantius* lib. 2. cap. 11. *Procopius* in Geneſ. *S. Juſtinus Martyr* quæſt. 46. dicens, hoc piorum nonnullos dixiſſe. In eadem ſententia eſt *Euſebius Nierembergius* lib. 4. Hiſt. Nat. cap. 24. & ſequentibus. Congruentiæ pro ea ſunt, *Primò*, quòd bini tantùm homines fuerint creati, à quibus tota humana ſpecies propagaretur; ergo & in aliis animalium ſpeciebus non plura quàm bina fuêre creata individua, mas ſcilicet & fœmina, quoniam ea ſufficiebant ad propagationem. *Secundò*, in arcam Noë bina tantùm introducta à DEO Angelorum miniſterio fuêre, à quibus in Mundi reſtauratione ſpecies propagarentur, & omnes Mundi regiones implerentur; cætera verò, quæ ex animalibus mundis ultra binarium numerum ingreſſa fuêre, ad ſacrificium DEO poſt diluvium à Noë offerendum, non ad ſemen, fuêre introducta; ergo in prima etiam Mundi conditione, non niſi duo ad ſemen & propagationem fuêre producta. *Tertiò*, quia conveniebat, ut Auctor Naturæ DEUS prima ſolùm exemplaria rerum, quæ per generationem deinceps propagandæ forent, effingeret, & Naturæ deinde ac naturalibus cauſis negotium relinqueret, ut ad ſui imitationem in multiplicandis viventibus ſtrenuam operam darent. Qua etiam de cauſa, productis piſcibus & volatilibus, benedixit illis DEUS, & juſſit creſcere, & multiplicari, ac replere aquas & aërem. Quod etiam poſt animalia terreſtria producta factum fuiſſe, cenſent Patres & Interpretes.

Ad rationes pro prima ſententia allatas reſpondent, aut reſpondere poſſunt hujus ſententiæ ſequaces, in hunc modum. *Primò*, tunicæ pelliceæ vel fuerunt à DEO ex nihilo, aut ex materia aliqua in pelles mutata factæ, vel detractæ ex ovibus occiſis, quarum præſcius peccati primorum parentum, plures quàm duas ab initio produxerat. Nec deſunt, qui veſtes primorum parentum non ex pellibus, ſed ex arborum corticibus factas cenſent. *Secundò*, ad totam aquam & terram direxit DEUS præceptum ſuum in productione animalium, quia non in uno loco omnia eorum paria fuêre producta, ſed in diverſis, prout nimirum animalium natura

& tem-

& temperamentum requirebat, quorum aliqua calidum, alia frigidum, alia temperatum requirunt clima. *Tertiò,* quia etiam poſt diluvium animalia, quæ non niſi bina ad ſemen & propagationem in arca fuerant conſervata, in omnes Mundi regiones, etiam vaſtiſſimis maribus ab Aſia, in qua arca Noëtica quieverat, disjuncta, fuêre diſperſa: quâ ergo ratione tunc, eâdem & ante diluvium potuerunt eò transferri. Sed de hoc poſtea. *Quartò*, carnivora animalia fuêre herbis & fructibus tunc alita, fortaſſis etiam usque ad diluvium. Hoc poſtea examinabimus cap. 13. §. 3. *Quintò*, probabilius eſt, piſces fuiſſe in majori numero creatos, ob rationem allatam: quæ ratio non urget pro volucribus, & animalibus terreſtribus.

Tametſi hæc alia ſententia ita primæ æquiponderet, ut niſi alterutri momentum accedat ex Sacra Scriptura deſumptum, neutra præponderet; ego tamen primæ adhæreo, tum ob rationes allatas, quia divinæ munificentiæ, quam initio rerum maximè manifeſtare voluit, longè eſt conformior, quàm altera. Nec enim in exemplum creati Mundi trahenda eſt ejusdem reſtauratio, in qua non liberalitatem, ſed ſeveritatem oſtendit DEUS, ideoq; non niſi bina, aut pauciſſima ſervare voluit in qualibet ſpecie animalia, quoniam id ſufficiebat ad intentam reſtaurationem. Hinc binos tantùm homines Mundo condito præfecit, octonos verò Mundo reſtaurato. Addo quòd pro Mundi reſtauratione omnes piſces fuêre conſervati, & nullæ plantæ; idem ergo in prima conditione contingere debuiſſet, ſi paritas ſectanda foret. Duos porrò ſolùm homines condidit initio DEUS, animalia verò multa, quoniam illos non è terra & aqua erumpere voluit, ut hæc, ſed ſuâ omnipotenti manu, tanquam Mundi ac rerum omnium dominos ac principes, effecit.

CAPUT XI.

An animalia imperfecta, quæ ex putrida materia generari ſolent, fuerint initio à DEO producta.

ANimalcula plurima ex putrida materia generari ſolere, manifeſtum eſt omnibus. Non tamen quævis ex quavis indiſcriminatim prodeunt materia, ſed unumquodque genus propriam ſibi quaſi vendicat argillam optatam ac præparatam. Alia enim prodeunt ex aqua, ut vermes in ciſternis; alia ex limo terræ, ut bufones, ranæ, culices; alia ex pulvere ſicco, ut pulices; alia ex madido, ut ranæ; alia ex vino & aceto, quos Averroës vocat muſſiliones; alia ex miſtorum tabe, nempe ex herbis & floribus erucæ & papiliones, ex fabis gurguliones, ex lignis teredines & cimices, ex veſtibus & chartis tineæ ac blattæ, ex cadaveribus hominum muſcæ,

Animalcula plurima ex putrida materia naſcuntur.

Digitized by Google

muſcæ, equorum veſpæ & crabrones, taurorum apes, aliorum alia minuta animalcula. Ex ſudore autem hominum præcipuè naſcuntur lendes ſeu pediculi. Inter animalcula prædicta, quædam prodeunt ſolùm ex materia putri; quædam verò tam ex putri, quàm ex concubitu, ut mures, pulices, &c. De his aliisque ſimilibus quæritur, num in prima Mundi hebdomada fuerint à DEO cum cæteris producta, ſeu ex natatilium ſint genere, ſeu volatilium, ſeu reptilium terreſtrium.

Animalcula ex putri ſolita naſci, an fuerint à DEO producta.

Ingentem ſententiarum varietatem invenio, quas collegit *Aſcanius Martinengus* in Gloſſa ſuper cap. 1. Geneſ. pag. 1183. & ſequentibus, citans ſingulorum Auctorum verba.

D. Baſilius Homil 7. in Hexaëm. & *D. Ambroſius* lib. 5. Hexaëm. cap. 1. videntur velle, DEUM omnia in principio cum aliis animalibus perfectis condidiſſe. Expreſsiùs tamen id ſignificat D. Ambroſius: nam D. Baſilius loquitur ſolùm de aquatilibus. Nec deſunt ad hanc ſententiam corroborandam rationes. Nam *primò*, Mundus à DEO conditus fuit perfectus, & omnibus numeris abſolutus, utpote creatus in numero, pondere, & menſura, ut habetur in 4 lib. Eſdræ cap 4. ergo nullam DEUS omiſit ſpeciem eorum animalium, quæ nunc in Mundo viſuntur; inter quæ cùm & animalia imperfecta ſint, quæ ex putri ſolent oriri, conſequens eſt & illa condidiſſe. *Secundò*, DEUS Mundum hunc ſenſibilem condidit ſecundùm intelligibilis ſeu idealis Mundi, in mente divina exiſtentis, rationem, ut *Philo* lib. de Opificio Mundi pluribus diſſerit: cùm ergo & dictorum animalculorum ideæ in Mundo intelligibili, ſeu in mente divina extiterint, fuerunt & illa cum aliis animalibus producta. *Tertiò*, DEUS in Mundi creatione voluit manifeſtare ſummam ſuam potentiam, ſapientiam, & bonitatem: Sed hæc DEI attributa non minùs in exiguis ac imperfectis animalculis elucent, quàm in magnis ac perfectis; ergo non minùs illa, quàm hæc, fuêre initio Mundi condita. *Quartò*, decuit ut DEUS, veluti princeps, & ſummus opifex, cuncta exemplaria formaret, eaque Naturæ proponeret, ut ipſa omnes vires ſuas ad ea imitanda conferret; ergo etiam in animalibus ex putri naſci ſolitis exempla præbuit.

D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad litteram cap. 14. quem ſequitur *Alexander Halenſis*, 2. quæſt. 54. *Magiſter Sententiarum* 2. diſtinct. 15. *Gloſſa Ordinaria* in cap. 1. Geneſis, & *D. Thomas* 1. par. quæſt. 72. art. 5. ſtatuit, animalcula, quæ ex putrefactis elementis & germinibus gignuntur, primo die creata, non quæ ex cadaverum tabe prodeunt, niſi in præſeminata potentia. Ratio poteſt eſſe, quòd tunc nulla fuerint adhuc cadavera, nec æquum erat, ut DEUS animalia quædam à ſe paulò antè condita occideret, & in eorum tabe animalcula produceret.

Eucherius lib. 1. Commentar. in Geneſin cap. 7. ait, credibile eſſe, ſolùm

lum illa, quæ nunc ex aquis vel terris, non quæ ex lignorum corporumve oriuntur putredine, tunc à DEO facta eſſe, niſi præſeminatâ origine. Ratio eſt eadem quæ prioris ſententiæ.

Petrus Comeſtor in Geneſim docet, non quæ ex quocunque putri, ſed tantùm quæ ex exhalationibus prodire ſolent, tunc creata à DEO. Ratio ſimilis præcedentibus.

Albertus Magnus 1. par. ſummæ quæſt. 12. art. 16. ait, nullum omnino animalculum ex iis, quæ ex putri oriri ſolent, tunc creatum, *eò quòd opera ſex dierum non ſunt niſi ad ſufficientiam propagationis in principio naturæ.*

Vulmus Lectione 24. exiſtimat verius, & ſanctorum Doctorum doctrinæ conformius eſſe, ſi dicatur, ea animalcula, quæ non niſi ex putri gigni poſſunt, prodiiſſe tunc à DEO in ſuis duntaxat principiis & ſeminariis, quæ alii præſeminatam materiam, & rationes ſeminales vocant, & nihil aliud ſunt quàm rerum qualitates, & vires activæ ac paſſivæ: reliqua verò quæ ex concubitu & putri gignuntur, integra ab Opifice DEO, & ſuis abſoluta facultatibus facta. Rationem primi adſignat, quia priora non niſi cum injuria & corruptione rerum, ex quibus prodeunt, naſcuntur; non eſt autem credibile, DEUM voluiſſe res vix à ſe factas corrumpi, Adamum vermibus in inteſtinis, & pediculis infeſtari. Secundum probant rationes pro prima ſententia allatæ, & citatorum Sanctorum atque Interpretum teſtimonia.

Benedictus Pererius Commentariis in Geneſim docet, omnia quidem animalia, quæ ex putri materia naſci nunc ſolent, producta in principio Mundi cum cæteris animantibus fuiſſe, non tamen ex putri & corrupta materia, ſed proximè à DEO, modo cæterorum animalium terreſtrium, ex terra deinceps per cauſas ſecundas, & ex propriis materiis, ſicut eorum natura poſcit, progeneranda atque propaganda. *Quemadmodum enim,* inquit, *animalia perfecta, quæ non niſi ex ſemine & à ſuis ſimilibus animantibus procreantur, in illa prima effectione rerum & proximè à DEO, & ex terra ſunt producta, ſic quæ ſecundùm naturam non aliter quàm ex putri materia fiunt, tunc immenſa DEI poteſtate ex terra ſunt condita.* Addit tamen, dici etiam poſſe, ſpecies iſtas animalium tunc non eſſe actu productas, ſed tantùm cauſaliter, & potentialiter, ut nonnullæ citatarum ſententiarum volunt.

Ego cum *Martinengo*, loco initio citato, exiſtimo, longè probabilius eſſe, nullum animal ex putri materia quacunque gigni ſolitum, primâ Mundi hebdomadâ ex putri emerſiſſe, ſed cuncta ex alia quapiam materia, ſeu elemento, ſeu humo formata proximè à DEO, ſive immediatè, ſive Angelorum miniſterio. Ratio, quæ me movet, eſt, quòd divinæ Opificis ſu-

Digitized by Google

premi ſapientiæ conforme non videatur, ut res vixdum à ſe productas ad corruptionem deſtinaret, cùm animalia illa, de quibus eſt quæſtio, æquè benè ex terra, aut aqua, non ſecus ac alia animalia perfecta, producere potuerit. Quemadmodum igitur perfecta animalia, primùm à ſolo DEO producta, poſtea ſortita ſunt in ſua propagatione mares & fœmellas tanquam cauſas; ita & imperfecta ſolis calorem & putredines. Atque hæc quidem ſententia facillimè atque aptiſſimè ſolvit omnia argumenta pro prima ſententia allata, nec ullis urgetur incommodis, ut aliæ, ut patet conſideranti. At ubi DEUS lendes creavit? in Adamo? extra omne animal? Reſpondeo, nec in Adamo creaſſe, ne innocentem illum ſtatum his miſeriis deturpaſſe dicatur; nec extra omne animal, ne perirent; ſed in aliis quibusdam animalibus, è quorum ſudoribus nunc quoque naſci ſolent.

CAPUT XII.

An animalia adulterina fuerint à DEO in Mundi exordio producta.

Animalia adulterina.

PLurima viſuntur in variis Mundi regionibus, viſaque omni ævo fuêre, animalia adulterina, ſeu bigenera, ex diverſarum ſpecierum animalibus, ſeu ſpontaneo congreſſu, ſeu hominum induſtriâ & arte copulatis, genita. Nam ex aſino & equa naſcitur mulus & mula, ex equo & aſina mulus, qui vocatur hinnus, ex hirco & ove tityrus, ex vervece & capra muſmo, ex apro & ſue hybris, ex lupo & cerva lynx, ex eodem lupo & cane thoës, ex lupo & panthera crocuta. Arcadici canes, & Hyrcani, ex cane & tigride naſcuntur. Canes Arcades ex canibus & leonibus natos olim fama eſt, & appellatos λεοντομιγεῖς. Canes Laconici alopecides dicti, ex vulpe & cane gignuntur. Sunt qui lupum canarium eum putant, qui initu canis ex lupa naſcitur. Leonum ignobile genus ex leænis & pardis oriri, Solinus ſcribit; Leopardos ex pardo & leæna, communiter creditur: quanquam Philoſtratus leænam non ex pardo, ſed ex pardali concipere ſcribat. Camelum Bactrianam Didymus ex apris ſimul paſcentibus concipere docet. Equus ex tauro & equa quondam generatus. Franciſcus Galliarum Rex equum habuit poſteriore corporis parte cervinâ, natum, ut fertur, ex cervo & equa, Bellonio teſte. Apud Rhætos ex capræ & arietis coitu naſcuntur oves anteriùs, poſteriùs capræ. Viperam ajunt, ubi libidinem ſentit, murænæ maritimæ copulam expetere, progreſſamque ad littus ſibilo ad amplexum illam evocare, nec murænam diu abeſſe, ſed ſtatim venenatæ ſerpenti expetitos uſus ſuæ conjunctionis impertiri. Simi-

Digitized by Google

Similes commiſtiones multorum aliorũ diverſæ ſpeciei animalium quotidie contingere ſcribunt in Africa, regione arenoſa ac ſiticuloſa: conveniunt quippe è longinquo ad eosdem fontes ac amnes diverſa animantium genera, bibendi gratiâ, ibique libidinis æſtu percita promiſcuè permiſcentur, & novas ſubinde animantium formas gignunt: unde ſemper aliquid novi Africam afferre, proverbio jactatur.

De his igitur adulterinis ac bigeneribus animalibus diſputatio eſt, num & iſta condiderit DEUS in primis rerum auſpiciis, an intruſa fuerint in animalium cœtum fortuitâ libidine poſt primam cæterorum procreationem. Animalia adulterina an à Deo creata initio Mundi.

A Deo condita unà cum cæteris animantibus, negat *Vielmius* Lect. 14. dicens, probabilius eſſe, ſic ſolùm illa DEUM feciſſe, quomodo ea fecit quæ ex putri prodeunt. Videlicet eorum cauſas, ſemina, ac vires efficiendo, ut ſubinde ſtatis temporibus, certis locis, & ex determinatis materiæ diſpoſitionibus, hominum animaliumque cæterorum operâ naſcerentur. In eadem ſententia videtur fuiſſe *Rupertus* lib. 1. in Geneſin cap. 57. dicens, DEUM prohibuiſſe adulterinam illam animantium permiſtionem fieri hominum induſtriâ, ut abominandam, cùm dixit Levit. cap. 19. verſ. 19. *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.*

Atque hoc eſt primum pro hac ſententia argumentum. Secundum eſt, quòd Ana primus aſini cum equa congreſſum excogitaſſe dicitur, dum aſinos Sebeon patris ſui paſceret in deſerto, ut tradunt Hebræi. Nam *Geneſis cap. 36 verſ. 24.* ubi in vulgata editione legitur: *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cùm paſceret aſinos Sebeon patris ſui*; plurimi Hebræorum pro *Jamin*, quod maria ſeu aquarum congregationes ſignificat, legendum cenſent *Jemin*, quod mulos ſonat; ut ſenſus ſit: *Iſte eſt Ana, qui invenit mulos in ſolitudine.* Suffragatur huic lectioni Paraphraſis Chaldaica, quæ ita legit: *Iſte eſt Ana, qui invenit fortes in deſerto,* hoc eſt, fortes mulos, & ad onera ferenda validos.

Tertium pro hac ſententia argumentum eſt, quòd DEUS creavit Mundum iis duntaxat rebus refertum, quæ ad integritatem atque ornatum ejus pertinent; qualia non ſunt prædicta animalia, cùm non ſint rerum genera, ſed monſtra, utpote ſterilia & infœcunda; quod ſignum etiam eſt, ea cum cæteris animantibus à DEO creatis benedictionis divinæ fructum & effectum minimè conſecuta eſſe, ac proinde non producta tunc, quando benedictionem DEUS impertivit.

Contrarium ſentit *Pererius* lib. 1. Commentariorum in Geneſin, & *Martinengus* in Gloſſa Magna ad caput primum Geneſis pag 1178. Favet *primo* Scriptura Sacra, quæ aſſerit, DEUM feciſſe beſtias terræ, jumenta, & omne reptile: adulterinæ autem ejusmodi ſpecies beſtiæ ſunt, vel ju-

Digitized by Google

menta, vel reptilia, nec ignobilem inter ea locum vendicant, ut ex animalibus initio enumeratis conſtat; ergo à DEO ſunt cum cæteris productæ. Favent *ſecundò* Patrum & Interpretum non pauci. Nam ſi SS. Baſilius & Ambroſius animantia infima ex limo proſilientia, ut ſunt ranæ, culices, & alia hujusmodi; quinimò ſi S. Auguſtinus, S. Thomas, Magiſter Sententiarum, ac Scholaſtici multi, cuncta animantia ex putri naſci ſolita, à DEO condita in Mundi exordio pronuntiant, ut capite præcedenti vidimus; multò magis hæc præſtantiora atque abſolutiora à prima Opificis DEI conditione non excludent. Favet *tertiò* ratio. Nam non ab hominum ſolùm induſtria diverſarum ſpecierum animalia coëunt, & adulterinos hujusmodi fœtus producunt; ſed ab ipſa quoque natura ad ejusmodi congreſſum ac generationem inſtigari videntur: non enim ex una tantummodò animantium ſpecie, ſed ex pluribus, plures ſpecies adulterinæ procreantur; nec in unica Mundi regione, ſed in quovis climate; nec noſtro modò aut patrum noſtrorum ævo, ſed à primis ſæculis.

Inter has duas ſententias mediam init viam *Nierembergius* lib. 5. Hiſt. Natur. cap. 21. Putat enim, ſi quæ ex adulterinis animalibus omnino ſterilia ſint, nullâ Naturæ vi producere genus ſuum valentia, cum cæteris animantibus in Mundi exordio non fuiſſe producta, cùm divinæ benedictionis, fœcundantis naturas, ſint expertia: Quæ autem effœta viſa, absque dubio effuſa tunc quoque à terra fuiſſe, nec aliter in his philoſophandum, ac in quibusvis aliis geminæ originis, dum & è vulva, & ex putri materia ſubnaſci poſſint ac ſoleant. De mulis nihilominùs abſolutè pronuntiat, fuiſſe ab initio è terra à DEO productos, quòd viſæ ſint mulæ fœcundæ, ut libro ſequenti videbimus Capite de Mulis.

Mihi magis arridet præcedens Pererii & Martinengi ſententia, quam nec rationes pro prima, nec pro tertia allatæ ſententia, enervant. Quod enim objiciebatur, DEUM præcepiſſe Judæis, ut jumenta ſua non facerent coire cum alterius generis animantibus, non ad prohibendam adulterinarum ſpecierum generationem factum id fuit, tanquam DEO Naturæque inviſam, alioquin idem de agris diverſo ſemine ſatis, & de veſte ex duobus textâ non induenda (de quibus eodem *cap. 19. verſ. 19. Levitici*) dicendum foret. Aliis igitur de cauſis præceptum illud latum fuit, nimirum primò ad deteſtationem idololatriæ Ægyptiorum, qui diverſis animalium commiſtionibus utebantur in ſervitium planetarum, qui ſecundùm diverſas conjunctiones habent diverſos effectos, & ſuper diverſas ſpecies rerum, ut *S. Thomas* docet 1. 2. quæſt. 102. art. 6. Deinde ad tollendam occaſionem concupiſcentiæ, quæ in ejusmodi commiſtione hominum induſtriâ procurata, atque ſpectata, facilè excitatur, ut idem ibidem advertit.

Anam

Digitized by Google

Anam fuiſſe primum adulterinæ generationis repertorem, non ita facilè concedendum eſt Rabbinis Hebræorum, cùm nec ratio, nec auctoritas ſatis probet, cur potiùs credamus, Interpretis noſtri textum Hebraicum, quo in vulgata editione concinnanda uſus fuit, & Jamin legit, corruptum fuiſſe, quàm Rabbinorum, qui Jemin legerunt. Adde quòd locus ille ipſis quoque Hebræis valde obſcurus eſt, & varias interpretationes habet, teſte *D. Hieronymo* lib. de Traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim. Alii enim putant, *Jamin* maria appellata, & volunt Anam, dum paſceret in deſerto aſinos patris ſui, aquarum congregationes reperiſſe, quæ juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupentur, quòd ſcilicet ſtagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis ſit. Alii verò putant, aquas calidas illo vocabulo deſignari. Sunt etiam qui arbitrentur, onagros ad aſinas ab Ana admiſſos. Sed demus, Anæ induſtriâ mulos ex equa & aſino genitos; cujus induſtriâ tot alia adulterina animalia, initio hujus capitis recenſita, prodivêre?

Quod addebatur, ſpecies illas adulterinas monſtra eſſe, falſum eſt univerſaliter, ut ex dictis libro de monſtris conſtat. Monſtra enim raró fiunt, & paucis in locis gignuntur, idque vel defectu, vel redundantiâ, vel adjectione, vel ablatione ſeminis, vel vulvæ vitio, vel aliis de cauſis, ut ibidem vidimus: at animalia, de quibus diſceptamus, nullo non tempore & loco prodeunt, omnibus membris abſoluta, & juſtâ proceritate prædita. Si quæ tamen monſtra ex ejuſmodi coitu quandoque naſcuntur (quod non negamus) ea, eorumvè ſimilia à DEO in prima animalium productione producta non fuiſſe, lubens concedimus. Quare hæc, non illa, benedictione divinâ caruerunt.

CAPUT XIII.

An animalia ab initio productionis fuerint rapacia, & noxia.

PLurima animalium rapacia nunc eſſe, iracunda, exitialia, & noxia, tam hominibus, quàm aliis animalibus, nemo ignorat. Quæritur tamen meritò, an ejuſdem fuerint etiam initio ingenii & naturæ, cùm è terra luêre à DEO producta, hoc eſt, an idem tunc feris furor ac rapacitas, idem reptilibus virus; an verò poſt primorum parentum peccatum mutârint indolem.

§. I. Ani-

Digitized by Google

§. I. Animalia omnia homini ante peccatum innoxia erant.

Animalia omnia ante peccatum homini innoxia.

ASſerunt id communiter Sancti Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes, ut *Gregorius Nyſſenus* lib. 1. Philoſophiæ cap. 5. *Anaſtaſius* Epiſcopus Nicenus quæſt. 24. in Scripturam, *Damaſcenus* lib. 2. Fidei orthodoxæ cap. 10. *Chryſoſtomus* Homil. in Pſalmum 148. *Theophilus Antiochenus* lib. 2. ad Autolycum, *Theodoretus* quæſt. 18. in Geneſim, *Eucherius* lib. 1. in Geneſim cap. 7. *Auguſtinus* lib. 3. de Geneſi ad litteram cap. 15. *Rupertus* lib. 1. in Geneſim cap. 56. *Beda* in Expoſitione Geneſis, & libro de ſex dierum creatione, *Magiſter Sententiarum* lib. 2. diſt. 15. *D. Thomas* 1. par. quæſt. 71. *Petrus Comeſtor* in Hiſtoria Scholaſtica cap. 8. *Hugo Carenſis* in Poſtillis. Horum omnium verba, ex propriis fontibus hauſta, affert *Martinengus* in Gloſſa Magna à pag. 1192. Itaque feræ etiam naturâ ſuâ ſæviſſimæ ac truculentæ, homini tunc innoxiæ erant, atque obedientes. At poſtquàm DEO rebellavit homo, & pars hominis inferior ſuperiori ac rationali; & illæ hominis imperium detrectare cœperunt. *Ut enim* (inquit Theophilus Antiochenus) *ſi pater familias ſapienter vitam inſtituit ſuam, etiam domeſtici & reliqui familiares ordinatè & decenter vivant, ſequitur haud inconvenienter; ſin autem herus peccàrit, & negligentia ſua corrumpendum dederit, haud dubium eſt quin & ſervi delinquant, & ſocordiam amplectantur: pari ratione contigit in præſenti negotio, ut peccante homine, etiam reliqua, quæ in hominis miniſterium creata erant, prævaricarentur; ubi autem homo ad ſuam naturam, & priſtinum ingenium, nec non dignitatem redierit, ceſſans maleſacere, etiam reliqua animalia in primitivam reſtituentur manſuetudinem.* Scimus certè ex divina Scriptura, Evam ſerpentem, virulentum alioquin animal, quàm diu in innocentia permanſit, non exhorruiſſe, ſed intrepidam & abſque ullo pavore allocutam. Scimus præterea, homines ſanctos, & innocentes tantum habuiſſe in animalia dominium, ut nullum ab iis nocumentum receperint, ut de Daniele conſtat inter leones famelicos ac ferociſſimos innoxiè ſedente, & de D. Paulo viperam ſine offenſa pertrectante, & de multis Eremi incolis, aliiſque ſanctis viris, quibus beſtiæ famulatæ fuerunt: multò ergo magis credendum, primos noſtros parentes, in primæva innocentia conſtitutos, nullum ab iis nocumentum percepiſſe.

§. II. Animalia exitialia, fuère quoque ab initio talia ſecundùm naturam.

Animalia fuère ab initio fera & exitialia.

EX his, quæ diximus ex Patribus de animalium omnium ſubjectione ac reverentia erga hominem, ſunt qui concludant, nullum animal fuiſſe noxium & exitiale, quàm diu Mundus honorem ſuum illibatum ſervavit,

ravit, & protoplaſti noſtri innocentiam primævam cuſtodiverunt. *Theophilus* enim *Antiochenus* lib. 2. ad Autolycum hæc ſcribit: *Feras autem Græci nominant* θηρία ἀπὸ τοῦ θηρεύεσθαι, *id eſt, quòd venando capiantur. Nec tamen à rerum primordio noxiæ & exitiales creatæ ſunt. Nam nihil noxium ab initio à DEO conditum eſt. Sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit. Ubi primùm homo legem DEI transgreſſus eſt, etiam reliqua prævaricata ſunt, & degenerârunt. Ut enim ſi paterfamilias,* &c. quæ præcedenti §. retulimus. Idem ſentire videtur *Eucherius* loc. cit. §. præcedenti, dicens: *Cùm omnia legantur bona à DEO creata, quare quædam noxia inveniuntur? An fortè in primordio innocua facta ſunt, & poſt peccatum nocere cœperunt? Bona enim condita ſunt, ſed malè agentibus data ſunt in flagellum.* Hæc ille. *Rupertus* quoque citato loco apertè ex peccato venenum ſerpentibus immiſſum tradit, ac à pari beſtiis ſævitiam fuiſſe collatam, dicens: *Nunc illud ſciendum, quia repebat priùs ut nunc omne hujus ſpeciei vel generis animal, ſed reptatus ejus nullum horrorem haberet, ſi non illo diabolus ad mortem domini ejus hominis uſus fuiſſet. Multò magis verò nec virus peſtiferum vomeret, vel in ſe ipſo haberet, ſi non illum idem creaturæ DEI adulterator veneficus illo ſua malitia veneno polluiſſet, & per os ejus homini (ut jam dictum eſt) mortem inſibilaſſet, &c.*

Sentiendum nihilominùs cum aliis ex citatis ſuperiori §. Auctoribus, ab initio quoque fera, rapacia, iracunda, invicem noxia fuiſſe creata animalia illa, quæ nunc talia ſunt, tametſi homini, quàm diu in ſtatu innocentiæ perſtitit, nociva non fuerint, nec fuiſſent unquam, ſi in eodem perſeveraſſet ſtatu. Ipſa certè talium animalium formæ, ſtructura, ungues, dentes, cornua, & alia arma, indolem requirunt rapacem, & noxiam aliis. Idem dicendum de venenatis animalibus, ab initio peſtifera fuiſſe, quamvis innoxia homini DEO obedienti.

CAPUT XIV.

Utrum carnivora animalia ab initio carnibus, an herbis & fructibus terræ fuerint alita.

GRaviſſima adhuc ſupereſt enodanda quæſtio, an, quæ nunc inter animalia ſunt carnivora, ut leones, aquilæ, vultures, &c. initio quoque Mundi, non ſolùm in innocentiæ ſtatu, ſed poſtea quoque ad diluvium usque, imò & aliquanto tempore poſt diluvium, carnes comederint, an ſolis terrâ naſcentibus uſa fuerint in cibum. Animalia carnivora an initio carnes cõederint.

Rationes dubitandi tres occurrunt præcipuæ. *Prima* eſt, quia DEUS *Geneſis* cap. 1. verſ. 29. adſignans hominibus & animalibus à ſe conditis cibum, quo impoſterum veſcerentur, dixit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferen-*

Digitized by Google

afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. *Secunda* ratio eſt, quia tametſi plura quàm bina individua ex ſingulis animalium ſpeciebus fuerint producta, non fuêre tamen ſimul omnia in eodem loco, ſed in diverſis Mundi regionibus diſtributa, adeoque non niſi pauca in ſingulis regionibus: Si ergo carnivora tunc carnibus aliorum animalium fuiſſent alita, facilè integræ ſpecies aliquorum defeciſſent, abſumptis aut omnibus, aut pluribus individuis earum. *Tertia* ratio eſt, quia in Arca Noë tempore diluvii integro anno ſine carnibus vixerunt, ut patet ex eo, quòd pauca tantùm individua ex ſingulis ſpeciebus fuerunt, juſſu DEI, in arcam introducta, bina nimirum tantùm de immundis, & ſeptena de mundis; & inter cibos pro animalibus eo tempore alendis, ejuſdem DEI juſſu illatis in arcam, herbarum tantùm ac leguminum fit mentio, & nulla carnium. Præterea poſt diluvium neceſſariò per aliquot ſaltem annos abſtinuerunt carnivora animalia à carnium eſu, donec pauca illa ex arca egreſſa multiplicarentur. Signum ergo eſt, ante diluvium etiam fuiſſe aſſueta ad cibum herbarum & fructuum. Ex his concludi evidenter videtur, carnivora animalia, quæ nunc raptu vivunt, & carnibus veſcuntur, relatis temporibus non carnibus, ſed plantis & fructibus terræ victitaſſe.

§. I. Sententia affirmans, carnivora animalia fuiſſe ab initio talia.

S. *Thomas* in Summa Theologica 1. par. quæſt. 96. art. 1. non falſum modò, ſed etiam irrationabile ducit, putare animalia, quæ nunc ſunt carnivora, in exordio mundi non fuiſſe carnivora, ſed ſolis terrâ naſcentibus veſci ſolita. Rationem adſignat, quòd naturale ſit illis animalibus, veſci carnibus: quod autem naturale eſt, ſemper fuit. Verba S. Doctoris hæc ſunt. *Quidam dicunt, quòd animalia, quæ nunc ſunt ferocia, & occidunt alia animalia, in ſtatu illo fuiſſent manſueta non ſolùm circa hominem, ſed etiam circa alia animalia. Sed hoc eſt omnino irrationabile. Non enim per peccatum hominis natura animalium eſt mutata, ut quibus nunc naturale eſt comedere aliorum animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis, ſicut leones, & falcones. Nec gloſſa Bedæ dicit Geneſ. 1. quòd ligna & herbæ datæ ſint omnibus animalibus & avibus in cibum, ſed quibusdam. Fuiſſet ergo naturalis diſcordia inter quædam animalia.* Hanc ſententiam amplexus eſt *Toſtatus* quæſt. 35. ſuper cap. 1. Geneſis, & ſequitur *Cajetanus*, *Yſtella*, & *Suarez* lib. 5. Hexaëm. cap. 6. à num. 20.

§. II. Sen-

Digitized by Google

§. II. Sententia negans, carnivora animalia fuiſſe ab initio talia.

ALtera huic contraria eſt ſententia, in ſtatu nimirum innocentiæ, & toto ante diluvium tempore, animalia nulla carnibus aliorum animalium, ſed his tantùm quæ terra gignebat, veſci conſueviſſe Ita ſentit *Beda* in Hexaëm. explanans locum initio hujus §. citatum ex cap. 1. v. 29. Geneſis, ubi *patet*, inquit, *quia nec ipſa aves raptu infirmorum alitum vivebant, nec lupus inſidias explorabat circum ovilia, nec ſerpenti pulvis panis ejus erat; ſed univerſa concorditer herbis virentibus, ac fructibus arborum veſcebantur.* In eadem ſententia videtur eſſe *S. Baſilius* Homil. 15. in Hexaëmer. & *Rupertus* lib. 2. in Geneſ. cap. 10. *Toſtatus* etiam, mutatâ priori ſententiâ, quæſt. 2-2. ſuper caput 13. Geneſis, multis probat, nulli animalium ante diluvium fuiſſe cibum ex carnibus aliorum animalium, ſed ex his tantùm quæ terrâ naſcebantur.

Hanc ſecundam ſententiam amplectitur *Pererius* lib. 4. in Geneſim, *Diſputat.* in locum paulò antè citatum, & *Nierembergius* lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 26. & *Torniellus* Tomo 1. Annal. Ætate 1. Die 6. Rationes hujus ſententiæ adduximus in principio inter rationes dubitandi. Qui contrariam tuentur ſententiam, ajunt, DEUM adſignando pro animantibus herbas & fructus, non loqui de omnibus animalibus, ſed de non carnivoris tantùm. Sed verba ex cap. 1. Geneſ. verſ. 29. allata, ſunt adeò clarè univerſalia, (inquit Pererius,) ut nullam poſſint admittere exceptionem.

Quòd autem quæ nunc ſunt carnivora, eo tempore non fuerint alita carnibus, cauſa non fuit, (inquit idem *Pererius*,) quòd DEUS per miraculum ſervârit alias animantes, ne illorum fierent præda; vel quòd carnivoris ademerit naturalem propenſionem & aviditatem edendi carnes, quantum ad actum ſecundum; vel quòd alia fuerit illorum animalium natura ante diluvium, quàm nunc ſit; vel quòd fecerit DEUS, ut herbæ ac fructus per id tempus eſſent animalibus jucundiores ac ſalubriores quàm carnes: non enim credibile eſt, DEUM ſine neceſſitate urgente tantum miraculum tanto tempore in brutis facere voluiſſe. Cauſa igitur ejus rei referenda eſt in bonitatem eorum, quæ tunc naſcebantur è terra, & ad optimam animalium temperamenti conſtitutionem. Has enim duas ob res, cùm animalia ex herbis & fructibus arborum abundantem, jucundum, ſalubrem, & ipſis alendis ac corroborandis ſufficientem cibum ſine labore ullo perciperent; nullâ vel fame, vel aviditate ad cædem eſumque animalium incitabantur.

§. III. Noſtra ſententia.

Animalia carnivora initio Mundi, & in Arca Noë, non comederunt carnes.

EGo in hac ancipiti quæſtione exiſtimo, veriſimilius eſſe, animalia quæ nunc ſunt carnivora, fuiſſe ab initio quoque creationis ſuæ, & quovis ſubſequenti tempore, etiam diluvii in arca, & poſt diluvium, talia quoad actum primum; in ſtatu tamen innocentiæ, & aliquanto tempore pòſt, antequam ſufficienter multiplicarentur animalia à DEO producta, item tempore diluvii in arca, & aliquanto tempore pòſt, quando nondum erant ſufficienter multiplicata animalia ex arca emiſſa, non comediſſe carnes, ſed herbis & fructibus victitaſſe.

Ad primum aſſerendum moveor cum S. Thoma loc. cit. quia carnivororũ animalium odium erga alia animalia quibus veſcuntur, & inclinatio ad illa capienda, ac devoranda, tam eſt illis univerſalis nunc quoad tempus & locum, ut omnino videatur eſſe naturalis & innata, atque adeo ab illis inſeparabilis, quantum ad actum primum, non ſecus ac naturales ſunt alii inſtinctus quibuslibet animalibus proprii, ut amicitia ac inimicitia inter felem & canem, felem & murem, lupum & ovem, accipitrem & columbam, &c. Hinc videmus tam mirabiles induſtrias quorundam animalium, ab ipſa Natura inditas, ad alia animalia, quibus veſcuntur, allicienda, & capienda, ut libro ſequenti videbimus. Quod autem naturale & innatum nunc eſt animalibus, ſemper & ab initio fuit tale: neque enim veriſimile eſt, hanc tam vehementem inclinationem carnivororum animalium ad animalia alia rapienda, eorumque carnibus veſcendum, ortam in illis eſſe ex peccato hominis; aut tempore juſtitiæ originalis hominum, & diluvii, ac aliquamdiu poſt illa tempora, fuiſſe in illis extinctam.

Ad ſecundum aſſerendum moveor, ob ſecundam & tertiam rationem dubitandi, initio hujus capitis allatas. Pertinuit enim ad divinam providentiam, vel naturalem carnivororum animalium inclinationem & appetitum refrænare, ut viſis aliis animalibus ea non invaderent, ut fecit in leonibus, ne invaderent Danielem, & multos alios Sanctos, ut ex Sacra Scriptura & Eccleſiaſticis Hiſtoriis conſtat; vel animalia alia illorum ſenſibus externis ſubtrahere, internosque ſenſus & phantaſiam ad alios cibos, tanquam gratum ſibi pabulum, divertere. Certè hoc factum tempore diluvii in arca, ambigi non poteſt, cùm nullis tunc carnibus fuerint paſti, ut omnes fatentur. Quod ergo tunc factum divinâ providentiâ, idem etiam & poſt Mundi initium, & poſt diluvium, per aliquod tempus contigiſſe, omnino credibile eſt.

Admiſsâ hac ſententiâ, conciliantur duæ priores, & facilè ſolvuntur omnia, quæ contra alteram ab altera objiciuntur, & quæ noſtræ opponi poſſunt.

Dicunt

Dicunt *Primò*, conceſſionem illam *Geneſ.* cap. 1. verſ. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* non pro hominibus tantùm, ſed etiam pro brutis factam, fuiſſe reſpectu hominum excluſivam, ut non licuerit illis veſci carnibus; ergo & reſpectu brutorum excluſiva fuit, nam iiſdem verbis reſpectu utrorumque facta fuit, nec ex Sacra Scriptura diſcrimen colligitur. Quòd autem reſpectu hominum excluſiva fuerit, inde colligitur, quòd *Geneſis cap. 9.* ſpecialiter conceſſit DEUS hominibus carnes in cibum, dicens; *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.* Ubi in ſpeciali conceſſione ſignificatur, id antea non fuiſſe hominibus conceſſum. Et magis explicatur, cùm additur: *Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Ac ſi diceret DEUS: hactenus ſola olera virentia vobis conceſſeram, nunc animalia quoque in cibum vobis concedo. *Reſpondeo*, conceſſionem illam, reſpectu hominum, non fuiſſe excluſivam, neque formaliter, ut per ſe conſtat, neque virtualiter, ratione materiæ; non enim qui unum concedit, alterum negat eo ipſo quòd illud concedit, niſi ratione circumſtantiarum contrarium manifeſtè colligatur; quod hîc non fit. Unde tametſi probabile ſit, homines, ſaltem probiores, toto tempore usque ad diluvium abſtinuiſſe carnibus, ſolis herbis & fructibus, longè magis tunc quàm nunc ſapidis & efficacibus, contentos; veriſimile tamen non eſt, omnes omnino homines nunquam guſtaſſe carnes, aut illas guſtando peccaſſe cõtra DEI prohibitionem, ut docet *Suarez* lib. 5. de Opere ſex dier. cap. 6. à num. 27. ex Cajetano, Soto, & Yſtella.

Objectiones contra noſtram ſententiam, earumque ſolutiones.

Dicunt *Secundò*, ſi animalia carnivora fuerunt ab initio talia, & indiguerunt carnibus pro alimento ſuo; DEUS in conceſſione illa generali herbarum & fructuum facta hominibus & brutis, adſignaſſet & conceſſiſſet tantùm animalibus non-carnivoris cibum, carnivoris verò nullum; quod repugnat divinæ providentiæ. *Reſpondeo primò*, certum videtur, majores piſces, qui nunc veſcuntur minoribus in mari, etiam ab initio illis victitaſſe, & tamen in illa generali conceſſione nullus piſcium uſus datur ullis animalibus in cibum: nihilominùs nullus audet colligere ex generali illa conceſſione, divinam providentiam piſcibus majoribus nullum adſignaſſe aut conceſſiſſe cibum. Neque ergo reſpectu animalium carnivororum id rectè colligitur. *Reſpondeo ſecundò*, etiam in illa generali conceſſione DEUM adſignaſſe ac conceſſiſſe uſum herbarum ac fructuum animalibus carnivoris, ſine tamen excluſione uſus carnium ſuo tempore. Primis enim illis temporibus, & in Arca, & poſt diluvium immediatè, non comedebant carnes, ut convincit ſecunda & tertia ratio dubitandi initio capitis poſita; ergo herbas & fructus, qui è terra naſcebantur. Ex quo etiam ſequitur, nullum eſſe animal, quod non poſſit herbis & fructibus veſci, & illis ſufficienter ſuſtentari, ut rectè notat *Cajetanus*, quoniam veriſimi-

Digitized by Google

riſimilius eſt, ſine miraculo in Arca fuiſſe ſuſtentata animalia carnivora ex ſeminibus & fructibus à Noë illatis.

Dicunt *Tertiò*, ſi ab initio habuêre inclinationem & appetitum animalia carnivora, ad rapiendum & comedendum alia animalia; non potuêre refrænari ſine continuo miraculo: nulla autem neceſſitas eſt, ad tantum & tam continuatum recurrere miraculum. Satius ergo fuerit, negare, fuiſſe ab initio ante diluvium carnivora, poſt diluvium verò ab herbis ad carnes, & à paſtu ad raptum defeciſſe, quia herbarum bonitas, & animalium illorum complexio, fuit mutata. *Reſpondeo*, vel ſine miraculo fuiſſe refrænatum à divina providentia appetitum per ſubtractionem aliorum animalium, aliâvè ratione, prout in Arca factum fuit; vel ſi miraculosè id contigit, minùs abſonum eſſe id concedere, quàm appetitum & inclinationem ad carnes ab initio Mundi usque ad diluvium illis denegare, poſt diluvium concedere, ob mutationem bonitatis herbarum,& complexionis animalium. Quæro deinde, ſi animalium carnivororum complexio adeo fuit mutata, ut cùm antea herbas appeterent pro cibo ordinario, nunc carnes appetant; cur non & aliorum animalium complexio fuit mutata?

Omitto alia,quæ huc congeri poſſent,vel in confirmationem noſtræ, vel in refutationem contrariæ ſententiæ. Interim non nego,probabile eſſe,animalium quoque,non minùs quàm hominum,ſtaturam primigeniam miminutam, & vitæ terminum decurtatum. Sed hoc alii diſcutiant.

CAPUT XV.

Quomodo homines, & cætera animalia, in novum Orbem, Inſulasq; à Continente remotas, delati fuerint.

SUppono, Protoparentem noſtrum Adamum, cùm ad ipſum deducta fuerunt animalia à DEO condita, ut ſuis quæque convenientibus inſigniret nominibus, in Aſia, in qua & Paradiſus terreſtris, degiſſe. In eadem Aſia fuit à Noë fabricata Arca, in quam introducta fuêre bina aut ſeptena ex omni animalium genere individua. In eadem denique requievit poſt diluvium Arca, è qua egreſſa animalia,totum denuo Orbem terrarum impleverunt. Cùm autem America,quæ ob vaſtitatem ſuam meritò novus Orbis nuncupatur, tam vaſtis à veteri Orbe (qui Europam, Aſiam, & Africam complectitur) maribus ſit disjuncta; & multæ paſſim in Oceano Inſulæ reperiantur, haud exiguis ſpatiis à continenti diſſitæ; meritò quæri poteſt, quâ viâ, quibusvè modis tam homines,quàm animalia alia, quæ Orbem novum & Inſulas incolunt, ſeu ejusdem cum noſtratibus,

Digitized by Google

tibus, ſeu differentis ſpeciei, fuerint eò transgreſſa, aut translata. Quæſtio non eſt ab hoc loco, in quo primam animantium originem hactenus indagavimus, aliena, ideoque non omittenda.

§. I. Homines quomodo in novum Orbem devenerint.

EX uno homine Adamo, omne hominum genus factum, teſtatur Apoſtolus Paulus Actor. cap. 17. Cùm igitur Adamus, Mundi inquilinus primus, cum poſteris ſuis ante cataclyſmum univerſalem, ac poſt hunc Noë, Mundi reſtaurator, cum ſuis quoque poſteris, Aſiam primùm, ac deinde Africam atque Europam inhabitârint; ex his utique in novum migrârunt Orbem; ſeu hic ſit veteri alicubi conjunctus, ſeu ab eo penitus ſejunctus. *Homines quomodo in novum orbem devenerint.*

An porrò navibus eò delati fuerint homines, an itinere terreſtri; & ſi navibus, an certâ navigatione, aut caſu; diſcutiendum primùm eſt. Qua in re

Statuto I. Certum videri, antiquiſſimis etiam temporibus novum Orbem fuiſſe habitatum ab hominibus, & beſtiis. Fidem faciunt quæ ſubjungo ex variis Auctoribus. Juxta Callaum portum Limæ in Peru, cùm eviſceraret avaritia terram, inſecuta auri venam, navigium inventum eſt ſub ipſo monte, quod & à noſtris, & ab antiquorum hactenus famâ & ſcripturâ notis navigiis plurimùm diſſidebat, creditumque ab univerſis illuvie ibi fuiſſe humatum. Ejuſdem argumenti eſt inventio prodigioſi elephantici dentis juxta Mexicum, ſub editiſſimi meditullio collis; cùm tamen Occidentales Indiæ non ferant modò hanc beſtiam. Tum in novo Regno Granatæ, juxta civitatem, quæ appellatur *Nueſtra Senora de los remedios*, in quadam fodina profunda dolium integrum inventum, & ſella ex ligno incorruptibili, & alia ſupellectilia, ollæ, urcei. Similia aliàs quoque ſæpe inventa ſunt ſub terra, teſte *Petro Simone* apud *Nierembergium* lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 2. apud quem & *Petrus Mexia* teſtatur, ſub eminenti monte aliud repertum navigium; uti & non rarò oſſa gigantum. *Orbis novus fuit antiquiſſimis etiam temporibus habitatus.*

Tradùnt Auctores non ignobiles, teſte *Joſepho Acoſta* de Natura novi Orbis lib. 1. cap. XI. olim navim Carthaginenſium vi ventorum per Oceanum abreptam, in novam quandam regionem incurriſſe, moxque ad ſuos reverſam cognoſcendæ ejus regionis ſtudium Carthaginenſibus excitaſſe; verùm majorum decreto eam inveſtigationem eſſe cohibitam, nè novarum rerum occaſione Carthaginis gloria & celebritas fuſcaretur. Confirmat id *Ariſtoteles* in Admirandis (aut quisquis eorum eſt Auctor) his verbis: *Extra columnas Herculis ajunt in mari à Carthaginenſibus Inſulam fertilem deſertamque inventam, ut quæ tam ſilvarum copiâ, quàm fluminibus navigationi idoneis abundet, cum reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans à continente plurium dierum itinere: in qua cùm*

Cartha-

Digitized by Google

Carthaginenſes quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpiſſent, ferunt, Præſides, ne quis deinceps Inſulam ingrederetur, pœnâ capitis interdixiſſe, incolaſque ejeciſſe, ne coitione (ſi habitare iſtic pergerent) factâ, Inſulæ principatum conſequerentur, Carthaginenſes eâ felicitatis parte privarent. Hæc Ariſtoteles. Expreſſiùs novum orbem occidentalem, & propiùs attigiſſe videtur ante Ariſtotelem *Plato* in Timæo, ubi Critiam ita loquentem introducit. *Tunc pelagus illud* (loquitur de Oceano Atlantico inter Europam & Americam interjecto) *navigabile erat: inſulam enim ante oſtium habebat, quod vos columnas Herculis appellatis. At inſula illa & Libyâ* (id eſt, Africâ) *& Aſiâ ſimul major erat; ex qua aſcenſus ad alias inſulas tunc proficiſcentibus contingebat; ex inſulis autem in omnem ex adverſo Continentem, circum verum illum Pontum ſitam.* Hæc Plato. Quæ *Zarate* in ſua Hiſtoria apud Acoſtam loc. cit. cap. 12. ita exponit, ut Inſula quidem illa, Atlantis dicta, plurimam Oceani Atlantici partem olim occupârit; Inſulæ autem ad quas ex Atlantide aſcenſus contingebat, ſint illæ, quas nunc appellant Cubam, Hiſpaniolam, Jamaicam, aliiſque nominibus; ex his verò ad continentem itum, hoc eſt, ad Americam; verus autem Pontus, circum quem poſita ſit continens illa, ſit mare Auſtrale, vulgò nunc *Sur* appellatum.

Ophir an ſit novus Orbis.

Plurimi, iique graviſſimi Auctores aſſerunt, Ophiram, quam petebat Salomonis claſſis olim, indeque afferebat aurum, & ligna thyina, & gemmas pretioſiſſimas, ut Sacra Scriptura teſtatur *lib. 2. Paralipom. cap. 9. verſ. 10.* eſſe Inſulam aut regionem aliquam Americæ ſeu Indiæ occidentalis, hoc eſt, novi Orbis, de quo hîc diſputamus. His præivit Chriſtophorus Columbus, qui cùm in navigatione verſus novum Orbem reperiſſet Hiſpaniolam Inſulam, Ophiram ſe reperiſſe dictitabat, ut ab illo eodem ſæpius narrante ſe accepiſſe ſcribit *Petrus Martyr* lib. 1. ſuæ Oceanicæ Decadis. Hanc deinde opinionem primus animo & ſcripto concepit, atque vulgavit, *Franciſcus Vatablus*, qui 3. Regum 9. verſ. 28. & 3. Regum 22. v. 63. in eadem Inſula, ante ingreſſum regni Peru, conſtituit Ophir. Quanquam idem ipſe aſſerat, 2. Paralipom. 3. verſ. 7. Annot. 16. Ophir eſſe ipſum interius Peru, ſimulque Mexicum. Hanc ſententiam promovit deinceps *Poſtellus*, conſtituens Ophir tantùm in Peru; quem ſequitur *Goropius* in Hiſpanicis, *Arias Montanus* in Phaleg, *Genebrardus* in Chronologia Anno Mundi 1820. 3150. 5572. *Marinus Brixianus* in ſua Arca, *Joannes* Avenar. in Epher, *Antonius Poſſevinus* lib. 3. Biblioth. cap. 5. *Rodericus Jepes* in Hiſtoria pueri innocentis crucifixi, *Gregorius Garzia* lib. 4. de Indorum Occident. origine. Non diſplicet *Bozio* lib. 20. de Signis Eccleſiæ cap. 3. nec *Ortelio* in Theſauro, nec *Delrio* in Scholiis ad Medeam Senecæ Act. 2. nec *Pineda* lib. 6. de Rebus Salomonis cap. 14. num. 6.

Digitized by Google

tametſi olim Comment. in Job contrarium ſenſiſſet. Argumenta utriuſque ſententiæ vide apud eundem Pinedam. Ego nunquam hactenus adduci potui, ut huic ſententiæ aſſentirer, nec tamen omnino reprobo, ſed alium in locum meliùs examinandam rejicio.

Nierembergius lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 2. non dubitat, olim antiquiſſimis etiam temporibus novum Orbem veteri innotuiſſe, & illum hujus coloniam fuiſſe, *ſive Ophir filius Jectan, nepos Heber, illuc produxit imperium ex ultimis Orientis oris; ſive Hebræi decem tribuum illud exilium elegerunt, ut quidam huc torquent verba Eſdræ in quarto libro; ſive tribus Iſſachar, ut Petrus Simon trahit vaticinium Jacob; ſive Phœnices & Carthaginenſes invenerunt, &c. ſive incolæ Atlanticæ Inſulæ apud Platonem eas Provincias occuparunt; ſive Hiſpani, ut quibusdam placuit, primùm Heſperides Inſulas, deinde ulteriores plagas incoluerunt; ſive Tartari, ſive Sinæ, ut non paucorum exiſtimatio eſt; ſive Romani, cùm rerum, cùm Hiſpaniæ, cùm Mundi potiebantur: namque inter priſca Perüenſium Regum nomina, Titus & Paulus ab aliquibus agnoſcuntur.* Omitto alia, quæ in hanc rem congerit citato loco: ut & illa, quæ de adventu & prædicatione D. Thomæ Apoſtoli in aliquibus novi Orbis regionibus non improbabilibus argumentis prodit. Multa etiam & præclara habet de hac eadem re *Juſtus Lipſius* lib. 2. Philoſophiæ Stoicorum Diſſertat. 19. in quam, cùm hæc ſcripſiſſem, incidi.

Statuo II. Incertum videri, an temporibus antiquis certâ navigatione homines ex Orbe veteri in novum fuerint translati. Nam nullis indiciis, nullis idoneis teſtibus conſtat, antiquos ita fuiſſe Nauticæ peritos, ut vaſtiſſima maria trajicere certo ac deſtinato conſilio fuerint auſi: omnis enim maritima eorum peritia innitebatur ſiderum quorundam obſervationi, littorumque ac promontoriorum cognitioni: unde in medio mari vi tempeſtatis deprehenſi, ubi cœlum undique & undique pontus, non aliam dirigendi proram noverant rationem, quàm ex ſideribus, Sole, & Luna; aut ſi hæc omnia nubilo cœlo obducta erant, ex venti qualitate, ex itineris peracti conjecturis, ex ingenii dexteritate; qua dexteritate Taprobanæ Inſulæ, quam Sumatram hodie appellant, id conſecuti fuerant nautæ; ut *Plinio* teſte lib. 6. cap. 22. volucres ſecum veherent, & ſi quando à terra in altum abrepti forent, eas identidem emitterent, meatumque earum terras naturali inſtinctu petentium comitarentur. Quòd ſi magnetis uſum, aut aliam navium dirigendarum certiorem praxin ſciviſſent antiqui, ſaltem veſtigium aliquod in tot Scriptoribus, qui etiamnum extant, reperiretur. **Homines an navigarint antiquiſſimis temporibus in novum Orbem.**

Statuo III. Probabiliſſimum videri, primos homines in novum Orbem ex veteri delatos vi ventorum ac tempeſtatum. Nam frequentiſſimè olim, & etiamnunc hodie accidit, eos qui maria navigant, in longè alias, **Homines in novum Orbem delati vi tempeſtatum.**

Digitized by Google

quàm deſtinârunt animo, regiones invitos abripi. *Plinius* lib 2. cap. 67. narrat, in Sinu Arabico res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis agnita. Eodem teſte, Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranii in Conſulatu Collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli, Indos à Rege Sueonum dono datos, qui ex India commercii gratiâ navigantes, in Germaniam eſſent tempeſtatibus abrepti. Idem *Plinius* lib. 6. cap. 22. ſcribit, Annii Plocatii, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertum circa Arabiam navigantem, Aquilonibus raptum præter Carmaniam, decimo quinto die Hipparos portum Taprobanes invectum eſſe. Referunt quoque, teſte *Joſepho Acoſtâ* lib. 1. de Natura novi Orbis cap. 19. navem Africanam ex Mauritanico Oceano Aquilone raptam olim usque ad novi Orbis conſpectum perveniſſe. Certè ille ipſe, qui primus paulò ante initium decimi quinti poſt natum Chriſtum ſæculi Orbem novum conſpexit, & à quo primùm moriente veluti teſtamento hoſpes Chriſtophorus Columbus tantâ notitiâ remuneratus eſt, teſte *Acoſtâ*, loc. cit. naufragus fuit, vi tempeſtatum eò delatus. Nomen non prodit Acoſta, & latere dicit, ut DEO ſoli res tanta adſcribatur: at *Nierembergius* loc. cit. ait, dictum fuiſſe Alphonſum Sanchez de Huelva, ex Comitatu Nieblæ, ex oppido Huelva, ut Garcilaſſus ſcribit; licèt alii nominent aliter. Quâ ergo ratione hic in Americam, quâ alii in alias regiones delati, eâdem probabiliter antiqui homines in eandem devenêre Americam.

Americæ inventor primur fuit eò delatus vi tempeſtatis.

Statuo IV. Incertum prorſus eſſe, an primi novi Orbis habitatores itinere terreſtri fuerint eò delati. Tametſi enim *Joſephus Acoſta* lib. 1. de Natura novi Orbis cap. 20. probabiliſſimum putet, uti & *P. Athanaſius Kircherus* in Prodromo Copto cap. 4. aliique nonnulli, Americam alicubi Orbi veteri conjunctam; nulla tamen certa, imò nè ſatis quidem probabilia argumenta, in eam rem afferunt. Hanc tamen rem alibi fortaſſis accuratiùs diſcutiemus: nunc enim non lubet diutiùs immorari.

§. II. Bruta animantia quomodo in novum Orbem fuerint translata.

Animalia quomodo fuerint translata in novum Orbem.

D. *Auguſtinus* lib. 16. de Civit. cap. 7. quærit, *an omne beſtiarum genus etiam remotiſſima à terris Inſula ex eo numero acceperint, qui in arca diluvii inundatione ſervatus fuit, præſertim illarum beſtiarum, quæ ſub cura hominum non ſunt, nec ſicut ranæ naſcuntur è terra, ſed ſolà commixtione maris & fœminæ propagantur, ſicut lupi, & hujusmodi cætera.* Ad quam quæſtionem reſpondet, poſſe credi tranſiviſſe ad Inſulas natando, ſed proximas. Incredibile etiam non eſſe, ab hominibus eò translatas venandi ſtudio. Negandum quoque non eſſe, DEI juſſu, ſive permiſſu, operâ Angelo-

Digitized by Google

gelorum potuiſſe transferri. Tandem inſinuat, concedi poſſe, quòd è terra de novo exortæ fuerint ſecundùm originem primam, quando DEUS juſſit producere Terram prima animalia. Hac in re, ego

Statuo I. Probabile eſſe, prima animalia ante diluvium in novo Orbe fuiſſe, & in remotis Inſulis, à DEO producta. Non enim, ut vidimus ſupra cap. 10. bina ſolùm individua ex unoquoque genere in Aſia circa Paradiſum terreſtrem, ſed plura in variis regionibus fuerunt initio à DEO producta. **Animalia prima ante diluvium in America, fuerunt producta à DEO.**

Statuo II. Poſt diluvium aliqua fortaſſis illorum animalium, quæ in novo Orbe & Inſulis remotis reperiuntur, eâdem ratione, quâ homines, eò deveniſſe, nimirum navibus illuc delata, ſeu hæ ex deſtinato, ſeu ex tempeſtate in loca illa appulerint. Sicut enim noſtro & priori ſæculo multa ex utraque India & Africa in Europam deferuntur navibus, ita & primis poſt diluvium ſæculis potuerunt ex Orbe antiquo in novum deveni. Dixi *aliqua*; ut enim credam, omnia fuiſſe ab hominibus eò delata, adduci non poſſum: quis enim Annas, putidiſſima animalia (ut ſequenti libro videbimus) quis alia multa inutilia prorſus & noxia navibus impoſuiſſet, & ſecum devexiſſet? **Animalia aliqua poſt diluvium fuerunt in Americam delata ab hominibus.**

Statuo III. Probabiliſſimum mihi videri, animalia, quæ ex maris & fœminæ commixtione generantur, & non etiam ex materia putrida, quæque in arca Noëtica fuerunt, poſt diluvium fuiſſe ab Angelis in novum Orbem & Inſulas remotas delata. Moveor *primò*, quia nulla fuêre de novo ibidem aut producta à DEO, aut ab Angelis, aut à terra, ſponte progerminante, ut capite 17. videbimus; nec eſt probabile, totas illas & tam vaſtas regiones fuiſſe animalibus prorſus orbatas usque ad hominum adventum, caſu aut ex deſtinato navibus eò delatorum; nec potuerunt illuc ex Orbe veteri transgredi itinere terreſtri, cùm Orbis novus à veteri ſit probabiliter penitus ſejunctus; aut ſi fortaſſis alicubi conjunctus eſt, non eſt credibile, animalia bruta viam ex uno in alterum inveniſſe, quæ à tot millenis annis latet homines alibi, quàm prope conjunctionem illam (ſi quæ eſt) habitantes. Probabile etiam non eſt, natando fuiſſe eò transgreſſa, ob vaſtiſſima maria interjecta Ergo nihil ſupereſt, quàm ut ab Angelis illarum Regionum tutelaribus fuerint, DEO ordinante, illuc transportata. Moveor *ſecundò*, quia in novo Orbe, & Inſulis remotis, ſunt animalia quædam, quæ nullibi, quantum hactenus compertũ ſit, reperiuntur, & tamen fuêre introducta in Arcam Noë tempore diluvii, in qua conſtat fuiſſe ex omni animalium genere nonnulla individua: quâ ergo ratione fuerunt ante diluvium ex Regionibus illis in Aſiam, ubi Arca erat, tranſlata; eâdem fuêre utique poſt diluvium ex Aſia & Orbe vetere ad easdem Regiones reducta: at non fuerunt ab hominibus adducta, nec ſponte ſuâ aut **Aliqua etiam ab Angelis.**

quàm deſtinârunt animo, regiones invitos abripi. *Plinius* lib 2. cap. 67. narrat, in Sinu Arabico res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis agnita. Eodem teſte, Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranii in Conſulatu Collegæ, ſed tum Galliæ Proconſuli, Indos à Rege Sueonum dono datos, qui ex India commercii gratiâ navigantes, in Germaniam eſſent tempeſtatibus abrepti. Idem *Plinius* lib. 6. cap. 22. ſcribit, Annii Plocatii, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertum circa Arabiam navigantem, Aquilonibus raptum præter Carmaniam, decimo quinto die Hipparos portum Taprobanes invectum eſſe. Referunt quoque, teſte *Joſepho Acoſtâ* lib. 1. de Natura novi Orbis cap. 19. navem Africanam ex Mauritanico Oceano Aquilone raptam olim uſque ad novi Orbis conſpectum perveniſſe. Certè ille ipſe, qui primus paulò ante initium decimi quinti poſt natum Chriſtum ſæculi Orbem novum conſpexit, & à quo primùm moriente veluti teſtamento hoſpes Chriſtophorus Columbus tantâ notitiâ remuneratus eſt, teſte *Acoſtâ*, loc. cit. naufragus fuit, vi tempeſtatum eò delatus. Nomen non prodit Acoſta, & latere dicit, ut DEO ſoli res tanta adſcribatur: at *Nierembergius* loc. cit. ait, dictum fuiſſe Alphonſum Sanchez de Huelva, ex Comitatu Nieblæ, ex oppido Huelva, ut Garcilaſſus ſcribit; licèt alii nominent aliter. Quâ ergo ratione hic in Americam, quâ alii in alias regiones delati, eâdem probabiliter antiqui homines in eandem devenêre Americam.

Americæ inventor primus fuit eò delatus vi tempeſtatis.

Statuo IV. Incertum prorſus eſſe, an primi novi Orbis habitatores itinere terreſtri fuerint eò delati. Tametſi enim *Joſephus Acoſta* lib. 1. de Natura novi Orbis cap. 20. probabiliſſimum putet, uti & *P. Athanaſius Kircherus* in Prodromo Copto cap. 4. aliique nonnulli, Americam alicubi Orbi veteri conjunctam; nulla tamen certa, imò nè ſatis quidem probabilia argumenta, in eam rem afferunt. Hanc tamen rem alibi fortaſſis accuratiùs diſcutiemus: nunc enim non lubet diutiùs immorari.

§. II. Bruta animantia quomodo in novum Orbem fuerint translata.

Animalia quomodo fuerint translata in novum Orbem.

D. *Auguſtinus* lib. 16. de Civit. cap. 7. quærit, *an omne beſtiarum genus etiam remotiſſima à terris Inſula ex eo numero acceperint, qui in arca diluvii inundatione ſervatus fuit, præſertim illarum beſtiarum, quæ ſub cura hominum non ſunt, nec ſicut ranæ naſcuntur è terra, ſed ſolâ commixtione maris & fœminæ propagantur, ſicut lupi, & hujusmodi cætera.* Ad quam quæſtionem reſpondet, poſſe credi tranſiviſſe ad Inſulas natando, ſed proximas. Incredibile etiam non eſſe, ab hominibus eò translatas venandi ſtudio. Negandum quoque non eſſe, DEI juſſu, ſive permiſſu, operâ Angelo-

gelorum potuiſſe transferri. Tandem inſinuat, concedi poſſe, quòd è terra de novo exortæ fuerint ſecundùm originem primam, quando DEUS juſſit producere Terram prima animalia. Hac in re, ego

Statuo I. Probabile eſſe, prima animalia ante diluvium in novo Orbe fuiſſe, & in remotis Inſulis, à DEO producta. Non enim, ut vidimus ſuprà cap. 10. bina ſolùm individua ex unoquoque genere in Aſia circa Paradiſum terreſtrem, ſed plura in variis regionibus fuerunt initio à DEO producta. Animalia prima ante diluvium in America, fuerunt producta à DEO.

Statuo II. Poſt diluvium aliqua fortaſſis illorum animalium, quæ in novo Orbe & Inſulis remotis reperiuntur, eâdem ratione, quâ homines, eò deveniſſe, nimirum navibus illuc delata, ſeu hæ ex deſtinato, ſeu ex tempeſtate in loca illa appulerint. Sicut enim noſtro & priori ſæculo multa ex utraque India & Africa in Europam deferuntur navibus, ita & primis poſt diluvium ſæculis potuerunt ex Orbe antiquo in novum deveni. Dixi *aliqua*; ut enim credam, omnia fuiſſe ab hominibus eò delata, adduci non poſſum: quis enim Annas, putidiſſima animalia (ut ſequenti libro videbimus) quis alia multa inutilia prorſus & noxia navibus impoſuiſſet, & ſecum devexiſſet? Animalia aliqua poſt diluvium fuerunt in Americam delata ab hominibus.

Statuo III. Probabiliſſimum mihi videri, animalia, quæ ex maris & fœminæ commixtione generantur, & non etiam ex materia putrida, quæque in arca Noëtica fuerunt, poſt diluvium fuiſſe ab Angelis in novum Orbem & Inſulas remotas delata. Moveor *primò*, quia nulla fuêre de novo ibidem aut producta à DEO, aut ab Angelis, aut à terra, ſponte progerminante, ut capite 17. videbimus; nec eſt probabile, totas illas & tam vaſtas regiones fuiſſe animalibus prorſus orbatas usque ad hominum adventum, caſu aut ex deſtinato navibus eò delatorum; nec potuerunt illuc ex Orbe veteri transgredi itinere terreſtri, cùm Orbis novus à veteri ſit probabiliter penitus ſejunctus; aut ſi fortaſſis alicubi conjunctus eſt, non eſt credibile, animalia bruta viam ex uno in alterum inveniſſe, quæ à tot millenis annis latet homines alibi, quàm prope conjunctionem illam (ſi quæ eſt) habitantes. Probabile etiam non eſt, natando fuiſſe eò transgreſſa, ob vaſtiſſima maria interjecta Ergo nihil ſupereſt, quàm ut ab Angelis illarum Regionum tutelaribus fuerint, DEO ordinante, illuc transportata. Moveor *ſecundò*, quia in novo Orbe, & Inſulis remotis, ſunt animalia quædam, quæ nullibi, quantum hactenus compertũ ſit, reperiuntur, & tamen fuêre introducta in Arcam Noë tempore diluvii, in qua conſtat fuiſſe ex omni animalium genere nonnulla individua: quâ ergo ratione fuerunt ante diluvium ex Regionibus illis in Aſiam, ubi Arca erat, translata; eâdem fuêre utique poſt diluvium ex Aſia & Orbe vetere ad easdem Regiones reducta: at non fuerunt ab hominibus adducta, nec ſponte ſuâ aut per Aliqua etiam ab Angelis.

Digitized by Google

per maria, aut per terram viâ hominibus incognitâ adducta, ſed ab Angelis, ut recepta Sacræ Scripturæ Interpretum eſt ſententia (ut alibi oſtendemus;) ergo per Angelos; ergo &c. Hæc nunc occurrunt rationes.

CAPUT XVI.

Quomodo aves in novum Orbem devenerint.

Aves quomodo devenerint in novum Orbem.

MInor eſt difficultas circa aves, quàm circa quadrupedes: præter enim viam, quam pro his adſignavimus, habent & ſuam peculiarem per aëra, quadrupedibus naturaliter occluſam. Credibile ergo eſt, præter illas aves, quæ viâ aliis animalibus perviâ eò pervenêre, alias etiam volando illuc delatas. Plures enim admodum pertinaces ſunt volando, & induſtriæ. *Grues* (inquit Euſebius Nierembergius lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 1.) *Ponticum mare pervolant. Viſa navigantibus multa volucres ultra ducenteſimam è terra leucam. Olores in ſuis peregrinationibus ad remedium laſſitudinis colla imponunt præcedentibus, feſſos duces ad terga recipiunt. Pater Dominicus de S. Nicolao è navigatione Luſitanica ſcribit, aves toto mari paſſim vidiſſe, atq; omnes tam pertinaci volatu, ut mirum ſit, corpus ex elementis conflatum tam aſſiduo poſſe verſari in labore. De quodam genere (Alcatraces vocant) ajunt, nè noctu quidem à volando ceſſare, ſed efferre ſe admodum in altum, tum collo ſub alteram alam reducto, alterâ expanſâ, permittere ſe ventis, donec ſuopte pondere ad hæc citima delabatur: id ubi ſenſerit, excitari, ac rurſus ætheris alta repetere, ſicq; noctem ſubeundo ac deſcendendo tranſigere, neq; aliter quàm laborando quieſcere. Hirundo, neſcio unde defeciſſet, ducentas circiter leucas circumvolitavit Capitaneam* navim; *nec quo liquore, nec quo pabulo viveret, ſatis ſciri potuit. Cæterùm coturnices in pelago diverſoria inveniunt periculo navigantium: inſidentes enim velis, & hoc noctu, merſère ſæpe navigia. Quin in mari intemerato ratibus, in ipſa aqua, putavit Acoſta conſidere poſſe adhuc ſubmerſas. Equidem ſcio, juxta Ariſtotelis ſententiam, aves patientes Spiritus, & ſub aquas non difficulter ſuſtinere; tum per proximas Inſulas recreabuntur, iteratura viam. Garcilaſſus Inca ſcribit, ſe vidiſſe tot aves in mari Sur, ut uſq; duas leucas occuparent viſum, denſo grege; quaſdam quieſcere in aquis, quaſdam reparatas ex aquis aſſurgere.* Hactenus eleganter Nierembergius.

Aves diuturni volatus.

Aquilam, accipitrem, ardeam, aliaſque volucres ſupra nubes quandoque volare, conſtat; quidni & maria tranſvolent? quidni ſaltem ad inſulas à continente abruptas? Ciconias & hirundines annis ſingulis mari tranſmiſſo mutare ſtationes, exiſtimant multi; quod infrà examinabimus. Turtures ex Africæ littoribus venientes vidit ſæpe in puppi navis *Joſephus Acoſta*, cùm ex Hiſpania in Americam navigaret, ut ipſe teſtatur

lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. de Natura novi Orbis cap. 20. Grues, de quibus paulò antè, quàm celeriter volent, patet exemplo Regis Cyri, qui per intervalla locorum tabellarios ita diſpoſuiſſe legitur, ut fatigatis recentes, & nocturni diurnis ſuccederent, quo volantes ſuperarent. Milvus tam altè volat, ut ſe humanorum oculorum aciei eripiat; tam latè, ut avis nulla tam ampla aëris emetiatur ſpatia. Si verum eſt, avem paradiſiacam pedibus carere, ac ſemper in aëre degere; abſonum non erit credere, poſſe maria volando tranare. Plura exempla dabimus infrà lib. 9.

Tametſi autem demus, nonnullas aves vaſtum emenſas Oceanum, è veteri in novum transmeaſſe volatu Orbem, omnibus tamen hæc via non patuit; nam & ſtruthiocameli, & gallinæ, aliæque breviſſimi volatus aves in illo reperiuntur. Aliis ergo viis eò devenerunt, iiſdem nimirum, quibus homines, & animalia cætera.

CAPUT XVII.

An terra produxerit aliquando, aut producere queat, aliqua animalia grandiora.

S. *Auguſtinus*, ut vidimus capite 15. §. 2. non abhorret ab affirmante ſententia, dum reſpondet ad quæſtionem, an omne beſtiarum genus, etiam remotiſſimæ à terris Inſulæ ex eo numero acceperint, qui in Arca diluvii inundatione ſervatus eſt. Poſtquàm enim dixiſſet, poſſe credi, ad Inſulas proximas natando tranſiviſſe, & etiam ab hominibus eò deportatas; ſubjungit: *Si verò è terra exorta ſunt ſecundùm originem primam, quando dixit DEUS, Producat terra animam viventem; multò clariùs apparet, non tam reparandorum animalium causâ, quàm figurandarum variarum gentium propter Eccleſiæ Sacramentum in Arca fuiſſe omnia genera, ſi in Inſulis, quò tranſire non poſſint, multa animalia terra produxit.* Putat igitur, dici poſſe, tametſi beſtiæ ex Inſulis fuerint in Arcam introductæ, hoc non ideo contigiſſe, ut ſervaretur ſpecies in Arca, cùm, etiamſi omnes periiſſent in diluvio, potuerint è terra iterum reproduci; ſed factum id eſſe ad ſignificandum, ex omnibus gentibus homines ad Eccleſiam vocandos. Hæc ſententia ſi vera eſſet, non multùm foret indagandum, quomodo animalia poſt diluvium ad novum Orbem devenerint. Hîc ergo examinanda eſt.

Terra an produxerit, aut producere poſſit animalia.

§. I. Referuntur varia exempla in hanc rem.

FAvent *primò* huic opinioni immanes quædam beſtiæ, diverſis temporibus diverſis in regionibus viſæ; quæ cùm ex maris & fœminæ commiſtione ortæ non fuerint (ſolæ enim & ſolitariæ fuerunt, & aliæ ſimiles

Animaliū ex terra productorum varia exempla.

Digitized by Google

nuſpiam apparuerunt) ex terra, aliavè materia originem traxiſſe neceſſe fuit. Talis fuit draco ille miræ magnitudinis, *Boas* dictus, quem S. Hilarion prope Epidaurum Dalmatiæ interemit, teſte *S. Hieronymo* in Vita Hilarionis cap. 133. ubi ait: *Duxit itaq; illum ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, ubi paucis diebus in vicino agello manſitans, non potuit abſcondi. Siquidem draco miræ magnitudinis, ex his quos gentili ſermone* Boas *vocant, eò quòd tam grandes ſint, ut boves glutire ſoleant, omnem latè vaſtabat provinciam, & non ſolùm armenta & pecudes, ſed agricolas quoq; & paſtores tractos ad ſe vi ſpiritus, abſorbebat. Cui cùm pyram juſſiſſet preparari, & oratione ad Chriſtum miſſâ, evocato præcepiſſet ſtruem lignorum ſcandere; ignem ſuppoſuit. Tum itaq; cunctâ ſpectante plebe, immanem beſtiam concremavit.* Hæc Hieronymus. De hujusmodi beſtiis ita ſcribit *Iſidorus* lib. 12. Orig. c. 4. *Boas anguis Italiæ immensâ mole, perſequitur greges armentorum, & bubulos, & plurimo lacte irriguis uberibus ſe innectit, & ſugens interimit: atque inde à boum populatione Boas nomen accepit.* Quæ adumbrata ſunt partim ex *Solino* cap. 8. Polyhiſtoris, partim ex *Plinio* lib 8. Natur. Hiſtor. cap. 14. ut benè etiam advertit *Rosvveidus* in Notis ad Vitam Hilarionis citatam. Verba Solini hæc ſunt. *Calabria chelydris frequentiſſima eſt, & Boam gignit, quem anguem ad immenſam molem ferunt convaleſcere. Captat primò greges bubulos; & ſi qua plurimo lacte rigua bos eſt, ejus ſe uberibus innectit, ſuctuq; continuo ſaginata, longo ſæculo ita ſellebri ſatietate ultimò exuberatur, ut obſiſtere magnitudini ejus nulla vis queat. Poſtremò depopulatis animantibus, regiones quas obſederit, ad vaſtitatem cogit. Divo Claudio principe, in loco ubi Vaticanus ager eſt, in alvo occiſæ Boæ ſpectatus eſt ſolidus infans.* Eadem breviùs antea ſcripſerat *Plinius* loc. cit. dicens. *Faciunt his fidem in Italia appellatæ Boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, ut D. Claudio principe occiſæ in Vaticano ſolidus in alvo ſpectatus ſit infans. Aluntur primò bubuli lactis ſuctu, unde nomen traxêre.*

Boas draco miræ magnitudinis.

Similes huic aliæ belluæ in aliis locis non rarò apparuerunt. Talis fuit bellua, quam fugavit divinus vir Paulus Leonenſis, Præſul in Armorica; & ſerpens ille terribilis à S. Sampſone coram Childerico Rege ablegatus; & immanis ille coluber, ſolerti aſtu, & ſummâ animi magnitudine, à fortiſſimo equite Theodato Gezone occiſus apud Rhodios; & alia ſtupendæ molis beſtia, centum & viginti pedes longa, baliſtis ac tormentis bellicis à Regulo quodam in Africa expugnata, cujus pellem & mandibulam ad miraculi fidem Romam attulit. Harum belluarum hiſtorias infrà fortaſſis, cùm de ſerpentibus agetur, referemus. Talis fuit etiam Draco Bononienſis bipes, inventus prope Bononiam anno 1512. duorum cubitorum longitudinis, quem ad vivum depingit, & exactiſſimè deſcribit *Aldrovandus* lib. 2. de Serpentibus c. 5.

Favent

Digitized by Google

Favent *ſecundò* huic opinioni variæ hiſtoriæ, quas in præcedentibus libris recitavimus de hominibus marinis, variiſque inuſitatarum formarum ac magnitudinũ monſtris. Favet & experientia quotidiana in avibus Britannicis, quas Berniclas, aut Bernichias alii, alii Brantas appellant, (quarum hiſtoriam libro nono ſequenti accuratè diſcutiemus) natis ex malorum nauticorum fragmentis putrefactis, aliiſq; materiis, ut aliqui putant.

§. II. Refertur ſententia affirmans.

AFfirmans ſententia, poſſe omnia animalia, etiam perfectiſſima produci è terra, tribuitur ab *Aldrovando* loco paulò antè citato nonnullis Aſtrologis, aſſeverantibus animantes etiam ex ſemine generari ſolitas, vi aſtrorum in ſublunaria agentium, ex terra quoq; produci poſſe, cùm hæc inferiora, pro varia rerum generatione, ab aſtris indies præparentur. Eandem ſententiam *Avicennæ* tribuunt *Averroës, Petrus Apponenſis*, & *Albertus Magnus*; ſed & hunc ultimum probaſſe Avicennicum dogma, notârunt *Soncinas*, & *Fonſeca*. Sequitur & *Cæſalpinus*, qui Ariſtotelem quoque in ſuum ſenſum trahere conatur. Animalia ſponte è terra naſci, aliqui affirmant.

Rationibus eandem muniunt, in hunc ferè modum. *Primò*. Cùm ſpecies rerum ſint æternæ, ſi caſu aliquo perirent omnia individua alicujus ſpeciei animalium, Natura debet habere modum & induſtriam reparandi illam ſpeciem, & nova parturiendi individua; ergo non tantùm ex ſemine, ſed etiam ſine ſemine ex aliis materiis poterit illa producere. *Secundò*. Videmus multa à ſemine orta, ſponte quoque gigni ex aliis materiis: nam ſerpentes naſcuntur ex capillis muliebribus, è crinibus caudarum equinarum deciduis in aquam, aliiſque è rebus; in Tirynthe ſerpentes parvos è terra naſci proditur, teſte *Plinio* lib. 9. Natur. Hiſtor. cap. 59. Scorpiones è planta ocymo in ſinu hominis, aut in terra putrefacta; aves Britannicæ, paulò antè commemoratæ, ex putreſcentibus navium lignis; ranæ in cavitatibus ſaxorum, & in terræ penetralibus, maximè in Gallia prope Toloſam, ubi frequenter in ſaxo arenario rubro, maculis diſtincto, reperiuntur; dactyli marini intra dura ſaxa prope Anconam; fœtus diverſorum animalium ex putredine poſt inundationem Nili; anguillæ ex putrilagine lacuum, & ex cadaveribus animalium in lacum projectis. Suprà etiam retulimus, duos canes intra lapideas cavitates repertos. Alia exempla paſſim occurrunt. Plura etiam dabimus capite ſequenti. *Tertiò*. Initio Mundi omnia animalia ex terra prodiverunt; cur ergo nunc non poſſint ex eadem prodire? Animalia varia ſine ſemine nata.

§. III. Statuitur ſententia negans.

SEd his omnibus non obſtantibus, communis Philoſophorum ſenſus eſt, nec terram, nec elementum aliud, nec quamvis materiam putridam, Animalia ſponte è terra naſci, negatur.

Imò

imò nec cœlum, nec aſtra, produxiſſe unquam, aut producere poſſe, ſine præjacente ſemine & ſeminali virtute, animalia ulla perfecta & grandiora. Rationem à poſteriori adſignant, quòd nullam unquam hujus rei experientiam videamus; inde enim colligimus non ineptè, virtutem illam dictis rebus à DEO & Natura denegatam eſſe. Rationibus ergo & exemplis allatis reſpondendum eſt.

Ad primum itaque præcedentis §. *argumentum Reſpondeo*, eſſe quidem ſpecies rerum æternas, ſed ad divinam providentiam pertinere, atque ad Angelos divinæ providentiæ miniſtros, & cuique rerum ſpeciei à DEO præpoſitos (ut communis fert Theologorum noſtrorum opinio) earum incolumitati ac perpetuitati invigilare, nec permittere, ut omnia individua intereant. Non ergo terræ, alterivè elemento, aut materiæ putrefactæ id munus delegandum fuit, ut ſpecies animalium aut propagarent, aut reſtaurarent; alioquin & in humanam ſpeciem idem ſibi arrogarent dominium, cùm non minùs perpetua ſit, nec minoribus periculis homines, quàm animalia cætera, ſint ſubjecti: quis autem dicat, humum ex ſe producere poſſe hominem?

Ad ſecundum Reſpondeo, omnia illa animalcula, quæ ex variis materiis produci videmus, imperfecta ſunt, & puſilla. De canibus illis quid ſentiam, ſuprà inſinuavi.

Ad tertium Reſpondeo, ortum primorum animalium initio Mundi ex terra & aqua, non fuiſſe naturalem, ſed divinâ virtute, præter naturæ exigentiam, contigiſſe, ut ex dictis ſuprà patet.

Ad exempla §. 1. relata Reſpondeo, beſtias illas, ſive monſtroſæ fuerint, ſive non, naturali viâ ortas fuiſſe ex aliis beſtiis, cùm de contrario nihil conſtet, nec conſtare poſſit. Quòd autem in tantam molem & immanitatem aliquæ excreverint, fortaſſis non ſine ſingulari DEI ordinatione contigit, ut illis tanquam miniſtris ad hominum ſcelera ulciſcenda uteretur.

De avibus Britannicis quid ſentiam, infrà ſuo loco, cùm de avibus agetur, aperiam. Multa plantarum animalia generantium exempla ex variis Auctoribus referemus capite ſequenti.

CAPUT XVIII.

An, & quæ animalia generentur ex putrefactione, ex aliis animalibus, ex plantis, &c.

QUotidianâ cõnſtat experientiâ, quamplurima animalia paſſim ex putrefactione naſci. Exempla aliqua hoc capite colligemus, ut conſtet,

Digitized by Google

ſtet, verum eſſe quod ſuperiori capite diximus, perfectum animal nullum unquam aliter quàm ex ſemine naſci ſolere.

§. I. Animalia ex putrefactione.

Diodorus Siculus tradit (ut capite præcedenti etiam inſinuavimus) cùm Nili ceſſat inundatio in Ægypto, calefaciente Sole humum ab aqua madefactam ac limoſam, variis in locis juxta Thebaidem ex terræ hiatibus oriri murium multitudinem, magno hominum ſtupore, cùm videant anteriorem usque ad pectus & priores pedes partem animatam moveri, poſteriori nondum inchoatâ, ſed informi. Idem aſſerit *Plinius* lib. 9. Natur. Hiſtor. cap. 58. dicens. *Verùm omnibus his fidem Nili inundatio affert, omnia excedentem miracula: quippe detergente eo, muſculi reperiuntur inchoato opere genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, noviſſimâ effigie etiamnum terrenâ.* Nec ex Nili ſolùm aqua, ſed ex pluvia quoque ibidem naſci, teſtatur *Ælianus* lib. 6. de Animal. cap. 41. *Primùm ut in Ægypto pluit perparvulis guttis, mures naſci ſolent, qui longè lateq; totis arvis vagantes, maximâ calamitate ex ſpicarum circumroſione & ſucciſione ſegetes afficiunt, &c. Avicenna* mures ex imbre ortos, per coitum mirè excreſcere dicit: & ex putri materia, quæ in navibus reperitur, copioſiſſimè mures produci, eosq; coëundo alios generare. Animalia ex putrefactione nata. Mures ex putrefactione orti.

Ranas ex putri pulvere & imbre naſci, notum eſt omnibus: naſcuntur enim paſſim conſperſis tantùm æſtivo imbre littorum, & itinerum pulverulentis arenis, ut ipſemet non ſemel vidi. *Autoriatæ Indi pluribus ranis inchoatis & imperfectis, de cœlo lapſis, in alium locum demigrare coacti ſunt*, ut ſcribit *Ælianus* lib. 17. de Animal. cap. 41. Idem lib. 2. cap. 56. ait: *Memini etiam ego, in itinere ex Neapoli Italica Dicaarchiam verſus ranis pluiſſe, quarum anterior pars binis innixa pedibus repebat, poſterior adhuc informis, & tanquam è cœno humido coalita trahebatur.* Quod & hîc ſe vidiſſe Vir fide dignus, pauló antè quàm hæc ſcriberem, narravit. Verè ergo de iisdem ranis ſcribit *Ovidius*. Ranæ ex putrefactione ortæ.

Et eodem corpore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Nec ſolùm ex pulvere pluviali aquâ conſperſo naſcuntur, ſed cum ipſa ſubinde pluvia decidunt, in nubibus generatæ. Teſtes habeo oculatos, viros fide digniſſimos; imò & oculos meos. Apud *Athenæum* lib. 8. Dipnoſoph. cap. 2. teſtatur Philarchus, quosdam vidiſſe quòd ranis pluerit. Idem Athenæus ex Heraclide Lembo hæc ſcribit cit. cap. *Heraclides igitur Lembus lib. 21. Hiſtoriar. ranis, ait, Deus pluit circa Pæoniam & Dardaniam, quarum tanta fuit multitudo, ut domus ac viæ omnes implerentur. Primis igitur diebus domus claudentes, easq; occidentes, non ægrè admodum tulerunt: Ve-* Ranæ cum pluvia è nubibus lapſæ.

rum ubi nihil proficiebant, ſed omnia vaſa implebantur, unàq; cum cibis aſſata & lixata ranæ inveniebantur, nec aquis inſuper uti licebat, aut pedes in terram ponere, quia ubique cumulabantur; ob mortuarum fœtorem perturbati, de regione tandem aufugere decreverunt.

Bufones ex putredine nati.

Rubetam ex putredine & corruptione naſci, extra dubium eſt. Eſt in Darienſi novi Orbis provincia vicus adeò à natura ſoli peſtifer, quòd cœnoſis paludibus eſt ſeptus, ut ex guttis aquæ, quâ domûs pavimenta irrigant, illicò bufones gignantur, teſte *Petro Martyre* Decade 3. lib. 6. Ex mulierum ſanguine menſtruo putrefacto eosdem naſci, veriſimile eſt; nam mulieres unà cum fœtu ſubinde illas effundunt, ut teſtatur *Cœlius Rhodiginus*, *Platearius*, & alii. Mulierem quandam recens nuptam, cùm omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus quatuor animalia ranis ſimilia peperiſſe, teſtatur *Porta* lib. 2. Magiæ cap. 2. De piſcibus ex putrefactione genitis, alibi fortaſſis dicetur.

Culices ex putrefactione nati.

Drepani in Sicilia, aliquibus in plateis, maximè in una Collegii noſtri parte, ex putrefactis aquis tanta naſcitur culicum copia, ut circa veſperum, dum ex libero aëre in loca tecta ſe recipiunt, cubicula repleantur; nec ullam dormientibus quietem permittunt, quorum facies, & manus, & brachia, & ſi quam etiam corporis partem detectam deprehendunt, fœdè puncturis innumerabilibus deturpant. Qui lanienam illam vitare cupiunt, ſtrophiolo faciem obvolvunt totam, ſolo circa naſum ſpiraculo relicto. Anno integro hac me induſtriâ contra eorum morſus defendere fui coactus: ſive enim flagello, ſive igne, ſive alio modo expellantur, antequam cubitum concedas; redeunt, per rimas minimas feneſtrarum ac januarum penetrantes. Simili infeſtatione ſubjectum eſt Collegium noſtrum Melitenſe.

§. II. Animalia ex animalibus corruptis.

Animalia ex animalibus corruptis nata.

EX humanis carnibus, & præſertim medulla, ſerpentes generari, eſt omnibus in confeſſo, inquit *Porta* loc. cit. *Hominis mortui ſpina medullam putreſcentem in ſerpentem converti ajunt*, teſte *Æliano* lib. 1. de Animal. cap. 51. *Anguem ex medulla hominis ſpina gigni, accepimus à multis*, inquit *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 66. Sub fimo putrefactâ anate bufonem generari, teſtantur verſus apud *Portam* loc. cit.

Bufones gigno putridâ tellure ſepulta,
Humores pluvii fortè quòd ambo ſumus.

Paracelſus, eodem Portâ teſte, ex ſerpente in plura fruſta ſecato, & vitreo vaſe ſub fimo poſito, quàm plurimos vermes generari dixit, qui ſub fimo educati, nutritique, quilibet magnitudine ſerpentem exæquent. Apes ex bove naſci, veſpas ex equo, ex mulis fucos, ſcarabæos ex aſinis, decanta-

Digitized by Google

cantatum apud omnes eſt. Auctores recitat *Porta* loc. cit. & aſſerit *Plinius* lib. 11. Hiſtor. Natur. cap. 20.

§. III. Animalia ex plantis.

Animalia ex plantis nata.

CHriſtophorus Borrus in ſua arte navigationis meminit quarundam quaſi radicum in mari prope oram Angolæ. Has ait *Nierembergius* lib. 3. Hiſtor. Natur. c. 5. inſtar arundinum inanes eſſe, *niſi quòd intus generetur genus vermiculorum, qui inſerti & continui ſunt ipſi plantæ.* Eodem teſte narrat *Acoſta*, mures & vermes natos ex arundinibus in nova Hiſpania. *Porta* lib. 2. Magiæ cap. 4. refert ex Ariſtotele, anguillas in mari, quâ algæ ſunt, ſponte naſci: & ipſe novit amicum, *qui ligneis vaſis aquâ plenis, algis, & quibusdam fluminum herbis immiſſis, & lapidis pondere oppreſſis ſub dio, paucis diebus anguillas generabat.* Cardanus lib. 9. de Subtilit. qui eſt de Animalibus ex putredine genitis, ait, non ſecus è foliis mori bombyces in calidiore cœlo, quàm ex bobus apes naſci. *Plinius* lib. 13. Natur. Hiſtor. cap. 6. docet, terebinthum ferre folliculos emittentes quædam animalia ceu culices. *Idem lib. 18.* cap. 17. ait, naſci vermiculos in radice frumenti, cùm ſementem imbribus ſecutis incluſerit repentinus calor. Gigni & in grano, cùm ſpicæ pluviis calor inferveſcit. Idem lib. 11. cap. 35. *Ficarios culices*, inquit, *caprificus generat: canthärides vermiculi ficorum & pyni, & peuces, & cynacantha, & roſa.* Alibi adjicit, & coſſes nuncupatos vermiculos in lignis exoriri, laricemque teredines procreare. *Theophraſto* autem culices è caprifico, & è ficu prodeunt, & ex polio; beſtiolæque aliæ ex ulmi foliis. *Dioſcoridi* ex oleribus erucæ gignuntur. *Ariſtoteli* ex virentibus foliis, & ex pineis frondibus, quæ cantharides nuncupantur. In ligno animalium minimum gignitur, acari nomine. *Scaliger* aſſerit, vermiculos enaſci è medulla cardui follonii, è nucibus, è foliis lentiſci. E roſarum ſpongiis, ac ferè ex omni ſtirpe animalia quædam ſponte producuntur. Vermem in ſua quemque naſci arbore, proverbium eſt apud Germanos noſtros. Omitto innumera alia, quæ afferre poſſem.

CAPUT XIX.

An animalia bruta habeant aliquem discurſum, indifferentiam ac libertatem, atq; adeò mentem.

DISSERTATIO HISTORICO-PHYSICA.

Bruta animalia an mente, dis-

DIgnum hoc eſt Curioſæ Phyſicæ argumentum, ideoq; non negligenter pertractandum: agitur enim de gloria mentis, & honore ratio-nis

Digitized by Google

curſu, & libertate ſint prædita.

nis ſeu intellectus, adeoque diſcurſus ac libertatis; quæriturque an hæ dotes ita ſint à DEO conceſſæ hominibus, ut negatæ penitus ſint cæteris animantibus. Ad duo capita Diſſertationem totam reducam: in primo, affirmantis ſententiæ Auctores & argumenta proferam; in ſecundo, negantis.

PARS I.

DISSERTATIONIS.

Qui Auctores, & quibus argumentis tribuant brutis mentem.

NEc pauci, nec de trivio ſunt, qui mentem tribuunt brutis: Argumenta talia, quæ cordatos etiam Philoſophos ſi non convincant, titubare faciant, atque inclinent.

§. I. Auctores qui mentem tribuunt brutis, aut tribuere videntur.

Brutis animantibus quinam tribuant mentem.

PLutarchus lib. 5. de Placitis Philoſophorum cap. 20. enumerat Anaxagoram, Pythagoram, Platonem, & Diogenem. *Anaxagoras exiſtimat* (inquit Plutarchus) *animalia omnia rationem habere duntaxat activam: nam paſſivam rationem, & tanquam mentem, quamq; mentis interpretem dicunt, nequiquam habere. Pythagoras, Plato, rationales animas eſſe vel earum animantium, quæ irrationales vocentur, tametſi rationabiliter non agentes, cùm propter diſtemperantiam corporum, tum verò quòd diſſerendi facultate careant, ut in ſimiis cernere eſt, & in canibus: blaterare enim has animantes, non loqui. Diogenes has etiam intelligentia mentisq; participes; verùm quòd earum partim compactiliores ſint, partim humore redundantes, nec animadvertere, nec ſentire; perinde autem atque furentes affici, anima principatu hallucinante.* Hæc Plutarchus. Platonis ſententiam amplectuntur, aut amplecti debent, quotquot metempſychoſin admittunt; quales ſunt, poſt Platonicos multos, Brachmanes Indorum Philoſophi, qui in hodiernum adhuc diem animarum transmigrationem credunt. Indiæ quoque Occidentalis populorum aliquorum opinio & vox communis eſt, ſimios ac cercopithecos, qui magno ibi numero reperiuntur, ſummâ aſtutiâ & calliditate præditi, ut libro ſequenti videbimus, pollere intellectu, & loqui poſſe, ſed nolle, nè ab Hiſpanis ad operas & laborem compellantur.

Plutarchus inter Opuſcula ſua duo conſcripſit, quorum unius argumentum eſt, *quòd bruta animalia ratione utantur*; alterius verò, *utra animantium plùs rationis habeant, terreſtriane, an aquatica.* In utroque mentem tribuit brutis. Eadem opinio *Gnoſticis* adſcribitur. *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſtor.

Digitized by Google

Hiſtor. animal. cap. 46. ait, elephantem eſſe omnium ferarum mitiſſimum, & placidiſſimum, *quippe qui permulta officia & erudiatur, & intelligat; quando etiam regem adorare condiſcit. Valet ſenſu, & reliquâ ſagacitate excellit.* Idem eodem libro cap. 1. ait: *Habere enim vim quandam naturalem animantes in quavis animi affectione videntur, hoc eſt, prudentia, ſtultitia, fortitudine, ignavia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis ejuſdem. In nonnullis etiam commune aliquid diſciplinæ eruditionisq́ habetur.* Similia multa de quibusdam animalibus in particulari habet ſequentibus capitibus, deprædicans eorum prudentiam & ſagacitatem. Ex his videri queat, Ariſtotelem tribuere brutis mentem & intellectum. Certum tamen eſt, eum non eſſe hujus opinionis, ſed contrariæ. *Cicero* lib. 3. de Natura Deor. ait, elephanto belluarum nullam eſſe prudentiorem. Et Epiſtolâ ad Marium, eſſe ipſi quandam cum genere humano ſocietatem. Strabo lib. 15. eum adſidere animali ratione prædito. *Philoſtratus* lib. 2. de Vita Apollonii, collocat eum proximum ab homine prudentiâ & conſilio. *Plinius* omnium maximè laudans atque extollens elephantis dotes, lib. 8. cap. 1. ita ſcribit. Animalium *maximum eſt elephas proximumq́ humanis ſenſibus: quippe intellectus illis ſermonis patrii; & imperiorum obedientia; officiorumque, quæ didicêre, memoria; amoris & gloriæ voluptas: imò verò (quæ etiam in homine rara) probitas, prudentia, æquitas: religio quoq́ ſiderum, Soliſq́ ac Lunæ veneratio. Auctores ſunt, in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Lunâ novâ greges eorum deſcendere, ibique ſe purificantes ſolenniter aquâ conſpergi, atq́ ita ſalutato ſidere in ſilvas reverti, vitulorum fatigatos præ ſe ferentes. Alienæ quoq́ religionis intellectu, creduntur maria tranſituri non antè naves conſcendere, quàm invitati rectoris jurejurando de reditu. Viſiq́ ſunt feſſi ægritudine (quando & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in cœlum jacientes, veluti tellure precibus allegatâ. Nunc quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigunt.* Hæc Plinius. Quæ commentans eleganter *Lipſius* Centur. 1. Miſcellaneâ Epiſtol. Epiſto. 50. cùm multa ac mira, de intellectu præſertim ſermonis humani, ac de ratione dixiſſet, ait, ſe omnino carere ratione, ſi illâ prorſus carent elephanti.

Elephantorum virtutes ex Plinio.

Porphyrius apud *Nierembergium* lib. 3. Hiſtor. Natur. cap. 10. eò usque progreditur, ut aſſerat, animalia ſenſibus & memoriâ prædita, rationem habere, tum quia diligenti ſolertiâ ſua conſulunt, uſuique futuro provident; tum quia diſcunt, & ſe invicem docent. *Laurentius Valla* in Dialectica, ratione prædita eſſe bruta argutatur; ſed ſtudio contradicendi cæcus, rapitur in multas ineptias atque abſurditates, ut benè etiam notavit Ludovicus Vives lib. 2. de Anima cap. de Ratione. Idem argumentum in brutorum favorem verſat *Bodinus* in Theatro Natur. lib. 4. & *Huartus*

Digitized by Google

in Scrutinio ingenior. cap.6. ac diu ante alios multos *Galenus* ſub initium Exhortat. ad Art. lib. ſtud. ubi ita ſcribit. *An animantia quæ dicuntur bruta, prorſus expertia ſint rationis, nondum ſatis liquet. Fortaſſis enim, tametſi non habeant eam rationem, quæ juxta vocem intelligitur, nobiscum communem, quam vocant enuntiativam; certè eam, quæ ſecundùm animam accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiſcum communem omnia, licèt alia magis, alia minùs.* Hactenus patroni propoſitæ ſententiæ; nunc ad argumenta progredior.

§. II. Argumenta, ob quæ mentem tribuunt aliqui brutis.

DUo ſunt veluti limites, quibus hominem à brutis diſparamus, inquit *Lipſius* loco paulò antè citato, ſermo, & ratio. Hos limites ſi quis oſtenderit vacillare, & à brutis quoque attingi; victoriam ſortietur in hac, quam nunc pugnamus, pugna. Si inſuper notas alias humanæ mentis, quas Plinius elephantis tribuit, ſeu illis ſolis, ſeu aliis quoque brutis ineſſe evicerit; erunt planè nobis ſimilia bruta, & nos brutis. Hoc igitur diſcutiendum. Incipio à ſermone.

Argumentum I.

Ex ſermone mutuo brutorum, & ſermonis humani intellectu.

Bruta an ſibi mutuò loquantur.

POrphyrius lib.3. περὶ ἀποχῆς, &c. cenſuit, bruta omnia inter ſe ſermocinari, & eorum loquelas calluiſſe Apollonium Thyanæum, Melampum Thireſiam, & Thaletem. Idem de Apollonio aſſerit *Philoſtratus* in ejus Vita; & de Salomone Hebræorum Rabbini. Quin eò progreſſus eſt nonnemo, ut aſſerat (quod ſine dubio falſum eſt) ſerpentem in Paradiſo terreſtri, cum Evam aggrederetur, locutũ ſuo idiomate, & ab Eva intellectum. Canes, & equos intelligere humanas voces, experimur quotidie: ſiſtunt enim, accedunt, vadunt, flectunt ad dexteram aut ſiniſtram, prout juſſeris. *Ptolomæo ſecundo* (inquit Ælianus lib. 11. de Animal. cap. 25.) *quem & Philadelphum cognominant, hinnulus cervi dono datus eſt. Is ſermone Græcanico ennutritus, loquentes intelligebat; cùm ante id tempus ſolam Indorum linguam cervi intelligere crederentur.* De pſittacis, picis, corvis, calandris, luſciniis articulatè loquentibus, multa retulimus exempla in 2. parte Magiæ lib. 1. Syntagm. 5. cap. 2. & 3. inter quæ maximè mirum illud, quod *Ulyſſes Aldrovandus* lib. 2. Ornithologiæ recitat ex quodam Ornithologo, Londini in Anglia è palatio Regis Henrici Octavi pſittacum in præterlabentem Tameſin decidiſſe, & *cymbam, cymbam, vel pro viginti libris!* exclamaſſe: cùm-

Digitized by Google

cùmque à quodam celerrimè adnavigante fuiſſet extractus ex aqua, atque ad Regem delatus; poſtulanti promiſſam mercedem coram Rege, reſpondiſſe pſittacum, *date nebuloni ſolidum*. Alia exempla avium articulatè loquentium referemus infrà hoc eodem Cap. Aſſert. VI.

Elephanti humanum ſermonem intelligunt.

Elephantos inter ſeſe ſermocinari, diſtinctaſque ſuſurrare atque emittere voces, auctor eſt *Oppianus*. Eadem opinio ſolemnis eſt inter Malabares, Indiæ Orientalis populos, apud quos frequens eſt beſtia illa. Libro ſequenti, cap. de Elephante, plurima referemus exempla, è quibus evidentiſſimè colligas, elephantos intelligere humanos ſermones, non illos modò quibus diu aſſueti ſunt, ſed quos nunquam etiam antea audiverunt. Hinc bacchationes ac furores Veneris, quibus quotannis in Indiis in hodiernum etiam diem infeſtantur, comprimunt, ſi verbis leniantur, ſi increpentur, ſi rei fœditas, tam nobilem belluam, aliarumque reginam ſummoperè dedecens, proponatur. Plurima, ac lectu jucundiſſima exempla in hanc rem citato loco proponemus. Nec intelligere modò homines, ſed humanum quoque ſermonem & locutos aliquando, & ſcripſiſſe, ibidem docebimus. Cercopithecos quoque ac ſimias hominum loquelam probè intelligere, præceptaque data capere & exequi, exemplis certiſſimis eodem libro ſequenti corroborabimus. *Ælianus* lib. 6. de Animal. cap. 7. refert, *quòd Ægyptiorum rex Martes nomine, cornicem valde cicurem habuerit; quæ poſtquàm audiſſet, quò perferenda eſſet epiſtola, mox quò volatus dirigendus, & quanam regio tranſeunda, & ubi terrarum requieſcendum eſſet, cognoverit, eoque regis litteras ocyùs quàm quivis nuncius perferre ſolita ſit.* Hac de cauſa, cùm mortua eſſet, ſepulchri honorem & cippi à rege promeruit ad lacum nuncupatum Myridis, ubi Crocodilorum oppidum erat. Similia dicemus infrà ſuis locis de canibus, & columbis. Hyænam paſtorum nomina diſcere, ac pronuntiare, docet *Plinius* lib. 8. cap. 30.

Cornix literas defert de loco in locum.

Sed tametſi hæc omnia ac ſimilia exempla in dubium revocarentur, dubitari tamen non poteſt, animalia varia, variis vocibus, ad varios internos affectus quemadmodum ſibi ipſis inter ſe, ita nobis etiam ſignificandos, uti. *Gallina enim* (inquit Cardanus lib. 15. de Variet. cap. 82.) *cùm pullos vocat, crocitat; cùm pullos ad fugam ob milvum hortatur, extendit vocem in longum, & extollit; cùm capitur, clamat anxiè, repetitque quaſi ſingultiens; cùm ovum parit, exultat; cùm pullos deducit, altâ voce aſperiore, craſſiore, atq; rariore utitur, quàm cùm illos ad ſe vocat; cùm cubat, voce ſubmiſſâ & ab aliis diſſimili utitur.* Similia habet *Sextus Empyricus* de cane. Similia & nos audimus quotidie in felibus, aliiſque animalibus domeſticis.

Sermo-

Digitized by Google

Sermone igitur utuntur inter ſe animalia bruta, ſuosque affectus quà ſui ſimilibus, quà nobis etiam ſermone explicant. Sermonem quoque hominum intelligunt, & quæ juſſa ſunt, exequuntur. Mente igitur ſunt prædita, quoniam hæc ſine mente fieri nequeunt: non enim ſolùm audire, ſed & capere atque animo imbibere oportet, quæ dicuntur. Sic arguunt nonnulli.

Argumentum II.

Ex capacitate diſciplinæ & inſtructionis.

Bruta diſciplinæ ſunt capacia.

Elephanti capaces diſciplinæ militaris &c.

DIſciplinabiles eſſe elephantos,& variæ inſtructionis capaces,tam multa probant exempla, antiqua ac recentia, ut nefas ſit dubitare. Plurima fusè referam libro ſequenti; hîc pauca ac breviter delibo, quorum & Lipſius citato ſuprà loco meminit. *Docentur*, (inquit Ælianus lib. 13. de Animal. cap.22.) *atq; inſtituuntur ad varia ſermone vernaculo, cujus miro quodam & ineffabili modo, ac velut peculiari naturâ ſunt capaces.* Jugum ſubiiſſe, & currum traxiſſe, tradidit Oppianus, & Romæ primùm oſtendit Pompejus. *Inſtituuntur velut milites ad prælia; bellatores non dorſo ſolùm ferunt, ſed & ipſi bellant; propugnant ſuos, impugnant hoſtes; deniq; eò veniunt, ut munia etiam omnia militaria uſurpent.* Lipſius hæc docet,& ante eum *Ælianus* lib.13.cit.cap.22. ubi ait, elephantos decorè etiam motus bellicos edere,velut oſtendentes quòd hanc etiam diſciplinam ſervent. Viginti quatuor Indorum regi adſiſtere cuſtodes alternis vigiliis, aliosque aliis in ſtationem ſuccedere tanquam cæteri cuſtodes homines. Sapientia item quadam Indicâ ad vigiliarum diſciplinam erudiri, ne inter cuſtodias ſomnum capiant. Eosdem eſſe ad vigilias agendas præſtantiſſimos excubitores, atque à ſomno invictiſſimos, & ſecundùm homines fidiſſimos. Hæc de militari arte.

In pacis artibus non minùs diſciplinabiles ſunt; adeò ut vix hominem doceas, quod non & elephantos, conſentiente etiam *Æliano* lib.2. de Animal.cap.11. & *Lipſio* loc. citat. qui varia & ad corpus,& ad animam ſpectantia exempla in medium affert. Corpus enim conformant ad omnem ex arte motum & geſtum. Ingeniculare, ſubmittere, & adorare Reges docentur, teſte *Ariſtotele* lib.9. Hiſtor. Animal.c.46. & *Æliano* lib. 13.c.22. paulò antè citato. Exempla dabimus libro ſequenti cap. de Elephanto. Eosdem ad numerum ſaltare, tibiæ auditione demulceri, curſum tardare ad ſoni tarditatem, ſeque remittere ad remiſſionem tibiæ; cùm acutè ſonans impellit, feſtinare, diſcere, aſſequi perfectè, docet *Ælianus* lib.2. cap.11. cit. Saltationes diſcere, & choreas, & adorationes, docet quoque *Plutarchus*; ad ſcopum verò jaculari, armis uti, natare, *Strabo*; arma per auras jacere,gladiatorios congreſſus edere,aut laſcivienti Pyrrhicæ col-

Digitized by Google

ex colludere, *Plinius*; denique in theatris eos geſtus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus, Plutarchus libello πότερα τῶν ζώων &c. Exempla referemus libro ſequenti ex Æliano; ubi & probabimus funambulos eſſe elephantos, ex *Plinio* lib. 8. c. 2. & 3. Quod & *Seneca* affirmat Epiſtola 86. & *Suetonius* ac *Dio* in Nerone, & iterum *Suetonius* in Galba.

Atque hæc & ſimilia diſcunt Elephanti tantâ curâ & intentione, ut ſæpe deprehenſi ſint noctu velut dictata ſua ruminantes, & meditantes. *Plutarchus* cum *Plinio* auctor eſt, quendam tardioris ingenii, & verbis verberibusque malè ſæpe acceptum, deprehenſum ad Lunam geſtus & motus præſcriptos exercentem. De lectione ac ſcriptione, quam & didicerunt, atque exercuerunt, ut §. præcedenti inſinuavi, exempla dabo libro ſequenti ex Plinio, & Æliano. Quod & *Philoſtratus* affirmat.

De inſtitutione aliarum beſtiarum, ut canum, equorum, ſimiorum, aſinorum, aliorumque, exempla dabo paſſim libro ſequenti. *Fuit felis cuidam fratri noſtro familiaris, cujus cura erat pulſare nolam ad ſurgendum. Id munus felis didicit. Si fortè, cùm hora inſonabat, abeſſet Frater, felis accurrebat ad funem, & manibus preſſo ungue detrahebat*, ait Nierembergius lib. 3. Hiſtor. Natur. cap. 21. *Theophylactus Simocata* initio ſui Dialogi ait: *Hirundines maternos cantus ſecundùm modulos muſicos à matribus edoceri percipi: non enim indoctæ prolis audire mater ſuſtinet hirundo. Docent ea igitur ſuos fœtus urbes inhabitare, & apud homines canere, perſtrepere continuò.* Hoc ſi de falſitate ſuſpectum, exemplum cape aliud de philomela. Hæc, ut *Nierembergius* quoque aſſerit lib. 1. cap. 13. ſuos inſtituit pullos, accentuum obſervationem docet, ut uno pronuntient ſpiritu, jam producant, jam corripiant, jam inflectant, minuant; mox per ſemitonos mutent, diſtinguant, dividantque in breviſſimos exilesque garritus, actutùm reddant vocem tremulam, in variosque transforment modos. Ita eleganter nonnemo.

Felis campanam pulſare docta.

Hirundines docent pullos ſuos cantum.

Philomela pullos ſuos docet canere.

Argumentum III.

Ex Sagacitate, Induſtria, Providentia, Prudentia.

HÆc in quibusdam animalibus, etiam minimis ac viliſſimis, eſt ſingularis. Ex multis pauca affero exempla. Incipio à formica, ad cujus providam, operoſam, ac laborioſam induſtriam conſiderandam ablegat nos Spiritus Sanctus per Salomonem *Proverb.* cap. 6. verſ. 6. 7. & 8 dicens: *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Quæ cùm non habeat ducem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Hæc autem providentia, ſolertia, & diligentia formicarum in his potiſſimùm conſiſtit actibus. *Primò* enim, faciendo frumentationem in æſtate, provident ſibi cibum pro hyeme, ut eodem vivant

Formicarum ſolertia.

Digitized by Google

Sermone igitur utuntur inter ſe animalia bruta, ſuoſque affectus quâ ſui ſimilibus, quâ nobis etiam ſermone explicant. Sermonem quoque hominum intelligunt, & quæ juſſa ſunt, exequuntur. Mente igitur ſunt prædita, quoniam hæc ſine mente fieri nequeunt: non enim ſolùm audire, ſed & capere atque animo imbibere oportet, quæ dicuntur. Sic arguunt nonnulli.

Argumentum II.

Ex capacitate diſciplinæ & inſtructionis.

Bruta diſciplinæ ſunt capacia.

Elephanti capaces diſciplinæ militaris &c.

DIſciplinabiles eſſe elephantos,& variæ inſtructionis capaces,tam multa probant exempla, antiqua ac recentia, ut nefas ſit dubitare. Plurima fusè referam libro ſequenti; hîc pauca ac breviter delibo, quorum & Lipſius citato ſuprà loco meminit. *Docentur*, (inquit Ælianus lib. 13. de Animal. cap.22.) *atq; inſtituuntur ad varia ſermone vernaculo, cujus mirè quodam & ineffabili modo, ac velut peculiari naturâ ſunt capaces.* Jugum ſubiiſſe, & currum traxiſſe, tradidit Oppianus, & Romæ primùm oſtendit Pompejus. *Inſtituuntur velut milites ad prælia; bellatores non dorſo ſolùm ferunt, ſed & ipſi bellant; propugnant ſuos, impugnant hoſtes; deniq; eò veniunt, ut munia etiam omnia militaria uſurpent.* Lipſius hæc docet,& ante eum *Ælianus* lib.13.cit.cap.22. ubi ait, elephantos decorè etiam motus bellicos edere,velut oſtendentes quòd hanc etiam diſciplinam ſervent. Viginti quatuor Indorum regi adſiſtere cuſtodes alternis vigiliis, alioſque aliis in ſtationem ſuccedere tanquam cæteri cuſtodes homines. Sapientia item quadam Indicâ ad vigiliarum diſciplinam erudiri, ne inter cuſtodias ſomnum capiant. Eoſdem eſſe ad vigilias agendas præſtantiſſimos excubitores, atque à ſomno invictiſſimos, & ſecundùm homines fidiſſimos. Hæc de militari arte.

In pacis artibus non minùs diſciplinabiles ſunt; adeò ut vix hominem doceas, quod non & elephantos, conſentiente etiam *Æliano* lib.2. de Animal.cap.11. & *Lipſio* loc. citat. qui varia & ad corpus,& ad animam ſpectantia exempla in medium affert. Corpus enim conformant ad omnem ex arte motum & geſtum. Ingeniculare, ſubmittere, & adorare Reges docentur, teſte *Ariſtotele* lib.9. Hiſtor. Animal.c.46. & *Æliano* lib. 13.c.22. paulò antè citato. Exempla dabimus libro ſequenti cap. de Elephanto. Eoſdem ad numerum ſaltare, tibiæ auditione demulceri, curſum tardare ad ſoni tarditatem, ſeque remittere ad remiſſionem tibiæ; cùm acutè ſonans impellit, feſtinare, diſcere, aſſequi perfectè, docet *Ælianus* lib.2. cap.11. cit. Saltationes diſcere,& choreas, & adorationes,docet quoque *Plutarchus*; ad ſcopum verò jaculari, armis uti, natare, *Strabo*; arma per auras jacere,gladiatorios congreſſus edere,aut laſcivienti Pyrrhicæ col-

ea conludere, *Plinius*; denique in theatris eos geſtus effingere, quos vix Pylades aliquis aut Bathyllus, Plutarchus libello πότερα τῶν ζώων &c. Exempla referemus libro ſequenti ex Æliano; ubi & probabimus funambulos eſſe elephantos, ex *Plinio* lib. 8. c. 2. & 3. Quod & *Seneca* affirmat Epiſtola 86. & *Suetonius* ac *Dio* in Nerone, & iterum *Suetonius* in Galba.

Atque hæc & ſimilia diſcunt Elephanti tantâ curâ & intentione, ut ſæpe deprehenſi ſint noctu velut dictata ſua ruminantes, & meditantes. *Plutarchus* cum *Plinio* auctor eſt, quendam tardioris ingenii, & verbis verberibusque malè ſæpe acceptum, deprehenſum ad Lunam geſtus & motus præſcriptos exercentem. De lectione ac ſcriptione, quam & didicerunt, atque exercuerunt, ut §. præcedenti inſinuavi, exempla dabo libro ſequenti ex Plinio, & Æliano. Quod & *Philoſtratus* affirmat.

De inſtitutione aliarum beſtiarum, ut canum, equorum, ſimiorum, aſinorum, aliorumque, exempla dabo paſſim libro ſequenti. *Fuit felis cuidam fratri noſtro familiaris, cujus cura erat pulſare nolam adſurgendum. Id munus felis didicit. Si fortè, cùm hora inſonabat, abeſſet Frater, felis accurrebat ad funem, & manibus preſſo ungue detrahebat*, ait Nierembergius lib. 3. Hiſtor. Natur. cap. 21. *Theophylactus Simocata* initio ſui Dialogi ait: *Hirundines maternos cantus ſecundùm modulos muſicos à matribus edoceri percipi: non enim indocta prolis audire mater ſuſtinet hirundo. Docent ea igitur ſuos fœtus urbes inhabitare, & apud homines canere, perſtrepere continuò.* Hoc ſi de falſitate ſuſpectum, exemplum cape aliud de philomela. Hæc, ut *Nierembergius* quoque aſſerit lib. 1. cap. 13. ſuos inſtituit pullos, accentuum obſervationem docet, ut uno pronuntient ſpiritu, jam producant, jam corripiant, jam inflectant, minuant; mox per ſemitonos mutent, diſtinguant, dividantque in breviſſimos exileſque garritus, actutùm reddant vocem tremulam, in variosque transforment modos. Ita eleganter nonnemo.

Felis campanam pulſare docta.

Hirundines docent pullos ſuos cantum.

Philomela pullos ſuos docet canere.

Argumentum III.

Ex Sagacitate, Induſtria, Providentia, Prudentia.

HÆc in quibusdam animalibus, etiam minimis ac viliſſimis, eſt ſingularis. Ex multis pauca affero exempla. Incipio à formica, ad cujus providam, operoſam, ac laborioſam induſtriam conſiderandam ablegat nos Spiritus Sanctus per Salomonem *Proverb.* cap. 6. verſ. 6. 7. & 8 dicens: *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Quæ cùm non habeat ducem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Hæc autem providentia, ſolertia, & diligentia formicarum in his potiſſimùm conſiſtit actibus. *Primò* enim, faciendo frumentationem in æſtate, provident ſibi cibum pro hyeme, ut eodem vivant

Formicarum ſolertia.

Digitized by Google

tunc, quando parare eum non poſſunt. *Secundò*, meliora grana ſeligunt inter frumentandum. *Tertiò*, deferunt frumenta in ſua antra quaſi in cellas & apothecas, ibique recondunt & aſſervant. *Quartò*, grana incidunt, & arrodunt, oculos ſeminis exedentes, ne germinent & putreſcant. *Quintò*, tempore ſereno grana exponunt atque exſiccant, imminente pluviâ reponunt in antra. *Sextò*, pondera majora, quæ morſu ferre non poſſunt, multiplici arte reddunt faciliora: dividunt enim in partes, aut plures eidem oneri ſuccollant, aut illud inflectunt, apteque componunt, & averſæ poſtremis pedibus protrudunt, humeris obnixæ. *Septimò*, eâdem ſemitâ ſemper incedunt, adeo ut aſſiduitate excavent ſemitas, ſaxa, & rupes. *Octavò*, noctibus etiam lucente Lunâ laborant. Omitto multa alia, quæ infrà dabo Argumento 7. ubi iterum de formica agetur.

Elephantórum ſolertia ac prudentia.

A minimis animalculis ad maxima tranſeo, à formicis ad elephantos. Hi pugnaturi vel cum hominibus, vel cum beſtiis, *infirmos, aut feſſos, vulneratosvè in medium agmen recipiunt; ac velut imperio & ratione, per vices ſubeunt*, referente *Plinio* lib. 8. c. 7. Libyæ populi cum elephantis pugnam ineunt pro eorum dentibus, ut *Ælianus* refert lib. 6. de Animal. cap. 56. *Hanc verò cauſam cur petantur elephanti prænoſcentes, ex ſeſe qui dente altero mutili ſunt, ante cæteros reliquos in acie prima conſtituunt, ad primum hoſtium impetum ſine magna jactura excipiendum: reliqui qui in ſubſidiis manent dentium amborum robore integri, auxilium feſſis ferunt. Mutilos autem eam fortè ob cauſam primo loco eſſe volunt, ut venatoribus oſtendant, non magnum adeo præmium, & vix dignum periculo, cui ſe exponunt, ipſis expectandum. Dentium altero, quem acutum ad propulſandas injurias ſervant, tanquam armis utuntur; altero tanquam ligone radices effodiunt, & arbores extirpant.* Hæc Ælianus; qui idem lib. 8. c. 15. hæc ſcribit: *Cùm elephanti foſſam tranſilire non queunt, de his unus aliquis in hanc ſe ſe demittit, & transverſus foſſæ ſtans, partim vacuitatem occupat, partim pontis ſe vicarium præſtat; cæteri ſupra hunc gradientes transmittunt, & evadunt; ſimul & eum, qui pontis loco erat, hoc modo ex foſſa conſervant: Superiore enim ex loco quiſpiam porrigit pedem, quem is qui infra eſt, promuſcide complicat, reliqui autem virgultorum faſces celeriter dejiciunt; quos ille conſcendens, ad pedem demiſſum fortiter cauteq; inhærens, facilè ſubtrahitur. Apud Indos tractus eſt, cui nomen Phalacra, quaſi latinè calvum, eoq; ita appellatur, quòd qui herbam in eo naſcentem guſtaverit, & pilos & cornua amittat. Itaq; Elephanti niſi cogantur, non accedunt ad locum illum: imò verò propè eùm acceſſerint, perinde atque homines prudentiſſimi, ab omni loci illius germine refugientes pedem referunt.* De iiſdem Elephantis eodem libro 8. cap. 10. idem *Ælianus* dixerat; *Inſidiæ, quas Elephantis venatores inſtruxerint, non eos facilè latent. Nam cùm ad foveam, quam contra ipſos ſuffodere venatores ſolent, proximi acceſſerunt, ſeu naturali quadam intelligentiâ, ſeu retrusâ & abditâ*

Elephanti quo modo foſſam transgrediantur.

præ-

Digitized by Google

præſenſione, & ſcientiâ rerum futurarum, à progrediendo ulteriùs ſe ſuſtinent; ac quàm mox itinere converſo, in venatores invadunt, &c. Mirabilius eſt quod ſequitur ex eodem *Æliano* lib. 9. cap. 56. dicente: *Anni æſtivi tempore, cùm calor à Sole intenditur, & æſtus ingraveſcit, tum elephanti ad calorem frangendum inter ſe craſſo perfunduntur cœno, quo vim caloris depellant: & hæc refrigeratio ipſis gratior eſt vel umbroſis ſpeluncis, arboribusque quæ ramorum frequentiâ eos opacare poſſent. Iidem ſagaciſſimè odorantur, & acerrimis ſenſibus exiſtunt. Nam cùm ex his, partim antegredientes, partim ſubſequentes, ordinatim eunt, horum primus narium ſagacitate herbam ante pedes ſuos poſitam ſentiens humanis veſtigiis eſſe tranſitam, eam evellit, & ei, qui à tergo proximus eſt, odorandam tradit; is rurſus alteri, qui poſt eum ſtat; ac deinceps per omnium quaſi manus ſagaciter contrectatur, quoad ad illum ipſum, qui extremum agmen ducit, perventum fuerit. Is ſimulac olfecerit, barritum vaſtum edens, quaſi ſignum ad fugam dat. Hi tunc in convalles profundas, aut in loca concava & paluſtria, vel ſi minùs id concedatur, in nemoroſa campeſtria, ab eo loco iter avertunt, prorſusq; ſe totos avertunt ab his locis, quàcunq; frequentes homines iter facere ſolent, quòd ab hominibus timeant. Cùm autem eos cætera pabula defecerint, radices effodiunt, quibus paſcuntur. Alii interim gramina, herbas, ac frondes quærunt: ex his primus qui aliquid repererit, regreditur, ut & ſuos gregales advocet, & in prædæ communionem deducat.* Omitto alia multa ſagacitatis ac prudentiæ ſigna elephantum, & ad alia animalia tranſeo.

Elephanti quomodo à calore ſe defendant.

Elephanti odoratu præſtant.

Grues in profectione ordinato agmine procedunt, & ducem ſequuntur unum; in ſtatione excubias agunt pro toto agmine, diviſâ etiam per vices noctu vigiliâ; quam ſuſpenſus lapide gravatus pes à ſomno fortè obrepente eripiat, ut clamore edito pericula denuntiet. Rem hanc fuſiùs narrabo in libro de Avibus. Libro ſequenti multa dicentur de aſtutia & calliditate cercopithecorum, vulpium, & aliorum animalium; de ſagacitate alcium, caprarum domeſticarum & ſylveſtrium, aliorumque plurimorum animalium. De apum ſolertia alibi agetur. Tauri pugnaturi, pulvere ſe conſpergunt; apri dentes acuunt; leones pedibus introrſum reductis antra ſua ſubeunt, & veſtigia oblitterant, ne à venatoribus deprehendantur. Ichneumon aggreſſurus crocodilum, cœno ſe involvit, & ad ſolem ſiccat, ut tunicatus ac quaſi loricatus appareat. Cervi halitu narium ſerpentes eliciunt è cavernis; Myrmecophagi exertâ linguâ. Iidem cervi tranant gregatim maria, nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Quâ arte cercopitheci Americani flumina trajiciant, dicam libro ſequenti. Plura etiam dicam paulò pòſt in Argumento ſexto.

Gruum ſagacitas.

Animalium variorum ſagacitas.

Digitized by Google

Argumentum IV.

Ex virtutibus, amore, fidelitate, gratitudine.

Virtutes animalium quorundam.

VIrtutum ac vitiorum exempla tam illuſtria edunt animalia nonnulla, ut non ſolùm ab hominibus prudentibus ac doctis, ſed ab ipſo etiam DEO in divinis Scripturis proponantur nobis, ut ea vel ſectemur, vel fugiamus. Pauca delibo, ab Elephantis inchoans, quoniam in nulla bellua reperiuntur aut plura, aut luculentiora.

Elephantorum amor, fidelitas, gratitudo.

Amorem, Fidelitatem, Gratitudinem elephantorum erga dominos ſuos, rectores, ac benefactores, declarant partim hæc, partim quæ dicemus libro ſequenti Cap. de Elephanto. *Poro Indorum rege in prælio, quod cum Alexandro commiſit,* (inquit Ælianus lib. 7. de Animal. cap. 37.) *multis telis confixo, elephantus quo vehebatur, etſi multis etiam ipſe ſagittis vulneratus, defixa tamen in corpore Pori tela leniter & cautè promuſcide extrahere non priùs deſtitit, quàm dominum intellexiſſet, ex redundanti ſanguinis profuſione, debilitari & evaneſcere. Itaq; leniter & ſenſim ſe demiſit, ac ita humi manſit, ut ne ex alto decidens Pori corpus gravi caſu affligeretur.* Idem eodem libro 7. cap. 41. *Cùm Pyrrhus,* ait, *Epirotarum rex ad Argos occubuiſſet, in eo conflictu elephantus fuit, qui domitorem ſuum tantopere amavit, ut non priùs, quamvis moderator jam excidiſſet, currere omiſerit, quàm ſuum nutricium ex hoſtibus & ſervaſſet, & intra fines amicos reportaſſet.* Omitto hiſtoriam de elephanto Indico albo, qui nutricium ſuum mirificè amavit, proque eo in ſolitudinem ſecum profugiente, & à Satellitibus regiis deprehenſo pugnavit, quam idem refert lib. 3. cap. 46.

Elephanti amor erga puerum.

Narrat *Athenæus* lib. 13. Dipnoſoph. cap. 30. & ex ipſo *Lipſius* Centur. 1. Epiſtol. Miſcellan. Epiſt. 50. Antigono Regi elephantem fœminam fuiſſe, nomine Nicæam. *Huic elephanti* (verba ſunt Athenæi) *cùm miniſtraret Indi mulier; filium ſuum, qui tum trigeſimum diem agebat, appoſuit. Poſtea verò mortuâ muliere, miro quodam amore pueri bellua capta fuit: neq; enim ſeorſum eſſe ab infante patiebatur; ac niſi puerum videret, moleſtè ferebat admodum. Cùm igitur nutrix ipſum infantem lacte ſaturaviſſet, illum inter pedes feræ in ſcapha quadam ponere conſueverat. Quod niſi feciſſet, elephas pabulum capere nolebat; ac poſtea per totum diem calamis ac pabulis ſibi appoſitis eo præſente veſcebatur. Cùm dormiret infans, muſcas abigebat: ubi verò lugeret, ſcapham promuſcide motabat, puerumque dormire faciebat ſæpius.*

Elephas rivalis.

Aliud amoris, quaſi obſcœniuſculi, exemplum narrat *Lipſius* loc. cit. ex *Plinio* lib. 8. cap. 5. & *Plutarcho* lib. πότερα τῶν ζώων, Utra animalium, &c. de elephanto, qui Ariſtophani Grammatico præbuit ſe rivalem. *Uterque enim Alexandriæ in Ægypto Corollariam quampiam amavit; nec minùs ſtudii*

aut

Digitized by Google

aut ingenii elephanto fuit ad declarandam & mitigandam ſuam flammam, quàm illi acuto & litterato. Forum, in quo ea deſidebat, crebrò adire, adſiſtere, ſuſpirare, poma aut flores offerre, manum intra ſinum blandè penetrare, & ea omnia quæ Venereus aliquis nepos. Aliam ſimilem hiſtoriam refert *Ælianus* lib. 7. de Animal. cap. 43. his verbis. *In Antiochia Syriæ urbe audio cicurem elephantum fuiſſe: huncque dum ad paſtiones iret, mulierem corollas vendentem cùm quàm ſuaviſſimè aſpexiſſe, tum verò etiam quàm libentiſſimè in illius conſpectu acquieviſſe, atque hujus faciem promuſcide terſiſſe. Mulierem viciſſim ex ſuo artificio illecebras amatorias, corollas videlicet, quas anni tempus permittebat, ita contexuiſſe, ut quotidie illi quidem ſumere operæ pretium, huic verò etiam opus eſſet largiri. Poſtea autem quàm mulier exceſſit è vita, Elephantus nec priſtinæ conſuetudinis compos, nec quam amaret ampliùs mulierem videns, tanquam amans qui amaſiam amiſiſſet, ſic eam deſiderabat, animoq; incitabatur; ac qui antè manſuetus fuiſſet, humanitate expulsâ feritatem induebat, tanquamque homines ex triſtitia ac mœrore laborantes de poteſtate animi exeunt, ſic is furens ferebatur.*

Aliorum animalium homines amantium exempla multa congerit *Athenæus* lib. 13. Dipnoſoph. cap. 30. Nam & gallus Secundum pincernam Nicomedis Bithyniæ regis amavit; & anſer puerum in Agio, Theophraſtum Amphilochum nomine; & pavo virginem in Leucadia, adeò, ut cùm ea fuiſſet mortua, ipſe etiam præ triſtitia interierit; & delphinus puerum Dionyſium nomine in Jaſo. *Lycadem Peripateticum altorem ſuum anſer tantopere amavit* (inquit Ælianus lib. 7. cap. 41.) *ut & cum ipſo ſimul ambularet; & cùm ille ſederet, hic quoque ab ambulando quieſceret, nec ipſum unquam relinqueret. Eum igitur Lycades mortuum non minùs ambitioſè, quàm aut filium, aut fratrem, ſepulturæ honore affecit.* Animalium homines amantium exempla.

De amore & fidelitate canum erga dominos ſuos exempla plurima referemus libro ſequenti cap. de Cane. Prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis juſtitiæ, pudoris ac caſtitatis, aliarumque virtutum exempla paſſim invenies in ſequentibus libris, maximè in capite de Elephanto. Pagurus ſuſtinet, & fugit rixarum ac pugnæ occaſionem, cùm ſe exermem videt, donec armis reparatis valeat. Mus Armenius occidi mavult, quàm fœdari. Avis diceros excrementa ſua lethalia defodit, ne quem lædant. Elephanti Solem ac Lunam venerantur. Merops, aſtur, ciconia, docent pietatem, ſenium parentum officiis ſuis alleviantes. Quod & Elephanti juniores faciunt. Alcyon conjugalem amorem; Oſſifraga miſericordiam, deſtitutos aquilæ pullos ſuſtentans. Apum rex clementiam colit innocenti aculeo; ipſæ apes fidelitatem in regem: quærunt enim aberrantem, geſtant imbellem, deſerunt nunquam. Infinitus ſim, ſi omnia recenſere velim. Virtutum omnium theatrum Natura in animalibus pandit. De amore animalis Tartarici Schnak vide infrà in proprio capite. Animalium quorundam prudentia & pietas.

Digitized by Google

Argumentum V.

Ex diſcretione, ludo, & jocis.

Animalium diſcretio.

LEo diſcernit magnanimos ab humilibus: ſpernit enim imbelles, adgreditur feroces animantes. Exempla habebis infrà Capite de Leone. Canes diſcernunt heros ab extraneis, benevolos ab ignotis, Chriſtianos à Turcis, ut dicam Capite de Cane. Equi ſimilia ferè faciunt, ut de Bucephalo Alexandri & aliis nonnullis Capite de Equo dicetur.

De ludo & jocis Elephantorum, canum, ſimiorum, aſinorum, aliorumque nonnullorum, vide librorum ſequentium capita peculiaria.

Argumentum VI.

Ex variis aliis actionibus.

Animalium variorum variæ actiones miræ.

EX innumeris aliis actionibus argui poteſt, animalia quæ bruta vocamus, & ab homine diſcernimus, mente ac ratione eſſe prædita. Præter dicta hactenus, ex *Plutarchi* libello, *Utra animantium*, & aliis, collegi ſequentes.

Lynces ſeceſſu facto urinam condunt. Hirundines extra nidum podice averſo mittere excrementa pullos docent. Leo involutis ſemper pedibus ambulat, tanquam vaginâ conditis intus unguibus, tum ut ne attritis acies retundatur, tum ut ne anſa veſtiganti præbeatur. Hinc fit ut unguis leonini nota temerè non inveniatur, ſed exiguis & cæcis veſtigiis occurrentibus fallantur veſtigatores, & devient. Hirundines priusquàm in cubationi ſe dant, nidum apparant hoc pacto. Feſtucis ſolidioribus primùm ceu fundamento jactis, molliores inſuper affigunt: luti verò, quo cæmento ad ædificandum utuntur, & velut glutino nidum relinunt, cùm penuria eſt; ad lacum ſinumvè proximum advolantes, ſumis alis ſic ſtringunt aquas, ut humeſcant liquore tantùm, nihil autem graventur; mox concepto his pulvere, illinunt aſpera, hiantia glutinant, figuram operi nec anguloſam, nec multifidam, ſed æquabilem, & quantum fieri poteſt ſphæricam maximè induentes; hæc enim omnium eſt cùm firmiſſima, tum capaciſſima, atque adeo una quæ animantium inſidias egregiè propulſat, anſam apprehendendi non facilè præbens.

Hirundines nidum qua arte conſtruant.

Araneæ qua arte telas texant.

Aranearum opus, communem & matronarum telis, & piſcatorum ſagenis archetypum, quot nominibus mirari neceſſe eſt! Nam & ipſa fili conſummatio ſubtilitasque, & nodi telæ nec diſparati, nec ſtaminoſi, ſeu inſtar membranæ levis continui, & ceu viſco adhibito glutinoſi; tum ipſa coloris tinctura quiddam aëroſum caliginoſumque, quo magis fallat, præ ſe ferens; denique illæ cumprimis operis habenæ & gubernatio, protinus ut captivus incidit, ipſa ſentire, & periti aucupis inſtar rete momento tra-

Digitized by Google

to trahere, ac proſilire docta, nſ quotidie ſpectemus oculis, fide careant, ac fabulæ videantur.

Cervorum & canum mirabilis ſagacitas.

In Africa viſi cervi, qui aquæ penuriâ laborantes, injectis ſitulam lapidibus explevêre, & eò aquam adduxêre, dum contingi poſſet. Eandem ob cauſam canis in navi, abſentibus nautis, in amphoram oleo non plenam incidens, ſilices injecit. Apes Cretenſes, ſi quam oram procelloſiorem circuire neceſſe eſt, quò minùs jactentur, lapillis parvis ceu ponduſculo ſtabiliunt ſeſe. Anſeres Cilices in trajectu Tauri montis aquilas veriti, calculo quiſque bene magno in os indito; garrulitatem ac illud naturale ſtreperum tantiſper compeſcunt, dum hoſtem clàm prætervecti fallant.

Gruum ſagacitas.

Gruibus illud celebre eſt. Cùm ventus exortus eſt majori cum vi, & ſævit cœlum, non quomodo cùm eſt tranquillum, frontatim ac lunato globi ſinu volant, ſed in cuneum momento ſe traducunt, ac ipſo mucrone ventum dividunt, circum latera fruſtra luctantem, ſic ut nihil acies turbetur. Eædem ad terram delatæ (ut ſuprà etiam inſinuavi) quibus eſt excubandum noctu, crurum alterutri corpore innituntur, altero adducto prætenſum lapillum tenent, ut ſi fortè ſomnus obrepat, decidens calculus excitet, arguatque negligentes.

Ardea ut clauſum oſtreum aperiat.

Ardea quoniam clauſum Oſtreum aperire non poteſt, deglutit integrum, intusque retentum tamdiu agitat, donec calore apertum ſentiat; tum enim iterum reddit bians jam, & quod eſui eſt, extrahit.

Formicarum mirabilis induſtria.

Pergit adhuc *Plutarchus* dicto libello, & ait, formicarum diſciplinam atque induſtriam domeſticam, tametſi verbis pro dignitate depingi nequeat, minimè tamen omittendam. *Nullum enim Natura maximarum pulberrimarumque rerum tam auguſtum ſpeculum habet: quoniam hic ceu pura quadam in guttula, virtutis totius ſignificatio clariſſimè relucet. Amicitiæ imago eſt, illa inter ipſas communicatio: fortitudinis ſimulacrum, illa in ferendis laboribus alacritas: multa temperantia, providentia multa, multa juſtitia ſemina & argumenta ſunt. Cleantes igitur quanquàm prædita eſſe ratione animalia minimè ſentiret, hujuſmodi tamen ſe ſpectaculo intervenisſe teſtatur. Formicas quaſdam ad myrmeciam adiiſſe, mortuam formicam ferentes: ex ea egreſſas quaſdam iis veniſſe obviam: ibi tum velut collocutas, intrò rurſus rediiſſe: Hoc factum iterum, iterumque: Poſtremo vermem has redimendi (ut videbatur) mortui pretium deſuper extuliſſe: eum illas tradito mortuo levaſſe, ac diſceſſiſſe. Jam verò nota ſunt omnibus, illa primùm in occurſu benevolentiæ, dum vacuæ onuſtis cedunt viâ, ac tranſitum præbent: dum quæ vel geſtatu, vel importatu difficiliora ſunt, arroſa partiuntur priùs, ac geſtabile pondus in plurimos diſtributum reddunt: dum ſemina exponunt, ſiccantque ſub dio, &c.* quæ ſuprà etiam in Argumento 3. ex parte tetigi. Pergit Plutarchus,

& antra

Formicarum antra. & antra formicarum deſcribit his verbis. *Narrant autem, proximum ab ingreſſu deſcenſum nec rectum, nec cuiquam cæterorum animantium permeabilem, ſed flexibus & ambagibus, anfractus quoſdam & obliquas ſemitas habentibus, in tres cavernas deſinere; quarum una ſit ubi cœtus celebrantur comitium, altera eorum quæ in annum ſervantur penum, tertia in qua vitâ functi & elati reponuntur.* His ſubjungit conſiderationem elephantorum, interque alia modum, quo flumina tranant, dum gregatim ſilvas & campos oberrant. Nam ætate & mole minimus omnium trajicit primus; cæteri interea ad ripam ſtant, quantumque flumen ille magnitudine ſuperet, ſpeculantur; tum ſi vident vadoſum eſſe fluvium, reliqui ſequuntur. Attexit dein quædam de vulpe, & multa de cane, aliiſque beſtiis; quæ referre non lubet, quoniam quæ diximus hactenus, abundè ſufficiunt.

Elephanti ut flumina trajiciunt.

Argumentum VII.

Ex riſu, & fletu quorundam.

Animalium ridentium & lacrymantium exempla.

CUculum ajunt nonnulli ridere: nam præter ſuum conſuetum *cucu*, vocem interdum attollit & variat, quod cuculi riſum appellant. Avem quoque fulvam, ab Indis Quapachtototl dictam, ridere dicunt; quam propterea avem ridibundam appellat *Nierembergius* lib. 10. Hiſt. Nat. cap. 17. Pſittacus etiam effuſiſſimè ridere videtur, maximè ſi cicur eſt, & hominibus aſſuetus. Exemplum pſittaci cachinnantis humano more, dedi in Magia 2. par. lib. 1. Syntag. 5. cap. 2.

Equi lacrymantes.

Paulò ante mortem Cæſaris, greges equorum abſtinentes pabulo ubertim profudêre lacrymas, ut dicemus in capite de Equo. De Pallantis equo *Virgilius* ſic canit:

Pòſt bellator equus, poſitis inſignibus, Aethon
It lacrymans, guttiſq; humectat grandibus ora.

Similia ante hunc *Homerus* ſcripſit de equis Achillis; quæ latinè ſic redduntur.

Perſtabant curru juncti, lacrymaſq; cientes,
Quæ miſeris calidæ malas per & ora fluebant.

Plinius lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 42. ait, equos lugere amiſſos dominos, lacrymaſque interdum deſiderio eorum fundere. Conſentit *Iſidorus*, addens inſuper, ſolum equum, præter hominem, lacrymari, & doloris affectum ſentire. *Plinius* tamen lib. 8. cap. 16 *Claudianus*, & *Lucretius*, ferarum quoque regi leoni lacrymas tribuunt. Mauritaniæ aſinos ex itinere fatigatos, acerrimas profundere lacrymas, ſcribit *Ælianus* lib. 14. de Animal. cap. 10. Elephantibus quoque tribuunt lacrymas teſtes oculati, quos producam libro ſequenti cap. de Elephanto. De Ejulatore, infantium ejula-

Digitized by Google

ejulatum imitante, ſermo erit libro ſequenti. Notæ ſunt lacrymæ crocodili, quem lacrymari ajunt antequàm hominem devoret.

Argumentum VIII.

Ex memoria inſigni multorum.

Elephantis memoriam ineſſe, & quidem inſignem & diuturnam, probant quæ diximus paſſim hoc capite, & dicemus libro ſequenti Cap. de Elephante. In cane experimur id quotidie, & probant exempla, quæ adducemus libro ſequenti Cap. de Cane: agnoſcunt enim poſt multos annos domum in qua antè verſati, dominum & domeſticos quibuscum converſati; eos poſt longam abſentiam reduces excipiunt læti, blandiuntur, exoſculantur. Feræ repetunt cubilia ſua, etiam longè diſſita. Piſces ad ſigna data accurrunt in ſtagnis ad cibum projectum, repeteuntq; ſuas latebras; quod ſignum eſt memoriæ; quam tamen *D. Baſilius* illis denegat. *Ariſtoteles* formicis & apibus memoriam eripit; ſed immeritò: nam formica per eandem ſemitam redit ad domicilium ſuum, quæritque amiſſam viam: apes quoque importunè redeunt ad eosdem flores ſemel deguſtatos. Aliqua tamen animalcula aut nullam habent memoriam, aut valde tenuem, omnia nimirum pigra, & adhærentia ſaxis, ſuo contenta accubitu, ſuo affixa loco. Tucani quoque minima memoria eſt, aut ſumma ignavia; nam neſcit repetere antrum, ſi fortè egrediatur, ideo alterum fodit, quo ſe condat.

Memoria quorundam animalium.

Tucani memoriam vix ullam habent.

Argumentum IX.

Ex judicio, ac diſcurſu ſeu ratiocinatione.

Judicio pollere animalia, multa produnt. Innumera dabo ſequentibus libris. Hîc unum aut alterum exemplum produxiſſe, & rationem non levem pro affirmante ſententia adduxiſſe, ſufficiat. Illuſtre judicii brutalis exemplum eſt, quod *Plutarchus* libello, *Utra animantium*, &c. narrat his verbis. *Æſculapii templum homo quidam clàm ſubiens, magni ponderis auri argentiq; donaria ſurripuit, ac latere putans, tacitè ſeſe ſubduxit. Canis autem qui tum cuſtos erat templi, Capparus nomine, quoniam latratus adituorum nemo curabat, ſacrilegum fugientem inſecutus eſt ipſe. Ac primò quidem ſaxis petitus non deſtitit: mox exortà jam luce, propè quidem non acceſſit, ſed oculis diligenter hominem ſervans ſequebatur: cibum verò objectum non contingebat quidem. Jam ubicunque quieviſſet ille, excubabat hic juxtà: rurſus cùm procederet, ſurgens inſequebatur item. Viatoribus etiam, quicunque ſe obviam tum fortè tuliſſent, adulabatur, cùm hunc inſeſtè ſemper allatraret, impeteretque. Hæc cùm*

Judicio videntur pollere bruta.

Canis exemplum ex Plutarcho.

Animalia bruta an judicio & diſcurſu polleant.

qui furem perſequebantur, ex obviis colorem ſimul & magnitudinem canis narrantibus ſciſcitando comperiſſent; avidiùs jam inſequentes, tandem prehenſum hominem à Crommyone usq; reduxerunt. Canis autem in reditu exultans geſtiensq; prævolabat, veluti ſuam prædam capturamque ſacrilegum illum faceret.

Canis aliud exemplum

Panormi in Sicilia, pro cuſtodia ſuburbani prædii ac horti, mille paſſus ab urbe diſſiti, canem ingentem, cui Draco erat nomen, alebamus. Nocte quadam antequàm luceſceret, miles ex illorum numero, qui vicinæ urbis portæ cuſtodes adſignati erant, muro horti ſuperato in fructus & uvas maturas involârat, & onuſtus jam abitum maturabat; ſed à cane in ipſo adhuc muri apice pendulus deprehenditur, & tam diu mordicùs retinetur, donec Fratrum noſtrorum unus, qui in domo ſomnum capiebat, ſuperveniens juſſit furem dimittere. Illuſtriora his dabimus libro ſequenti, Cap. de Cane, de Elephanto, & aliis animalibus. Quæ quidem haud levia judicii præbent veſtigia.

Simius ex muliere liberos ſuſcipit.

Unum non poſſum omittere, quod ex *Caſtanenda* Annalibus Luſitaniæ refert *Fortunius Licetus* lib. 2. de Monſtris cap. 68. apud *Deuſingium* Diſſertat. de Ratione ac Loquela Brutorum num. 67. Nimirum, cùm mulier aliquando ob quoddam crimen in Inſulam deſertam navi deportata eſſet, eam ibidem expoſitam ſimiorum, quibus frequens locus erat, agmen circumſtetiſſe fremebundum: ſuperveniſſe unum grandiorem, cui reliqui loco ceſſerint: hunc mulierem blandè manu captam in antrum ingens adduxiſſe, eique cùm ipſum, tum cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum appoſuiſſe, & nutu ut veſceretur invitaſſe: tandem à fera coactam ad ſtuprum: facinus hoc multis diebus continuatum, adeò ut duos ex fera liberos pepererit: ità miſeram victitaſſe per aliquot annos, donec DEUS miſertus navim eò Luſitanicam detuliſſet: cùmque milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent, abeſſetque fortè fortunâ ſimius; fœminam ad inviſos diu mortales accurriſſe, & accidentem ad pedes ſupplicaſſe, uti ſe facinore & calamitoſiſſimâ ſervitute irent ereptum; aſſentientibusque, & caſum miſerantibus illis, eam cum ipſis navim adſcendiſſe. Sed ecce tibi, inquit, ſimium ſupervenientem, inconditis geſtibus & fremitibus conjugem non conjugem revocantem. Ut vidit vela ventis data, concito curſu de liberis unum matri oſtentat, minaturque, ni redeat, in mare præcipitaturum; nec ſegniter fecit quod minatus. Tum recurrit ad antrum, & eâdem velocitate ad littus rediens oſtentat alterum, minatur, & demergit, ſubſequitur donec undæ natantem vicêre. Quid potuit homo maritus ingenioſius & judicioſius machinari ad uxorem revocandam?

Judicio pollere bru-

Ratio quoque manifeſta convincit, animantia bruta judicandi facultate eſſe prædita, & perſæpe judicii actus elicere. Nam, ut cætera argu-

menta

menta taceam, animantia prædicta agitantur verè variis affectibus, amoris, deſiderii, timoris, &c. Ad verum autem timorem v. g. qui verſatur circa malum imminens, requiritur judicium prælucens, hoc eſt, cognitio complexa & enuntiativa, pronuncians de diſconvenientia objecti; & non ſufficit ſimplex cognitio objecti. Nam ſimplex notitia repræſentat objectum nudè, non autem ut diſconveniens, & ut fugiendum eò quòd ſit malum: malum enim ſolùm ac ſimpliciter apprehenſum, & non judicatum diſconveniens, ac imminens, non plus movet animal ad timorem, quàm malum pictum, ut bene docet *Ariſtoteles* lib. 3. Animæ tex. 154. Hinc idem docet ibidem text. 46. voluntatem (& eadem eſt ratio de appetitu ſenſitivo) moveri à ſolo intellectu practico; qui non eſt niſi judicativus. Cùm ergo animantia bruta verè timeant, neceſſe eſt illa formare verè notitias judicativas, & non tantùm ſimplices, de malo quod timent. Judicio ergo pollent.

ta quædam, ratio videtur convincere.

Diſcurrere etiam quædam animalia, ac ratiocinando concludere, multa ſunt exempla quæ probant. *Plutarchus* in Libello paulò antè citato, de vulpibus Thraciæ refert, cùm fluvium congelatum tranſituræ ſunt, leviter primùm ſuper glaciem incedentes, auriculam admovere; ac ſi ſtrepitum quidem ſubterlabentis aquæ percipiunt, ſiſtere gradum, ac niſi quid vehementer urgeat, nuſquam promovere pedem: at ſi nullum ſtrepitum audiunt, ſumptis animis trajicere. Hoc autem ratiocinationem ac diſcurſum arguit, quo colligunt, quod ſtrepit, moveri; quod movetur, non eſſe fixum; quod fixum non eſt, liqueſcere ac diffluere; quod liquidum eſt, retineri non poſſe, ſed impelli & cedere, ac proinde tutò transiri non poſſe. Similia de canibus, elephantis, aliiſque nonnullis animalibus paſſim extant exempla, & multa referentur ſequentibus libris.

Diſcurrere videntur quædam bruta.

Vulpes qua cautela flumen congelatum trajiciant.

Argumentum X.

Ex indifferentia animalium ad utrumlibet.

Indifferentia animalium in hoc apparet, quòd inter duo objecta propoſita hærent dubia, tandemq; alterutrum amplectuntur. Sic canis viſâ oſſa & baculo, abit; equus appoſitis duobus faſciculis graminis, aut hordei modiolis, unum eligit, & alterum relinquit. Indifferentia ergo ſunt animalia, & alterutrum è duobus, aut pluribus, eligere poſſunt. Confirmatur hoc ex eo, quòd tam bonum, quàm malum ſenſibile agnoſcant, & conſequenter mixtum ex utroque: hinc enim fit, ut quando tale quid ſe ſe offert ſenſui brutorum, v. g. cibus aptus, ſed nimis calidus guſtui felis; ſtet illa incerta reſpuatne, an deglutiat, & identidem experiatur ſummo ore delibans, & ſuccuſſis auriculis hærens, quaſi penſitans utrum è duobus eligat, comeſtionem, an abſtinentiam; donec tandem ſe determinet.

Animalia bruta an indifferentiã habeant.

Digitized by Google

PARS II.

CAPITIS.

Bruta animalia non eſſe mente prædita, ſtatuitur.

EX dictis hactenus, aliiſque quæ fusè adhuc proſequitur *Plutarchus* citato ſæpe libello, concludunt Auctores, §. 1. citati, intrepidè, mentem, intellectum, diſcurſum, indifferentiam, libertatem, mores, diſciplinæ capacitatem, aliasque communes cum homine dotes ineſſe animalibus, aliis quidem plùs, aliis minùs. Quid ſentiendum, docent quæ ſequuntur.

Aſſertio I.

Bruta animalia non ſunt mente prædita.

Bruta animalia non ſunt mente prædita.

ALioquin bruta non eſſent, nec irrationalia, ſed, non ſecus ac nos, rationalia animalia. Mens enim ab intellectu ac ratione non differt, niſi voce; intellectus ac ratio facultas eſt animæ rationalis; hæc rationale conſtituit animal, & ab irrationalibus diſcernit. Mens præterea ſeu intellectus, verum indagat, verumque amplectitur, reſpuit falſum, ob idque inter verum & falſum diſcernit: at quæ ratio, quævè experientia perſuadet, animalia bruta circa verum occupata unquam? Adde, ſi mente prædita forent animalia bruta, mentisque opera forent, quæ aſtutè, quæ callidè, ſagaciter, lepideque agunt, quæq; prudenter acta alicui videri queunt; longè feliciora forent ipſo homine. Huic enim tametſi congenita mens ſit, mentis tamen uſus in prima ætate nullus: deliteſcit initio, exeritur cum tempore, ſtudio & diſciplinâ excolitur. At animantibus congenita eſt aſtutia, calliditas, & (ſi ita libet appellare) prudentia; apes vix natæ favos exſtruunt, mella colligunt, regem ſequuntur, reipublicæ ſervant formam: formicæ juvenes æquè providæ & laborioſæ, ac ætate provectæ: gallinacei pulli vix ovo excluſi, milvum fugiunt; milvus nullo inſtruente perſequitur gallinam; lupus inter homines à primo ætatis die educatus, ovem infeſtat; araneus telam, hirundo nidum, nullo præeunte inſtructore, texit atque ædificat.

Ergo rationem prodigit, qui mentem brutis concedit. Quam quia Vir magnus, Juſtus Lipſius, elephantis tribuit, aut erravit, aut in ſpeciem tantùm fecit. Veriſſimè dixit, qui dixit, ſicut bruta nos fore, ſi bruta ſicut nos putaverimus. Brutis intellectus nullus eſt, Sacrâ etiam Paginâ atteſtante. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Mens prærogativa eſt hominis, animæque rationalis facultas princeps ac præcipua, quâ ſolus homo præditus, quâque cæteris præcellit animantibus. Nec malè

malè dixit, qui mentem quaſi eminentem definivit, quâ videlicet quia præditus eſt homo, inter omnes cæteras eminet animantes. Sed piget plura in hanc rem adaggerare.

Corollarium.

Bruta animalia non habent voluntatem.

SOlùm colligo, nec voluntatem brutis competere; voluntatem inquam, quæ intellectum ſupponit, & ſequitur. Dicimus quidem perſæpe, bruta velle, & non velle, ut cùm canem velle comedere aut mordere, aut equum nolle currere, enuntiamus; & eodem id ſenſu dicimus, quo voluntarium ac involuntarium illis tribuimus, per ampliationem videlicet, aut abuſum, voluntarium pro ſpontaneo ſumendo. Bruta non habent voluntatem.

Aſſertio II.

Bruta nullam habent libertatem, nec propriè indifferentiam.

ESſe in brutis libertatem, præter ea quæ diximus in præcedentibus, videtur ſuaderi multis aliis argumentis, quæ recenſet *S. Thomas* Quæſt. 24. de verit. art. 2. & ex ipſo *Theophilus Raynaudus* in Morali Diſcipl. Diſtinct. 2. q. 2. art. 4. num. 155. Potiora ſunt, *Primò*, quòd bruta non ſemper ſint determinata ad unum, ſed plerumque ſe ipſa determinare videantur, faciendo quod poſſent omittere, & omittendo quæ poſſent facere; cùm nullâ vi externâ aut internâ ad id adigantur. Sic enim videmus, canem modò citatiore greſſu, modò lentiore ferri, interdum etiam quieſcere, nemine urgente, ſed ſuopte nutu. Videmus etiam, bruta allici beneficiis, moveri præceptis, minis terreri & revocari ab aliquo opere. Qui modus agendi videtur ſupponere & arguere libertatem. Sed præcipuè urgeri ſolet *Secundò* eventus metaphyſicus, bruti æquè fame ac ſiti vexati, & inter pabulum ac potum æquo ſpatio diſtantia collocati: tunc enim neceſſarium prorſus videtur concedere bruto facultatem ſe determinandi ad alterutrum; quia nullum proferri poteſt extrinſecum determinans: unde niſi ipſummet brutum ſeipſum determinet, dicendum eſſet in illo eventu hæſurum, & necandum fame ac ſiti; quod videtur incredibile. Bruta indifferentiam & libertatem habere, quibus argumentis aliqui probent.

Sed his, aliiſque non obſtantibus, aſſero, bruta tam abeſſe à libertate, quàm abſunt à mente. Ratio præcipua eſt, quia ut probavimus in Philoſophia Morali, ſeu Ethica, Diſput. de Libert. libertas inſidet ſoli potentiæ directæ per ſe per rationem, ſeu per intellectum, cujus indifferentia ac modus proponendi objectum eſt proxima radix libertatis formalis. Cùm ergo Bruta non habent libertatem.

Digitized by Google

brutis non præluceat ratio, ut vidimus præcedenti Aſſertione; deerit ipſis potentia rationi immediatè & per ſe ſubordinata (quæ eſt voluntas) ac proinde deerit ipſis libertas. Confirmatur eadem veritas luculento indicio, deſumpto ex conformitate cupiditatum brutis conſentanearum: omnia enim eodem modo feruntur in victum & prædam, & omnia in eundem victum & prædam; omnia cupiunt eodem modo nidificare, prolificare, aliaque ſuæ cuique ſpeciei congrua peragere: cùm econtra inter homines velle ſuum cuique ſit peculiare, nec uno voto aut modo vivatur, propter libertatem, quâ pollent.

Solvuntur argumenta contraria.

Ad primum argumentum in contrarium adductum nego bruta unquam determinare ſeipſa, aut poſſe aliquid omittere quod poſſint agere. Nam cùm primùm ponuntur omnia ad agendum prærequiſita, illicò naturæ impetu abripiuntur ad operationem. Interdum autem videntur feriari cùm poſſint agere, aut videntur non agere quantum poſſunt, aut videntur omittere quod agere poſſunt, quia deeſt judicium phantaſticum indicens operationem, aut modum operandi diverſum ab eo, quem reipsâ tenent. Quod S. Thomas lo. cit ad 3. argument. ita expoſuit, ut diceret, eſſe quidem interdum in brutis indifferentiam ad agere & non agere, conſideratâ actione ſecundùm ſeipſam; attamen conſiderato ordine actionis ad judicium determinatum, à quo provenit ea actio, deeſſe brutis libertatem. Et ex hac indifferentia actionis ſpectatæ ſecundùm ſeipſam, ait S. Thomas lo. cit. ad 7. argum. contingere, ut brutum flagellis territum, vel blanditiis aut eſcâ illectum, excitetur ad aliquid faciendum, aut omittendum, ſed absque libertate; eò quòd interventu objectorum prædictorum exoriatur in bruti phantaſia judicium determinatum, neceſſitans brutum in unam partem; v.g. oſtentatione flagellorum excitatur in bruto recordatio præteritorum verberum, quam affectatur judicium phantaſticum determinans ad fugam, nè malum aliàs inflictum denuò ſubeatur. Idem ſentit *Valeſius* cap. 44. Philoſophiæ ſacræ. Ex his patet, quid reſpondendum ad illa, quæ ſuprà Argumento X. adducta ſunt.

Ad *Secundum Argumentum* varii variè reſpondent. *Medina* 1.2. qu. 13. art. 2. ait, eventum illum eſſe moraliter impoſſibilem: ſemper enim, (inquit) alterutra ex parte interveniret aliquid, propter quod unum potiùs ex illis objectis, quàm aliud eſſet bruto magis neceſſarium, aut gratum; ideoque exurgeret judicium determinans potiùs ad unum, quàm ad alterum. Addit tamen, dici poſſe, brutũ primò quidem appetiturum utrumque illud objectum, perinde ac ſi eſſet unum; poſtea tamen applicaturum ſe ad alterum eorum duntaxat, non ex peculiari & novo appetitu, quaſi abhorreat ab altero objecto, à quo recedit, ſed ex mero naturali inſtinctu. Quemadmodum cùm equo famelico ſimul apponitur aliqua avenæ quanti-

quantitas; primò quidem naturaliter eam totam appetit; deinde tamen ab aliqua determinata parte incipit comedere, & famem ſuam depellere: non quòd ſit in eo equo peculiaris appetitus, quo in hanc potiùs partem, quàm in illam feratur; ſed quòd ex mero inſtinctu in hanc potiùs primùm ruat, deinde in aliam, & aliam. Verùm hæc reſponſio, quamvis foret idonea, ſi ageretur de duobus objectis indiſtantibus; tamen quoad objecta inter ſe diſtita, & ex æquo ſemota à bruto (qualia ſupponuntur in caſu propoſito) eſt manifeſtè inſufficiens, ut poſt alios bene advertit *Raynaudus* loc.cit. num. 159.

Aliter ergo reſpondet *Salas* 1.2.tract. 6. diſp. 1. num. 22. dicens, in eo eventu brutum manſurum ſuſpenſum, donec mutatio aliqua fieret, & interim æqualiter appetiturum utrumque objectum, & æqualiter movendum ad utrumque per eandem viam. Sed nec hæc reſponſio ſatisfacit univerſaliter. Quid enim fieret, ſi motus ille (ut facilè ſupponi poteſt) brutum elonget ab utroque objecto, ita ut non verſus utrumque moveatur? Nam ſi pabulum locetur à ſiniſtris, & aqua à dextris, in æqua diſtantia à bruto, brutum autem ſit in medio: conſtat brutum non poſſe moveri approximando æquè ad utrumq; objectum. Nam ſi ad ſiniſtram moveatur, recedet à potu; ſi ad dexteram, recedet à cibo; ſi incedat per medium ſpatium rectà, ad neutrum movetur, ſed ab utroque magis removetur.

S.Thomas in lib. 2. de Cœlo Lect. 25. reſpondet, brutum potiùs movendum ad potum, quia ſitis magis urget, quàm fames. Non tamen ſatisfacit univerſaliter hæc reſponſio. Quid enim fiet, ſi fames creſcat, & æquè urgeat ac ſitis? quod fieri poteſt. Reſpondet S.Thomas, fore tunc ut brutum curreret ad alterum, quodcunque contingeret. Sed hoc dici non poteſt: quia cùm brutum non poſſit ſe determinare, cur contingeret ferri potiùs ad unum quàm ad alterum?

Reſpondeo *Ego* cum *Raynaudo* lo. cit. in eo metaphyſico eventu brutum hæſurum eſſe. Et ita de facto contigiſſe ajunt aſino Buridani. Addit Medina lo. cit. ſe noviſſe amentem, qui propoſitis duobus pomis in æquali diſtantia, non poterat ex ſe in alterum involare, & cruciabatur appetendo, nec guſtando, donec ab aliquo ad alterutrum eorum applicaretur. Idem ergo contingeret bruto in pari eventu, ac etiam in eo, de quo ſermo eſt in argumento ſecundo ſuprà facto. Hæreret porrò brutum, ut bene ſentit Raynaudus, non ex dominio in actum ſuum, ſed ex impotentia ad operandum ob defectum judicii prælucentis, quod ob pares utrimque circumſtantias ex neutra parte bruto affulgeret. Itaque ea ſuſpenſio operationis non eſt argumentum libertatis bruti, ſed virtutis agendi non plenæ & completæ.

Aſſertio

Aſſertio III.

Bruta memoriam habent, non tamen ob id ratione ſunt prædita.

Bruta memoriam habent, non tamen ob id ratione prædita.

MEmoriam hoc loco appello tum facultatem ſeu potentiam, quâ recordamur præteritorum, tum ipſum actum recordandi. Ad facultatem memorandi ſeu recordandi quod attinet, eſt ea duplex in homine, una ſenſitiva, quæ in capite ſedem habet; altera intellectiva, quæ in ipſa animæ ſubſtantia reſidet. Dum quærimus, num bruta habeant memoriam, de ſola ſenſitiva eſt ſermo.

Ajo itaque, Memoriæ ſenſitivæ tam potentiam, quàm actum, convenire etiam brutis, ſaltem aliquibus. Docet id *Ariſtoteles* lib. de Memoria & Reminiſc. cap. 1. & lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. & lib. 7. Ethic. cap. 3. & alii communiter, ut *Fonſeca, Suarez, Conimbricenſes*. Probatur ex manifeſtis indiciis quæ in brutis deprehenduntur, quorum nonnulla adduximus ſuprà Argumento 8. Confirmatur ex eo, quòd, ut tradit *Ariſtoteles* lib. 4. Hiſtor. Animal. cap. 10. & *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſt. c. 57. compertum eſt, præter hominem, ſomniare etiam equos, canes, boves, oves, capras, & denique omne genus quadrupedum, & viviparorum. Quod quidem in canibus declarat ipſorum latratus per quietem: videmus enim ſubinde repentè excitari ſponte, & latrare. Non ſomniarent autem bruta, niſi haberent in ſomniis occurſantes præteritarum rerum imagines, aſſervatas in interno ſenſu; quod ad munus facultatis memorativæ pertinet.

Piſces memoriam habent.

An verò aliqua bruta, & quænam careant memoriâ, hîc non diſputo. Facit id *Ariſtoteles* lib. de Memor. & lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. *Fonſeca, Suarez, Conimbricenſes*, & alii. Hoc ſolum dico, non rectè piſcibus eam denegari ab aliquibus, cùm manifeſta indicia memoriæ in aliquibus deprehendantur. Nam ut citato Argumento 8. inſinuatum, & docet *Plinius* lib. 10. Nat. Hiſtor. cap. 70. piſces in quibusdam vivariis plauſu congregabantur ex conſuetudine; & ad nomen vocati adveniebant in piſcinis Cæſaris, non confertim omnes, ſed quidam privatim. Quod certè non niſi ex plausûs, nominumque, & pabuli memoria faciebant. Huc pertinet illud, quod idem *Plinius* lib. 9. cap. 8. narrat de delphino quodam, qui quocunque diei tempore inclamatus à puero, quamvis occultus, & abditus, ex imo advolabat, paſtusque pane præbebat aſcenſuro dorſum, receptumque portabat per mare ad ludum litterarium, ac revehebat. Hiſtoriam narravi in Magia 2. par. lib. 1. Syntagm. 2. cap. 3. ex citato Plinio, & A. Gellio. Idem ſuadetur hac etiam ratione, quòd memoria ob id maximè à Natura tributa eſt animantibus brutis, ut ad definita loca commodi alicujus gratiâ ſe conferant:

Digitized by Google

rant: certum verò eſt, piſces quoque in eaſdem ſpeluncas, eademq; domicilia, ſtatis temporibus ſeſe abdere, indeq; egreſſos eòdem rurſus commeare. In hac ſententia eſt etiam *D. Auguſtinus* lib. 3. de Geneſi ad litter. cap. 8. & *D. Thomas* 1. par. quæſt. 72. art. 1. Contrarium ſentit *D. Baſilius* Homil. 8. in Geneſin.

Inferat aliquis ex his, bruta animalia eſſe mente prædita. Memoria enim actualis definitur à Philoſophis, quòd ſit repetita cognitio rei antea cognitæ, ut cognitæ, ſive, quòd ſit regreſſio ad notionem ejus quod fuit antea apprehenſum, prout apprehenſum fuit: res autem cognita, ut cognita, non poteſt cognoſci, niſi ipſe cognoſcendi actus percipiatur; & actum cognoſcendi præteritum nulla potentia percipere poteſt, niſi ea quæ reflectendi ſe ſupra actus ſuos facultatem habet: talis autem potentia non poteſt eſſe materiæ immerſa, ſed debet eſſe ſpiritualis. Si ergo bruta memoriam habent, mentem quoque habere neceſſe eſt. *Reſpondeo*, ad memoriam intellectualem requiri, cognoſcere iteratò rem antea cognitam, ut cognitam, reflectendo ſe formaliter & expreſsè ſupra cognitionem antea de re illa habitam: ad memoriam verò ſenſitivam, qualem brutis concedimus, ſufficit cognoſcere iteratò rem antea cognitam, cognoſcendo ſimul cum re etiam cognitionem antea de re illa habitam, non formaliter, &, ut ita dicam, abſtractè, ſeu materialiter & concretè; quod fit, dum quis recordatur, ſe rem, quam cognoſcit, antea cognoviſſe, etiamſi non expreſsè cognoſcat actum cognitionis antea habitum. Bruta non ſunt mente prædita ideo, quòd memoriam habent.

Adde quòd ad memoriam actualem non requiritur, ut potentiæ internæ reflectant ſe ſupra hos actus præteritos, ſed ſufficit ut percipiant actus illos, quibus res antea fuit cognita. Hoc autem in brutis quoque locum habere poteſt: nam potentiæ internæ brutorum percipiunt actus internos etiam præteritos, quia cognoſcunt ſe videre, audire, tangere, &c. & ſe vidiſſe, audiviſſe, tetigiſſe, &c. uti ex dictis de memoria conſtat.

Aſſertio IV.

Bruta animalia non rident propriè, ſed umbraticè tantùm.

Riſum tam eſſe naturalem homini autumant Philoſophi, ut riſibilitatem, ſeu ridendi potentiam atque aptitudinem, ejuſdem proprietatem eſſe pronuntient. Quid autem ſit riſus, & quomodo fiat, quæque ejus ſit cauſa, pauci ſunt qui explicant; & hi pauci non parum inter ſe diſcrepant. De riſu ſcripſerunt, (quos ego ſcio) Valeriola, Fracaſtorius, Valleſius, Eſpidius, Berretarius, Nancelius, Raynaudus, Nicquetius, Charteſius, Scaliger, & Sperlingius in Anthropologia. Bruta non rident propriè.

Digitized by Google

Riſus non convenit propriè brutis.

Riſus quomodo fiat.

Hieronymus Fracaſtorius lib. de Sympath. cap. 20. *Franciſcus Valleſius* lib. 5. Controverſ. Medicar. cap. 9. *Julius Scaliger* Exercit. 317. *Theophilus Raynaudus* in Diſciplina Morali Diſtinct. 3. quæſt. 4. art. 2. num. 380. ajunt, riſum fieri per diaphragmatis (quod & ſeptum, & præcordia appellatur) dilatationem in lætitia & admiratione, & ex conſequente inde per conſenſum dilatatione muſculorum, qui circa buccas ſunt. Dilatari autem autumant in gaudio & admiratione præcordia ex calore: tum enim ſanguis ad cor confluit, illudque dilatat; quo facto, ſpiritus magno impetu ad ſeptum meant, illudque ſimiliter dilatant. Hoc manifeſtum eſſe ajunt in cachinno, in quo uterque ille motus perſpicuè proditur, ex ſpirituum videlicet, tanquam in proſcenium prodeuntium (ut loquitur Scaliger) excitatione. Confirmant hoc ex illa effuſè ridentium fatigatione circa diaphragma ſeu ſeptum: itemque ex eo, quòd aliqui, vulnerato diaphragmate morientes, ſoluti in riſum leguntur, ut poſt Hippocratem *Ariſtoteles* refert lib. 3. de Partibus Animal. cap. 10. *Ictu etiam*, inquiens, *trajecta præcordia in præliis riſum attuliſſe proditum eſt, ſcilicet calore quem moveat vulnus.* In gladiatorum quoque ſpectaculis Romæ trajecta præcordia mortem cum riſu attuliſſe, teſtatur *Plinius* lib. 11. Natur. Hiſtor. cap. 37. Prædictum porrò diaphragmatis motum per effuſos è corde ſpiritus, ſequitur motus muſculorum, & ingens ſpiritus protruſio, non tam ejus qui in corde ſtabulatur, & per arterias ſalit, quàm qui deforis hauritur, & in vocem fingitur: ex cujus violenta cohibitione major plerumque ejuſdem, quà data porta, tandem ruentis eliſio, per eam ſonus conſequitur. Qui quidem motus riſu adjuncti tam poſſunt eſſe immodici, ut mortem afferant. Notus certè eſt Chryſippi riſus vehementiſſimus, qui cùm aſello conſpecto ficus vorante, puero ad eum abigendum advocato accurrente tardiùs, nempe abſumptis jam à beſtia ficubus, hortatus eſſet puerum, ut quando cibum aſello dediſſet, daret & potum; adeo vehementem, hoc dicto, cachinnum ſuſtulit, ut animam efflârit. Idem contigiſſe Zeuxi fertur, cùm anum à ſe admodum ridiculè depictam contuitus eſſet.

Riſus immodicus mortem afferre poteſt.

Riſus ſoli homini competit.

His de riſu præmiſſis, Ajo, riſum ſoli homini competere, brutis verò minimè. Aſſerit id Ariſtoteles citato libro 3. de Partibus Animal. cap. 10. ubi ait: *Cauſa autem cur homo animalium unus titilletur, & cutis tenuitas eſt, & quòd ſolus omnium animalium ridet.* Et infrà, loquens de animalibus brutis, ait: *Riſum enim iis nunquam præcordiis trajectis moveri conſentaneum eſt, cùm ridendi vi careant.* Ariſtoteli ſubſcribunt omnes Philoſophi, qui riſibilitatem hominis proprietatem agnoſcunt, ut diximus. Eſt quidem in brutis gaudium non minùs quàm in homine; cùm boni jucundique ſenſu tangantur; & ſæpe gaudii ſui ſigna promunt, cùm exultatione & vocibus inconditis, tum alarum & cæterarum corporis partium ſucceſſione; vul-

vultûs tamen immoto interim manent habitu, nec os in riſum componunt, cùm tamen riſus non minùs vultus ac oris, quàm cordis ac præcordiorum mutationem ac motum requirat, juxta communem apud omnes homines riſus acceptionem.

Nec cuculus igitur, nec avis fulva ridibunda, nec pſittacus propriè rident, ſed ſolùm imaginem quandam humani riſus exhibent, dum eum quoad ſonum vocis imitantur, vel potiùs imitari videntur. Nec ſonus ille humano riſui ſimilis, ſemper ex gaudio oritur; ex admiratione autem nunquam, quia bruta non admirantur: æquè enim proprium homini eſt, eſſe admirativum, ac eſſe riſibilem. Adde quòd nihil frequentius eſt in ſcholis apud philoſophos, quàm riſibilitatem ſequi rationem, dum ſtatuunt riſibilem eſſe hominem, quia rationalis eſt. Quoniam ergo rationalia non ſunt bruta, riſibilia quoq; non erunt. Clamor ergo eſt, non riſus, nec humani riſus imitatio, cuculi, avis ridibundæ, & pſittaci vox riſui ſimilis.

Aſſertio V.

Bruta animalia flent quidem aliquando, non tamen propterea ſunt mente prædita.

Quod de riſu diximus, ſolius hominis eſſe, aſſerunt plerique de fletu & lacrymis. *Riſui enim*, inquit Sperlingius in Anthropologia lib. 1. c. 5. quæſt. 7. *fletus opponitur; ridere & flere actus contrarii ſunt; unus dilatatione fit, alter conſtrictione: contraria autem commune poſtulant ſubjectum: ſolus homo ridet, & ſolus homo lacrymatur.* Idem ſentit apud eundem *Julius Cæſar Placentinus* tract. de lacrym. c. 12. ſed alio argumento inductus. *Cenſeo*, inquit, *ſolum hominem flere, quòd inter omnia animantia cerebrum adeptus ſit pro corporis ſui magnitudine ampliſſimum, duploq; quantitate boum cerebrum excedens. Illud itaq; ſi tam vaſtum ſit, ſit in tantam amplitudinem auctum; quis ſtatim non judicet, indigere pluri alimento; neq; ipſi exiguam illam quantitatem, quæ cæterorum animalium cerebris alioquin potuiſſet ſufficere, in hoc idoneam eſſe ad tantam molem enutriendam? ſi magnum vaſtumq; ſit cerebrum hominis, & majori indigeat alimento; colligere hinc facile eſt, pro tanta, tamq; copioſa coctione, plurima etiam excrementorum genera ſupereſſe, quibus Natura ſapientiſſima ſuum locum deſtinavit. Glandulas aquas, etſi in aliorum etiam animantium oculis reperias; eas tamen ad exiguam humiditatem, pro oculo ob nimium motum æſtuante refocillando, excipiendam factas eſſe, tam notum, quàm notiſſimum. Hæ igitur glandulæ in homine, aquoſum illud excrementum receptura, in oculorum canthis ſitæ ſunt; aliis verò excrementis craſſioribus evacuandis, quæ etiam neceſſariò in homine proportione non plura, quàm in cæteris animalibus eſſe, fateri debemus,*

Bruta flent aliquando.

Digitized by Google

bemus, non ſolùm palatum, naresque, ſed & cavitatem illam in genis natura machinata eſt.

Lacrymæ quid ſint, & quomodo fiant.

Hæc ratio ut intelligatur, ſimulque ſtatuatur; num ſoli homini conveniat lacrymari, non brutis; videndum quid ſint lacrymæ, & quomodo, quâque de cauſa oriantur in homine. Si enim eundem in brutis modum & cauſam repererimus aquæ ex eorum oculis nonnunquam profuſæ, ſtatuendum erit & illa lacrymari.

Valleſius lib. 5. Controverſ. Medic. cap. 9. ait, fletum eſſe motum riſui contrarium, animi etiam motum aliquem repræſentantem; & ut per illum dilatatur cor, & cum eo thorax, & faciei muſculi; ita per hunc conſtringi; cum hac tamen differentia, quòd per riſum dilatantur muſculi in facie pertinentes ad os, per fletum verò conſtringuntur muſculi pertinentes ad oculos. Hanc compreſſionem ait exprimere lacrymam; & hanc ex eadem materia eſſe, ex qua urina, & ſudor, putà ex ſanguinis ſero; ſed ut urina ex hepate, ut ſudor ex venis, ita lacrymam ex humidis oculi partibus. Citat in hanc rem *Ariſtotelem*, qui in Problem. Sect. 5. Problem. 35. ait, lacrymam eſſe quendam ſudorem, quoniam & ſalſa eſt ut ſudor, & calefactu motuque vehementi exprimitur ut ſudor: nam qui rem quampiam vehementiùs calefacientem admovent oculis, ut allia, cepas & ſimilia; & qui vehementiùs rident; lacrymas effundunt. Animi motus, quos lacrymæ declarant, ſunt triſtitia, & timor: per hos enim conſtringitur vehementer cor, atque in eo calidum innatum. Hæc & alia *Valleſius*. Legi etiam poſſunt, quæ doctè ſcribit de lacrymarum cauſis *Lælius Biſciola* tom. 2. Horar. Subciſiv. lib. 15. cap. 6.

Sperlingius loc. cit. ait, lacrymarum fluxum à cerebro eſſe: non enim lacrymæ in oculis generantur (inquit) ſed iſtuc à cerebro, ut in conceptaculum idoneum, transmittuntur. Hoc ut probet, ait, in coctionibus cerebri duo excrementorum genera procreari, unum tenue, alterum craſſum: tenue eſſe vel vaporem, vel humorem: vaporem per cranii ſuturas exire, & evaporare; humorem in oculorum glandulas detrudi, & ex iis per conſtrictionem foràs propelli, ac lacrymas cauſare. *Sunt igitur lacrymæ excrementum aqueum cerebri. Ab hoc ad oculos transferuntur; non quidem ad omnes eorum partes, ſed angulos externos. Ibi enim glanduloſa corpora extant, in quibus ad tempus reſervatur materies. Non verò illa materia pura puta aqua eſt. Salem ibi contineri, vel ſenſu diſcimus; unde & ſalſæ dicuntur.* Hærentes in his oculorum glandulis humiditates, exprimuntur dolore, & conſtrictione, velut ex ſpongiis, partim naturâ, partim voluntate noſtrâ.

His præmiſſis, non video cur ſoli homini lacrymæ concedantur, brutis verò animalibus omnibus denegentur: Dolent enim bruta, & triſtantur,

Digitized by Google

tur, ut experientia quotidiana docet; & his affectibus agitata profundunt ſubinde aquas ex oculis, non ſecus ac homines, ut conſtat ex relatis exemplis ſuprà in Argumento ſeptimo, aliisque, quæ ſequenti libro proferentur; nec deeſt frequens experientia. Cur ergo in hominibus aquarum illa profuſio ex oculis fletus dicitur ac lacrymatio, in brutis non item? Tametſi enim fletus opponatur riſui, & ſolus homo rideat; non ideo ſolus flere debet. Dicere autem, contraria requirere commune ſubjectum, plùs quàm errare eſt in Philoſophia, ſi univerſaliter enuntietur: contraria ſunt frigus & calor; igni competit calor, non frigus; nivi frigus, non calor. Nec quia bruta quædam nunquam, quædam rarò aquas ex oculis profuderunt, denegandæ ſunt lacrymæ illis etiam, quibus expreſsè fluunt: ſunt enim & homines, quibus aut nunquam, aut non niſi difficillimè exprimuntur, nec tamen propterea rectè negatur homines lacrymari.

Flent ergo bruta, aliqua ſaltem, & aliquando. Non tamen propterea mente ſunt prædita: non enim ut riſibilitas ſeu ridendi facultas, ita & flendi poteſtas, rationalitatem ſequitur. Riſum beſtiis denegamus, quia *nec riſiſſe unquam* deprehendimus, nec cur riſum eis attribuamus, ratio ulla convincit: fletum verò iisdem tribuimus, quia & fleviſſe ſcimus, & cur flere queant, novimus.

Aſſertio VI.

Bruta etſi voces humanas articulatas proferant, non loquuntur tamen propriè.

BRutorum animantium multa humanas imitari voces, & articulatè loqui, ſeu naturâ, ſeu hominum arte inſtructa, probant innumera penè exempla; quæ diligentiſſimè collegit *Lælius Biſciola* tom. 2. Horar. Subciſ. lib. 15. cap. 2. Multa etiam nos dedimus in Magia part. 2. lib. 1. Syntagm. 5. cap. 1. 2. 3. & 4. & ſuprà hoc capite, Argumento 1. Quibus adjungo ſequentia. Bruta articulatas voces proferunt.

Sponte naturæ, non ab hominibus doctæ, humanas voces imitantur Hyæna, Pica, & ſi quæ ſunt alia. Hyæna, ut dicam libro ſequenti cap. 41. ex *Plinio* lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 30. ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſſimulat, nomenque alicujus addiſcit, quem noctu evocatum foràs lacerat. Vomitionem quoque hominis imitatur, quâ canes ſollicitat, ac foràs prolectos invadit. Idem tradit Plinius de Crocuta (quam tamen eandem facit cum Indica Hyæna *Porphyrius* lib. 3. de Abſtin.) & de Mantichora. Pica, teſte *Nipho* apud *Geſnerum* lib. 3. de Avibus litt. C. venatoris vocem tam exactè fingit, ut canes decipiat, atque ad ſe, dum heros ſuos credunt, alliciat. *Panſanias* in Arcad. ſcribit, Picam puerilem vagi-

Hyæna ſermonem & vomitionem hominis imitatur.

Pica humanas voces imitatur.

Digitized by Google

Aves variæ articulatè locutæ.

vagitum tam naturali voce expreſſiſſe, ut Herculi fuerit cauſa inventi filii Æchmagoræ. Hiſtoriam narravi in Magia loc. cit. cap. 3. *Maximus Tyrius* Platonicus Serm. 14. narrat, docuiſſe neſcio quem Apſepham incluſas aves clamare, Apſephas Deus eſt, quem Pſaphonem alii vocant. Idem Hannonem Pœnum feciſſe, prodit *Ælianus* lib. 14. Variar. Hiſtor. cap. 30. *Simplicius* ait, aves in genere locutas, *κονδῖτον πίω*. *Philoſtratus* lib. 1. Vitæ Apollon. ait dixiſſe, *εὖ πράττε, Ζεὺς ἵλεως*, & ſimilia. P. Nicolaus Bettus Societatis noſtræ, vir doctus, narravit P. Lælio Biſciolæ, ſe ex Legati Hiſpanici feneſtra Genuæ audiviſſe Pſittacum litanias canentem. Eidem Biſciolæ narravit P. Julius Nigronius ejusdem Societatis noſtræ, ſe à magnæ auctoritatis viro Societatis noſtræ Luſitano audiviſſe, in Luſitania Pſittacos, qui puſilli ex India magno numero importantur, in cavea incluſos præ nocturno frigore inſtar infantium gemuiſſe, & opertos ſtragulo ad arcendum frigus caveâ continuiſſe. *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 42. ſcribit, Agrippinam conjugem Claudii Cæſaris turdum habuiſſe, quod nunquam antè, imitantem ſermones hominum. Cæſares item Juvenes habuiſſe Sturnum, & luſcinias, græco atque latino ſermone dociles, externa meditantes in diem, & aſſiduè nova loquentes, longiore etiam contextu. Idem eodem libro cap. 43. ait, fuiſſe in urbe Roma cornicem è Bœtica, colore admodum nigram, plura contexta verba exprimentem, & alia atque alia crebrò addiſcentem. De cornice affirmat quoque *Philoſtratus* lib. 1. Vitæ Apollonii eam loqui: & lib. 2. meminit philomelarum, quas voces hominum ſcrutari, & gutture tanquam tibiis modulari docebat adoleſcens neſcio quis. *Ælianus* lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 51. obſervat de pſittaco, locutionem aliam habere ut ludentem, aliam ut ſerio agentem. Si quid enim ad Deum ſpectans reſpondeat, tum verò (inquit) ſacrum quidpiam & divinationis plenum eloquitur. *Deuſingius* in Diſſert. de Ratione ac Loquela brutorum num. 68. teſtatur, vidiſſe ſe fringillam, quæ quotiescunque ſe ad cantum componebat, aliquoties priùs hæc verba, Sing manneken/ *cane virunculæ*, articulatè præmittebat, ac deinde cantum auſpicabatur. Plura vide apud Biſciolam loco citato initio. His præmiſſis

Pſittaci articulatè loquentes.

Turdus humanos ſermones imitans.

Sturnus græcè locutus.

Cornices articulatè loquentes.

Fringilla articulatè loquens.

Bruta non loquuntur propriè.

Ajo, bruta animalia, tametſi voces hominum, & articulatas locutiones imitentur ſubinde, hominum inſtructione accedente; non tamen propriè loquuntur. Aſſerit hoc Ariſtoteles, aliique multi; & probat ratio. *Ariſtoteles* in Problem ſect. 11. Problem. 1. ait. *Argumentum autem facile omnino loquendi principium deſtrui poſſe, vel ex cæteris animantibus erui licet: nullum enim loqui ex cæteris poteſt; ſed homini tantùm facultas hæc data eſt.* Idem aſſerit. lib. 4. Hiſtor. Animal. cap. 9. *Mercurius Triſmegiſtus* in Pimandro cap. 9. ait, orationem ſeu locutionem eſſe ſororem intelligentiæ.

Ean-

Digitized by Google

Eandem *Philo lib. Quis rerum divinarum hæres*,& lib. *Quod deterius &c.* ait, ſermonem eſſe rivum mentis tanquam fontis, vel mentis fratrem, ac etiam quaſi obſtetricem. Quod aliis verbis dixit *Meletius* lib. de homine *cap.* de Multiplici facult. orationem eſſe Angelum (hoc eſt nuntium) intellectus. Hac de cauſa idem *Triſmegiſtus* cap. 12. Pimandri, negat cætera præter hominum animalia uti ſermone.

Ex his formatur argumentum. Nomine ſermonis ſeu locutionis intelligitur à Philoſophis, aliiſque doctis, ea tantùm locutio, quæ ſubordinatur interiori rationi: talis non eſt locutio animalium brutorum, dum verba aliqua, quæ hominum inſtructione didicêre, proferunt; ergo, &c. Confirmatur inde, quòd voces articulatæ, atque ex hominum inſtitutione ſignificativæ, denotant conceptum internum loquentis: bruta autem loquentia non intendunt verbis illis quæ proferunt, internos conceptus manifeſtare, ſed ſolùm enuntiant illa quæ ab hominibus didicêre, & quorum ſignificationem ignorant; ergo, &c. Quòd ſi quædam animalia ita fuère inſtructa, ut rebus aliquibus ſua imponant nomina, & ad interrogata *reſpondeant*; eſt id ſolùm opus memoriæ, non intellectus, aut rationis internæ: nec enim intendunt, illis vocibus internum aliquem conceptum exprimere, ſed ſolùm quod didicerunt, facta interrogatione, enuntiant. Locutio quid ſit.

Si igitur animalia quædam bruta elocuta fuerunt reverâ aliqua, quæ antea non didicerant, ut fuit ſerpens *Geneſ.* cap. 3. & aſina Balaami *Numer.* cap. 22. & canis Simonis Magi apud Clementem Romanum, aliaque ſimilia; contigêre illa ope Angelorum, aut dæmonum; nec fuit vera locutio, quia non fuerunt prolata illa verba cum imaginatione interna dictorum animalium, ad internum conceptum explicandum. Hoc ſenſu dixit *S. Chryſoſtomus* Homil. 1. in Joannem, Pythagoram, quantumvis inſignem Magum, facere non potuiſſe, ut bruta oratione uterentur.

Aſſertio VII.

Bruta animalia judicant, non tamen diſcurrunt formaliter.

Ratio & exempla Argumenti 9. convincunt, bruta animalia per ſenſum internum elicere notitias altiores ſimplici apprehenſione, atque adeo enuntiativas & judicativas. Et hoc eſt quod hîc aſſerimus, cum *P. Theophilo Raynaudo* in Diſciplina Morali Diſt. 3. quæſt. 3. art. 4. num. 335. ubi citat pro eadem ſententia (loquendo univerſaliter de ſenſu interno) *Gregorium* in 1. diſt. 3. q. 1. art. 1. *Camerac.* ibidem q. 3. littera 1. *Gabrielem* q. 1. prol. art. 2. *Medinam* 1. 2. quæſt. 9. art. 1. *Valentiam* 1. 2. diſp. 2. q. 4. puncto 1. *Suarez* in Metaph. diſp. 23. ſect. 7. num. 10. Idem ſentiunt alii recentio- Bruta animalia judicium formant.

Digitized by Google

centiores, & diſertè habet *Philoſophus* lib.3. Animæ tex.43. ubi diſtinguit imaginationem practicam, ſeu judicium quòd res ſit fugienda vel proſequenda, à ſimplici intellectione vel imaginatione (nam utrumque eo loco, nomine intellectionis deſignari, ipſemet Philoſophus tradit.) Apertè ergo agnoſcit imaginationem ſive interni ſenſus actionem compoſitam, ſimplici notitiæ contradiſtinctam. Quam etiam admittit ibid. tex.28. & lib. 2. Animæ tex. 146. ubi ſenſui interno tribuit diſcernere ſenſibilia ab invicem, eorumque diſcrimen internoſcere; quod eſt unum ab altero dividere, non quidem attingendo negationem, qua unum non eſt aliud, ſed judicando de poſitiva utriusque ſimul concepti diverſitate. Ariſtoteli ſuffragatur ratio. Nam bruta, propoſito objecto aliquo, v.g. pane, aut baculo, interdum moventur ad illud, interdum non moventur. Cùm ergo libertate deſtituantur, & à notitia objectorum abripiantur, ut diximus ſuprà Aſſert. 2. neceſſe eſt, cùm moventur, poni aliam notitiam, quàm cùm non moventur: ſed hæc notitiæ diverſitas non poteſt conſiſtere in ſimplici apprehenſione objecti, quæ uniformis eſt manente eodem objecto; ergo conſiſtit in judicio nunc pronuntiante de objecti illius bonitate aut non bonitate, convenientia aut non convenientia, nunc non pronuntiante.

Utrum verò hoc judicium brutorum ſit formaliter compoſitum, & ex variis ſimplicibus apprehenſionibus extremorum, medioque copulæ conceptu, contextum, ut vult *Raynaudus* loc.cit. an verò tantùm virtualiter ſit compoſitum, ut ſentit *Suarez* loc. citat. & *Magnanus* in Philoſoph. Naturæ. tom.3. cap.28. num.8. nunc non diſputo. Hoc ſolum dico, judicium virtualiter compoſitum (hoc eſt, notitiam in ſe & formaliter ſimplicem) longè eſſe perfectius, Deoque & Intelligentiis proprium, quàm formaliter compoſitum.

Ex his conſtat, bruta animalia per internos ſenſus verè judicare, unumque alteri tribuere, aut unum ab altero ſejungere, diſcernere amicum ab inimico, domeſticum ab extraneo, utile à noxio, conveniens à disconvenienti, appetendum à fugiendo, &c.

Bruta non diſcurrunt. Non diſcurrunt tamen bruta, aut ratiocinantur. Nam diſcurſus non eſt progreſſus qualiscunque ab una notitia interna ad aliam, ab uno judicio ad aliud (qui progreſſus brutis ſine dubio competit) ſed eſt progreſſus illativus ab una notitia ad aliam, dependentem à priori, in eaque virtualiter contentam, & formaliter deductam: quod fit, dum potentia cognoſcitiva ab univerſali cognitione progreditur ad particularem, deductam ex univerſali; aut à cognitione nota, & per ſenſus antea hauſta, ad ignotam, & nullis hauſtam ſenſibus. Hæc autem, & ſimilis cognitio, non competit brutis. *Non enim* (inquit *Ludovicus Vives* lib.2. de Anima. cap. de Ratione) *exer-*

exordiuntur bruta ab a, *ut inde tranſeant in* b, *ad cognoſcendum* c; *nec ab* a, *ad* b *tanquam conjunctum, & progrediens ab* a: *ſed quia non placet* a, *quærunt aliud, inciduntq; in* b; *veluti cùm canis herum ſuum, & feram veſtigat: odoratur enim hunc hominem, vel aſpicit; ſi odorem, aſpectumq; heri referat, acquieſcit in eo, etiamſi non ſit herus; ſin ſecus, eo relicto confert ſe ad alium, inde ad alium, nullo nexu cohærentem cum priore, quoad in eum incidat, quem quærit.* Accedit huc (quod notat etiam Vives) quòd brutum ſequitur id, quod vel ſenſu eſt ſimpliciter cognitum, vel à phantaſia copulatum, compactumque, vel ab æſtimatrice ſtimulatum, tanquam tacito calcari Naturæ: qui autem diſcurrit, non componit ac dividit ſolùm, ſed ab aliis ad alia tranſit, conferens ea inter ſe, ex quibus aliquid pariat atque eliciat.

Aſſertio VIII.

Sagacitas & calliditas animalium brutorum, operaq; mira quæ ſponte patrant, non à ratione, ſed ab inſtinctu Naturæ ſunt.

Patet ex multis argumentis. Nam *primò*, animalia quæ ſponte ſuâ ſagaciter & callidè agunt, omnia eodem modo agunt, & ab initio ſine prævia inſtructione, ut patet in apibus, formicis, araneis, vulpibus, ſimiis, canibus, equis, aliiſque innumeris. Plerumque etiam minora ac viliora, majori ſunt prædita ſagacitate atque induſtriâ, quàm grandiora, ut in iiſdem apibus, formicis, aliiſque ſimilibus manifeſtum eſt. Non ergo à propria mente, ratione, prudentia, ac providentia proficiſcuntur opera illa, ſed à ratione aliqua ſuperiori omnibus communi; quæ alia non eſt, quàm ratio (ſi ita loqui licet) divina, quam DEUS ſingulis ſpeciebus animalium impreſſit, convenienteſque inclinationes impertivit, ad ſe tuendum, ad conſequenda commoda, & vitanda incommoda, ad nidificandum, ac prolificandum. Atque hanc inclinationem, propriæque naturæ impetum, unicuique ſpeciei ac individuo à Natura, ſeu meliùs Naturæ auctore DEO, attributum, nos vocamus inſtinctum Naturæ.

Brutorum ſagacitas ab inſtinctu Naturæ.

Inſtinctus Naturæ in brutis quid ſit.

Aſſerit hæc eadem *Nemeſius* cap. 2. de Homine ſub finem his verbis: *Quæq; ſpecies beſtiarum Naturæ inſtinctu movetur, ad quem ab initio uſum, & ad quod fungendum munus generata eſt; atq; ad ea exequenda, appoſitè illorum corpus figuratum eſt. Neque ea tamen omni ope deſtituta DEUS reliquit, ſed unicuiq; naturalem, non à ratione proficiſcentem prudentiam immiſit, quibuſdam etiam calliditatem, tanquam artis imaginem, & rationis umbram inſeruit. Quod duabus de cauſis ab eo factum eſt; & ut inſtans malum effugerent, venienſque præcaverent; & ut omnia quæ creata ſunt, inter ſe connecteret atque conjungeret.* Pergit. *Verùm, illa non ratione ad agendum adduci, hinc licèt*

 exiſti-

Digitized by Google

exiſtimes, quòd omnia quæ ſub eandem ſpeciem ſubjecta ſunt animalia, ſimiliter eadem faciant, neque in tanta multitudine opera eorum diſcrepent (niſi quòd unum magis facit, alterum minùs;) ſed uno Naturæ impetu tota ſpecies moveatur. Omnis enim lepus eodem modo dolo utitur, & omnis lupus eodem modo callidus, & omnis ſimia eodem modo imitatur. Quod in homine non ita eſt. Sexcentæ enim rationes ſunt humanarum actionum &c. Similia prorſus habet *Macarius* Homilia 15. & *D. Bernhardus* Serm. 81. in Cantica.

Pulchrè etiam in hanc eandem rem ita diſcurrit *Ludovicus Vives* lib. 2. de Anima, cap. de Ratione, *Sed nec egent animantes ratione, quæ in illis eſſet ſupervacanea: nam ad bonum ſuum impetu naturæ ſuæ vadunt, proque rationali intelligentia indita eſt illis ſpeciatim naturalis quædam ſolertia ad ſe tuendum, conſervandumque; quæ abundè ſufficiunt: quod admirati aliqui, rationem nominarunt, ut in ape favorum & mellis conſtructio, in formica ciborum proſpectio, in araneo textura, venatio in cane, in equo, in ſimio, in elephanto, multa humanæ intelligentiæ ſimilia. Quæ ſi quis ideo rationem vocet, quòd magna ſanè ſunt, & mirabilia; quid obſtat quò minùs quæcunque naturaliter fiunt admiranda, à ratione profecta eſſe affirmet? Proficiſcuntur quidem illa à ratione, non rei naturalis, ſed Naturæ, hoc eſt, Auctoris DEI: neque enim magnum aliquid fieri ſine ratione poteſt, ſi modò rationis nomen in divinam illam ſapientiam competit. Itaque & herbas ſtirpesque omnes, & lapides pleroſque, & aquas multas, & alia quorum mirandos videmus effectus, ratione eſſe donata arbitrabuntur.*

Aſſertio IX.

Capacitas diſciplinæ, & opera mira, quæ ex hominum inſtructione patrant bruta aliqua, non arguunt mentem ac rationem.

Brutorum capacitas diſciplinæ, & opera mira, non arguunt rationem.

AD hæc enim addiſcenda, & cum lepôre exhibenda, ſufficit memoria, imaginatio, & habilitas membrorum corporis: quæ omnia cùm in brutis quibusdam excellenter vigeant, ut conſtat ex dictis, conſtabitque meliùs ex dicendis, & ut quotidiana docet experientia; mirum non eſt quòd illa addiſcant atque exerceant, quæ tanta cum delectatione ſpectamus. Sunt illa quidem opera intelligentiæ ac rationis, at non rationis brutorum, ſed illorum qui bruta edocuerunt. *Docent bruta ſobolem ſuam* (inquit Vives lib. 2. de Anima cap. de diſcendi ratione) *ut citiùs faciant quod per ſe nihilominùs facerent; ut avis pullum ſuum volare, felis venari mures, ut quàm citiſſimè videant eos ſui ſimiles, hoc eſt, in ſua ſpecie perfectos: nos verò docemus illa, ut quod vel nunquam facerent, vel aliter, faciant uti nos volumus;*

Digitized by Google

mu; neque aliud eſt noſtra in eis doctrina, quàm aſſuefactio ad nihil ferè aliud, quàm ad corporale exercendum aliquod, ut loqui, currere, aut modo aliquo corpus ſeu corporis partem aliquam movere.

Aſſertio X.

Naturalis ſolertia quorundam brutorum, arguit ſimulacrum quoddam & umbram rationis ac ratiocinationis.

BRutorum animalium opera mira, quæ à mente ac ratione profecta videntur, in duplici ſunt differentia: quædam enim à propria atque innata proficiſcuntur ſolertia ac induſtria, nullâ hominum accedente inſtructione; quædam verò ab humana informatione originem habent. Priorum operum alia ſunt toti ſpeciei communia, & omnibus individuis competunt, ut quòd formicæ frumenta æſtate colligant, cavernis condant, contra germinationem corroſione muniant, putreſcentia Soli exponant, ſimiliaque, quæ ſuprà recitavi, faciant. Item quòd apes Monarchiæ formam conſtituant, ſequantur regem, fucos arceant: quòd aranei telas ad prædam captandam tam aptè & ingenioſè texant: quòd grues ſequantur ducem dum volant, conſtituant excubias dum quieſcunt: quòdque alia animalia tam præſtent mirabilia, ut à mente, intellectu, prudentiaque profecta videantur. Alia verò eorundem priorum operum non ſunt toti communia ſpeciei, ſed quibusdam ſolùm individuis propria. Neque enim omnes feles inſtinctu proprio auxilium quærunt à domeſticis, ad felem ſociam in puteum lapſam extrahendam, ut fecit illa Erfordienſis, de qua libro ſequenti, Cap. de Fele. Neq; omnes canes, domino in mortis periculo ruri conſtituto, domum currunt, & qua ratione poſſunt domeſticos monent, atque adducunt ad domino ſuccurrendum, ut fecit quem refero libro eodem, Cap. de Cane. Quotus etiam quisque canis, inſtinctu proprio, nullâ præeunte diſciplinâ, præſtat quod præſtitêre duo *Clariſſimi Deuſingii* catelli? Habebat is (ut refert in Diſſert. de Ratione & Loquela brutor. num. 65.) catellum Gröningæ, qui cùm felem cochlear grandius ad focum ſuſpenſum videret lambentem, aſſiliit primùm, atque latratu eam abigere conatus eſt: ſed cùm non cederet illa, lambendo pergens, ad herum fortè longiùs diſtantem accurrit, pedibus anterioribus identidem eum impetens, identidemque verſus felem procurrens, quaſi indicium facturus ac moniturus, ut felem abigeret; nec ceſſavit, donec herus reſpiceret, ipſamque felem abigeret. Alium habuerat antea idem Vir Clariſſimus catellum Hardewici, qui ut ægrè admodum, cùm exiret herus,

Brutorum ſolertia naturalis arguit ſimulacrum rationis.

Digitized by Google

rus, domi remanebat, ita ſi quando in culina dormiens commoratus fuerat diutiùs, ut evigilans exploraret, num adhuc domi eſſet, excurrebat ocyùs in atrium, & num pallium domini adhuc loco conſueto hæreret, notabat: quo viſo, revertebatur in culinam, quaſi certus ac ſecurus, herum adhuc domi in Muſeo ſe continere. Innumera ſimilia referemus libro ſequenti de elephantis, equis, ſimiis, aliiſque animalibus, quæ non ab omnibus ejuſdem ſpeciei individuis, neque quovis in loco aut climate Terræ patrantur. Imò nec eadem individua bruta quâvis ætate eandem naturalem peculiarem ſolertiam ac dexteritatem oſtendunt, ſed majorem in prima, minorem in provecta ætate, ut paulò pòſt dicemus.

Hæc itaque opera, quia non ſunt omnibus ejuſdem ſpeciei animalibus communia, non proficiſcuntur à ſolo, & omnibus intra eandem ſpeciem communi Naturæ inſtinctu, iis à Naturæ Auctore DEO indito; nec tamen ſunt ab hominum inſtitutione, uti ſuppono, & per ſe patet; non poſſunt ergo non eſſe à facultate quadam, quæ umbra quædam ſit & ſimulacrum humanæ mentis & intellectus. Hæc facultas quæ & qualis ſit, jam dicemus.

Aſſertio XI.

Bruta animalia, tametſi ratione non ſint prædita, habent tamen facultatem aliquam internam rationi humanæ analogam, quæcunque illa ſit, & quocunque vocetur nomine.

Bruta animalia habent rationem humanæ rationi analogam.

ITa ſentit *Joannes Huartus* in Scrutinio ingenior. cap. 6. poſt medium, pag. mihi 155. ubi hæc habet, ex interpretatione Æſchacii Majoris: *Atq; hoc ipſum dubitationis expers eſt, quòd bruta habeant memoriam, imaginativam, aliamque potentiam, quæ rationi atque intellectui correſpondeat, ejuſque loco ſit, perinde uti ſimia homini ſimilis eſt.* Quemadmodum autem in hominibus eò magis elucet rationis uſus, quò meliùs eſt temperamentum earum partium corporis, quæ veluti inſtrumenta ad intellectus operationes requiruntur, quarum præcipua eſt cerebrum; ita ait hic Auctor in brutis quoque contingere, ut facultas illa interna rationi humanæ analoga, eò magis in unis eluceat, quàm in aliis, quò perfectior eſt cerebri ſtructura. Ait enim: *Ita certò etiam conſtat, eſſe brutis determinatam ſtructuram; quæ ſi bona ſit, ac cerebro conveniens, animal functiones ſuas magna cum prudentia exſequitur: quemadmodum contrà, ſi perverſa ſit Organorum cerebri diſpoſitio, perperam ſua munia obit. Sic videre eſt quoſdam aſinos, qui in ſciendi materia non niſi ſunt quod dicuntur: ac contrà alios ita acutos ac verſipelles, ut etiam*

Digitized by Google

etiam naturam ſpeciei ſuæ velut egrediantur. Sic in equis multa nequitia, multaque virtus apparet, aliiſque alii aptiores habilioreſque ſunt, qui equeſtribus exercitiis aſſueſiant.

Hanc ſententiam amplectitur etiam *Lælius Biſciola* tom. 2. Horarum ſubciſivar. cap. 4. ubi inter alia ita ſcribit: *Verùm hæc quæ in belluis videntur eſſe ſupra naturam mutarum animantium admiranda, minimè nos cogunt, ut capacia rationis atque intelligentiæ dicamus: neque cum vulgo tamen Philoſophorum ad varios tantùm ipſius Naturæ inſtinctus refero; neque verò tanta in belluis ejuſdem ſpeciei diverſitas propenſionum & ſtudiorum adſcribi poteſt inſtinctui: ad memoriam, & imaginativam, ut vocant, aut certè vim aliam, quæ nonnihil habet cum intelligentia commune, revoco: quam vehementer juvat & promovet cerebri compoſitio: quò fit, ut non modò animal ſpecie diverſum, aut numero, ſed idem etiam diverſis temporibus functiones meliùs exequatur ſuas, aut pejùs, quia videlicet eſt cerebro meliùs pejùſq; diſpoſito, cæteriſq; partibus corporis, quæ functionibus inſerviunt animantium: cùm enim ritè exequitur, cerebri optima eſt, ut ſic dicam, Organizatio; mala, cùm malè: itaq; eadem ſimia homini ſimillima, meliùs imitabitur eum, aut pejùs; & videmus in equis, aſinis, canibus, alios aliis dociliores.*

Hanc eandem ſententiam amplectitur doctiſſimus *Deuſingius* Diſſert. de Ratione & Loquela brutorum animantium, à num. 76. usque ad finem, ubi eam multis explicat, ac munit: ſic enim num. 76. poſtquàm multa pro brutorum ratione & loquela attuliſſet, concludit: *Quæ cùm ita ſe habeant; quid de brutorum ratione, ac ſermocinatione quacunque, ſentiendum videbitur? Quid illis deeſt, quò minùs rationalia animalia queant haberi, ſeu in conſortium humanum tranſcribi? An non ſaltem ratio quædam analoga, ſeu æſtimativa facultas rationis æmula, in animantibus brutis agnoſcenda erit, à qua ſolertia ipſorum proficiſcatur, ac cujus beneficio prudentia quadam uti videantur?* Numero deinde 77. cùm dixiſſet, prout illa analoga ratio in aliis animantibus excellentior eſt, atque vegetior, eò alia ab aliis ingenio, prudentiâ, docilitate, differre; ſubjungit numer. 78. nihilominùs hanc brutorum rationem totâ eſſentiâ differre à ratione humana; quòd illa ſit ſenſitivæ ſeu materialis animæ facultas, hæc animæ immaterialis.

Idem fortaſſis ſentit *Galenus* loco citato ſuprà in fine § primi. Et *Ariſtoteles* cùm Problemate 3. Sect. 30. quærit, cur homo cæteris animantibus ſit prudentior; & Probl. 7. Sect. 29. cur homo cæteris animantibus injuſtior ſit; ſtatuitque diſcrimen inter cæteras animantes & hominem illud eſſe, quod intercedit inter hominem ſtolidum & prudentem; ſeu quòd homo magis, brutum minùs ſit prudens. Sed quidquid ſit de Ariſtotele, & Galeno.

Digitized by Google

Ratio, quæ me movet ad Aſſertionem poſitam, eſt ea, quam in præcedenti Aſſertione inſinuavi, quia videlicet opera miranda, & humanæ ſolertiæ atque prudentiæ æmula, quæ in brutis variis videmus, nec omnia ſunt à Naturæ inſtinctu, ut ibi probavi; nec omnia ab hominum inſtructione, ut per ſe patet; ergo ab alia quadam facultate. Et cùm hæc eadem opera in aliquibus animalibus magis, in aliis verò minùs manifeſtè ſe prodant, etiam intra eandem ſpeciem; imò in iisdem individuis animalibus nunc magis, aliàs minùs; conſequens eſt, facultatem à qua proficiſcuntur, dependere in operando à temperamento ac diſpoſitione animalium, non minùs quàm facultates hominis. Cùm igitur in diverſis animantibus diverſa ſint temperamenta, eademque in eodem animali pro varietate locorum, ciborum, temporum, & ætatis varientur; mirum non eſt, tantum eſſe inter animantia bruta diſcrimen, adeò ut quædam ſtupidiſſima ſint, ac præter opera omnibus ejusdem ſpeciei communia, & à Naturæ inſtinctu profecta, nullum aliud, nec ſponte, nec hominum inſtructione edant; alia verò prudentiùs ſæpe, ac ſolertiùs operentur, quàm multi homines agreſtes, aut inter ruſticos educati.

Confirmatur Aſſertio, quòd bruta quædam animantia ſubinde deſipiant, ut ita dicam, ac deinde ad priorem ſtatum redeant, ut manifeſtum eſt in elephantis annuo furore laborantibus, ut ſuprà inſinuavi, & dicam fusè libro ſequenti, Cap. de Elephanto. Simiæ quoque ex ebrietate delirant, & ad mimica opera ſua redduntur minùs aptæ; & canes hydrophobiâ ſeu rabie agitantur. *Huartus* cap. 7. Scrutinii ingen. aſſerit, ſibi venatorem quendam jurejurando affirmaſſe, cùm falcone optimo uteretur ad aucupium, tandem evaſiſſe peſſimum, igniſque cauterio in capite inuſtum rurſùs ad bonam frugem rediiſſe. Hæc ſanè inſtinctus Naturæ non facit, ſed corporis, ac maximè cerebri conſtitutio, à qua facultas operativa dependet.

An porrò facultas illa brutorum, rationi humanæ analoga, diſtincta ſit ab eorundem phantaſia, aut æſtimativa, aut alia quavis interna facultate, quam brutis attribuunt Philoſophi; hîc non laboro. Nec ſollicitus ſum, quo eam nomine appellem. Poſſet, qui vellet, eam appellare *rationem belluinam*.

EPILO-

EPILOGUS DISSERTATIONIS.

EX dictis hactenus tota hac Diſſertatione conſtat, *primò*, quo ſenſu dici poſſit ac debeat, bruta animantia aut habere, aut non habere rationem: habent enim rationem belluinam, humanæ rationi analogam; non habent verò, qualem homini concedimus. Conſtat *ſecundò*, quomodo Auctores aliqui, qui beſtiis rationem concedunt, conciliari poſſint cum aliis, qui rationem iisdem denegant: concedunt nimirum analogam, hoc eſt, belluinam; denegant propriam, id eſt, humanam. Alii verò, qui mentem, intellectum, rationem ac ratiocinationem propriè dictam, humanæque prorſus ſimilem illis tribuunt, manifeſtè falluntur, ut in præcedentibus probatum fuit. Conſtat *tertiò*, varias admirandasque belluarum operationes eſſe partim ab inſtinctu Naturæ, partim ab hominum inſtructione, partim denique à facultate humanæ rationi analoga, quam diximus appellari poſſe *rationem belluinam.* Conſtat *quartò*, quid dicendum ſit ad argumenta reliqua in præcedentibus propoſita, & alia quæcunque, quibus probare nituntur aliqui belluas uti ratione: utuntur enim, ſubinde ſaltem, & in aliquibus operationibus, ratione illâ humanæ analoga, quam explicavimus.

Atque hæc ſufficiant de quæſtione, an bruta animalia utantur ratione, & de tota Animalium in genere tractatione. Innumera alia, quæ exagitari poſſent, brevitatis ſtudio omitto, & ad Animalia in particulari tranſeo. Sit igitur.

LIBER

LIBER OCTAVUS

De

MIRABILIBUS ANIMALIUM TERRESTRIUM.

PROOEMIUM.

Quæ omni animantium generi communia ſunt, hactenus dedimus; nunc quæ ſingulis eorum ſpeciebus ſunt propria, ſubjungemus. Hæ cùm innumeræ propè ſint; ne multitudo perturbaret ordinem, aut copia pareret inopiam, allaborârunt omnes, quotquot Phyſiologi Naturæ ſecreta, & Zoologi animalium arcana ſunt hactenus perſcrutati; Ælianum ſi excipias, qui methodum reſpuit, quoniam rerum ſylvam dare voluit, non hortum, aut viridarium. Methodus alia placuit aliis, & aliis alia diviſio. Nos Theodidactum Moyſen, vel ipſum potiùs Coſmoplaſten DEUM ſequimur, qui in Mundi Chronologia, & prima Animantium Hiſtoria, quam primum Geneſis caput exhibet, animalia omnia (ut libri antecedentis capite primo quoque diximus) diſtribuit in incolas Terræ, Aeris, & Aquæ; aliaque vocat Terreſtria, alia Aerea ſeu Volatilia, alia Aquatica ſeu Natatilia. Eundem in enumerandis animantibus ordinem ſervat ſapientiſſimus Job, dum capite duodecimo, verſu ſeptimo, Zoopædiam nobis commendat, & interrogare jubet *jumenta* (hoc eſt, animalia terræ) & *Volatilia cæli*, & *Piſces maris.* Nec aliter trivit hanc ſemitam illuminatiſſimus Zoologus Salomon, qui, ut libro tertio Regum capite quarto legimus, *diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.* Reptilia enim tam ad Terreſtria, quàm ad Aquatica ſpectant.

Primo ergo loco de Terreſtribus animalibus agemus, tum de Volatilibus, demum de Natatilibus. Et tametſi Terreſtrium alia ſint

Digitized by Google

ſunt Greſſilia, alia Reptilia; de primis tamen ſolummodò, nihil de ſecundis diſputabimus hoc loco, ne in immenſam molem excreſcat *opus.* Eandem ob cauſam Inſectorum, & Cruſtaceorum tractationem omittemus.

Greſſilia porrò terreſtria, τετράποδα ſunt omnia, hoc eſt, Quadrupeda. Hæc variè dividuntur. Sunt enim alia Solipeda; alia Biſulca; alia Digitata, ſeu Multifida. Solipeda ſunt, quæ ungulas non ſciſſas habent; ob idque μονώνυχα ſive μώνυχα aut μονόχηλα à Græcis dicta. Biſulca ſunt, quæ ungulas binis ſciſſuris utrimque, hoc eſt, à parte priore & poſteriore, ſciſſas habent; unde & δίχηλα Græcis dicuntur. Digitata, ſeu Multifida ſunt, quæ pedes habent inſtar manuum humanarum digitatos; quæ ob id à Græcis πολυδάκτυλα vocantur. Horum poſtremorum alia pariunt animal vivum, alia ovum. Priora Græci appellant ζωοτόκα, Latini vivipara: poſteriora verò Græci ᾠοτόκα, Latini ovipara. Quatuor ergo ſunt Greſſilium terreſtrium ſeu Quadrupedum genera, Solipeda, Biſulca, Digitata Vivipara, & Digitata Ovipara. De his *Conradus Geſnerus* Germanus ingentem ſcripſit Tomum incredibili diligentiâ ac varietate rerum & verborum. Poſt Geſnerum *Ulyſſes Aldrovandus*, ejuſque continuator *Bartholomæus Ambroſinus*, ambo Itali, non minori diligentiâ ac varietate de iiſdem confecêre quinque penè magnos Tomos. De iiſdem multa ac præclara ſcripsêre Auctores varii, quos in Libri ſeptimi Prooemio citavi. Omnium ferè labores in breve compendium, ac concinnum ordinem redegit *Joannes Jonſtonus* in Hiſtoria Naturali, Tomo de Quadrupedibus. Breviùs, ſed oppidò methodicè, de hiſce animalibus pleriſque agit *Joannes Sperlingus* in Zoologia Phyſica Poſthuma.

Animalium greſſilium diviſio.

Quadrupedum animalium quatuor ſunt genera.

Ex his ſpicas collegi, & in ſequentem Librum congeſſi, ordine Alphabeti, Geſnerum imitatus, & Jonſtonum in Thaumatologia. Multas tamen Quadrupedum ſpecies relinquo intactas, ob cauſam initio inſinuatam: quas tamen alibi fortaſſis dabo.

CAPUT I.

De Alce Veterum, ac Recentiorum.

DE Alce, Septentrionalium regionum fera, quam olim Germani Elch/ nunc Elend appellant, tam variè ſcribunt Veteres ac Recentiores, ut quid ipſi ſentiant, cùm diu legeris, neſcias; quid verò ſentiendum, vix diſpicias. Nonnullorum ſententias refero.

§. I. De Alce Veterum opinio.

P*Auſanias* in Eliacis vocat feram Celticam, aitque mares cornua in ſuperciliis habere, fœminas carere. Idem in Bœoticis ait, eſſe feram ſpecie inter cervum & camelum; naſci apud Celtas; explorari & inveſtigari ab hominibus non poſſe, ſed obiter aliquando, dum alias venantur feras, in illam incidere; ſagaciſſimum quippe eſſe, & hominis odore per longinquum intervallum percepto, in foveas & profundiſſimos ſpecus ſe abdere, tum venatores montem vel campum circumdare, & contracto paulatim ambitu capere.

Alce quale animal juxta veteres Scriptores.

Julius Cæſar lib. 6. Comment. de Bello Gallico ait, alces reperiri in Hercynia ſilva; habere conſimilem capris figuram, & varietatem pellium, ſed magnitudine paulò antecedere; mutilos eſſe cornibus; crura ſine nodis & articulis habere, neque quietis causâ procumbere, neque ſi quo afflictæ caſu conciderunt, erigere ſeſe aut ſublevare poſſe; ideóque quieturas arboribus ſe inclinare: quas cùm venatores ex animalium veſtigiis animadverterunt, omnes aut à radicibus ſubruere, aut abſcindere, tantùm ut ſumma ſpecies earum ſtantium relinquatur, ut cùm ad illas pro conſuetudine ſe reclinant, infirmæ arbores pondere affligantur, atque unà ipſæ beſtiæ concidant.

Plinius lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 15. ait, Septentrionem ferre alcem, ni proceritas aurium & cervicis diſtinguat, jumento ſimilem. Item notam in Scandinavia Inſula, nec unquam viſam in Romano Orbe, multis tamen narratam, *machlin*, haud diſſimilem prædictæ alci, ſed nullo ſuffraginum flexu; ideóque non cubantem, ſed acclinem arbori in ſomno, eâque inciſâ ad inſidias, capi, aliàs velocitatis memorandæ. Addit, labrum ei ſuperius prægrande eſſe, ob idque retrogradi in paſcendo, nè in priora tendens involvatur.

Similia narrat etiam *Solinus* in Polyhiſt. cap. 32. & 33. Nam in fine capitis 32. ait, in omni Septentrionali plaga, præter biſontes, & uros, eſſe & alcem, multis comparandam, adeò propenſo labro ſuperiore, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia, paſci nequeat. Initio verò capitis 33. ait, Scan-

Digitized by Google

Scandinaviam Inſulam è regione Germaniæ mittere animal, quale alces, ſed cui ſuffragines, ut elephantis, flecti nequeant; propterea non cubare, ſed cùm dormiendum eſt, ſomnolentum ab arbore ſuſtineri, eamque propè caſuram ſecari, ut fera cùm adſuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam; atque ita capi, alioquin difficile eſſe eam manu capi, cùm in illo rigore poplitum incomprehenſibili fugâ polleat.

§. II. De Alce Recentiorum opinio.

HÆc ex antiquis; nunc pauca ex recentioribus. *Albertus Magnus* lib. 2. cap. 22. Hiſtor. Animal. de alce loquens ſcribit pro alce primò alches, deinde aloy; eamq; dicit à Germanis vocari Elend; ipſe verò vocat equicervum. *Matthæus Michovanus* in Deſcript. Sarmatiar. ait, apud Moſchos eſſe biſontes, & alces; & harum crura eſſe abſq; articulis prælonga, vocarique à Moſchis Lozzos, à Germanis Hellend. *Eraſmus Stella* lib. de Origine Boruſſor. ait, in Boruſſia eſſe alces, genus quaſi medium inter equos & cervos. *Olaus Magnus* in Hiſtoria Gentium Septentrional. variis in locis feram, quam ipſemet & alii alcem vocant, appellat etiam onagrum. *Cardanus* lib. 10. Subtil. alcem aliam non agnoſcit præter illam, quam Cæſar deſcripſit, capro ſimilem, maculoſâ pelle, & crura ſine junctura habentem. *Scaliger* Exercit. 206. putat, alcem eſſe Elk, & à Suecis vocari Ranger, à Gothis Rangifer, à Germanis Ellend, à Moſchovitis Lozzo, à Norwegis Rehen. Eſſe autem cervi formâ penè totam, cornibus ramoſis, ſed quæ ſint cervinis exiliora, atque in tergum porrectiora, & ramis frequentata minùs, ac lanugine quadam obducta. *Laurentius Surius* in Hiſtor. anno 1501. in fine ait, alcem eſſe animal cervo procerius, auribus & naribus prominulis, cornibus à cervinis nonnihil diverſis, colore magis ad albedinem tendente. *Conradus Geſnerus* lib. 1. Quadrup. & *Ulyſſes Aldrovandus* lib. 1. de Quadrup. Biſulcis cap. 32. non aliter deſcribunt dictum animal, quàm varias aliorum ſententias referendo: icones verò quas apponunt, ſunt oppidò inter ſe differentes, *Jonſtonus* breviſſimè delibat, quæ de alce & machli ſcribunt Cæſar, ac Plinius. *Apollonius Menabenus* lib. de Magno animali, feram illam, quam alii alcem vocant, appellat Magnum animal; feram verò à Cæſare deſcriptam, putat eſſe veram alcem, & aliam non agnoſcit. *Dodonæus* putat, Magnum animal Menabeni eſſe ipſiſſimam alcem, Elend à Germanis nunc dictam. Haud paulò certiora habent alii.

Alce quale animal juxta recentiores Scriptores.

Digitized by Google

§. III. De Alce noſtra opinio.

Alcis nomen ac etymon.

EGo poſt ſedulam lectionem omnium quos acquirere potui Auctorum, & poſt diuturnam ac diligentem inquiſitionem, exiſtimo *Primò*, Alcis & ἄλκης vocem non latinam, aut græcam, ſed germanicam eſſe, derivatam à voce Elk/ vel Elch/ qua olim alcem appellabant Germani; quam vocem hodie multi, mutato E in A, pronuntiant Alk/ vel Alch/ ſicut dicunt ain pro ein/ Mainung pro Meinung/ &c. Alii verò ſcribunt ac dicunt älk/ vel älch. Quod cùm & Veteres Germani olim facerent, & Alk pro Elk dicerent; non mirum Romanos id audientes ſcripſiſſe Alce, & Græcos ἄλκη; præſertim cùm litteram c olim Romani ut k Latinum, & κ Græcorum pronuntiarent. Ab Elch/ vel Alch/ aut älch/puto derivatum ſucceſſu temporis vocabulum Elend/ ſeu älend (quo nunc alcem vocamus) dum alii fortaſſis primò Elch pro Elch/ deinde Eled pro Elch/ tandem Elend ſcripſerunt. Similis error manifeſtè apparet apud Albertum loco ſuprà citato, ubi pro alcy habetur aloy, mutatâ litterâ C in litteram O. Fortaſſis etiam ab Alch aut älch derivatum ac corruptum fuit vocabulum *Machli* apud Plinium: ſcripſerant enim primi Librarii ante Plinium alchi, aut alchis; alius deinde ſubſequens per errorem transpoſuit in achlin, ac tandem alius, aut ipſe Plinius, in machlin corrupit. Certè Machlis Plinii non diſtinguitur ab Alce Cæſaris; & ipſe Plinius fatetur; machlin ſuam eſſe ſimilem alci quam præmiſerat. Unde & Geſnerus cenſet lib. 1. de Quadrup. cap. 1. alcin ac machlin eſſe unam feram duobus nominibus expreſſam.

Alce Veterum an ullibi fuerit.


Exiſtimo *Secundò*, Alcen quam Cæſar, & Plinius ſub nomine Machlis deſcribunt, aut nullibi fuiſſe in Celticis regionibus; aut ſi fuit, toto cœlo diverſam fuiſſe ab illa, quam nunc Alcem latinè, Elch & Elend germanicè vocamus; ac proinde duplicem Alcem conſtituendam eſſe, Veterum unam, alteram Recentiorum. Diſcrimen inter utramque patebit ex mox dicendis. Probabilius tamen mihi videtur, tam Cæſarem, quàm Plinium, de eadem loqui fera, quam nunc Alcem & Elend vocamus, ſed minùs rectam ac ſufficientem cognitionem illius habuiſſe. Nec mirum ſi in fera errent, quam nunquam viderunt, ut fatetur Plinius; qui etiam cum Solino putat, Scandinaviam (quo nomine non tantùm Schoniam, ſed totam illam Peninſulam, in Suedicum ac Norwegicum regnum diviſam intelligit) eſſe Inſulam.

Alce quale ſit animal ex noſtra ſententia.

Exiſtimo *Tertiò*, veram alcem, quam Germani olim Elch ſeu älch/nunc Elend ſeu älend/ Moſchi Lozzo, Illyrii Los & Gelen, Poloni Pouuod appellant, aliam non eſſe quàm illam, quam *Apollonius Menabenus* in tractatu peculiari Magnum animal appellat, ut Dodonæus quoque animadvertit,

Iconiſmus XXIV. Ponatur è regione pag. 781.

Alce fæmina.



Alce mas.



Digitized by Google

vertit. Quidquid igitur de Magno ſuo animali ſcribit dictus Auctor, teſtis oculatus; ego attribuo cum Dodonæo alci Recentiorum, ſeu Germanorum Elend.

Alce igitur Recentiorum, hoc eſt, vera & genuina, cervini eſt generis, cervo tamen paulò craſſior & altior: habet enim craſſitiem & altitudinem mediocris & pinguis bovis. Humeros habet depreſſiores & humiliores partibus poſterioribus. Capite aliquantulùm prono incedit. A ſummo capite usque ad humeros, & maximè in cervice, pilos habet prolixos, ita ut collum ac barbam hirci repræſentet; in aliiș corporis partibus pilorum longitudine non differt ab equo, ſed denſitate ſuperatur, craſſitie verò ſuperat. Color plerumq; vergit ad cinericeam albedinem; pro viciſſitudine tamen anni temporum pili varias ſubeunt in colore mutationes. Caput eſt oblongum, ac gracile, ſi conferatur cum toto corpore. Labra magna, prominentia, & craſſa, maximè ſuperius; qua de cauſa retrograditur in paſcendo, nè in priora tendens involvatur, ut Plinius ſcribit de ſua Machli, & Pauſanias de Alce ſua. Os habet longum; dentes non admodum magnos, nec longos; aures prolixas, latasque. Fœmineus ſexus cornibus caret; maſculinus multifida ac ramoſa habet, ſed non tam longa ac frondoſa ut cervi vulgares, lata tamen & inſtar magnæ avis alæ extenſa, mucronibusque quibusdam diviſa, pondere duodecim ferè librarum, ſi matura ſunt, ac præ maturitate deciderunt: mutat enim illa ſtatis temporibus, ut cervi ſolent, decidentibus ſponte priſtinis, & novis ſubnaſcentibus. Eſt præterea obeſo & grandi ventre, ferè ut vaccæ ſunt. Cauda mirum in modum brevis. Ungulæ bifidæ, ut cervis & bobus, unde & inter biſulca quadrupedia numeratur. Iconem aliam exhibet Geſnerus, aliam Aldrovandus; ego juxta datam hactenus deſcriptionem depingo, ut in appoſito apparet ſchemate.

Alcis deſcriptio.

Vide Icon. XXIV.

§. IV. Alcis natura, ingenium, mores.

Alcis natura, ingenium, mores.

AD naturam Alcis quod attinet, ſimplex eſt animal, ac timidum, & quod plùs latebris quàm fugæ fidit, cùm tamen curſus ſit velociſſimi, ut dicemus. Si venatores è longinquo ſentit; illicò intra ſpeluncas ſe abdit, unde extractum capitur vivum. Si vi canum urgetur, aut luporum; magis ſe calcibus quàm cornibus defendit. Si à muſtela (quæ in ſtantis guttur ſubinde inſilit) mordetur; ſanguine ſuo conſpecto confeſtim concidit præ timore, & exſpirat. In locis paluſtribus ſe plurimùm condit, ubi & partus ſuos edit. Rarò præ timiditate ſolitarium apparet, ſed plures ſimul degunt, atque incedunt. Cùm ſylvæ ac campi nivibus ſunt obtecti, maximè in unum ſe conferunt, ac ſimul progrediuntur hoc ordine: unum præcedit properando, ut occaſio poſtulat, alia ſingula ſequuntur,

Digitized by Google

eundem tenorem & modum ſervando, ac primi veſtigia invariabiliter calcando, ita ut ſi quis rei inſcius ipſa prætergreſſa inſequatur, unius tantùm veſtigia cernere ſe exiſtimet. Aſtui ſeu prudentiæ animalis id adſcribunt aliqui, nè numerus ex veſtigiis dignoſcatur. Lupos, præſertim montanos, & hyemali tempore, habent maximè infeſtos: quo ipſo tempore; Naturæ inſtinctu, lacus congelatos petunt; lupi famelici, prædam ſpeculati inſequuntur, ac irruunt; hos excipiunt alces ungulis potiſſimùm, quarum tanta vis eſt, ut illicò tactum lupum interimant, aut transfodiant. Qua in pugna ſtant alces in glacie lubrica ſolidiores, utpote mucronatis ungulis: ubi lupi interim quaſi in vaginis ungulas retinent viribus vacuas: unde non rarò victoribus cedunt, & venatorum è vicino exitum operientium præda fiunt. Alii tamen non Naturæ inſtinctu glaciem tum petere alces exiſtimant, ſed à lupis eò compelli; firmiùs enim horum digitatos ac mucronatos pedes ſuſtinet glacies, quàm alcium ungulas obtuſas.

Alces cum lupis pugnant.

Captæ alces cicurantur, & trahendis vehiculis aptantur. Velociſſimus eſt illarum curſus, in nivoſa præſertim glacie, adeo ut omnium equorum celeritatem ſuperent. Famis etiam, ac ſitis, laboriſque patientiſſimæ ſunt, ut intra diem noctemque valeant conficere immenſa ſpatia, nullo cibo refectæ.

Alces cicurantur.

De pelle alcium ſcribit Geſnerus, alutarios eam ad thoraces præparare piſcium adipe, ut imbres arceat. A cervina pelle, cui ſimilis ſit, inſpiratam diſcerni; transmittere enim ſpiritum afflatum, ut ab oppoſita manu percipiatur, cùm plena ſit meatibus, & pilos inſuper habere concavos dicatur. Adhæc adeò denſam ac ſolidam eſſe, ut gladiorum etiam vehementes ictus punctim cæſimque factos avertat, & ferrei thoracis inſtar hodie expetatur. Sclopetorum tamen globulis, accenſi pulveris vi emiſſis, non reſiſtit.

Alcium pelles.

§. V. Alcis uſus in medicinis.

OLim in Hercynia ſilva magno numero viſebantur; nunc in Suecia maximè, viciniſque regionibus degunt; nec non in Septentrionalioribus Polonorum ac Moſchorum regionibus. Carnibus earum veſcuntur incolæ & recentibus, & ſale conditis. Menabeno teſte, tria præbent medico uſui, cornua, nervos, & ungues. Cornibus antea ſolam adſtrictivam facultatem attribuebant Medici; nunc raſuram ſive ramenta eorum plurimùm poſſe in epileptico morbo, cognitum fuit, præſertim ſi ab animalibus ablata ſint inter Auguſtum & Septembrem, hoc eſt, inter feſtum Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & Nativitatis ejuſdem; quoniam eo tempore ſunt maximè calida, vegeta, ac ſucculenta, ideò furore veluti quodam

Alcium cornua ad quid ſerviant.

Digitized by Google

agitata in Venerem ruunt, virtutemq; illam medicam in exteriora membra diffundunt. De nervorum facultate & uſu nihil ſe apud Scriptores legiſſe fatetur Menabenus; in Suecia tamen quoſdam ſe noviſſe, qui cùm ſæpiſſimè corriperentur à convulſionis ſpecie, ſive ſpasmo, qui Italicè ranſo (ſpaſimo debebat dicere) dici ſolet, cingulo facto ex hujus animalis nervo circumdediſſe ac ligaſſe membra illa nuda, quæ convellebantur, & paſſionem illam vel abegiſſe penitus, vel ad longum tempus avertiſſe. Ungues ejuſdem animalis epilepſiam ita depellunt, inquit Menabenus, ut incantamento ſimile videatur. Nec mirum, in aliis eum morbum depellere, cùm & ipſum animal ſeipſum eo liberet: corripitur enim diebus ſingulis malo illo, nec levatur niſi dextri poſterioris pedis ungulâ ſiniſtræ auri immiſsâ. Removet etiam & remotam arcet hyſtericam paſſionem, ſeu vulvæ ſuffocationem; nec non & membris correſpicientibus egregiè medetur, eodem teſte. Quin & difficultati partus ſuccurrere, compertum fuit frequenti experientiâ. Retulit Pariſiis R. P. Melchiori Cornæo Nobilis Gallus, ſibi in Suecia ab ipſo Rege Guſtavo dono datum pedem *integrum cum* ungula, tanquam munus egregium, ob dictam virtutem, & *ſe illo in* Gallia multis parturientibus ſaluti fuiſſe. *Alcis ungues ad quid ſerviant.* *Alces epilepſiâ corripiuntur.*

Enumeratas facultates aliqui ſiniſtro, alii meliùs dextro pedi poſteriori attribuunt, ob cauſam dictam. Experientiâ tamen conſtare ait Menabenus, & ſiniſtrum poſteriorem, & utrumq; anteriorem, non raró comitiali morbo correptis profuiſſe. Ipſe nihilominùs primas dat poſteriori dextro, ſecundas ſiniſtro, tertias anterioribus. Addunt plerique, pedes ut virtute prædictâ polleant, præſcindi debere ab animali adhuc vivente, & tempore ſuprà dicto. Olaus requirit inſuper, ut animal ſit maſculum, & nondum genuerit: quod alii tamen negant eſſe neceſſarium. Uſus unguis in hoc conſiſtit, ut vel annulus inde confectus indatur patientis digito annulari ſiniſtro, vel pars quælibet unguis eide digito applicetur; aut ſiniſtræ manus palmæ imponatur, ac manus in pugnum complicetur, aut auri ſiniſtræ inſerta adfricetur. Præſtat etiam, ſimul cordis regioni eandem ungulam, aut ungulæ particulam applicare, Menabeno ſuadente: qui addit, ſe raſuram ungis dediſſe, & ab aliis datam eſſe, pueris epilepticis, cum aqua liliorum convallium, aut ſpicæ quam lavendulam vocant, idq; cum felici ſucceſſu. Eandem raſuram profuiſſe mulieribus ſuffocatis, datam à Medicis Pruthenis, teſtatur idem.

Nec therapeuticum modò medicamentum contra epilepſiam, eſt ungula prædicta, ſed etiam prophylacticum ſeu preſervativum, ſi annulus ex ungue confectus geſtetur in digito annulari ſiniſtro: ſi fruſtulū annulo cuilibet inſeratur, & ita geſtetur in dicto digito, ut unguis ſemper digitū tangat: ſi particula collo appendatur, ita ut ſemper regioni cordis ſit contigua:

Idem

Idem uſus præſervare etiam mulieres ab hyſterica paſſione creditur, experientiâ teſte à Menabeno factâ.

Geſnerus advertit, ab agyrtis ac circumforaneis ſolere ſubinde vendi ungulas bovinas pro alcis ungulis; fraudem detegi poſſe, ſi radatur; bovinam enim fœtere, alteram minimè.

CAPUT II.

De Archopitheco, ſive Pigritia, animali Americano.

Archopithecus, ſive Pigritia.

INſigne eſt ignaviâ ac tarditate animal in America, quod Luſitani ab indole Pigritiam vocant; Hiſpani per ἀντίφρασιν *Perillo ligero*, id eſt, catulum levem ac agilem; Braſilienſes Aì; Hiſtorici Rerum Indicarum *Ha*, vel Haut, à voce quam velut cantando format; Jonſtonus à forma *Archopithecum*. Id fusè & accuratè deſcripſimus ac delineavimus in Magia par. 2. lib. 1. Syntagm. 5. cap. 1. ex Oviedo, Mapheo, Cluſio, Franciſco Hernando, Antonio Herrera, & aliis apud *Joannem Euſebium Nierembergium* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 13. & *Athanaſio Kirchero* lib. 1. Muſurgiæ cap. 14. ubi ex oculato & aurito teſte, P. Joanne Toro Societatis noſtræ Procuratore Novi Regni in America, à quo rem totam Romæ oretenus intellexit, id deſcribit.

Vide Icon. XXV.

§. I. Archopitheci ſive Pigritiæ natura, mores.

Pigritiæ animalis natura, & mores.

EST igitur Archopithecus, ſive Pigritia, ejus figuræ, quam in appoſito ſchemate vides: quamvis Cluſius apud Nierembergium duas alias inter ſe & ab hac noſtra differentes det effigies. Binos palmos longum eſt, cùm plenam magnitudinem adquiſivit, aut paulò majus. Craſſitudo ferè longitudini reſpondet. Quatuor exiles pedes habet, eosque quatuor unguibus præditos avium inſtar, minimè tamen ſufficientes ad corpus ſuſtentandum: unde & propter pedum exilitatem, & propter corporis gravitatem, dum locomovetur, ventrem quaſi rependo per terram trahit. Tam lentè incedit, ut ad quinquaginta paſſus conficiendos integro die illi opus ſit, Oviedo teſte; vel ut Mapheus habet, quindecim ipſis diebus continuo tractu vix ad lapidis jactum promoveatur. Nullâ acclamatione, nullis minis, impulſibus nullis ab hac ſua naturali tarditate movetur. Collum tamen in ſublime elatum & ſurrectum geſtat, prorſus æquale ad ſupremum usque faſtigium, piſtilli inſtar; in quo facies ſita orbiculata, non valde diſſimilis noctuæ, ipſis pilis circulum formantibus; paulò tamen longior quàm lata. Parvos habet oculos, & rotundos; nares ſimiæ inſtar; os valde exiguum. Collum nunc in hanc, nunc in illam torquet

Digitized by Google

Iconiſmus XXV. Ponatur è regione pag. 784.

Ignavus maior, erectus.



Ignavus minor, repens.



Digitized by Google

Digitized by Google

quet partem, tanquam attonitum. Summum ejus deſiderium eſſe videtur, ut vel arbores, vel palos conſcendat; ideoque plerumque vel in altiſſimis arborum ramis conſpicitur, quas longis unguibus apprehendens lentè conſcendit, adeò ut in earum aſcenſu biduum circiter, tantundemque in deſcenſu ponat. Caudâ caret, piloſque habet ex albo cinericeos, ut taxus ferè.


Neſcitur quo cibo veſcatur. Aluit aliquando domi hoc animal Oviedus,& quantum ipſe,& alii qui etiam aluerunt,obſervare potuerunt, nunquam ullâ re veſci deprehenſum fuit: unde ex aëre vivere exiſtimârunt, quia caput & os ad eam partem ſemper obvertere conſpexerunt, unde ventus ſpirabat, potiùs quàm ad aliam: ex quo collegerunt, aërem illi valde gratum eſſe. Suprà nominatus P. Joannes Torus unum ex iis per dies quadraginta nec cibum, nec potum, nec ſomnum cepiſſe notavit, ut paulò pôſt dicemus. *Maphæus* tamen putat, victitare arborum foliis, & *Acoſta* formicis, & *Nierembergius* quibuſdam beſtiolis, ut muſcis, veſpis, vermiculis, ſcarabæis.

Noxium animal non eſt, neque mordet, imò nec etiam mordere poſſe putat Oviedus, propter oris anguſtiam. Duplici tamen armaturâ contra animalia ſibi inimica inſtructum à Natura videtur. Nam primò in pedibus tantum habet robur, ut quodcunque apprehenderit animal, ita fortiter teneat, ut ampliùs ex ejus unguibus ſe liberare non valeat, ac fame emori cogatur. Deinde inſurgentes in ſe homines aut beſtias ita aſpectu ſuo triſti ac lacrymabundo commovet, ut ad commiſerationem intimam permoveat. *Præter lacrymas enim quas ex oculis emittit, ita doloroſo aſpectu ſpectantes ſe ferit, ut facilè perſuadeat, ſollicitandum minimè eſſe, quod Natura tam inerme fecit, tamq; miſeræ corporis habitudini ſubjecit*, inquit Kircherus. Hujus rei experimentum ut ſumeret P. Joannes Torus, unum ex hiſce animalibus in Carthaginenſe Novi Regni Societatis noſtræ Collegium adferri curavit, eique perticam longam objecit; quam pedibus adeò tenaciter apprehendit, ut minimè ampliùs dimitteret. Animal igitur hac voluntariâ ſuſpenſione captum, in ſeparato loco unà cum pertica intra duas trabes poſitum fuit; ubi quadraginta integros dies ſuſpenſum ita hæſit ſine cibo, potu, ac ſomno, fixis ſemper oculis in intuentes; quos doloroſo aſpectu ita movit, ut vix eſſet qui ejus commiſeratione non tangeretur. Tandem liberato ab hoc diuturno ſuſpendio, canem objecerunt; quem mox pedibus apprehenſum, adeò validè integro quatriduo detinuit, donec miſer canis fame enectus exſpiraret.

Ad vocem hujus animalis quod attinet, eſt ea à reliquorum animalium voce valde diverſa: nam velut cantando ac per intervalla repetendo *Pigritiæ animalis vox.*

Ggggg ſylla-

ſyllabas *ha, ha, ha, ha, ha, ha,* eâ vocis mutatione profert, quâ Muſicæ tyrones prima illius artis elementa, *La, Sol, Fa, Mi, Re, Ut,* tonatim deſcendentes proferunt, prorſus ut ex ſequenti formula, muſicis notis expreſſâ, apparet.



Certè Hiſpani, dum primò oras illas ingreſſi, noctu hujusmodi vociferationem perciperent (noctu enim ſolùm canere dicitur) homines Muſicæ noſtræ præceptis imbutos ſe audire arbitrati ſunt. Nocturnum animal creditur, quia noctu ſolùm cantat, & hebeti viſu præditum eſt.

§. II. Archopithecus ſeu Pigritia ex Theneto.

Hau, ſeu Hauth quale animal.

THenetus & *Joannes Lerius* apud Nierembergium loc. cit. videntur meminiſſe alterius huic ſimilis animalis, quod ille *Hau* ſive *Hauthi* appellat, Lerius verò *Hay*. Uterque enim tribuit illi ſimiæ faciem, cutem hiſpidam & villoſam, crura hirſuta, ternos in ſingulis pedibus oblongos & acutos ungues. Addunt, plerumque in arboribus verſari; captum ſine difficultate cicurari; à nemine conſpectum quidquam edere, eâque de causâ à plerisque ex aëre vivere exiſtimari. Neuter tamen tantâ ignaviâ præditum eſſe dicit, aut caudâ carere, ſed brevem caudam habere uterque ſcribit. Quòd ſi ita eſt, differt à præcedenti, ſaltem aliqua ex parte.

§. III. Archopithecus ſeu Pigritia ex Piſone.

Ai, ſive Ignavus, aut Pigritia, quale animal. Vide Icon. XXV.

GUlielmus tamen *Piſo* lib. 5. Hiſt. Natur. & Medic. cap. 23. ait, Lerium & Thevetum, eosque ſecutum Geſnerum ac alios paſſim, erraſſe in deſcribendo & effigiando animali *Ai*, ſive *Ignavo*. Ipſe repentis dat imaginem, ut hîc apparet; aitque, de ſumma in gradiendo tarditate rectè convenire omnes, ſed de pedibus erectis, & de ventre pendulo (ut ab illis exhibetur) diſſentire. Addit, animal eſſe mediocris canis magnitudine, roſtro ad aſpectum fœdo, perpetuâ ſalivâ madido, caudâ admodum brevi, unguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Tenaciter adeò tenere, quicquid apprehendit, ut pendens dormiat ſecurè, quia à junctura pedis cum tibia tres nervi ſolidiſſimi ad tres ungues intenti tendunt, quibus ungues incurvare, & validiſſimè ſe ſuſtentare poteſt. Corio eſſe ſolidiſſimo, & tenaci. Totum corpus prolixis & mollibus pilis cinerei coloris eſſe veſtitum; & ex occipitio comam velare cervicem jubarum

barum inſtar; lentoque ipſum ventris adipe verrere humum, nec unquam in pedes exſurgere, etiamſi quædam imagines id videantur exprimere. Non bibere; victitare arborum foliis, & in earum cacuminibus degere plerumque, ac in earum aſcenſu biduum circiter, tantundemque in deſcenſu ponere. Nec exhortationibus, nec minis, nec plagis vel tantillum de inſita ignavia ac tarditate dimoveri.

Secuit idem Piſo fœmellam vivam, habentem in ſe fœtum omnibus modis perfectum, cum pilis, unguibus, & dentibus amnioni more cæterorum animalium incluſum. Cor exemptum è corpore, motum ſuum validiſſimè retinuit per ſemihoram; ipſumque totum corpus, cæteris etiam viſceribus jam extractis, multò poſt ſe movit, & pedes lentè contraxit, ſicut dormientes ſolent.

CAPUT III.

De Armadillo, aliisq; loricatis animalibus.

VAriis in locis utriusque Indiæ reperitur animal quoddam quadrupes, & digitatum, ſquamis ſive teſſellis in modum loricæ contextis adeò undique coopertum, ut equo cataphracto haud abſimile videatur. Hac de cauſa Hiſpani id vocant *Armadillo*, Luſitani *Encubertado*, Itali *Bardato* (hoc eſt, panopliâ munitum) Petrus Martyr *Phaleratum*, Latini & Græci *κατάφρακτον*, *Cataphractum*, Belgæ Schilt-vercken/ (id eſt, porcellum ſcutulatum) Braſiliæ indigenæ Taton, vel Tatù; Thevetus, Geſnerus, Aldrovandus, Jonſtonus, & alii vocabulo à Braſilis mutuato Tatum, Maphæus Tatuſiam, Novæ Hiſpaniæ incolæ *Chirquinchum*, alii Indiæ populi *Caſſacain*, & alii *Aiatochtli*; quod ultimum vocabulum ſignificat cuniculum cucurbitariũ, quoniam ſpecubus inſtar cuniculorum condit ſolet. Nobis arridet Hiſpanorum nomenclatura, quoniam eleganter animalis armaturam exprimit. Scribunt de hoc animali *Oviedus* in Sum. Ind. Occid. cap. 22. *Cluſius* lib. 5. Exot. cap. 15. *Bellonius* in Obſerv. Hodæpor. *Geſnerus* in Append. Vivipar. *Scaliger* Exercit. 206. *Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 6. *Gulielmus Piſo* lib. 3. Hiſtor. Natur. & Med. Sect. 3. *Aldrovandus* lib. 2. de Quadrup. Digit. Vivipar. cap. 39. *Jonſtonus* in Thaumat. Claſ. 7. cap. 39. Geſnerus quoque & Aldrovandus appellant idem animal erinaceum ſive echinum Braſilianum. Armadillus, animal loricatum. Aiatochtlius.

§. I. Aiatochtli ſive Tati natura, & mores.

P*Iſo* ait, dictum animal in variis locis variæ eſſe magnitudinis, & figuræ; Braſiliæque indigenas nomine *Tatù* genericè totum genus appellare, Tatus animal. ac va-


ac varias in ſpecies peculiari addito cognomine diſtinguere: primam & maximam appellari *Tatu-peba*; ſecundam & præſtantiſſimam, ſed priori minorem, *Tatu-eté*; tertiam, præcedenti magnitudine parem, *Tatu-aparà*. Addit, omnibus commune eſſe, quòd loricâ oſſeâ ex ſquamis elegantibus compoſitâ operiantur; quòd porcellorum quaſi ſint roſtro, figurâ, oculis, pilis, & pedibus; quòd noctambula, & ſalacia; quòd roſtro terram fodiant talparum more, & nunc ſub terra in cavernis latitent, nunc in aquis inſtar amphibiorum, nunc ſupra terram more aliorum quadrupedum degant. Varias quoque ſpecies agnoſcit *Nierembergius*, & apud ipſum *Jacobus Plateau*, & apud Aldrovandum *Cluſius*. Primæ iconem exhibet Aldrovandus, & ante eum Nierembergius, eamque ſub nomine *Aiatochtli* deſcribit his verbis.

Aiatochtli deſcriptio. Vide Icon. XXVI.

Variæ ſunt ſpecies horum loricatorum. Mihi omnium mirabilior Aiatochtlus, cujus & rarior mentio, & ſterilior; quare illum præſertim narrabo. Duris armatur laminis, quas ipſe vidi. Canis Melitenſis eſt magnitudine. Pedes ei ſuis parvuli, roſtrumq; ſed oblongum & gracile. Armatur undiq; cruſtâ, militari & cataphracto equo ſimili, in laminas connexas atque mobiles diviſâ; quibus ſe convolvit, atque undique tegit. Auricula murina, ſed longiores; nimis graciles. Cauda ejus eſt longa, teres geniculata, eodemque modo laminis cruſtatis circumvallata. Venter candet, ac pelle operitur molli, humanæ haud diſſimili, longiuſculis, exilibus, ac raris pilis veſtitâ. Formicas venatur. Cubat ſupinus, atque caudâ ori admotâ; quà rectà procedentes formicæ incidunt in inſidias, & cibum deludenti ſuggerunt. Antonius Herrera addit, lotio proprio implere lacunam ſuper ventrem inter cruſtas ſuas; ſic formicas, humore obſtante, per caudam procedere usq; ad os. Cùm fugit in præceps, caput caudamq; ventri applicat, ac tuetur cruſtâ, & ſeſe in ſpiram convolvens rotat. Quòd ſi pertinaciùs quiſpiam inſectari perſeveret, validè tundens dorſo ſuo pectus hominis exanimat. Verſatur in uliginoſis lacubus. Lumbricis, piſcibus, ac vermiculis veſcitur, & quibuſdam arborum baccis, & pomis. Caro impensè pinguis, dulcis, ac pituitoſi alimenti, & excrementis redundans. Utebantur antiqui caudâ ad eas, quas Zebratanas vocant (quarum apud illos uſus frequens) muniendas. Cruſta multis rebus utilis, tum ad bellicos uſus, tum ad pacem opportunis. Ajunt illius cruſtam tritam, ac drachmæ unius pondere intrà ſumptam, evocato ſudore magnoperè conferre morbo Gallico curando. Invenitur locis calentibus, lacuſtribus, & uliginoſis. Duæ apud Juculanenſes horum animalium ſunt differentiæ: quædam innoxia, & gratiſſimi alimenti ſunt; alia noxia, venenata, ut vomitu ac flatu alvi citato ſyncopen inducant, tandemq; interimant. Antidotum eſt oleum olivarum, niſi virus invaluerit: fruſtranea tunc remedia. Si fortaſſe aliqua juverint, diffluunt ſuperſtitibus capilli, languet color, marcent vires. Diſtinguuntur teſtarum ſeu laminarum numero: innoxia octonis, noxia ſenis conſtant. Innocua etiam coxa oſſe carent,

Aiatochtli aſtutia in formicis capiendis.

Iconiſmus XXVI. Ponatur è regione pag. 788.



Digitized by Google

Digitized by Google

rent, & maculis rubeis circa ventrem diſtinguuntur. Eſt autem hoc animal viperis, quæ ſono quodam perſtrepunt, tam charum & amicum, ut eodem foramine ſine alterius injuria condantur.

Hactenus Nierembergius de prima ſpecie Armadilli; à cujus deſcriptione ſi diſcrepant alii, loquuntur de aliis ſpeciebus, & aliarum Provinciarum: ut cùm Monardus prodit, hoc animal nunquam viſum edere, ideoque ſub terra duntaxat & ex terra ipſa ali; Geſnerus verò, allatum in Galliam viſum veſci ſeminibus & fructibus; Piſo denique, tantum abeſſe ut hæc animalia cum talpis in terra potiſſimùm nutriantur, ut fructibus *Batalis*, *Bacobis*, & *Melonibus*, cæterisque plantariis, imò gallinis veſcantur, ideoque ruſticos ea valde exoſa habere, iisque perpetuò vel decipulis, vel caniculis inſidiari.

§. II. Aiatochtlus ſive Tatus ex Cluſio.

Piſo exhibet duplicem iconem hîc poſitam tertiæ ſpeciei à ſe numeratæ, & Tatu-aparà dictæ, unam incedentis, alteram dormientis. Eandem repræſentare videtur icon & deſcriptio, quam ex pictura format Cluſius his verbis. *Habebat porrò id animal pedis unius & quatuor unciarum longitudinem, corporis verò ambitus erat quatuordecim unciarum, binis videlicet minor longitudine. Ejus tergum durum & teſtaceum fuliginoſi coloris (quem fortè vetuſtate & manuum tractatione contraxerat) quodammodo teſſellatum. A collo ad medium corpus quaſi orbiculata figura, teſſellis variè pictis diſtinctum; medio autem corpore ternis ordinibus quadrangularium teſſellarum, variè etiam pictarum, inſignitum. Poſtrema tegminis pars ſimilibus orbibus diſtincta erat, qualibus pars anterior. Totum etiam caput ad nares usque ſimilibus teſtis tectum. Aures patentiores, nec adeò mucronatas habebat. Cauda brevis erat, duobus digiti humani extremis articulis non major, tota etiam orbicularibus teſſellis tecta. Ventrem nullà cruſtà tectum fuiſſe, ſed villis duntaxat obſitum, pictura repræſentabat; quemadmodum etiam crurum poſteriorum partem, atque guttur, & nares. Poſteriores pedes ternis digitis, & calcari præditos fuiſſe, pictura fidem faciebat: anteriores verò duntaxat binis, & calcari, niſi à pictore fuerint prætermiſſi. Penem ſatis longum & exertum habebat.* Hæc Cluſius.

Vide Icon. XXVI.

Armadilli alia deſcriptio.

§. III. Aiatochtlus ſive Tatus ex Piſone.

De hujus ejusdem ſpeciei armadillo conglobato ita ſcribit Piſo. *Hæc autem ſpecies peculiare habet, quòd dormiens, aut venatorem eludere volens, prioribus ac poſterioribus pedibus collectis, more infantium in utero jacentium, ac auriculis intrò tractis, & cum cauda ad caput relatis, inſtar pilæ ſe componat, atque per commiſſuras incurvato dorſo ac clypeo, ita lateralibus extremitatibus,*

 ac anti-

ac anticâ & poſticâ parte conſertis, ut nihil appareat, niſi lorica capitis & caudæ; adeoque inſtar conchæ firmiter ſe claudit, ut nè à validiſſima quidem manu aperiri & dilatari ſe patiatur. Quamobrem mira iſtius fortitudinis rationem deſiderans, aliquoties illud diſſecui domi meæ, loricam connexam, quâ tegitur, inveni cum quatuor commiſſuris transverſalibus, quibus loricam extendere & contrahere poteſt. Quæ lorica figuris quinquangularibus eleganti ordine diſpoſitis conſtat; inter commiſſuras verò parallelogrammis, & qualibet figura ſquamulis lenticularibus, coloris ex albo flaveſcentis. In quolibet latere muſculum reperi inſignem longum, & figuram X. habentem, pluribus fibris ita decuſſatim diſcurrentibus ſecundùm longitudinem; quorum ope validiſſimam illam contractionem & corporis conglobationem exercet. Hæc Piſco. Nierembergius ait, conglobatum hoc animal relaxari violenter non poſſe, niſi ad ignem.

§. IV. Aiatochtli ſive Tati alia aſtutia.


Aiatochtli alia aſtutia in capiendis cervis.

PRæter auſtum ſuprà dictum in formicis capiendis, qui proprius eſt illorum qui caudâ longiore ſunt præditi, alium refert *Nierembergius*, omnibus, ut exiſtimo, communem; quem audivit ab iis, qui primùm famâ, deinde viſu rem perceperunt. Ait igitur, pluente cœlo ſupinum jacere hoc animal, & in ventre, qui inermis eſt, colligere aquam contentam inter cruſtas laterum, ſicque perdurare tranſacto imbre fermè diem integrum, donec occurrat incautè cervus ſitibundus; qui ubi accedens ad potum immerſit buccam, claudit ſe animal, labra & nares comprehendens cervi. Mox hic diſcurrit hinc inde, illud verò nunquam laxat prædam, donec fatigatam interimat anguſtia ſpiritus. *Joſephus Acoſta*, lib. 4. Nat. Ind. adhuc alium prodit. Ait enim, libenter vagari animal per montes, per dumeta, & per rupes; iiſque in locis formicarum cavernas inquirere, roſtro terræ rimas aperire, intro linguam inſerere, formicis onuſtam retrahere, ac devorare. Terram egerens, latibula inſtar cuniculorum fodit, ut ſuprà retuli, eſtque in fodiendo tam velox, ut unâ nocte, ſi Nierembergio credimus, ſpatium leucæ excavet. Quare captum, & locis incluſum, niſi ligetur, perfodit omnia, donec extra domum & oppidum emergat. E cavo extrahi non poteſt, niſi pede apprehendatur: nam adeò tenaciter terræ ſquamis ac pedibus hæret, ut licet caudâ apprehendatur, hæc citiùs è corpore evellatur, quàm animal è latibulo educatur.

Nierembergius teſtatur, Indos uti conchulis hujus animalis in maleficis deprehendendis, præcipuè ad explorandos & puniendos fures. Tangunt enim priùs cum concha terram à fure calcatam, ſive aliud quidpiam quod ipſe tetigit: deinde implent maxillam potione quam chicham vocant: tum tympanis circumſonant conchâ interim ſponte ſubſultante & tripudiante. Hoc veneficio notantur vultus furis puſtulâ in genis, quæ per utram-

Digitized by Google

Iconiſmus XXVII. Ponatur è regione pag. 791.



Digitized by Google

utramque maxillam ſerperet, niſi maleficium iterum diſſolveretur. Inſignem facultatem medicam conſtituit *Franciſcus Gomara* in Hiſt. Mexic. in caudæ oſſiculo, utpote ex quo in tenuiſſimum pulverem redacto pilula confecta ad magnitudinem capitis aciculæ, auriq; indita, dolorem ſedet, & tinnitum etiam cum exigua ſurditate ſanet.

Oviedus ait, beſtias prædictas in Indiis coërceri retibus, & mactari baliſtis, multasque capi in campis, auduſtis potiſſimùm ſtipulis, quòd carnes earum in epulis Indorum commendentur; quas & Oviedus deguſtans, meliores carnibus hœdinis deprehendit. Piſo quoque ait, omnium carnem, exceptâ primæ ſpeciei, quam *Tatupeba* vocavit, non ſolùm veſcam eſſe, ſed ob teneritatem & albedinem apud Magnates pro deliciis apponi aſſatam, elixam, & in artocreæ modum conditam, & præferri cuniculorum ac porcellorum carni. Acoſta tamen fatetur, exiguam ſe voluptatem in dicta carne deguſtanda percepiſſe; fortaſſis quia primi generis erat, quam guſtavit.

CAPUT IV.

De Anta Braſilia animali.

Mirum ac fœdum aſpectu animal in Braſilia reperiri, quod Braſilienſes *Tapiiereté*, Luſitani *Anta* vocent, auctor eſt *Gulielmus Piſo* lib. 3. Hiſt. Nat. & Med. ſect. 3. *Eſt magnitudine juvenci ſemeſtris; dorſo incurvato, figurâ corporis quodammodo ad porcum accedens, imprimis oculis, capite, & pedibus. Promuſcide eſt ſuper os præeminente, quam validiſſimo nervo contrahere, & extendere poteſt. Ore dentato in utraque maxilla. Loco caudæ exiguum processum habet depilem. Cute eſt ſolidâ inſtar Alcis, brevibus pilis, umbræ & fuſci coloris. Salax eſt beſtia, & noctambula, quæ arborum fructus, arundines ſacchareas, depopulatur. Inter amphibia non recenſetur; fluvios tamen transnatat rapidiſſimos. Cæterùm iners & ſecors apparet, adeoq; lucifuga, ut in denſis mediterraneis ſilvis interdiu dormire amet; ita ut ſi detur animal quod noctu tantùm, nunquam verò de die venetur, hæc ſanè Braſilienſis beſtia ἡμερόβια dici minimè meretur; qualem tamen Ariſtoteles & Scaliger ex terreſtrium genere in Aſia non dari autumant. Caro ejus veſca, ſi juvenis, & ritè præparetur, bubulamq; æmulatur, eaque mediterraneis ac maris accolis in frequenti uſu exiſtit.* Hæc Piſo. En typum animalis.

Anta, animal Braſiliæ.

Vide Icon. XXVII.

CAPUT

CAPUT V.

De Achais & Tamendois myrmecophagis.

Achaius myrmecophagus.

INter alias Americæ quadrupedes exoticas, reperiuntur quas *Achaos*, & *Tamendoas* appellant. Hæc animalia mirâ Naturæ ſuggeſtione formicas in victum venantur. Conſtant roſtro ſpithamali, oris loco; in cujus cuſpide foramen eſt exiguum, unde linguam exerunt oblongam, ſed graciliſſimam; & in formicarum in arborum cavernulis latentium cubilia protendunt, ac tam diu ibidem detinent, donec formicis repletam ſentiunt. Tunc enim retrahunt, & prædâ quæſitâ fruuntur. De his animalibus ita ſcribit Franciſcus Hernandus. *Offenduntur apud Tucatanenſes quadrupedes quidam dorſo præduro, & fulvi, agnorum magnitudine, ſed qui ventre circiter terram attingant, dentium omnino expertes ſint, & ſolo formicarum venatu vivant; quarum cumulos duobus magnis unguibus, quibus ſinguli anteriores pedes armantur, excavant, turbantque; ac deinde exertâ linguâ, quæ dodrante longior eſt, ſcabra, teres, ac pennam anſerinam craſſa, formicas eam conſcendentes, ac denſantes, ſuſcipiunt; eâdemque contractâ, & in os, quod mirum in modum anguſtum ac parvum eſt, receptâ, gratum ſibi pabulum capiunt, & innocentium animalium prædâ potiuntur. Iners animal eſt, ſed quod ſuâ malitiâ nõ careat; cujus gratiâ cætera animalia ejus conſortium vitant. Ad ipſum namque accedentia, aut in binos pedes erectum, aut jacens in dorſo, adeò vehementer prædictis unguibus involat, ut neque diſſectum in fruſta divelli queat. Atque ita non rarò inventi ſunt tigres ferociſſimi, ab eo pares vices ſortiti, interempti. Quòd ſi animalia ſemel ab eo apprehenſa emori ipſo ſuperſtite contigerit, non priùs ſeſe ab eis explicat (tanta eſt ejus animalis ſtultitia) quàm cum eo occumbat, & pereat.* Hactenus Hernandus.

Tamandua myrmecophaga. Vide Icon. XXVII.

Alia addit Nierembergius ex Antonio Herrera, & Maphæo; ſed adeò confusè, ut num à dictis diſtinctum quid contineant, diſcernere nequeas. Clariùs ac diſtinctiùs de eadem beſtia loquitur *Gulielmus Piſo* lib. 5. Hiſt. Nat. & Med. cap. 22. ubi illam appellat *Tamanduam* ſive Myrmecophagam; eamque duplicem facit, majorem, & minorem. Utriuſque icones apponit quales hîc apparent. Sunt ambæ *feroces quidem irritata, & naribus ſtertunt, cruribusque inſidentes poſterioribus inſtar urſi, unguibus baculum vel telum quodvis fortiſſimè apprehendunt, & mordent: ſed quia minùs agiles, priùs manu capiuntur, quàm quòd prædâ potiantur: niſi fortè eam per inſidias opprimant; tunc enim ipſi tigres ab iis aliquando interimuntur. Tanta denique ſunt pervicacia, & ſtultitia, ut ſi animalia ſemel apprehenſa emori ipſis ſuperſtitibus contigerit, non priùs ſeſe explicent, quàm cum iis occumbant ac pereant. Mactata comeduntur à Barbaris defectu melioris alimen-*

Digitized by Google

alimenti, quia caro inſtar vulpinæ ferinum quid olet. Interiori & exteriori conformatione multùm inter ſe conveniunt; differunt autem mole & magnitudine, potiſſimùm verò caudâ, quòd eam Tamanduà-guazu *habeat latam & hirtam, ſetis cavis & nigris equinis ſimillimam, quam irritata erigit, ſomnolenta verò deducit, eâque ſe tegit.* Tamanduà *minor, longâ quidem, ſed ex parte depili caudâ prædita eſt, inſtar ſimiæ, quæ ſe arborum ramis ſuſpendit, ut commodiùs formicis inſidietur. Ob perpetuam tyrannidem, quam in formicarum myriades exercent, meritò à Belgis* Mieren-eters *appellata. Utraque ſunt noctambula pabuli causâ. Cicuratæ carne quoque veſcuntur, ſed minutè conciſâ, quia non ſolùm capite, promuſcide, ſed & ore ſunt anguſto, acuminato, edentuloque, linguâ denique inſtar craſſioris chordæ tereti, adeoque longâ, præſertim in* Tamanduà *majori, ut duorum pedum longitudinem excedat, atque proinde duplicata (quod notatu ſanè dignum) quaſi canali incumbit inter inferiores genas: quam eſuriens madidam exerit, & arborum truncis diu imponit, mox formicis opertam repentè retrahit. Si altè fodiendo latebræ earum detegi poſtulant, unguibus id præſtat commodè, quibus pedes poſteriores instructi ſunt ſatis validis & longis, numero quinque; anteriores, quatuor, iiſq; recurvis, duobus in medio maximis, volâ pedis rotundâ, imbelle ſatis factâ.* Tamanduà *major undiq; minori piloſior exiſtit. Utriq; per pectus ad latera & medium longitudinis corporis uſque, grandis macula nigris pilis excurrit, quam albicans linea deſuper attingit continuè. Corio ſunt craſſo, carne vulpinâ & vix eduli, tenaciſſimæ deniq; vitæ, excoriatæq; adhuc aliquamdiu vivunt, etiamſi ultra duodecim dies inediam paſſæ. In diſſectione, renis ſiniſtri ſuperiùs proceſſus triangularis inventus, per duplicem tenuem membranam reni annexus: valvulæ autem cordis, & veſicula fellis, ordinariam excedebant magnitudinem. Cæteræ partes internæ ab aliorum animalium viſceribus haud diſcrepabant. Ventriculo erant unico, inteſtinis tenuioribus, quæ teretibus lumbricis (ut in multis hic paſſim apparet) ſcatebant. Nervis & tendinibus undiq; validiſſimis & tenaciſſimis præditæ.* Hactenus Piſo.

CAPUT VI.

De Apro, ſeu Sue fero ac ſilveſtri.

APer, qui Græcis σύαγρος, & ὗς ἄγριος, id eſt, ſus agreſtis, Italis *Cinghiale* & *Porco ſilvatico*, Gallis *Sanglier* vel *Porc ſanglier*, Germanis ein Eber/ vel Wildſchwein dicitur, ſatis notum eſt animal, non Europæ tantùm, ſed ferè toti Orbi terrarum; ideo deſcriptione omiſsâ, pauca quædam de ejus natura, indole, aliiſque accidentibus delibo. Aper.

Digitized by Google

§. I. Aprorum natura, & proprietates.

FOrma externa eſt quam omnes ſciunt, quoniam notiſſimum eſt animal. Color eſt ferè niger, vel ſpadiceus nigricans. Albos tamen ſe vidiſſe ſcribit *Pauſanias* in Arcadicis. Oculos habet iracundis ſimiles, & apertis palpebris patulos. Dentes habet magnos, recurvos, acutos, ad incidendum aptos. *Jonſtonus* de Quadruped. cap. 4. art. 2. ait, ſe audiviſſe, exertos aliquando ita excreſcere, ut circulum ferè abſolvant, toti in ſe reflexi. In India quoque cubitales dentium flexus geminos habere. *Gyllius* ait, cùm ad terram canibus & haſtis debellatus procubuit, dentes inflammato anhelitu ita igneſcere, ut ſi quis de cervice ſetam detractam ad ejusdem etiamnum ſpirantis dentes admovet, candens in orbem contrahatur, & aduratur: & ſi iis dentibus canes inſultantes attingat, ſtatim ignita veſtigia illorum pelli imprimi. Os habent ad modum ſcuti, quod venabulis & machæræ opponunt. Auditu nos vincunt.

Apri novi Orbis quales ſint.

Marcus Polus lib. 1. cap. 24. refert, in Aſia *eſſe apros prope Scaſſam Perſidis urbem, qui cùm ſe peti vident, ingentes lapides eminùs in homines & canes librent*, & grande interdum damnum iis adferant. Idem lib. 3. cap. 35. aſſerit, in eodem illo tractu reperiri *apros tantæ magnitudinis, ut boves etiam grandiſſimos Europæos corporis mole longè ſuperent*. Hoc tamen per auxeſin dictum videtur, præſertim cùm addat, reperiri quosdam eorum *dentes molares, quorum ſinguli ſint pondo quatuordecim*. E contrario in quadam Novi Orbis parte, teſte *Petro Martyre* Decade 2. lib. 1. circa finem, Hiſpani repererunt, apros *noſtris eſſe minores, caudis breviſſimis, adeò ut abſciſſas fuiſſe arbitrarentur. Pedibus etiam noſtris diſſimiles ſunt: poſteriores quippe ajunt pedes in his apris uno digito, non ungulato, conſtare. Eorum etiam carnes multò noſtrorum carnibus ſaporoſiores & ſalubriores experti ſunt.* Cauſa utique eſt, quòd inter palmeta, & paluſtres ulvas paſcantur, ut idem teſtatur.

Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. animal. cap. 28. hæc de apris ſcribit. *Sues feræ principio hyemis coëunt, vere pariunt, petentes maximè invia, anguſta, prærupta, & opaca. Mas cum fœminis converſari dies triginta magna ex parte ſolet. Numerus, partus, & tempus ferendi idem atque in cicuratis ſuibus eſt; vox etiam ſimilis, ſed fœmina vocalior eſt; mas raro vocem emittit. Mares caſtrati majores, fortioresq́; evadunt &c. Caſtrantur, quòd recentibus adhuc morbus incumbit in teſticulos; quo atterentes eam partem ad arbores, ſibi teſticulos extinguunt.* Hæc Ariſtoteles. Victus quoque idem apris, qui ſuibus domeſticis: cibus enim ſunt glandes, poma, hordeum, herbæ, lumbrici, radices, aliaque talia; potus aqua turbida & commoto cœno limoſa. Genus tamen quoddam farris, quo Germani noſtri circa Alſatiam veſcuntur,

acutis armatum ariſtis, non attingunt, propter ariſtarum aciem, teſte *Trago* in Hiſtor. Plantar. Tom. 1. cap. 20.

§. II. Aprorum venatio apud aliquos.

AProrum venatio, ut fiat ordinariè, non eſt quod dicamus. Hetruſci olim muſico concentu capiebant, teſte *Æliano* lib. 12. cap. 46. ubi ait: *Tyrrhenorum ſermone pervagatum eſt, apros & cervos apud eos cum retibus, & canibus, ut venandi ſanè uſus ferre ſolet, tùm multò maximè Muſica adjumento capi. Quod quidem ipſum quemadmodum fiat, jam porrò dicám. Circumjectis retibus, & cæteris inſtrumentis, accommodatis adfaciendas beſtiis inſidias, collocatis, homo ad tibiam canendi bene peritus, quoad ejus fieri poteſt, omnem cantus contentionem remittit & relaxat, & quidlibet ad canendum ſuave præclarè uſurpat: & ſenſim pedetentimq; progrediente illo in montium vertices & convalles, & denſa frutetis loca, atque (ut brevi explicem) in omnia luſtra ferarum & cubilia, tibiæ cantus influit. Ac nimirum primò in eorum aures influentis ſoni inſolentia ipſos terret: deinde cum impotenti voluptate aures tenentur, tum nullo negotio comprehenduntur: cantusq; ſuavitate permulſi, & deliniti, in eorum quæ procreaverint, & domeſticarum ſedium oblivionem veniunt; etiamſi feræ beſtiæ non à locis, ubi verſari aſſueverunt, aberrare ſolent. Sic igitur Tyrrhenæ beſtiæ paulatim tanquam ſuadæ illecebrâ ducuntur; & quaſi cantu præſtrictæ, in laqueos ſeſe inſerunt; quibus illaqueatæ comprehenduntur.* Hæc Ælianus; quæ ſi vera ſunt, utrum naturali virtute tantùm, nullo diaboli auxilio interveniente, contigerint, non facilè definiverim, cùm aliis locis ac temporibus induſtria illa locum vix habuerit unquam, aut etiam nunc habeat; niſi quòd *Varro* lib. 3. de Re Ruſt. cap. 14. ait, in leporario quodam in Tuſculano ad buccinam inflatam certo tempore conveniſſe ad pabulum. Sed hoc non evincit, apros delectari & capi muſicâ, cùm apud nos quoque ſues domeſtici, & boves, ovesque ad ſonum cornu à ſubulcis, bubulcis, ac paſtoribus inflati convocentur, quando ad paſcua extra pagos & urbes ſunt educendi. *Scaliger* quoque meminit apud *Jonſtonum* Claſſe 7. Thaumatolog. cap. 2. Regulum Salvimontis ingentem habuiſſe aprum, qui cum hero & canibus, ad cornuum concentus venatum exiverit.

Apri muſicâ capti.

§. III. Aprorum mirabilia.

AProrum mirabilia, præter jam dicta, hæc præterea invenio. Gregatim incedunt. Alios quàm de ſua progenie ſecum veſci non patiuntur. Lachrymam dulcem habent. Spumant, dum exagitantur. Aprorum urina tã eſt ipſis gravis, ut niſi egeſtâ fugæ non ſufficiant, ac velut devincti

Aprorum mirabilia.

Hhhhh 2 oppri-

opprimantur. Exuri illâ tradunt eos. Ab aconito & ſyanchi radice occiduntur. Cùm per inadvertentiam hyoſcyamum comederunt, ſtatim attrahunt poſteriora, & quaſi contracti cùm ad aquas perveniunt, collectis cancris veſcuntur. Hederâ in morbis ſibi medentur. Ad quadrimatum capiunt incrementa. Fœminæ ſi multæ ſimul ſunt, viſo venatore fugiunt cum natis; capto uno ex natis, fugam ſiſtunt, ſi vel paucæ ſint, aut unicæ, & ruunt in hoſtem. Dentes acuunt ad luctam. Inter ſe concertantes, cùm vident lupos, quaſi confœderati, ſe juvant mutuò; & ad vocem clamantis quot audierint, concurrunt.

Aprorum in medicina uſus.

Invenêre apri in Medicina locum non ultimum. Cerebrum cum ſanguine laudatur contra ſerpentes. Jecur etiam inveteratum cum ruta potum ex vino. Item adeps cum melle & reſina. *Plinius lib. 28. cap. 10.* Veſicæ calculorumque cruciatibus auxiliatur urina apri, & ipſa veſica pro cibo ſumpta; efficaciùs, ſi priùs fumo maceretur utrumque. Veſicam elixam mandi oportet, & à muliere fœminæ ſuis. Inveniuntur & in jecinoribus eorum lapilli, aut duritie lapillis ſimiles, candidi, ſicuti in vulgari ſue; quibus contritis atque potis in vino, pelli calculos ajunt. Verendorum carbunculis medetur cerebrum apri, vel ſuis, ſanguisque. Vitia verò quæ in eadem parte ſerpunt, jecur eorum combuſtum, maximè juniperi ligno cum charta & arrhenico ſanat. Urinæ incontinentiam cohibet veſica aprina, ſi aſſa mandatur: Ungularum apri vel ſuis cinis potioni inſperſus: Veſica fœminæ ſuis combuſta ac pota. *Idem ibid. cap. 15.*

Eorundem aprorum lardum elixum atque circumligatum, mirâ celeritate ſolidat fracta. Cinis maxillarum ulcera ſanat, quæ ſerpunt. Dentis ſcobes pleuritida ſolvunt. Pulmo cum melle commixtus, pedibus à calceamentis læſis ſupponitur. Jecur lethargicos excitat, & auribus purulentis inſtillatum proficit: ex vino potum, citra ſalem, recensque, alvum ſiſtit. Fimus aridus, in aqua aut vino potus, rejectiones ſanguinis ſiſtit, vetuſtum lateris dolorem mulcet, ad rupta & convulſa ex aceto bibitur; luxatis cum cerato roſaceo medetur; Recens & calidus præcipuum eſt contra fluxum narium remedium; Ex vino ſubactus, & emplaſtri more impoſitus, quidquid corpori inhæſerit, celeriter extrahit; Tuſus cribratusque, & cum melle deteriore ſubactus, articulis impoſitus medetur. *Geſnerus de Quadruped. pag. 1047.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Aſino.

ASinus, qui Græcis, ὄνος, Italis *aſino*, Gallis *aſne*, Germanis Eſel dicitur, notiſſimum ubique ferè rerrarum animal eſt, ideo pauca de eo dicenda. Colorem habet ut plurimùm criſeum, ilia alba aut albicantia, in collo & pedibus nigras quasdam lineas,in dorſo à tergoris exordio verſus caudam crucem nigram, pilos duriuſculos, cutem ſolidam ac duram, caput proportione magnum, labia craſſa, aures longas ac latas, caudam minùs quàm equus ſetoſam, cor magnum ut omnes meticuloſi, ſanguinem craſſum ac nigrum. Aſinus.

Frequentiores ſunt in regionibus calidis, quàm frigidis, quoniam frigoris ſunt impatientes. Nullibi majorem vidi copiam quàm in Sicilia, adeò ut ferè pauperrimus quisque unum ad minimum alat ad ſe & onera ferenda. *In* Illyrico, Thracia, & Epiro, in Inſula Melita, & in Balearibus, *ſunt parvi.* In Antro Theſſaliæ urbe magni erant. Aſſyriorum Rex, referente *Pontano lib. de Magnificent.* inter alia munera Ferdinando Regi Neapolitano miſit aſinum virgatum corpus oſtendens diverſicoloribus ac paribus lineis. *Scaliger Exercit.* 217. ait, in Ægypto eam eſſe aſinorum tolutariorum patientiam & velocitatem, ut quadraginta millia paſſuum diei unius operâ expediant, ſine ulla noxa. Aſinorum varietas.

Perexiguæ in hoc jumento alendo expenſæ fiunt: ſunt enim qualicunque pabulo contenti, ut foliis, ſpinis, perticis ſalignis, ſtipulis, fructuum corticibus. Apud Siculos ſi extraordinarium aliquem laborem ſubiverunt, aut ſubituri ſunt aſini, præter paleas præbent unum aut alterum pugnum hordei, ac ſubinde furfures. Pomorum aureorum cortices avidiſſimè vorantes ſæpe vidi; avidiùs verò carduos. Aſinorum cibus.

§. I. Aſinorum mores, & ingenium.

MOres & ingenium aſinorum quod attinet, pigri ſunt, & citò à curſu aut greſſu deficiunt, niſi continuò clamoribus, fuſtibus, punctúris propellantur. Stupidi item & indociles; niſi quòd familiarem ſibi vocem, & alias tritam viam noverunt; & foveam, in quam ſemel inciderunt, devitant. Scribit tamen *Cardanus lib.* 10. *Subtil.* ex Joanne Africano, teſte oculato, circulatorem quendam in ſuburbio civitatis Chairi Ægypti, nomine Bebelloch, ſingulis diebus Veneris (qui feſti ſunt Mahumetanis) aſinum habuiſſe ita inſtructum, ut ad tibiam ſaltaret, & voce in aurem inſuſurratâ concideret ſupinus ſponte, clauſis oculis, inflareturque quaſi venenum bibiſſet, nec minis adductum, nec verberibus, ut ſurgeret: Aſinorum mores. Aſinus mimicus.

blanditiis verò, ac ſpe vehendi formoſas mulieres propoſitâ, alacrem ſurrexiſſe; ubi verò audiviſſet, vehendas eſſe anus, demiſſis auribus claudicaſſe, aliaque ſimilia feciſſe, quæ magnæ ſolertiæ indolem oſtentarunt. *Aldrovandus* quoque *lib. 1. de Quadruped. cap. 2.* refert, ipſiſmet oculis ſuis ſe vidiſſe, Germanum quendam circulatorem, nomine Joannem à Grua, aſinam & capram per omnia Italiæ loca ſecum traxiſſe, & non mediocre lucrum inde contraxiſſe, ob miras earum geſticulationes quas edoctæ erant. Aſina enim ter primùm pro ſoni diverſitate tripudium immutabat, tripudiando anterioribus pedibus erectis ſummâ alacritate; mox velut gaudio in mœrorem converſo poſternebat ſe in terram, ac velut apoplectica immobilis jacebat, nec calcibus aut pugnis adduci poterat, ut ſe moveret. Juſſa dein ut ſpectatores ſalutaret, oculos caputque erga omnes convertebat, flexiſque anterioribus poplitibus ſalutabat. Ad nutum quoque heri per ligneum circulum trajecto corpore ſaltabat; projectum in terram ſudarium vel chirothecam ore colligebat, ac domino referebat. Eadem refert *Geſnerus*, teſtis oculatus, in Hiſtoria Quadruped. cap. de Aſinis. Addit ibidem *Aldrovandus*, legiſſe ſe, aſinum in Africa ſuâ ſponte ſe mortuum ſimulaſſe, nè lapides, quibus plùs equo onerabatur, ferre cogeretur. Alium item ſe vidiſſe, qui peſſulum oſtio obductum ore reſeraret, à nullo edoctus. Sed hæc rara ſunt. Ego certè tot annorum ſpatio, inter innumerabiles quos vidi, nullum ſagacitatis ſignum adverti. Pergo ad alios mores.

Aſina mimica.

Sunt inſigniter impudentes, ut qui nulli in via cedunt, & ſi duo ſimul gradientes occurrunt, per medios tranſeunt. Idem cùm quadam in regione à mulieribus in platea obviantibus fieri mirarer, reſponſum tuli, aſinorum ac mulierum ejus regionis privilegium eſſe, ut nulli cedant. *Plinius* lib. 8. cap. 43. Partus charitatem aſinis eſſe ſummam aſſerit, ſed aquarum tædium majus; ideo per ignes ad fœtus tendere, at ſi rivus interſit minimus, horrere ita, ut pedes omnino caveant tingere; nec niſi aſſuetos potare fontes qui ſunt in pecuariis, atque ita, ut ſicco tramite ad potum eant, & ſi immutentur aquæ, cogendi ſint, & exonerandi ut bibant; nec pontes tranſire, ſi per eorum raritatem tralucent aquæ. Ego nihil tale de aquarum metu & fuga audivi unquam, aut notavi, tot annorum ſpatio, quibus in Sicilia & Italia fui, ac non majori renitentiâ aquas ingredi ac tranſire, quàm equos, frequentiſſimè vidi. Verum tamen eſt quod ibidem addit, mingere, ubi alios minxiſſe vident, aut ſuper fimum; & cùm bibunt, parcè admodum os mergere, fortaſſis quia cùm aurium umbram aut imaginem vident in aquis, nè madefiant timent, ut Cardanus exiſtimat. Tam exquiſiti ſunt auditus, ut præter ſolos mures cæteris animantibus eo præſtare dicantur. Tantus in iiſdem erga genus ſuum amor eſt, ut ſi vi-

Aſini impudentes ſunt.

Digitized by Google

ſi videant mori, animo deficiant. Obſervatum eſt, impendio cavere, nè vel in conſpectu hominum, vel in luce pariant. Ponderis quod imponitur magnitudini impares ſe oſtendunt, aures demittendo.

Inimicitiam gerunt cum ægitho & ſpino avibus, & cum cicuta. Ægithus eos odit, quòd ſpinetis ſe atterentes ſcabendi causâ, nidos illius diſſipant: cum ſpino verò, quòd flores ſpinarum, in quibus ille degit, devorant. Cicutam in Hetruria ſi depaſcantur, profundiſſimo ſomno & torpore corripi dicuntur, ut planè mortui videantur: & *Scaliger* Exerc. 152. teſtatur, multos ex ejus eſu oſcitantes, deinde in anfractuoſos gyros circumactos concidiſſe. *Amicitiam* cum ſcorpio & vitis palmite colunt. Si enim percuſſus à ſcorpio, ſuper aſino rectus deſideat ad caudam; pro ipſo dolorem ſentit aſinus, teſte *Merula*, ejus rei ſignum eſſe addens, quòd pedendo moritur. Alterum quod addit idem Merula, ſi is, quem ſcorpio pupugit, in aurem dicat aſino, ſcorpius me pupugit, non ampliùs eum dolere, dolore in aſinum transeunte, ut credam, ægrè adducor. Abraſo ab aſino vitis palmite, vindemiam feraciorem proveniſſe, obſervatum fuiſſe ajunt. Aqua ſtygia (Scheidwaſſer Germani vocant, *aqua forte* Itali) non niſi ungulam aſini patitur. Si lapis è cauda aſini ſuſpendatur, non ampliùs rudet, ut tradit *Ælianus* lib. 9. cap. 55.

Aſini quibus cum rebus antipathiam & ſympathiã gerant.

§. II. Aſinorum uſus in medicinis.

IN *medicina* aſinorum lac, ſanguis, caro, jecur, renes, ungulæ, urina, ſtercus, & alia pleraque uſum habent. Lac tabidis ſeu phthiſicis ita exhibetur à Medicis, ut vel ipſimet ſugant, vel expreſſum confeſtim ebibant, nè quid à nativo tepore remittat. Scio non ſemel aſinas ad eo morbo laborantium cubicula deductas, & ante lectum expreſſum lac, epotum cum fructu. Galenus melle mixtum juveni cuidam, qui ferè contabuerat, à balneo ſtatim exhibuit. Idem lac per ſe potum, reficit ſtomachum exulceratum. Ad tuſſim quoque, & ſputum ſanguinis commendatur; & uberum dolorem, ſi potatur. Capiti tamen infirmo, & vertigine laboranti non convenit. Gargarizatur quoque faucibus exulceratis utiliſſimè. Sunt inter exempla, qui lac aſininum bibendo, podagrâ, chiragrâvè liberati ſunt. Alii verò ſeri aſinini potu, eoſdem dolores evaſerunt. *Sanguine* aſini fluxum ſanguinis ex cerebro ſedari, ſunt qui dicant. *Plinius* verò lib. 28. cap. 16. teſtatur, genus febrium, quod amphemerinum vocant, depelli, ſi quis è vena auris aſini tres guttas ſanguinis in duabus heminis aquæ hauſerit. Eundem ſanguinem poſt aures captum *Hartmannus in Praxi Chimiatr.* vehementer commendat. Linteola munda, nulli uſui antea expoſita, in eo macerantur, & exſiccantur, & ex his portio in hauſtu

Aſinorum uſus in medicina.

aquæ

Digitized by Google

aquæ fontanæ maceratur, & aqua ebibitur. Idem de *Carne* aſini teſtatur *Ælianus*; quam & phthiſicis prodeſſe *Plinius* loc. citat. tradit, & *Avicenna* confirmat. *Jecur* comitialibus prodeſt, ſi à jejunis ſumitur. *Lien* ad lienis vitium curandum tam dicitur efficax, ut intra triduum utilitas ſentiatur. *Renes* triti, & in vino dati, veſicæ medentur, & urinæ incontinentiam prohibent. Annulus ex *ungula*, in qua nihil nigri ſit, ab epileptico geſtatus, prohibet nè concidat. Ex eadem cinis, per dies multos potatus, eosdem juvat; & oleo ſubactus ſtrumas discutit. Omitto alia multa huc ſpectantia, quæ apud Plinium variis in locis reperies, & apud Gesnerum, Aldrovandum, Jonſtonum, & alios.

CAPUT VIII.

De animalibus fœtidis.

Animalia fœtida. Vide Iconiſmum XXVI.

EX Petro Martyre refert *Euſebius Nierembergius lib. 9. Natur. Hiſt. cap. 80.* apud Chiribicenſes animal eſſe geſtu mirabile, ſtrigoſum, cubitales loco ſtercoris emittens colubros. Unum domi ſuæ nutriviſſe Patres Dominicanos, & aperto experimento rem ita eſſe deprehendiſſe: qui & aſſeruerunt, colubros illos ad vicinas tendere ſilvas, & ibi brevem degere vitam. Putere animal plùs quàm qualecunque cadaver fœtidum in ſterquilinia projectum; & ideo dictos Patres putoris impatientes, interfici animal juſſiſſe. Vulpem roſtro, pilo lupum imitatur.

Maritacaca animal fœtidum.

Diverſum ab hoc videtur eſſe, quod *Gulielmus Piſo* lib. 5. Hiſt. Natur. & Med. c. 24. deſcribit, & *Maritacacam* vocat, dicens eſſe animalculum felis mole, formâ oblongâ, & Viverram æmulari. *Os*, inquit, *& dentes habet leporinos, ut & pilos, barbamq́. Oculorum pupillæ ſunt cæruleſcentes, auriculæ breves, & rotundæ. In anterioribus pedibus, quatuor; in poſterioribus, quinq́ digiti, unguibus acutis. Caudam longam cum corpore villoſam, eamq́ erectam aliquando geſtat, quâ totum corpus inſtar vulpeculæ tegere poteſt. Color totius corporis ex pallido flavo cum multo fuſco mixtus, leporinus quaſi eſt. Ad latera dorſi linea alba excurrit quibusdam pro Naturæ luſu, crucis in modum diligenter diſtincta. Manſuetum eſt, & velox, nec imbelle animalculum. Volucribus, earumque ovis victitat; imprimis ambræ griſeæ avidum, cujus appetitu noctu ſæpe in littore vagatur. Verùm tantum abeſt ut quis opinari poſſit, ex eſu ambræ gratum ſpargere odorem, ut è contrà vel leviter modò irritatum, crepitum ventris cum intollerabili fœtore, aliisque æmulo, emittat. Quamobrem ſupra modum metuitur mirum hoc animalculum à feris, æquè ac hominibus; non ſolùm quòd tetro & graviſſimo odore inſequentium inſidias eludat, ſed quoque plùs noxæ iis afferat, quàm aliæ feræ unguibus vel dentibus venenatis armatæ. Quippe adeo virulentus eſt fœtor, ut quibusdam ſi non mortem,*

ſaltem

Digitized by Google

ſœtem capitis dolores, vomitus, atque animi deliquia adducat. Admiratione ſanè digna proprietas huic beſtiola conceſſa, quòd vel ſolo ani flatu longè latèque aërem non ſolummodò, ſed ſaxa, militum arma, veſtes, capillos inficiat, ut nè quidem fortiſſimo lixivio & inſolatione viginti dierum ſpatio fœtorem deponunt. Memini, quosdam ad capillitii raſuram, induſii, imò ad ædium totalem abdicationem coactos fuiſſe, cùm nullum tanto malo hactenus remedium inventum ſit. Sagaciores autem barbari, ſi quando ejus certiores fiant, nudi vento ſecundo, eoque forti, eam diuturnâ venatione fatigant, donec telis ſuis venenatis aliquoties fruſtra in aërem emiſſis, fœtoris expers fiat, tandemque illi deſideratâ potiantur præda, & cicuratam domi reſervent more ſciuri. Vafra hæc Maritacaca nunc decipulis, nunc ſagittis occiditur. Technis & artibus noſtrati eſt vulpeculæ ſimilis. Cæterùm innoxia, eâq; ratione ſolùm horridiſſima, quòd urina, ſtercus, & ventris crepitus fœtidiſſima exiſtant: cùm tamen, teſte Joanne Euſebio, caro ejus in Mexico ſalubri eventu comedatur. Oleum quoque vulpium noſtratium more ex inde confici aſſerit. Hactenus Piſo. Euſebii verba recitabo infrà, cùm de vulpibus Indicis.

CAPUT IX.

De Bove, & Tauro.

Bos domeſticus.

BOs, qui Græcis βοῦς, Italis *Bue*, Gallis *Boeuf*, Hiſpanis *Buey*. Germanis ein Rind dicitur, communis eſt generis, & tam pro maſculo, quàm pro fœmina, id eſt, pro Vacca ſumitur: quamvis communiter & propriè de illo ſolùm dicitur, qui caſtratus eſt, ut aratro fiat aptior, aut ad cibum ſaginetur; non caſtratus verò dicitur Taurus; & fœmina, Vacca. Biſulcum eſt animal, cornigerum, & ruminans, adeo notum omnibus, ut nulla deſcriptione, icone nullâ indigeat. Ideo ſolùm rariora quædam, ex innumeris quæ dici poſſent, afferam.

Differunt inter ſe variarum nationum boves ingenio (ut ita dicam) velocitate, magnitudine, cornuum varietate, laborum aſſuetudine, & aliis modis.

§. I. Bovis Ingenium.

Bovis Ingenium.

ÆLianus *lib. 7. cap. 1.* Ex Cteſia ſcribit, Suſidas boves numerandi ſcientiam tenere. *Nam Suſis regi ſingulæ quotidie centum cados in hortos ſicciores & minùs riguos hauriunt. Quem quidem laborem ſive quod ſit eis certus & conſtitutus, ſive etiam quia diu multùmq; in eo ſe exercuerint, promptiſſimè obeunt. Nullam enim earum ad opus remolleſcere videres. Ad alterum verò ſuprà quàm diximus cadum exhauriendum, nec verberibus, nec blanditiis inducere poſſes.* Idem Ælianus ibidem cap. 4. de obedientia & docilitate domiti tauri ita ſcribit. *E natura tauri eſt, cùm ex feritate ad manſuetudinem traductus eſt, ut ad parendum facilis*

ſit. Enimverò ad feretrum portandum ſub jugum miſſus, quietus manet, ſive velis eum procumbentem corpore toto quieſcere, ſive in anteriorum crurum poplites tantùm ſe demittere, licèt interim cervice puerum puellamvè gerat. Quin & dorſo mulierem vehit, veluti Europam Jovi: & corpore toto interdum ſublimi poſticis cruribus leviter inſiſtit. Equidem ipſe vidi, qui ſupra nibil ſe commoventes tauros ſaltarent. Hactenus Ælianus. In Cambaia boves edocti ferendo oneri, clitellis adhibitis aſinorum ac mulorum vicem gerunt, ut memorat *Odoardus Barboſa* in Itinerario Indiæ Orientalis apud *Majolum* Colloquio 7. Non ergo bos omnino ineptus ad clitellam. Apud eundem *Majolum*, & apud *Ramuſium*, incerti nominis Auctor, in Itinerario ad Orientales Indos, teſtatur, in urbe Diu boves exiguos, at prægrandibus & rectis cornibus, præter oneris ferendi induſtriam, etiam ſub fræno currere, & equitare dociles eſſe equorum gradariorum more. Nec deſunt domeſtica ferè exempla: Tridentinæ enim urbis incolæ bobus ac vaccis utuntur loco mulorum, aſinorum, & equorum onerariorum.

Boves clitellati in Cambaia.

§. II. Velocitas Boum.

Boum Indicorum velocitas.

DE velocitate curſus boum Indicorum jam antea citatus *Ælianus* lib. 15. c. 24. hæc narrat. *In bubulo pecore, quod incitato curſu valet, curam Indi ponunt, & ſimul de eorum velocitate rex & permulti principes decertant, neq; turpe ducunt, pro hujuſmodi animalium genere auro argentovè ſponſionem facere. Adjungunt autem ipſos bigis, & fortuna aleam ſuper victoria periclitantur. Equi igitur in medio jugati currunt, at boves utrimq; loris annexi, donec ad metam, quæ à carceribus ſtadiis abeſt triginta, perventum ſit. Æquales ſanè ac pares boves equis currunt, neq; velocitate alteros ab alteris internoſces. Quòd ſi quando rex de ſuis bobus cum quopiam ſponſionem fecerit, in tantum contentionis ſtudium procedit, ut is ipſe in curru ſequatur, atq; adeò aurigam incitet. Is ſanè quidem equos ſtimulis cruentat, à bubus verò manus abſtinet, ſiquidem ii nullis admotis ſtimulis incitatiſſimo curſu ſponte feruntur.* Et paulò pòſt: *Sunt item*, inquit, *apud Indos alii boves, qui maximos hircos magnitudine non ſuperare videntur. Ii quoq; per ſe conjugati velociſſimè currunt, nec minùs ſtrenuè quàm Getici equi curſum conficiunt.* Eodem teſte lib. 17. c. 45. tauri Æthiopici velocitate corporis ſummè excellunt. Boum in curſu ac velocitate certamen eſt in Sicilia frequentiſſimum; vix enim ulla eſt civitas, aut oppidum, aut pagus, in quorum ſolennioribus ac propriis feſtis non è publico ærario præmia ponantur hominibus, equis, mulis, aſinis, & bobus curſu ſuperioribus.

§. III. Magnitudo Boum.

Boum magnitudo varia.

APud Indos, ut jam ex Æliano audivimus, hircos magnitudine non ſuperant. In Gelata monte, ut *Leonius* habet de rebus Afric. par. 3. apud Majo-

Digitized by Google

Majolum loc.cit.vix pares ſunt Italicis octimeſtribus. E contrario apud alios Indos Orientales,& apud Phœnices, æquant elephantum altitudinẽ. Scribit enim *Marcus Polus lib.2.c.45.* in Bengala Provincia,quæ Indis eſt finitima,boves,ſi non corporis mole, & craſſitie, tamen altitudine elephantes æquare. Et *lib.5.c.40.* memorat,Tartarorum in Provinciis Erginul, in urbe Singui,ſilveſtres boves elephantum proceritate conſpici.Et *Ælianus lib.16.c.33.* ex Phœnicum libris refert, illius regionis *Vaccas eâ eſſe magnitudine,ut vel proceriſſimi paſtores,cùm mulgent,ſtare,aut etiam in ſcabellum aſcendere habeant neceſſe, ubera ut poſſint pertingere.* Idem lib. 17. c. 45. ait,tauros Æthiopicos,qui carnivori nominantur, ſi cum Græcorum bobus conferantur, duplam habere magnitudinem. *Ariſtoteles* lib.3. Hiſt.Animal.c.21. *Epirotica vacca*,inquit, *præ ſua præcipua magnitudine amphoras ſingulas ſingula implent lactis,menſuraq; ejus dimidium mammis duabus præſtant. Erectus qui mulget,aut paululùm ſe inclinat,quoniam ſedendo ubera contingere nequeat.* Idẽ ibidem aſſerit,boves quoq; Epiroticos egregiâ magnitudine eſſe,iisq; paſtu opus eſſe largiore. *Petrus Martyr* lib.7. Decadis 3. ait,boves ex Hiſpania in Hiſpaniolam transvectos,multò majores evadere, adeò ut elephantis ob magnitudinem comparentur,hyperbolicè tamen. *Guicciardinus* de Hollandicis loquẽs, ait eos interdum excedere pondus ſedecies centum librarum:& unum Leydæ viſum bis mille nongentarum ſeptuaginta librarum.

§. IV. Cornua Boum.

IN Inſulis Aden,teſte *Franciſco Alvarez* de Æthiop.c.19.vaccæ ſunt camelorum magnitudine, nivis inſtar candidæ, ſine cornibus,auribus proceris ac pendulis. Æthiopici boves in Preſteiannis ditione,eodem Alvarez teſte, tantorum ſunt cornuum, ut ex iis vaſa fiant, ac pocula quinque aut ſex metretarum vini capacia. *Ælianus* lib.3.c.34.refert,Ptolemæo ſecundo ex India cornu bovinum allatum,quod tres amphoras caperet. *Nicolaus de Comitibus* in Itinerario apud Majolum , in Indiæ Orientalis Provincia quadam boves ſilveſtres crinitos eſſe aſſerit equorũ prolixiore jubâ,quæ ad pedes usq; protendatur; eorumq; cornua ab occipite in ſpinam tantâ longitudine extendi, ut elevato capite, cornibus attingant caudam: eſſe autem tam grandia cornua, ut incolæ amphorarum loco iis utantur. Caudam quoq; illis eſſe quàm equis elegantiorem. *In Libya*,inquit Ælianus lib. 16.c.33. *Indis finitima retro verſus paſcentium boũ eſſe armenta auditione accepi. Cauſa cur ſic paſcantur, eſt, quòd non ritè collocata à Natura ante oculos cornua habent, & quæ ante pedes ſunt, videre non queant. Ex quo fit, ut ingreſſionem ad caudam retorquentes,herbam depaſcantur. Ludovicus Bartema* in Itinerario Arabiæ c.15.apud Majolũ teſtatur,vidiſſe ſe vaccas ſilveſtres nigras,Sultano muneri oblatas, quibus eſſent cornua cervorum ; ac præterea alias rufas,

Boum cornua diverſimoda.

Cornua boum miræ magnitudinis.

Digitized by Google

Boves unicornes.

quibus unicum in fronte cornu ad ſpinam reflexum. Eſſe in India boves unicornes, ungulis ſolidis, non bifidis, aſſerit etiam *Plinius* lib. 8. cap. 21. & libro 11. cap. 37. & *Solinus* cap. 65.

Bobus caſtratis naſcuntur cornua tortuoſa, gracilia, longa; non caſtratis verò ſecundùm radicem craſſa, recta, minùsque prolixa. Hi tamen latiori, quàm illi, ſunt fronte. Cauſam reddit *Ælianus* lib. 12. cap. 19. Alicubi prorſus cornibus carent vaccæ, ut teſtatur *Alvarez* loco ſuprà citato de vaccis quibusdam Æthiopicis in ditione Preſteiannis. Mutilorum quoque boum mentionem facit *Ælianus* lib. 12. cap. 20. dicens cauſam ejus defectus eſſe, quòd *foraminulentam cranii partem, & poris ſeu meatibus plenam non habent, ſed os univerſum ſolidum; quod cùm affluxum humorum non admittat, ut cornibus nudi ac mutili ſint, in cauſa eſt. Venæ etiam circa idem os cùm pertenues & infirmæ ſint, minùs alimenti continent.* Boves apud Neuros cornua in humeris habere, Auctor eſt *Ariſtoteles*, & ex ipſo *Ælianus* lib. 5. cap. 27.

Cornua mobilia habent aliqui boves

Cornua mobilia quibusdam eſſe, quæ remittantur interdum, interdum erigantur, & indureſcant, teſtantur Scriptores fide digniſſimi. *Ariſtoteles* lib. 3. Hiſtor. Animal. cap. 9. *Adhærent*, inquit, *cornua cuti potiùs, quàm oſſi: unde fit, ut in Phrygia, & alibi, boves ſint, qui cornua perinde ut auriculas moveant.* *Plinius* lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 21. loquens de India, ait; *Sed atrociſſimos habet tauros ſilveſtres, majores agreſtibus, velocitate ante omnes, colore fulvos, oculis cæruleis, pilo in contrarium verſo, rictu ad aures dehiſcente, juxta cornua mobilia; tergori duritia ſilicis, omne reſpuens vulnus; feras omnes venantur, ipſi non aliter quàm foveis capti, feritate ſemper intereunt.* Idem aſſerit *Solinus* cap. 65. Polyhiſtor. *Erythræi autem boves mobilia cornua ut aures habent*, inquit *Ælianus* lib. 2. cap. 20. Et lib. 17. cap. 45. de tauris Æthiopicis loquens, ait: *Quemadmodum aures, ſic cornua mobilia habent. At enim in pugna ita animi fervore contendunt, pugnâ ut nullâ flecti queant &c.*

§. V. Varia Accidentia Boum.

Boves gibboſi, & aliarum formarum.

BOves Americani in partibus Septentrionalibus carent palearibus, & gibboſi ſunt. In Dariena ungulis ſolidis ſunt, magnis auribus, promuſcide elephantis, colore cinereo, carne delicatâ, teſte *Lopezio*. Ex Hiſpania in Hiſpaniolam deportatæ vaccæ, in tantam fœcunditatem excrevêre, ut ex una proletaria & filiabus ejus, vinginti ſex annorum ſpatio octingenti fœtus fuerint procreati. *Lybicorum boum*, inquit Ælianus lib. 14. cap. 11. *qui feri ſolutiq; errant, tanta eſt innumerabilitas, tanta item celeritas, ut unum inſequentes venatores interdum fallantur, quòd nimirum in alios feros incidant, & ille interim ſub dumeta ſaltuvè ſubiens ſe ſubducat, alii autem ſimiles exoriantur, & venatorum oculos fallant.* Ibidem narrat, ſi quis vitulum

ſum tenerum capit, & fune alligat, ab eoque recedit; matrem filii deſiderio inflammatam accurrere, & dum conatur eum abducere, cornua funi implicare, ac pariter cum vitulo capi. In Hollandia plurimùm lactis reddunt vaccæ: nam aliquibus in locis, diebus æſtivis, quatuor & quadraginta lactis heminas ſingulæ in mulctralia refundunt, teſte *Junio* in Batavia. Et in Noſocomio Amſtelodamenſi, quod leproſorum domus dicitur, viginti duæ tenentur vaccæ, teſte *Pontano* Amſtelod. lib. 2. cap. 23. ex quibus aureos circiter quingentos in lacte & caſeis quotannis percipiunt. Ex caſeis verò & butyro, quæ ex Hollandia in exteras nationes mittuntur, in ſingulos annos ducenties ſeſtertiûm cogi putatur, quæ ſumma ad decies centena Caroleorum millia extenditur, eodem *Junio* aſſerente; præter ea, quæ in quotidianum alimentum, quo vix alio bona tenuioris fortunæ hominum pars victitat, cedunt. Vaccæ Hollandicæ.

In Scotia boves ſunt ſilveſtres, colore candidiſſimo, jubâ denſâ ac demiſsâ, truculenti & feri, adeoque ab humano genere abhorrentes, ut ab iis, quæ homines vel manibus contrectarint, vel halitu perflaverint, per multos dies abſtineant; dolo capti, moriantur. In agro Camanduano Tartarorum, ut *Scaliger* refert Exercit. 206. num. 6. & ante eum *Paulus Venetus* lib. 1. cap. 22. boves ſunt maximi, brevibus tamen cornibus, & hebetibus. Nullâ maculâ candor eorum vitiatur. Cameli gibbus eis, & robur par; unde Bocamelos eos vocat Scaliger: onera ſuſcepturi, camelorum more ad agaſonis juſſum, genua flectunt. *Carici quoque* boves, inquit Plinius lib. 8. cap. 45. *in parte Aſiæ fœdi viſu, tubere ſuper armos è cervicibus eminente, luxatis cornibus, excellentes in opere narrantur.* Similes habentur in Quivira, teſte *Nierembergio* lib. 9. cap. 51. Hiſtor. Natur. Boves candidi. Boves gibboſi, ſeu Bocameli.

Hungaria boum prægrandium tam eſt abundans, ut *Sigiſmundus* Baro Herberſteinius ſcriptum reliquerit, per ſolam viam Viennenſem uno anno plùs quàm octoginta millia in Germaniam acta eſſe. In Norwegia, Iſlandia, Gothia, & aliis locis Septentrionalibus, ſunt quidam ſilveſtres, nec homini nec aliis quadrupedibus parentes, quibus cornua vulgaribus minora, ſub mento barba prolixa dependet. Venatores inter arbores ſe abſcondunt, ipſi verò ab iis vulnerati, vel injuriam ulciſcuntur, vel ſeipſos interimunt. In Caricta Scotiæ Provincia ſupra Gallovidiam (inquit *Jonſtonus* de Quadrup. cap. 2. art. 1.) boves ſunt, quorum pingue nunquam concreſcit, ſed olei liquidi modo ferè ſemper eſt fluens.

Multa alia, quæ hîc dici poſſent, uti & uſum partium bovis in Medicina, omitto. De monſtroſis vitulis & bobus multa diximus in libro quinto.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Bove fero, qui Urus dicitur.

Urus, qui bovis ſilveſtris eſt genus.

URus (quod nomen Macrobius ait eſſe Gallicum, hoc eſt, Germanicum, ſeu Celticum, quoniam Celtarum ſeu Germanorum idioma Macrobii tempore Gallis commune erat) ſignificat ex bobus feris illum, quem Germani etiamnum hodie Uhrochs appellant, hoc eſt, bovem antiquum ac principalem, compoſitâ voce ex *Ur*, & *Ochs*, quorum hoc bovem, illud antiquum ſeu principale ſignificat, ut idem ſit Uhrochs (Urus) apud Germanos, quod bos antiquus, principalis, præcipuus, vaſtus, magnarum virium. Hinc rem antiquiſſimam vocant Germani uhralt; & primam antiquamque alicujus rei originem, dicunt Uhrſprung, auctorem verò primum Uhrheber. Bavari ac Svevi, qui *u* vertunt in *au*, vocant Urum ein Aurochſen.

Urus quale animal ſecundum aliquos.

In deſcriptione variant Auctores, & aliqui Urum cum Biſonte, alii cum Bonaſo, alii cum Bubalo, aliisque feris bubus confundunt. *Cæſar* lib 5. de Bello Gallico hæc ſcribit. *In ſilva Hercynia naſcuntur qui appellantur Uri. Ii ſunt magnitudine paulò infra Elephantos, ſpecie, & colore, & figurâ tauri: Magna vis eſt eorum, & magna velocitas: Neque homini, neque feræ, quam conſpexerunt, parcunt. Hos ſtudioſè foveis captos interficiunt. Hoc ſe labore durant adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnā ferunt laudem. Sed aſſueſcere ad homines, & manſueſieri, nè parvuli quidem excepti poſſunt. Amplitudo cornuum, & figura, & ſpecies, multùm à noſtrorum boum cornibus differt. Hæc ſtudioſè conquiſita, ab labris argento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.*

Plinius lib. 8. Natur. Hiſt. cap. 15. ait: *Pauciſſima animalia Scythia gignit, inopiâ fruticum: pauca contermina illi Germania; inſignia tamen boum ferorum genera, jubatos biſontes, excellentique & vi & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa.* Et lib. 11. cap. 37. ait: *Urorum cornibus Barbari Septentrionales potant; urnasque binas capitis unius cornua implent. Alii præfixa haſtilia cuſpidant. Apud nos in laminas ſecta tranſlucent, atque etiam lumen incluſum latiùs fundunt; multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc ceroſtrota picturæ genere dicuntur.* Similia prorſus habet *Solinus* in Polyhiſtore cap. 32.

Urus quid ſit revera.

Ex his conſtat, Urum eſſe Tauro quàm ſimillimum, ſed multò majorem, robuſtiorem, ac velociorem, cornibusque longè amplioribus; adeo ut in capite ejus duo homines ſedere queant, & ipſe equum cum ſeſſore in altum ventilare; teſte *Cromero* lib 1. Poloniæ. *Geſnerus* facit illum

Digitized by Google

illum barbatum, uti & *Eraſmus Stella* (qui eum vocat Buffelum) & *Munſterus*; ex cujus effigie, quam ad Stellam miſit, corpus Uri eſt perquàm craſſum, tergo ſummo ferè gibboſo; longitudo à capite ad caudam brevior, quàm proceritas, & ventris laterumque & dorſi craſſitudo poſtulet; cornua denſa, nigra, brevia; oculi verſus exteriorem canthum rubicundi, os latum, craſſus & ſimus naſus, craſſum & amplum caput, facies lata, tempora villoſa, mentum barbatum, ſed brevibus villis nigris; color ferè niger, maximè in temporibus, mento, & collo; in facie, lateribus, cruribus, cauda, ad puniceum vergit. Cæſar, & Plinius nullam mentionem faciunt menti barbati, uti nec Sigismundus Baro apud Geſnerum & Aldrovandum (qui tamen Urum cum Biſonte confundit) nec Scaliger Exercit. 206. num. 3. ubi ait, Urum à vulgari tauro nihil differre, niſi magnitudine & viribus, quibus illum ſuperat: & cornua vaſtiſſima non ſolùm, ut refert Cæſar, olim ad uſum paterarum, ſed etiam nunc in Samogithia, & Mazovia, quarum eſt animal familiare, ſervire; vocarique ab iis Thur, derivato fortaſſis vocabulo à tauro, quæ vox Syriaca eſt, & etiamnum hodie apud Syros in uſu eſt, qui taurum *Altaur* vocant.

Iconem nullam Uri appono, tum quia à tauri icone non multùm differt, ut ex dictis conſtat; tum quia adhuc dubium eſt, num barbatus ſit, nec nè. Æſtimo tamen, quos aliqui barbatos ſtatuunt, non Uros, ſed Biſontes eſſe, de quibus ſequenti capite. Lingua Urorum adeo eſt aſpera, ut ſi lambendo hominem arripiant, eum ad ſe trahant.

CAPUT XI.

De Biſonte, & Butrone.

§. I. Biſon.

Biſon.

BIſontes quoque, quos Germani Wiſent / ſeu Biſent (Viſent) nominant, ſunt boves feri, de quibus *Solinus* cap. 32. Polyhiſt. hæc ſcribit, loquens de ſaltu Hercynio. *In hoc tractu ſanè, & in omni Septentrionali plaga Biſontes frequentiſſimi, qui boves feris ſimiles, ſetoſi, collo jubis horridi, ultra tauros pernicitate, capti aſſueſcere manu nequeunt.* Ex Solino ſua deſumpſit *Albertus Magnus* lib. 22. Animal. dicens, Biſontem eſſe animal bovi ſimile, collo ſetoſo, & jubis ut equus, ſed pernicius, & truculentius, ut captum domari haud unquam poſſit. *Plinius* lib. 8. Natur. Hiſt. cap. 15. ait eſſe jubatos. *Laurentius Surius* in Hiſt. anni 1501 ſcribit, in Lituania eſſe uros, ac biſontes; & errare qui uros vocant biſontes, cùm biſontes jubati ſint, & villoſi circa collum, & in armos barbâ à mento propendente, pilis moſchum

ſi̇hum redolentibus, capite brevi, oculis grandioribus & torvis, quaſi ardentibus, fronte latâ, cornibus plerumque adeò deductis, & porrectis, ut in iis tres benecorpulenti homines inſidere queant; in tergo extare gibbum, priore & poſteriore corporis parte humiliore. En Iconem.

Vide Icon. XXVIII.

§. II. Butro.

Butro.

BIſontibus haud abſimiles videntur tauri Floridæ, quæ Americæ eſt regio, quos Butrones Barbari ſuâ linguâ nuncupant. Hos apud Aldrovandum Ambroſius Pareus refert gerere cornua pedalia, gibbum in dorſo, pilum prolixum & fulvum, caudam leoninam; nunquam cicurari: ex pellibus fieri tegmina barbarorum adverſus hyemis inclementiam; ex cornibus verò alexiterium adverſus venenum. Bovis Scotici jubati mentionem fecimus cap. 9.

CAPUT XII.


De Bonaſo.

Bonaſus. Vide Icon. XXVIII.

BOnaſi, qui & ipſe feri bovis eſt ſpecies, naturam deſcribit *Ariſtoteles* lib 9. Hiſtor. Animal. cap. 45. his verbis, ex Theodori Gazæ interpretatione. *Bonaſus gignitur in terra Paonta, monte Meſſapo, qui Paonia & Media terra collimitiũ eſt, & Monapios à Paonibus appellatur, magnitudine tauri, ſed corpore quàm bos latiore; brevior enim, & in latera auctior eſt. Tergus diſtentum ejus locum ſeptem accubantium occupat. Catera forma bovis ſimilis eſt, niſi quòd cervix jubata armorum tenus, ut equi, eſt, ſed villo molliore quàm juba equina, & compoſitiore. Color pili totius corporis flavus, juba prolixa, & ad oculos uſq; demiſſa, & frequens, colore inter cinereum & rufum, non qualis equorum, quos partos vocant, eſt, ſed villo suprà ſqualidiore, ſubtus lanario. Nigri, aut admodum rufi, nulli ſunt. Vocem ſimilem bovi emittunt. Cornua adunca, in ſe flexa, & pugna inutilia gerunt, magnitudine palmari,, aut paulò majora; amplitudine non multò arctiore quàm ut ſingula ſemiſextarium capiant, nigritie probâ. Antia ad oculos uſque demiſſa, ita ut in latus potiùs, quàm antè pendeant. Caret ſuperiore dentium ordine, ut bos, & reliqua cornigera omnia. Crura hirſuta, atque biſulca habet; caudam minorem quàm pro ſui corporis magnitudine, ſimilem bubula. Excitat pulverem, & fodit ut taurus. Tergore contra ictus pravalido eſt. Carnem habet guſtu ſuavem: quamobrem in uſu venandi eſt. Cùm percuſſus eſt, fugit: niſi defatigatus, nunquam conſiſtit. Repugnat calcitrans, & proluviem alvi vel ad quatuor paſſus projiciens: quo præſidio facilè utitur, & plerumque ita adurit, ut pili inſectantium canum abſumantur. Sed tunc ea vis eſt in fimo, cùm bellua excitatur, & metuit: nam ſi quieſcit, nihil urere poteſt. Talis Natura & ſpecies hujus animalis eſt. Tempore pariendi, univerſi in*

Bonaſus quomodo ſe defendat contra canes infeſtantes.

montibus



Digitized by Google

montibus enituntur. Sed priùs quàm fœtum edant, excremento alvi circiter eum locum, in quo pariunt, ſe quaſi vallo circumdant, & muniunt: largam enim quandam ejus excrementi copiam hæc bellua egerit. Hactenus Ariſtoteles loc. cit. Similia prorſus habet initio libri de Mirabilibus Auſcultationibus, niſi quòd pro monte Meſſapo ponat Heſenum; & feram dicat appellari à Pæonibus Monepon; & tergori diſtento locum attribuat octo accubantium.

Plinius lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 15. hæc habet de Bonaſo: *Tradunt in Pæonia feram, quæ Bonaſus vocetur, equinâ jubâ, cætera tauro ſimilem, cornibus ita in ſe flexis, ut non ſint utilia pugnæ; quapropter fugâ ſibi auxiliari, reddentem in ea fimum interdum trium jugerum longitudine, cujus contactus ſequentes, ut igne aliquis amburat.* Ariſtoteles in ſua relatione ait, Bonaſum jaculatiſſimum ad quatuor orgyas; quod Gaza & alii interpretantur quatuor paſſus, Plinius verò quatuor jugera. Sed prior interpretatio rectior eſt; orgya enim menſuræ genus eſt ſex continens pedes, ſive utriusq; manus extenſionem.

Solinus, qui ex Plinio ſua deſcribere ſolet, cap. 53. Polyhiſtoris ponit Bonaſum in Lydia, vel Phrygia, ſicque deſcribit. *In his locis animal naſcitur, quod Bonaſum dicunt, cui taurinum caput, ac deinceps corpus omne; tantùm juba equina. Cornua autem ita multiplici flexu in ſe recurrentia, ut ſi quis in ea offendat, non vulneretur. Sed quidquid præſidii monſtro illi frons negat, alvus ſufficit: nam cùm in fugam vertitur, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum; cujus ardor quidquid attigerit, adurit. Ita egregiè noxia ſubmovet inſequentes.* Errat Solinus, cùm dicit, cornua Bonaſi eſſe multiplici flexu in ſe recurrentia, cùm nec Ariſtoteles, nec Plinius id aſſerant, ſed tantùm dicant in ſe eſſe flexa, ſemicirculi nimirum in modum, cùm expreſsè dicat *Ariſtoteles* lib. 3. de Partibus Animal. quòd Bonaſi (ut & aliorum quorundam animalium) cornua *pari aduncitate reflexa inter ſe orbem colligant.*

Ex his patet, quæ ſit forma, quæ natura Bonaſi. Qui plura volet, adeat Geſnerum, & Aldrovandum, qui quidquid unquam & ullibi de hoc animali ab aliis ſcriptum, magnâ diligentiâ colligunt. Geſnero multa diſplicent in interpretatione Gazæ circa locum Ariſtotelis citatum, maximè quòd cornuum capacitati attribuat tantùm ſemiſextarium, cùm Ariſtoteles ſemicongium ſcripſerit.

CAPUT XIII.

De Bubalo.

INgens eſt certamen inter Phyſiologos, aliosquè Scriptores, *Aldrovandum* lib. 1. Quadrup. cap. 5. & 6. *Geſnerum* de Quadrup. litt. B. *Bello-* Bubalus.

Kkkkk *nium*

Digitized by Google

nium lib. 2. Obſervat. cap. 50. *Scaligerum* Exercit. 206 num. 3. & 5. *Iſidorum* lib. 12. Etymol. cap. 1. & alios. *Geſnerus*, & cum ipſo *Aldrovandus* ac *Jonſtonus* de Quadrup. cap. 2. art. 4. & 5. duplicem agnoſcunt bubalum, Veterum unum, & alterum Vulgarem, quem Buffelum dicunt; qui ſecundus quo nomine à Veteribus fuerit appellatus, ignorare ſe fatentur. *Plinius* lib. 8. cap. 15. & *Solinus* cap. 32. ut diximus ſuprà cap. 10. ajunt, ab imperito ſui temporis vulgo bubalum nominatum, qui propriè ſit urus. Idem de Martiali ſentit Scholiaſtes *Raderus*, cùm lib. de Spectac. Epigr. 23. atrocem cognominat Bubalum, dicens, eum ex vulgi ſenſu uſuque locutum, ac per bubalum intellexiſſe urum. Cauſa autem cur duplices diſtinguant bubalos Geſnerus, Aldrovandus, Jonſtonus, & alii, eſt, quòd Plinius loco citato ſcribat, Africam gignere bubalos, eſſeque vitulis cervisvè ſimiles; cùm tamen bubali noſtrates, quorum hodie magna eſt in Italia copia, non vitulis aut cervis, ſed bobus ſint ſimiles, nihilque aliud ſint quàm boves ſylveſtres, nigri, retortis cornibus, parvo pilo, parvâq; caudâ, ſed magnâ velocitate, & fero aſpectu.

Bubalorum an duo genera.

An Veterum bubali, quorum & Ariſtoteles ſæpe, & Ælianus, mentionem faciunt, diverſi fuerint ab hodiernis, quibus Italia nunc abundat, & quorum ego ipſe plurimos, nec ſine horrore, ob vulgò notam truculentiam, vidi ſæpiſſimè in viis & campis Romanis, in Campaniæ pratis, & circa Neapolim; nolo nunc diſcutere. Hoc ſolùm dico, ſi Africani fuère vitulis cervisvè ſimiles, & alii aliarum nationum ſimiles Africanis; totò ferè cœlo noſtrates à Veteribus diſtingui; qui tamen noſtrates non ſunt, quales Albertus Magnus, Petrus Creſcentienſis, aliique recentiores apud Geſnerum & Aldrovandum deſcribunt, ſed ſunt ex genere boum ſylveſtrium, non majores bobus communibus, nigri, longo ac gracili & in anteriora porrecto collo, mediocri & oblongo capite, fronte aſperâ atque hirſutâ, cornibus retortis ac nigris, parvo pilo, parvâ caudâ, fero ac truculento aſpectu, magno robore, magnâque velocitate, cute durâ, membris macilentis. Ferreum per nares trajectum habent circulum, quo manu apprehenſo, & fune ei injecto ducuntur, ac reguntur. Irritantur colore rubro conſpecto, & irritati valde ſunt iracundi atque indomiti; quod ſcientes Itali, dum obvios illos habent gregatim incedentes, aut non junctos curribus, cedunt ſi poſſunt, aut non ſine magnâ formidine pertranſeunt. Vidi trahentes currus & aratra. Maximo conatu onera trahunt, adeò ut ad primi impetus niſum majorem in genua ſe demittant, ac ſponte rurſus erecti pergant. Perſequendo rectà & ocyſſimè feruntur, nec curſum ſiſtunt niſi pallio in caput & oculos conjecto. Quos deprehendunt, petunt capite, cornibus, pedibus, & ungulis. Irâ commoti ac æſtuantes, aquis ſe immergunt uſq; ad os, ut ſanguis æſtuans reſtinguatur.

Bubali deſcriptio.

Bubali truculenti.

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconiſmus XXIX. Ponatur è regione pag. 811.

Baby-Rouſsa.



Cranium.



Digitized by Google

tur. Si nimiùm ſunt onuſti, in terram procumbunt, nec verberibus adacti ſurgunt, donec ex parte deonerentur. Carnes ſunt melancholicæ, & exigui ſaporis: Venduntur tamen Romæ, Neapoli, & aliis Italiæ locis in macellis, & paſſim comeduntur. Ex ungulis & cornibus fiunt annuli, qui digitis inſerti dicuntur virtutem habere contra nervorum convulſionem ſeu ſpaſmum. Plura vide apud citatos ſuprà Auctores, ſed cum delectu; nec enim omnia veritati congruunt.

CAPUT XIV.

De Baby-Rouſſa.

APud *Jacobum Bontium* lib. 5. Hiſtor. Natur. & Medic. cap. 9. deſcribit atque delineat *Gulielmus Piſo*, Appendicis loco, animal Indicum quadrupes, quod Baby Rouſſam vocat, his verbis. *Quadrupes hoc inuſitata figura, monſtroſis beſtiis adſcribunt Indi, quòd à diverſæ ſpeciei animalibus, porco ſcilicet & cervo, pronatum putent. Reperitur tantùm in Inſula Bouro, triginta milliaria diſtante ab Amboino. Nec alibi terrarum ab aliquo viſum fuiſſe, omnes teſtantur. Eſt majoris canis vel cervi magnitudine. Pilos habet more canis venatici, fuſci & griſei coloris, inſtar gliris. Capite & roſtro eſt porcino: oculis & auribus parvis; cauda tortuoſâ, porci æmulâ; pedibus & ungulis cervinis. Velox & ferox habetur animal; eſt longævum quoque, ſi Ariſtoteli fides, dicenti, quibus plures ſunt dentes, eorum vita magna ex parte longior.* Apponit deinde ſchema capitis, quod ait vitulini magnitudine eſſe, ex validiſſimis oſſibus, inprimis utriusque maxillæ; iis ab utroque latere poſteriùs verſus fauces, duodecim circiter dentes molares; anteriùs verò initio roſtri ſex inciſores inferiori maxillæ, duos grandiuſculos ſuperiori parte inſertos, & more aliorum brutorum rapacium buccâ vel roſtro tegi. At verò loco caninorum dentium ex intermedia maxillæ inferioris parte duos validos inſignes erectos dentes erumpere, roſtrumq; perforare ſemipedis eſſe longitudine, pollicis craſſitie, paululùm incurvatos, inſtar dentium apri. In ſuperiori deniq; maxillæ parte ab utroq; latere proceſſus oſſeos concavos, ex iisque prominere cornua, digitum craſſa, duas palmas longa, glabra, & dentium inſtar lævigata, ſed unci inſtar incurvata, ita ut primo intuitu quatuor cornibus juxta ſe poſitis videatur armatum hoc animal. De indole ejus nihil dicit, quia incerta judicat, quæ audivit. Caro ejus ab advenis & indigenis inter delicias expetitur, & loco cervinæ apponitur.

Baby-rouſſa.

Vide Icon. XXIX.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Camelo, & Dromedario.

Camelus.

Vide Icon. XXX.

CAmelus à pluribus Scriptoribus Græcis ac Latinis celebratus, eſt animal ruminans, non cornigerum, biſulcum, talis formæ, qualem duæ appoſitæ icones exhibent, qualemq; ex variis Scriptoribus, unà cum proprietatibus ejus, adnotabimus.

§. I. Cameli forma, natura, proprietates.

Cameli forma, natura, proprietates.

A*Riſtoteles* lib. 2. de Hiſtor. Animal. cap. 1. de camelo ſic ſcribit. *Camelus proprium inter cæteras quadrupedes habet in dorſo, quod tuber appellant; ſed ita, ut Bactriana ab Arabiis differant: alteris enim bina, alteris ſingula tubera habentur. Sunt etiam omnibus ſingula parte imâ, quale in dorſo, tubera, quibus incumbat reliquum corpus, & firmetur, quoties in genua inclinantur. Papillas quatuor modo vaccæ habet camelus* (fœmina videlicet) *caudam aſino ſimilem, genitale retrò. Genua ſingula in ſingulis cruribus ſunt; & flexus artuum, non ut quidam perhibent, plures, ſed propter alvi intervallum plures eſſe videntur. Habet etiam talum ſimilem bubulo; clunes proportione magnitudinis parvos. Biſulcum id animal eſt, nec utrimq; dentatum. Sed biſulcum ſic eſt, ut pes parte poſteriore* (ſuperiore habet Gaza interpres, ſed malè, quoniam in græco textu eſt ὄπισθεν) *ſciſſus paululùm ſit ad flexum digiti ſecundum; parte autem priore ſummâ, quadripartitò findatur diſcrimine parvo, quantum primotenus digiti inflexu, & quiddam inter fiſſuras, perinde ut in anſerum pedibus, adjectum contexat. Pes veſtigio eſt carnoſus, ut urſæ: qua de cauſa eas, quæ per exercitum longiore itinere fatiſcunt, calceant carbatinis.*

Camelorum duo genera.

Hæc Ariſtoteles, ex quo *Plinius* lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 18. deſumpſit ſequentia. *Camelos inter armenta paſcit Oriens: quorum duo genera, Bactriani, & Arabici. Differunt, quòd illi bina habent tubera in dorſo, hi ſingula, & in pectore alterum, cui incumbant. Dentium ſuperiore ordine, ut boves, carent in utroque genere. Omnes autem jumentorum in iis terris dorſo funguntur, atque etiam equitantur in præliis. Velocitas inter equos, ſed ſua cuique menſura, ſicuti vires. Nec ultra aſſuetum procedit ſpatium, nec plùs inſtituto onere recipit. Odium adverſus equos gerunt naturale. Sitim etiam quatriduo tolerant, implenturq; cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum, & in futurum, obturbatâ proculcatione priùs aquâ; aliter non gaudent. Vivunt quinquaginta annis; quidam & centenis. Utcunq; rabiem & ipſi ſentiunt. Caſtrandi genus etiam fœminas, quæ bello præparentur, inventum eſt; fortiores ita fiunt coitu negato.*

Ex

Digitized by Google



Digitized by Google

Ex Plinio & Ariſtotele deſumpſit quæ ſequuntur *Solinus* c. 72. Polyhiſt. *Bactri camelos fortiſſimos mittunt, licèt & Arabia plurimos gignat. Verùm hoc differunt, quòd Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani. Hi nunquam pedes atterunt: ſunt enim illis reciprocis quibusdam pulmunculis veſtigia carnulenta. Unde & contraria eſt labes ambulantibus, nullo favente præſidio ad niſum inſiſtendi. Habentur in duplex miniſterium: Sunt alii oneri ferendo accommodati, alii perniciores. Sed nec illi ultra juſtum pondera recipiunt, nec iſti ampliùs quàm ſolita ſpatia volunt egredi. Genituræ cupidine efferuntur adeò, ut ſæviant cùm Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerant. Verùm cùm occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas capiunt, puras refugiunt. Denique, niſi cœnoſior liquor ſit, ipſi aſſiduâ proculcatione limum excitant, ut turbetur. Durant in annos centum, niſi fortè tranſlati in peregrina, inſolentiâ mutati aëris morbos trahant. Ad bella fœminæ præparantur. Inventumquè eſt, ut deſiderium eis coitionis quadam caſtratione exſecaretur: putant enim fieri validiores, ſi à coitibus arceantur.*

Similia his habet ſparſim Ælianus in Animalium Hiſtoria, aliique Scriptores antiqui, ac recentiores, præſertim Cardanus, Gesnerus, Aldrovandus, Jonſtonus, Scaliger &c.

Ex quibus conſtat, duas eſſe Camelorum ſpecies, Bactrianorum, & Arabicorum. *Samuel Purchaſius* apud Aldrovandum, & *Cardanus* lib. 10. Subtilit. præter Aſiaticos Camelos agnoſcunt & Africanos, & quidem tres eorum ſpecies. Verba *Purchaſii* ſunt. *Camelorum tres ſpecies habent* (Africani) *Prima vocatur Hugium, ingentis ſtaturæ, & roboris, pondo mille librarum ferens: ſecunda minor, duplice in dorſo tubere, oneribus ferendis, & equitationi apta, Becheli dicta, quam ſolam Aſiatici agnoſcunt: tertiam vocant Raguahil, macilentam, & gracilem, ad ſola itinera accommodatam; eam quippe inequitant, conficitquè uno die ampliùs quàm centum paſſuum millia. Atque iis Rex Tambuti ſolet mittere nuntios Segelmeſſem, aut Darham, nongentis millibus paſſuum diſtantem, ſeptem, aut ad ſummum, octo diebus, ſine ulla in itinere mora, aut requie.* Cardanus ita ſcribit. *Africus* (Camelus) *unicam habet gibbam ſeu tuber, Bactrianus duas; quorum utrumque vidi.* Et poſt aliqua. *Porrò de magnitudine non eadem ratio: multùm enim inter ſe differunt, adeò ut juxta hanc rationem tria genera numerentur. Hugium maximi dicuntur, unicâ gibbâ. Minimi Raguabil, qui centum millia paſſuum in ſingulos dies peragunt; ſunt enim leviſſimi, aptioresquè ad itinera, quàm ad onera &c. Medium genus Becheli vocantur, duplici gibbâ. Sed omnium optimi Africi; hi enim ex Bactrianis.* Eadem habet *Scaliger* Exercit. 209. num. 2. Cameli Africani.

Hæc generatim de forma, & nonnullis proprietatibus Camelorum; nunc ſingula enucleatiùs explicabimus, & reliqua quæ deſunt addemus.

§. II. Duo Camelorum genera.

Cameli Bactriani & Arabici in quo differant.

DUo ergo ſunt genera Camelorum, Bactriani videlicet, & Arabici. Differunt in hoc, quòd Bactriani habent duo tubera in dorſo, Arabici unum. Ita expreſsè Plinius loco ſuprà citato, aliique Auctores, cum Ariſtotele, qui ait: διαφέρουσι δ' αἱ Βάκτρειαι τῶν Ἀραβίων, αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δ' ἕνα μόνον: nam ut apud Latinos pronomen *ille* ad remotius, *hic* ad proximius refertur; ſic Græcis ὁ μὲν, & ὁ δὲ. Errat ergo *Solinus*, qui Arabicis duo, Bactrianis unum in dorſo tribuit tuber. Solinum ſequitur *Aldrovandus*; Ariſtotelem, & Plinium, aliosque omnes *Geſnerus*.

Bactriani hodie ſimpliciter Cameli appellantur, Arabici verò à *Strabone* Cameli Dromades, à recentioribus Dromedarii; de quibus poſtea. Apud Ariſtotelem tamen, & Veteres, imò & apud multos Recentiores, ut vidimus, Cameli nomen ad utrosque extenditur. Errat igitur *Sipontinus* apud Geſnerum, qui Bactrias camelos (nam & maſculino, & fœminino genere effertur nomen cameli) quibus bina tubera, vulgò Dromedarios vocari ſcribit.

Cameli omnes an habeant gibbum in pectore

Sed an omnes in ima ventris parte tuber habent aliud, cui innitantur, cùm procumbunt ad onus ſuſcipiendum? *Ariſtoteles* id aſſerit loco ſuprà citato. *Plinius* ſolis Arabicis id tribuere videtur, ut patet ex loco etiam citato. *Solinus* ſilet. *Æſopus* Fab. 12. refert, cùm Camelus gibbum dorſi ſibi auferri à Diis petiviſſet, ventri etiam gibbum ab iis additum. *Cardanus* videtur utrique tribuere, dum cauſam adſignat, cur tuber in ventre habeat camelus. *Geſnerus* loquens de camelo in genere, ſolùm refert quæ habet Ariſtoteles & Plinius, nihilque de ſuo addit, & in icone ventri nihil adpingit: at infrà loquens de Camelo Dromade, ait habere in pectore tuber durum & glabrum cui incumbat; at in icone id non exprimit. *Aldrovandus* Bactriano unum in dorſo, alterum tribuit atque adpingit in ventre. *Jonſtonus* de Quadrup. cap. 3. art 1. initio, camelis tribuit unum in dorſo, alterum in ventre: at circa finem articuli ait, Arabicos bina tubera in dorſo habere, Bactrianos verò & Caſpios unum in dorſo, & alterum in pectore: deinde in iconibus Tabulæ 43. adpingit Bactriano (quem & Dromedarium appellat) duo tubera in dorſo; Dromedario verò Tabulæ 41. & reliquis omnibus, unum tantùm in dorſo dat, nullum in pectore. Ego unum vidi camelum ſine gibbo in pectore: unde colligo, non omnes illum habere, aut ſaltem non adeò ſenſibilem.

Cameli ruminant.

Cameli omnes, quamvis cornibus careant, non ſunt utrimque dentati; nam in ſuperiori mandibula non habent primores dentes. Cauſam reddit *Ariſtoteles* lib. 3. de Partib. Animal. cap. 14 quòd cùm cibo utantur duro atque ſpinoſo, neceſſe eſt ut ruminent, ideoque ut ventrem & dentes habeant ſicut alia animalia ruminantia, quæ ſupernè non ſunt dentata.

Ruminant

Digitized by Google

Ruminant itaque cameli ut bos, cervus, aliaque cornigera animalia; quod neceſſe eſt, quoniam animalia non ob id ruminant, quia cornua habent, ſed quia anterioribus ſupernè dentibus carent.

Quia autem ruminant, plures habent ventres, ſicut reliqua ruminantia, *ut cùm officium oris* (inquit Ariſtoteles lib. 3. de Partib. Animal. cap. 14.) *non ſatis in molendo cibo adhibetur, propter inopiam dentium, munus ventrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit, ſcilicet primus inconfectum, ſecundus aliquantulùm confectum, tertius pleniùs, quartus perquàm plenè confectum. Ita fit ut genus hoc animalium receptacula ſibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita, aut indere licet, venter, araneum ſive reticulum, omaſum, abomaſum.* Habent plures ventres.

Fel *Camelus non diſcretum, ſed venulis quibuſdam confuſum habet*, inquit *Ariſtoteles* lib. 4. de Partib. Animal. cap. 2. Falſum ergo quod *Plinius* lib. 11. cap. 37. & alii aſſerunt, camelos non habere fel. Fœmellæ in ventre inter femora *mammillas* duas cum papillis quatuor habent. Maribus *genitale* retrò verſus caudam dirigitur; tamque nervoſum eſt, ut ex ipſo confici poſſit nervus quo arcus fidiſſimè intendatur. Omnes *caudam* habent aſini caudæ ſimilem. *Genua* ſingula in ſingulis cruribus habent, & flexus artuum non plures, quamvis propter alvi intervallum plures videantur, ut ex Ariſtotele ſuprà retulimus. At Herodotus apud *Ælianum* lib. 10. c. 3. ſcribit, eos in poſterioribus cruribus gerere quatuor femora, & totidem genua. *Geſnerus* lib. 1. Quadrup. cap. de Camelo, per genua articulos intelligit, per femora verò oſſa, quæ inter articulos recta habentur. Hæc autem terna eſſe in prioribus cruribus, in poſterioribus quaterna, ipſe in Dromade obſervavit. *Biſulcos* eſſe aſſerit Ariſtoteles, modo ſuprà citato. Avicenna tamen apud *Geſnerum* eſt auctor, quosdam habere pedes fiſſos, alios verò equi inſtar ſolidos. Aldrovandus in iconibus exhibet illos ſolipedes. *Talos* habent bubalo ſimiles, ſed paulò minores. *Pedes* veſtigio carnoſos ut urſi, & reciprocis quibuſdam pulmunculis infrà diſtinctos: unde nè in longiore itinere fatiſcant, calceantur carbatinis, quæ ſunt calceamenti genus ex rudi vel recente corio bubulo.

Fel.

Genua.

Cameli an biſulci, vel ſolipedes.

§. III. Camelorum mores, & alia.

OMitto alia multa, & venio ad cibum, potum, mores, uſum. *Cibo* utuntur plerumque ſpinoſo & ligneo, ut ſunt virgulta, thyrſi, gramen tenue & humile in ſolo ſterili natum, & in arenoſis ſalebris publico itinere ortum, ſpinarum gramina, cardui, juncorum ſummitates. Dum per Arabiæ deſerta deducũtur, nihil aliud præter hordeacea liba quinque, quæ malum cydonium non ſuperant magnitudine, quotidie accipiunt, ut *Vertomannus* apud Aldrovandum teſtatur: noctu verò per campos dimittuntur

Camelorũ cibus, potus, mores, uſus.

tuntur quæſitum cibos paulò antè commemoratos,ut audivi à nonnullis, qui itinera illa confecerant. *Potus* eſt aqua turbida; quam ſi non inveniant, pedum proculcatione turbant, ut ſuprà diximus. Sitim non tantùm ad dies quatuor, ut ibidem diximus, ſed in duodecim & quindecim tolerant,ut ſcribit *Joannes Leonius* de rebus Afric. apud Majolum&Aldrovandum. Imò in Libya & Numidia, quæ modò Sarra & Biledulgerid dicuntur, toto veris tempore, quamdiu gramen inveniunt quod depaſcantur,non bibunt,ut ex aliis refert *Samuel Purchaſius* in Itiner. Africæ.

Mores quod attinet, eſt in iis *primò* tenax injuriarum memoria, iræque gravitas, & ad ulciſcendum conſtantia, teſte *D. Baſilio* in Hexaëm. Homil. 8. nam aliquando percuſſa à Camelario, longo tempore iram reponit, ut nactâ occaſione malum retribuat. *Secundo*, ineunte vere in rabiem coëundi libidine aguntur per dies circiter quadraginta; quo tempore facilè in ductores ſuos, & alios quosvis, à quibus aliquando duriter habiti fuêre, deſæviunt, ac morſu primò petunt,deinde in ſublime dentibus arreptum projectant, tum humi affligunt, diſcerpunt atque dilacerant. Ita teſtatur *Solinus* ſuprà,*Purchaſius*, & *Leonius* apud Aldrovandum. *Tertiò* ſunt dociles: nam fræno in prœliis reguntur, & ad ſaltandum inſtruuntur. Tradit enim Leonius,Majolus Cardanus, Scaliger, Aldrovandus, & alii, camelum juvenem loco calido, ubi calidum quoque ſit pavimentum, includi, foris tympanum aut attabatam pulſari, beſtiam ob caloris moleſtiam pedes alternatim ſuſtollere, ac per menſes aliquot ita aſſuefieri, ut poſtea in aëre libero,ac ſolo non calido, audito tympani ſono ſaltationem pedum ſimili motu exerceat. *Quartò* delectantur muſicâ, & ad muſicum concentum ſub onere defatigati progrediuntur; quod verberibus ſtimulati non faciunt: ſervant enim,ut ſuprà diximus,& oneris & viæ certam menſuram, quam vi nullâ adacti prætergrediuntur; quod cùm advertit ductor,cantilenâ delinitos propellit longiùs. Hinc nulla Caravana ſeu comitatus Arabiam transmittit ſine tympaniſtis,qui feſſos ac penè oneribus ſuccumbentes excitent ac recreent camelos. *Quintò* inſignem pudorem ac verecundiam in coëundo monſtrant; non enim in propatulo,inſpectantibus aliis, id faciunt, ſed ſecreta petunt; & ſupervenientibus ſeu hominibus, ſeu beſtiis, indignantur graviter. Teſtatur hoc *Ælianus* lib.6. cap.60. *Vincentius Belluacenſis*, *Albertus*, & alii communiter. Cum matre ut coëant, adigi nullâ ratione poſſunt. Et cùm aliquando camelarius admiſſario deſtitutus,matrem opertam pullo ſubmiſiſſet,hic poſtea matre cognitâ eum hominem morſibus necavit, ut ſcribit *Ariſtoteles* lib. de Mirabilib.Auſcult. & alii multi. *Sextò* compatiuntur afflictis: nam teſte *Vincentio Belluac.* lib. 19. cap. 23. cùm alioquin totâ nocte in ſtabulo comedant ac ruminent,ſi inibi aliquis ægrotet,tanta reliquis pietas & compaſſio ineſt,

Cameli ſaltare quomodo doceantur.

Digitized by Google

ineſt, ut cibo abſtineant. *Septimò* magno in prolem amore flagrant; quod ſcientes Indi, cùm celeritate maximâ uti volunt camelis vecti, pullos relinquunt domi; unde revertentes matres domum, amore pullorum paſſus duplicant.

Uſus camelorum præcipuus eſt in conficiendis itineribus, maximè in locis deſertis, propter eorum in ferendis oneribus robur, propter velocitatem, & propter ſitis ac famis tolerantiam. Referunt Scriptores moderni, teſte Aldrovando, transeuntes per Arabiam, ſpirante Borea, vix ultra decimum paſſum ſe videre poſſe: atque ideò arenâ violenter motâ, camelis inſidentes aſſeribus includi undiq; ſolere, foraminibus quibusdam pertenuibus ad reſpiracula & aërem captandum relictis, ducibus præeuntibus, acumq; nauticam præferentibus pro viarum rectore. Aliqui itinerantes utuntur frænis & ephippiis: alii verò nudo dorſo inſident, & pro calcaribus utuntur longâ virgâ, pro frænis loro coriaceo, quod perforato naſo inditum, ac transverſim actum, habenæ locum ſubit. Ordinariè ſexcenta pondo geſtant; & ſi neceſſitas urgeat, mille. Dum onerantur, aut onere levantur, in ventrem procumbunt. Ut ſentiunt ſe æquale viribus ſuis habere onus impoſitum, ſurgunt, nec plùs recipiunt. De velocitate ſuprà fuit ſermo. Alius camelorum uſus fuit olim in bello; onera enim, & pugnantes ferebant milites. Uſum in medicinis vide apud Gesnerum, Aldrovandum, Plinium, & alios.

§. IV. De camelo Dromade ſeu Dromedario.

INter Arabicos camelos ſpecies eſt celebratiſſima, quam à velocitate Dromadas Græci, Latini Dromedarios appellant. Unico ſunt dorſi tubere, ſtaturâ minores aliis, reliqua cum aliis communia habent. Quem vidit Gesnerus, altitudine erat quinque cubitorum dodrante dempto, longitudine circiter ſex: ſuperius labrum habebat ſciſſum ut lepus: in pedibus duos ungues latos: biſulcus apparebat, ſed diviſio ſuperna tantùm erat, nec penetrabat ad ima veſtigia, quæ carnoſa ac plana ſunt, lataque inſtar orbis cibarii. Tuber durum & glabrum habebat infrà in pectore, & ſingula in ſingulis cruribus ſuperiùs. Onus conſuetum geſtare dicebatur librarum mille quingentarum, interdum etiam ducentis ſupra bis mille onerabatur. Centum & ampliùs milliaria uno die conficiunt Dromedarii. His advecti dicuntur tres Reges ab Oriente ad Chriſti incunabula ſpatio dierum paucorum.

Dromedarius.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Camelopardali.

Camelopardalis. Vide Icon. XXXI.

CAmelopardalis, ſeu ut alii ſcribunt, Camelopardalus, vocatur communiter voce Arabicâ Serapha, ſeu Gyraffa, & Ziraffa, à Pauſania verò Camelus Indica, ab Alberto Magno & ejus ſequacibus Oraſius, à Plinio Ovis fera. Hic lib.8. cap.18. ait, eam eſſe *collo ſimilem equo, pedibus & cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus*; & ob id appellatam Camelopardalin, eſſeque aſpectu magis quàm feritate conſpicuam, ideoque *ovis fera* nomen inveniſſe. Qua de cauſa *Strabo* lib. 16. eam pecudem ſeu ovem, non feram appellat; & apud Plinium quidam ſimpliciter *Ovis* legunt, alii ovis ferè, alii *ovis fera*, ut ovis ſit genitivus, fera nominativus & ſubſtantivum. *Oppianus* lib. 3. de Venatione ait, Camelopardalin habere naturam ex camelo & pardali (id eſt, Panthera) mixtam, corpus varium, collum oblongum, aures exiguas, caput parvum, pedes longos, veſtigia lata, ſed crurum & pedum inæqualem eſſe menſuram, majorem ſeu altiorem prioribus, minorem poſterioribus, quos humiles & ad terram ſe ſubmittentibus ſimiles aſſerit: à medio capite juxta aures utrimque in temporibus binas eminentias ſeu tubera veluti cornua exilia, rectà procedere: os habere mediocre, & tenerum, ut cervi; dentes parvos & albos utrimque; oculos ſplendidos; caudam parvam ut velocibus capreolis, & nigris in extremitate pilis hirſutam.

Camelopardalis deſcriptio, inceſſus &c.

Heliodorus lib. 10. Æthiop. Hiſtor. Camelopardalo eſſe proceritatem & altitudinem cameli; pellem floridis maculis variam; partes poſteriores, & juxta ilia, humiles, & leoninæ formæ; anteriores circa armos, & pectus, & pedes priores, altiores multò quàm pro cæterarum partium proportione; collum gracile, & ad canini gutturis modum à reliquo corpore craſſo procedens; caput formâ quidem cameli, magnitudine verò paulò majori quàm duplâ ad ſtruthiocameli caput; oculos veluti pictos; inceſſum longè alium quàm aliorum animalium, cùm neq; crura dextra & ſiniſtra vicibus moveat alternis, ſed alterutra ſimul, ut dextra pariter ambo, inde ſiniſtra junctim, ita ut utrumque latus cum ſuis pedibus ſimul totum loco moveatur. Trahenti autem atque regenti magiſtro tam facilè & manſuetum ſe præbere, ut tenui funiculo capiti circumvoluto, pro illius arbitrio, quo modo & quocunque velit, agatur. His ſimilia habent multi alii Scriptores apud Geſnerum in Camelopardali: apud quem icon appoſita eſt mendoſa, cùm careat jubis, & caudâ criſpatâ.

Petrus


Digitized by Google

Iconiſmus XXXI. Ponatur è regione pag. 818.



Digitized by Google

Camelo cervus.



Carigueya.



Digitized by Google

Petrus Gillius in Itinerario ſuo cap. 9. apud Majolum & Aldrovandum his eam verbis deſcribit. *Giraffam Græci & Latini vocant Camelopardalim. Vidi in urbe Cayra tres. Duo cornicula ex fronte eminebant circiter ſex digitos. In fronte media tuberculum exiſtebat, velut tertium cornu, altum circiter duos digitos. Collum longum ſeptem pedes; cùm caput extollit, ſexdecim pedes à terra effert. Illius longitudo à cauda ad capitis verticem eſt duodeviginti pedum. Tibiæ tam altæ poſteriores, quàm priores, at ſemora anteriora longè altiora poſterioribus, nimirum dorſum à cauda ad ſummum capitis verticem velut ſcala, velutq; tectum carinatum attollitur. Totum corpus grandibus maculis diſtinguitur coloris cervini obquadratis, ſed in collo, magiſq; in corpore quoquoverſus latis circiter dodrantem; at clauſula macularum alba digito latior. Itaque totum corpus reticulatum eſt; neque tamen ut pardalis maculas habet rotundas, ſed aut obquadratas, aut rotundas. Pes biſidus ut bubali; labrum ſuperum longè eminet infra inferum; cauda tenuis, & exigua, in acumine piloſa. Ruminat ut bos. Edit fœnum, & cætera quæ boves edere ſolent. Jubam habet ut equus à dorſo ad capitis verticem. In gradiendo claudicare videtur, nunc dextris, nunc ſiniſtris non modò cruribus, ſed etiam lateribus. Cùm ex terra aut potum, aut cibum ſumere neceſſe habet, crura latiſſimè diſtendit priora; non enim niſi latè diductis, longeq; divaricatis tibiis cibum ex terra capere poteſt.* Hiſce conſentit Marcus Polus, & Joſaphat Barbarus Venetus; qui addit, animal hoc linguam habere duos pedes longam, ſubobſcuri quaſi violacei coloris, teretem ſicut anguillis, qua herbas, ramos, frondeſque carpat, & mirâ celeritate in os trahat, maximè dum arborum ſummitates depaſcitur erecto collo. Giraffa idē quod Camelopardalis.

CAPUT XVII.

De Camelo-Cervo, ſeu Cervi-Camelo.

GEorgius *Marcgravius* Commentar. de Chili regione & indigenis cap. 6. in fine, deſcribit atque depingit animal ex India quondam Occidentali in Bataviam translatum, referens partim Camelum, partim Cervum; quod ob id ipſe Græco nomine ἐλαφοκάμηλον, ego Latino Camelo-Cervum, ſeu Cervo-Camelum appello. Verba ejus hæc ſunt. *Longitudo totius corporis à cervice ad caudam ſex pedum eſt; altitudo verò à dorſo ad pedis plantam quatuor tantùm; & colli longitudo à ſcapulis ad cervicem, duûm. Capite, collo, ore, ſuperioris præſertim labii ſciſſurâ, ac genitali, camelum ferè refert; at caput oblongius eſt: aures habet cervinas;* Camelo-Cervus. Vide Icon. XXXII.

nas; oculos bubulos. Anterioribus dentibus in ſuperiori mandibula caret, ſed molares utrimque habet, ut biſulca ferè omnia, & ut illa, etiam ruminat. Dorſo eſt ſenſim prominente, ſcapulis prope collum depreſſis, lateribus tumidis, ventre lato, clunibus altioribus, & caudâ brevi, ſpithamæ ferè longitudine. Quibus omnibus cervum ferè refert; quemadmodum etiam cruribus, præſertim poſterioribus. Ungues habet acuminatos, qui circa pedis ambitum in cutem craſſam abeunt: nam pedis planta non ungue, ſed cute, ut in multifidis, & in ipſo Camelo, contegitur. Retro mingit hoc animal, ut Camelus; & teſtes ſubſtrictos habet. Pectore eſt amplo; ſub quo, ubi thorax ventri connectitur, extuberat globus, ut in Camelo, vomica ſimilis; è quo neſcio quid excrementi ſenſim manare videtur. Color colli, cervicis, pectoris, & anteriorum crurum, eſt illi albus; reliqui verò corporis ſubruber, vel ex nigro ruſeſcens. Roſtro tamen eſt nigro; & anterioribus cruribus à genu albicantibus. Cicur ac manſuetum eſt animal, ſed frigoris impatiens, ut alia quæ ad nos è calidis regionibus afferuntur. Neminem offendit; ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat injuria. Nam ubi aliquis illud vexet, vel circa clunes opprimat; non calcibus aut morſibus ſed defendit, ſed vomitu vel cibi, vel humoris, in vexantem retrorſum cum impetu ejaculato, ob protenſam colli longitudinem. Hæc ille, addens animal eſſe ſalaciſſimum, villis penè nudum, ac non niſi levibus & curtis tectum.

Camelo-cervus vomitu ſe defendit.

CAPUT XVIII.

De Carigueya, aliiſque animalibus manticatis.

VArii Indicarum rerum Scriptores variorum animalium manticatorum mentionem faciunt. Quidquid reperire potui circa quadrupedia, huc congeram. Incipio à Carigueyà, ſeu Garagueyà.

§. I. Carigueyà, ſeu Garagueyà.

Carigueyà.

Vide Icon. XXXII.

DEſcribit hanc beſtiolam *Gulielmus Piſo* lib. 5. Hiſtor. Natur. & Medic cap. 24. aitque adſcribendam eſſe majorum glirium montanorum numero, & Braſilienſibus littoralibus vocari *Cariguejam*, mediterraneis *Jupatiimam*, Lerio *Carigoy*, Luſitanis *Rapozam*. *Vulpecula eſt magnitudine capite & ore vulpino, barbâ felinâ, corpore coloris nigricantis, ſed leucopæis pili admixtis; Caudâ ultra pedem longâ, & rotundâ, in extremitate depili, colori pardi & nigri, quam curvatam geſtat, eâque ſe arborum ramis more ſimi adpendit. Mirum ſanè animal. Nam in infimo ventre circa anum pellis ejus eſt dupla, & exterior rimâ ſciſſa, facitque quaſi manticam eamque intus piloſam,* Tambeio *vernaculo idiomate dictam; cujus* ar[l]

Manticarum animal.

Digitized by Google

arctè clauditur, ut vix conſpiciatur, niſi digitis diſtendatur; tuncq; mammæ in interiore pelle apparent octo papillis. Ex reiteratis horum animalium ſectionibus alium non invenimus uterum, præter hanc burſam, in qua ſemen concipitur, & catuli formantur. Quos deinde quinos vel ſenos ſimul circumfert, mobiles, perfectos, ſed depiles, adeoque pertinaciter uberibus affixos, ut à perpetuo ſuctu vix avellantur, antequam permittente matre ad paſtum ipſi egrediantur; unde redeuntes denuo, uterum maternum pro libitu ingrediuntur, ſicut ſæpe Illuſtriſſimus Princeps Naſſavinus, aliiq;, non ſine admiratione mecum viderunt. Teſtes fœmella ſub ano gerit interiùs abſconditos. Mas fœmellæ planè ſimilis, in burſa pendulos more Cati teſticulos fert; & quod notatu dignum, manticam (licet à fœmellæ diverſam) habet, quâ alternatis vicibus catulos quoque circumfert, ſicut avis mas amore pullorum fœmellam ab incubatu ſubinde liberans. Uterque fœtent; mordaces ſunt ut vulpes, earumque more gallinis & columbis non ſolùm, ſed avibus in faſtigiis arborum inſidiantur; quarum defectu cannis ſacchareis, aliisque optimis vegetabilibus veſcuntur. Cauda horum animalium ob multos uſus medicos apud incolas in pretio habetur, præcipuè ad exturbandas viſcoſitates & immundities veſicæ, renum, & uteri, ſi vel duorum ſcrupulorum quantitas reiterata cum convenienti liquore exhibeatur. Hactenus Piſo.

§. II. Alia deſcriptio Carigueyæ.

IDem animal accuratiùs deſcribit *Joannes Jonſtonus* lib. de Quadrup. in capite de vulpibus art. 3. puncto 1. ex deſcriptione, ut ait ipſe, *Marcgravii* lib. 6. Hiſtor. Braſil. cap. 2. *Animal eſt,* inquit, *catuli ſeu mediocris felis magnitudine.* Caput *vulpinum habet,* ore *acuminato, eſtque inferior pars oris paulo brevior ſuperiore:* Linguam *longam, quam tamen os aperiens, & morſum minitans, non exerit, quamvis poſſet, ſed verſus poſteriora attollit. Dentes inſtar felis ſeu vulpis, anteriùs nimirum, tam ſuperiùs, quàm inferiùs, parvulos; hinc quatuor longos caninos, ſuperiores quidem longiores, inferiores verò breviores; hinc iterum ſex alios, & dein molares, duodecim intermedios, quatuor caninos, & inciſores parvulos, in inferiore mandibula octo, in ſuperiore decem: nam duos majuſculos in medio habet more leporis.* Nares *habet patentes:* Oculos *pulchros, rotundos, nigros:* Aures *pro mole corporis amplas, longas, latas, vulpinas; quas erectas gerit; ſed conſtant tenui membranâ glabrâ, translucente, cui fuſci aliquid admixtum.* Barbam *habet felinam, pilis nigris; ſub mento autem ſunt breves, in ſuperiori parte oris longiores, ſupra oculos aliqui, & ibidem in utraque genâ.* Caput *tres digitos, aut paulò plùs, longum.* *Aurium qualibet duos digitos longa, ſeſqui ferè lata.* Collum *breve, nec ſupra digitum longum; reliquum corpus ſeptem digitos uſque ad caudæ exortum.* Cauda *pedem longa; quam curvatam geſtat: nam eâ ſe arborum ramis more ſimiæ appendit.* Pectus *latiuſculum.* Crura *duo anteriora breviora, nimirum quodlibet tres digitos*

Carigueyæ alia deſcriptio.

longum, poſteriora paulò plùs quatuor. Pedes *anteriores digitis quinque inſtar manus conſtant, unguibus albis, inſtar avium curvis: poſteriores longiores, ut in cercopithecis eſſe ſolet, item quinque digitis ut manus.* Pilis *veſtitur longis, ſed qui in capite, collo, infimo ventre, & cruribus, breviores. Pili autem capitis, colli inferiùs, & cauda inferiùs prope exortum, ſunt flavi: ſecundùm longitudinem autem capitis per oculos & medium capitis tendit ampla nigra ſtria: collo ſuperiùs etiam nigri pili admiſcentur. Per totum autem dorſum, latera, & caudam ſuperiùs prope exortum maximam partem nigra eſt, ſed leucophais pilis admixtis. Cauda ab exortu ſuo tantùm ad quatuor digitos piloſa eſt, reliquâ parte nudâ; ubi cute veſtitur, ad quatuor digitos nigrâ, quatuor digitos ultrà albicante, fuſco colore intermixto. Rotunda eſt, & ſenſim attenuatur. Mas fœmina per omnia ſimilis.*

In infimo ventre prope crura poſteriora, pellis ejus dupla eſt, & exterior rimâ ſciſſa duos & ſemis digitos longâ, facitque quaſi burſam, pomi aurantii majoris capacem. Eſt autem hæc burſa intus piloſa, & continet mammas in interiore pelle ad ventrem, octo papillis. Burſa autem os arctè clauditur, ut non appareat, niſi duobus digitis diſtendatur. Hæc burſa ipſe uterus animalis eſt: nam alium non habet; uti ex ſectione illius comperi. In hac ſemen concipitur, & catuli formantur. Et hæc ipſa, quam deſcribo, beſtia ſex catulos vivos & omnibus membris abſolutos, ſed ſine pilis, in hac burſa habebat; qui etiam hinc inde movebantur. Quilibet catulus duos digitos erat longus. In ea tam diu retinentur, donec ipſi ſibi victum quærere poſſunt. Interea tamen interdum progrediuntur foras, & iterum ingrediuntur. Teſtes *ſub ano habebat interiùs jacentes. Pellis ejus facilè detrahi poteſt, ut vulpina, aut leporina, modo in ventre incidatur. Fœtet animal inſtar vulpis, aut martis. Mordax eſt. Veſcitur libenter gallinis; quas rapit ut vulpes; & arbores ſcandendo avibus inſidiatur. Veſcitur quoque ſacchari cannis; quibus ſuſtentavi per quatuor ſeptimanas in cubiculo meo; tandem funi, cui alligatum erat, ſe implicans, ex compreſſione obiit.* Tantum Jonſtonus ex Marcgravio, addens inveniri in Dariene, Braſilia, & Florida, & nova Hiſpania.

§. III. De aliis animalibus manticatis ex variis Auctoribus.

Manticata animalia varia.

VArii alii Scriptores mentionem faciunt manticatorum animalium; quæ utrum conveniant cum præcedenti jam deſcripto, ex ſequentibus judicabit Lector.

P. Joannes Euſebius Nierembergius lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 4. unum depingit atque deſcribit, quod ait reperiri in Dariene, & Florida, & vocari ab Indis *Tlaquatzin*, ab aliis verò aliter. *Animal eſt*, inquit, *parvi canis formâ, & magnitudine; binos dodrantes longum; roſtro tenui, prolixo, atque depili; exili capite; tenuiſſimis molliſſimisque auriculis, ac penè tranſlucentibus; pilo longo, & can-*

Tlaquatzin animal manticatum.

& candido, ſed circa extrema fuſco, aut nigro; caudâ tereti, duos dodrantes longâ, & perſimili colubrina, fuſcâ, ſed poſtremò candidâ, quâ mordicùs & firmiter, quidquid ſemel deprehenderit, retinet; corpore verò ac pedibus felis. Quaternos aut quinos parit catulos, quandoque ſeptenos, & plures; quos utero conceptos, editosque in lucem, alvi cavitate quâdam, dum adhuc parvuli ſunt, concludit & ſervat; intra ſcilicet locum, à Natura hujus gratiâ fabricatum, dilatatâ ac ſponte velut excoriatâ juxta mammarum ſedem externâ pelle, tantâ æqualitate, ut coaluiſſe cutem omnino putes: miro profectò Naturæ artificio. Oculi ei ſunt nigri, parvi, vividi, atque erecti. Scandit arbores incredibili pernicitate. Interdiu in cavernis latitat, veſcitur cohortalibus, quas vulpecularum & muſtelarum ſilveſtrium more jugulat, illarum ſanguinem ſorbens. Cætera innoxium ac ſimpliciſſimum animal: quanquam verſutiâ quadam congenitâ ſe interdum mortuum ſimulet, cùm aliter venatoris manus effugere nequit, aut deluſos apprehenſores mordere geſtit. Cauda hujus animalis eſt depilis, & egregium medicinæ adjumentum: tuſa enim drachmæ unius menſura, atque cum aqua aliquoties, bis, terve, aut quoties opus fuerit, intra corpus ſumpta, ſi eo quis die à cibo abſtinuerit, urinæ meatus mirificè extergit, ipſam urinam evocat, calculosque, & quæcunque alia urinæ meatus obſtruunt, extrahit, generat lac, & medetur fractis, & cholicis, partum accelerat, menſes elicit. Tuſa & impoſita, extrahit aculeos infixos, ventremque emollit &c. Vivit beſtiola in calidis; ac paſcitur carne, fructibus, pane, oleribus, frumentaceisq; aliis generibus.

Hæc Nierembergius de *Tlaquatzin*; quam ait ab Antonio Herrera vocari *Taquatzin*, ab Hiſpanis Scriptoribus *Tlaquacum*, à Cardano *Chiurcam*, ſive *Chuciam*, à Stadenio *Servoy*, à Nomenclatore Semi-vulpem, ſeu Lopecopithecum, à Raphe Hamor *Apoſſumen*, ab aliis *Aucham*, *Saſapim*, *Cerigonem*.

Petrus Martyr Decade 3. Rerum Oceanic. lib. 9. ubi de Pariana regione loquitur, hæc habet verba. *Arbores ibi eſſe adeò proceras balbutiunt, ut pleraque ſexdecim hominum manu junctorum in gyrum vix lacertis concludi quirent. Inter eas arbores monſtroſum illud animal, vulpino roſtro, cercopithecea caudâ, veſpertilioneis auribus, manibus humanis, pedibus ſimiam æmulans: quod natos jam filios aliò geſtat, quocunque proficiſcatur, utero exteriore in modum magnæ crumenæ, repertum eſt. Id animal, licèt mortuum, tu ipſe mecum vidiſti, convolviſti; crumenamque illam novum uterum, novum Naturæ remedium, quò à venatoribus, aut aliàs à cæteris violentis & rapacibus animalibus natos liberet, illos ſecum abſportando, admiratus es. Experimento eſſe compertum ajunt, eo ſemper utero crumenali animal filios ſecum portare, nec illos inde unquam mittere, niſi aut recreandi, aut lactandi gratiâ, donec ſibi victum per ſe quæritare didicerint. Cum filiis animal ipſum deprehende-*

Manticatū animal ex Petro Martyre.

Digitized by Google

henderant: aſt in navibus catuli propemodum perierunt; mater autem filiis per aliquot menſes ſuperſtitit: ſed & ipſa tandem tantam aëris & ciborum mutationem ferre nequivit. Ejusdem animalis meminit idem Auctor in Decad. 2. ſequenti, citans priorem locum. Verba ex ipſo Auctore tranſcripſi. Nierembergius non verba, ſed ſenſum Auctoris dat.

Apoſſumes animal manticatum.

Raphe Hamor. apud Nierembergium loc. cit. hæc habet. *Apoſſumes magnitudine ac formâ corporis porcello menſtruo non abſimile, animal eſt robuſta, atque adeò incredibilis naturæ. Septem plùs minùsvè ut plurimùm uno partu excludit fœtus; quos, donec menſtruam ætatem attingant, pro libitu nunc alvo recondit, nunc iterum promit.* Addit, ſe comediſſe animal, & eſſe grati ac ſalubris nutrimenti.

Cardanus lib. 10. de Subtilit. *Animal aliud,* inquit, *mittit Æthiopia, parte anteriore vulpi perſimile, caudâ & poſteriore cercopitheco, pedibus anterioribus humanis, auribus veſpertilionis; quod crumenam habet ſub ventre, quâ catulos undequaque gerit, nec dimittit niſi dum lactare vult. Mittit & India Occidentalis Chiurcam è muſtelino genere, quæ eodem modo filios ſuos ſecum fert* Hæc ibi Cardanus. Idem lib. 7. de Varietate Rer. cap. 33. ait, loquens de Nova Hiſpania: *Chiurcam eadem regio mittit, ſeu Chuciam, de qua aliàs diximus. Minor eſt vulpe, collo oblongo, pedibus brevibus, capite vulpino, colore cinereo. Velociſſimè currebat, cùm ſeptem filios in crumena deferret. Videtur hoc animal intermedium eſſe inter leporem ac vulpem, ſed ulterius generis ab utroque ob crumenam.*

Chiurca animal manticatum.

Scaliger Exercit. 207. contra Cardanum, loquens de Chiurca ab Cardano deſcripta, ait: *Chiurcam non niſi nomine & ſcroto ſubventraneo pinxiſti. Eſt Viverra facie ac magnitudine; capite vulpino. Sub terra habitat. Fœcundiſſima eſt. Duodenos parit exiguos. Cauda tenuis, penè glabra. Ipſa pilo atro. Catulos in burſa ſub alvo obtenſa ſecum fert.*

Servoy animal manticatum.

Joannes Stadenius apud Nierembergium ait, in America hoc animal vulgò vocari *Servoy*; eſſe magnitudine felis, & cauda ejusdem; pilis aliis ex albo fuſcis, aliis ex nigro: catulos parere quinos, aut ſenos. Locum in ventre ad ſex digitos ferè ſciſſum gerere, & intra ſciſſuram illam mammillas habere, eidemque incluſos catulos circumferre.

Cerigo animal manticatum.

Apud eundem Nierembergium narrat *Maphæus*, ſimile animal, quod Braſilia nutrit, Cerigonem appellari; buxeo colore eſſe, & vulpeculæ magnitudine. Ex ejus alvo duas dependere veluti manticas: in his catulos circumferre, & quidem adeò pertinaciter ſuo quemque uberi affixos, ut à perpetuo ſuctu non avellantur, antequàm ad paſtum ipſi per ſe progredi valeant.

Simia vulpina ſeu Simivulpa.

De eodem animali agit *Geſnerus* lib. 1. de Quadrup. poſt Simias, eamq; vocat latinè Simivulpâ, ſeu Simiam vulpinâ, græcè πιθηκαλώπηξ, germanicè

Fuchsaff.

Digitized by Google

Fuchsaff. Iconem apponit ex Tabulis Geographicis antiquis deſumptam, quæ tamen cum deſcriptione hactenus facta non convenit; utique quia tunc minùs nota erat beſtia.

Pejùs eam delineat Aldrovandus lib. 2. de Quadrup. Digit. Vivipar. c. 4. vocans eam cum Gesnero *Simivulpam*. Addit, ab aliis vocari *Semivulpem*, vel Semiſimiam, quòd medietate anteriori vulpem, poſteriori ſimiam referat; in Braſilia verò *Servoy*, *Sarigneam*, & *Chiurcam*; in Peruvia *Ciuciam*; in Molucanis Inſulis *Zurcam*, in Cuba *Guadaguinax*: & hujus Inſulæ incolas, cùm advertunt magnam hujusmodi animalium copiam arbores ſecus littora maris creſcentes inſidere, accedere clanculum, & magno impetu arbores excutere, & in aquam delapſa capere, ciboſq; illorum multifariè coquere.

§. IV. An manticata animalia diverſarum ſint ſpecierum.

Manticata animalia an ſint diverſarum ſpecierum.

EX tam variis Auctorum relationibus colligit *Nierembergius* loco ſuprà cit. non unum duntaxat animal cum burſa eſſe, ſed alia unam habere manticam, alia duas, ſeu unam diverſam; alia catulos lactandi gratiâ è mantica emittere, alia etiam retinere; alia concludere ubera infra burſam, alia in poſteriore ventris parte mammillas, in interiore, & circa pectus manticam; alia fortaſſe non omnino burſam habere, ſed ſciſſuram in ventre. Ego exiſtimo veriſimilius, unam tantùm eſſe manticati animalis ſpeciem, uniusque ubique locorum rationis, illius videlicet, quam initio ex Piſone & Marcgravio, oculatis teſtibus, dedi. Moveor, quòd plerique alii Scriptores cum iis conveniant, aut ſaltem non diſcrepent. Quòd verò aliqui in nonnullis diſſideant ab illis, puto ex eo evenire, quòd minùs perſpectam habuerint animalis formam, proprietates, & accidentia.

Annotatio.

NOtat Nierembergius, & patebit ex dicendis infrà ſuis locis, ſimilem amorem erga fœtos ſuos alia quoque animalia exhibere: muſtelas quippe illos & mittere, & rurſus in periculis recipere intra ſeipſos; chocos, balænas, delphinos, catulos ſuos recentes ac teneros ex aliqua cauſa conſternatos, ore excipere, & condere; caniculam piſcem in ventre pavidos filios ſuſcipere, & complecti, rurſusque denuò edere in lucem. Hac occaſione narrat, accidiſſe aliquando feſtivam piſcationem albicoris qui cùm surſum attraheretur, & os fortè aperuiſſet patentiùs, ut reſpiraret; per os piſcem, quem volucrem *vocant, paulò antè abſorptum revolaſſe. Fabula ergo non eſt, animalia viva à vivis deglutiri, & ad ſtomachum deportari. Certè avis Lagana, quam Zebut Inſula gignit, cornicis magnitudine, eodem teſte, inſidiatur ori balænæ, à qua integra deglutitur, & vivens; quæ deinde corrodit belluæ cor.*

CAPUT XIX.

De Cane in genere.

Canis.

CAnis à Græcis *κύων*, ab Italis *Cane*, ab Hiſpanis *Dogghe*, à Germanis Hund dictus, eò notius eſt animal, quò magis Domeſticum, ut propterea vix ullius animalis major notitia, & plura morum, ut ita dicam, exempla extent. Nos illuſtriora tantùm depromemus de ingenio, memoria, docilitate, amore ac fidelitate erga heros, & ſimilia. Agemus autem ſolùm de cane in genere, & nihil de variis ejus ſpeciebus dicemus.

§. I. De Cane quodam Ulyſſiponenſi.

Canis Ulyſſiponenſis mirum exemplum.

NOvum & mirandum prorſus exemplum narrat *Joannes Euſebius Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Natur. c. 94. quod Ulyſſipone non ante adeo multos annos contigit, & dum id ſcriberet citatus Auctor, in omnium admiratione, & linguâ verſabatur. *In templi D. Juſtæ*, inquit, *vicinia artocrearum quidam artifex habitat, qui domi canem alit mediocri magnitudine, denſo rubore, nonnullis albis maculis diſtinctum, & nomine Tudeſcum. Duos ante annos Chriſtum, cùm in niveo velo defertur ad ægrotos, cœpit comitari, cùm ex dicto templo exit. Et quanquam primo tempore minimè notabatur, ab ſeptem verò octovè menſibus attentiùs id obſervatum eſt, cum nonnullis aliis, quæ meritò viſa ſunt mirabilia. In primis quotieſcunque parvum cymbalum (cujus ſonitu admonentur vicini ad Domini corpus honorandum) vel campana è turri area concrepant; domo erumpit celer, accurritq; ad templum feſtinanter, eoq; circumquaque luſtrato repetit domum. Cùm verò ad templi oſtium egredientis Domini parvum cymbalum alterum ſignum edit; incredibili velocitate redit ad templum, ibiq; proſpectans conſiſtit, donec ſub pallio ſive umbraculo Sacramentum jam procedat. Tum repetito cum alacritate ſaltu, transmigrat ad canentes pueros initium pompæ, huc illuc verſus in pertranſeundo ſæpius repetens, quaſi ipſe ad urbanam reverentiam, & venerabilem comitatem diſponeret pompam. Manſuetus licèt, cùm naturâ, tum familiaritate canis, id temporis tamen obtemperat nemini, nullum ſequitur, nullum agnoſcit, nè herum quidem vocitantem. Sic ad ægroti venit domum; ſic in propatulo, aut in platea exſpectat; ſic redeuntem Dominum ad templum iterum deducit; ſic manet usq; quò recondatur in ſacram cellulam, mirus ille anteambulo.*

Semel noctu excitatus clamore cymbali, cùm vellet more ſolito pergere, januam reperit interclusam, cœpitq; unguibus frequenter pulſare, faucibusq; ululare, ut oſtium ſolveretur. Non exauditus, heri dormientis cubile intrat, circuit ſæpe inſuſurrans, clamitansque, & ſatis eâ arte exitum ſibi dari flagitans. Hic autem vel à ſopito hero non auditus, vel à nolente contemptus, adiit ancillam adhuc vigilē, & do-

& domeſtica famulatus officia peragentem ; inſilit ludibundus, veſtis oram levi dente momordit, perduxit ad januam; eâq; patefactâ ab ancilla, ad templum procurrit, comitatusq; Chriſtum, domum repetit, & eodem pacto, haud inattentâ ancillâ, ungue ſtrepente pulſavit, portamq; ſibi aperiri fecit.

Cùm iterum aliâ vice Chriſtum dicto jam modo præcederet, bajulum quendam offendit dormientem ad fontem Roris, tenentem capiſtro beſtiam : hunc allatrat vehementer; unde expergefactus ille, genua illicò venerabundus terræ applicuit, & ſic à cane eſt dimiſſus. Rurſus eâdem datâ occaſione reperit ruſticam fœminam inſidentem aſello. Eâ viſâ, commovetur acriter canis, ſtatim eam aſſiliens admodum latrat. Illa perterrita, & à nonnemine monita, deſcendit, & genibus procumbens, non ampliùs à cane impetitur. Biduo pòſt ſubreptum in D. Eugratiæ vivifici panis Sacramentum, cùm Chriſtus ſimili pompâ vectaretur, ſuamq; ſtationem occuparet canis; en equitantem egregiè nobilem, qui & ipſe impetu à latrante cane petitus, ab equo, ut Chriſtum tranſeuntem pronus in terra & pedes honoraret, deſcendere coactus fuit. Equus interea ungulâ percuſſerat canis manum, ut ejularet, conquereretur q;. Et licèt dolore urgeretur, famulo tamen, qui ab hero ſuo, ut illum medicatum duceret, juſſus fuerat, reſtitit valenter, & claudicans pendulam gerens manum non abſceſſit, donec morem ſuo mori geſſiſſet. Quo facto rediit domum, manumq;, cui medendum erat, domeſticis porrexit.

Obiverat quis (ut lex eſt) extremum diem, ad cujus cadaver terræ mandandum jam campanæ inſonuerant: & canis more ſolito adit templum, & aliquoties oberrat; ſed pallium, & cætera exeunti Chriſto parari ſolita non conſpiciens, divertit domum, nec ultrà petiit templum. Et pluries hoc idem illi eveniſſe, manifeſtum eſt.

Viginti quatuor horarum ſpatio adfuit concluſo Sacramento in repræſentationem ſepulchri Hebdomadæ ſanctæ. Quin imò cubabat ſubtus monimentum dormitans; aliàs interiora templi leni deambulatione circumibat; aliàs per gradus ſcandens, quieto corpore, fixoq; obtutu contemplabatur Arcam.

Ingenti ſexus utriusq; turbâ frequentiſſimum erat templum in Octava Paſchæ, ſtabatq; jam ornatus ſuperindumentis ad aram Prior, ut Sanctam hoſtiam depromeret, & ad ægrotum deferret ; cùm fœmina quædam veſtitu non vulgari, quanquam vulgatâ turpitudine, per oſtium transverſum ingreſſa ſtaret. Hanc ut canis videt, extemplò accurrit, & furore admodum turbulento & terrifico ter quaterve eam aſſiliit. Pudore tangebatur miſella ſimul & ſtupore : verùm ſimul atque, à circumſtantibus monita, genua ſua inflexiſſet, & ſolo applicuiſſet; canis abiit, ab ulteriori periculo liberam eam relinquens.

Variæ artes, modiq; complures tentati ſunt, quibus canis ille ab hoc more compeſceretur; ſed fruſtra: quin potiùs nova excreſcunt quotidie indicia, novaq; quæ metas Naturæ rem transgredi ſuadent, comparuêre veſtigia. Efferebatur aliquando Chriſtus Dominus, cœleſtis viæ cuidam ægroto futurus Dux, interimq; presbyter

Mmmmm 2 Dominus

Dominus Antonius Meſtrius, ejuſdem ædis Oeconomus, januam occluſit quâ aſcenditur Odeum, & quò jam canis vagabundus aſcenderat. Qui cùm deſcenſurus, oſtium eſſe clauſum vidiſſet; iterum aſcendit, & per lignata frontis intercidia circumcurſans, per ea ſæpenumero intromittebat caput, ut omnes timerent, nè canis, ni reſeraretur janua, ad templi pavimentum è ſummo caderet: ideoque Meſtrius odeum ſubit, primoq; ſcalæ oſtio, ut antè, obſerato, canem pellit: qui cùm ob clauſam illam januam, quò minùs ſolitum officium prodeunti Salvatori exhibere poſſet, vi detineretur; adeo ingentem excitabat ſtrepitum, tum ore tum unguibus perſtrepens, tantâq; cum vehementia inceſſanter latratu templum complens, ut janua illicò aperienda fuerit: quo facto, magnâ vi ſe effudit, & perniciſſimè per medias turbas transvolans, ante omnes ſe ſolita in ſtatione locavit.

Non defuit qui exiſtimaret; canem puerorum decantantium amore & blanditie pellectum, eum locum requirere: Quod ut experimento conſtaret, nè pueri præirent, ſemel ſtatutum eſt. Nihilo tamen ſecius canis ex ſolito ſe ſtitit. Accidit aliquando, ei carnis fruſtum objectum fuiſſe, ut ſi quo pacto à ſupernaturali illo inſtinctu avocari poſſet, experimentum caperetur: quam illè vix ſemel atq; iterum admorſam reliquit, maximâ quâ poterat pernicitate ad locum ſe ſuum ſiſtens. Semel famulus ſui heri ad hortum, qui collegio D. Antonii adjacet, tendens, canem ſe comitantem nullis non minis conabatur repellere; nec ut ſe deſereret, obtinere poterat. Statim verò atq; cymbala Chriſti corporis delationem perſignarent, ultrò famulum deſeruit, citatoq; & continuo curſu templum acceſſit. Aderat tunc ante templi illius oſtium juvenis quidam Gonſalvus nomine, & cani notiſſimus præ cunctis; quia tamen erectus ſtabat, in illum beſtia valido impetu irruit, complicare genua coëgit, ac tum demum dimiſit, locum de more deducto foras Sacramento occupaturus. Potuiſſe tamen mero naturali inſtinctu illa omnia peragi, patebit ex ſequentibus.

§. II. De miro canum Albanorum robore.

Canum Albanorum mirum robur.

P*Linius* lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 40. & ex ipſo *Solinus* cap. 23. Polyhiſtoris, mira tradunt de canum Albaniæ, quæ Aſiæ provincia eſt, generoſitate ac robore; adeo ut omnibus anteponantur feris, frangant tauros, leones perimant, detineant quidquid objectum eſt. Quibus ex cauſis meruerunt etiam Annalibus tradi. Nam *Indiam petenti Alexandro Magno* (verba ſunt Plinii loc. cit.) *rex Albaniæ dono dederat inuſitatæ magnitudinis unum: cujus ſpecie delectatus, juſſit urſos, mox apros & deinde damas emitti, illo contemptu immobili jacente. Eâq; ſegnitie tanti corporis offenſus Imperator generoſi ſpiritus, eum interimi juſſit. Nuntiavit hoc fama regi. Itaq; alterum mittens addidit mandata, nè in parvis experiri vellet, ſed in leone, elephantovè: duos ſibi fuiſſe; hoc interempto, præterea nullum fore. Nec diſtulit Alexander, leonemq; fractum protinus vidit. Poſtea elephantum juſſit induci, haud alio magis ſpecta-*

ſpectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit: mox ingruit aſſultans, contraq; belluam aſſurgens hinc & illinc, artifici dimicatione, quà maximè opus eſſet, infeſtans atq; evitans, donec aſſiduâ rotatum vertigine afflixit, ad caſum ejus tellure concuſſâ. Hæc Plinius.

Hoc genus canum, inquit Solinus cit. loco, *creſcit ad formam ampliſſimam, terrificis latratibus ultra rugitus inſonantes.* Naſci ex tigride creduntur, teſte *Ariſtotele* lib. 8. Hiſtor. Animal. cap. 28. ubi ait: *Indicos etiam canes ex tigride & cane gigni confirmant; verùm non ſtatim, ſed tertio coitu: primo enim bellùinos adhuc catulos procreari ajunt.* Modum deindè addit, dicens, alligari canes locis deſertis, & niſi bellua incenſa libidine ſit, ſæpe lacerari. Sed explicatiùs rem totam declarat *Ælianus* lib. 8. de Animal. cap. 1. his verbis. *Ex Indicarum rerum ſcriptis, de his, quæ ſubſequuntur, docemur. Canes fœminas multò generoſiſſimas, tum ad inveſtigandas feras narium ſagacitate præſtantiſſimas, tum verò ad curſum velociſſimas, in loca ubi tigridibus eſt habitandi conſuetudo, venandi rationibus eruditi perductas ut primùm ad arborem alligarunt, aleamque, ut vulgò dicitur, jecerunt, diſcedunt. In has autem tigres incurrentes, venationis inopiâ ex fame laborantes, lacerant: ſi autem ad libidinem inflammati, & cibo completi ſint, cum canibus complexu venereo junguntur; namque illi quoq; cùm ſunt exſaturati, Venerem meminerunt. Ex hac tigridis manſuetudine cum cane, non canis, ſed tigris procreatur: & ſecundò quoq; ex hoc & cane fœmina, etiamnum tigris: qui verò deinceps ex hoc & cane concipitur, canis eſt, ſeminis in deterius degeneratione.* Neque hoc negaverit Ariſtoteles. Subjungens deinde aliud præclariſſimum generoſitatis ac fortitudinis exemplum, proſequitur: *Ii canes*, inquiens, *tigride patre nati, ut vel cervi vel apri venatum præclarè ſpernunt, ſic leones invadere, & ſui generis nobilitatem ita teſtari gaudent. Horum igitur canum virtutis ſpecimen Indus quidam Alexandro Philippi filio cùm exhiberet, & primò cervum emitteret; canis ex eo loco, ubi quieſcebat, eum deſpicatiſſimum habens nihil ſe commovit. Deinde ad aprum dimiſſum, quemadmodum affectus fuerat ad cervum, immotus permanſit. Tum verò ubi urſus immiſſus fuiſſet, æquè hunc atque alios deſpicatui ducens, ab eo invadendo ſe tenuit. Ad extremum hic leonem, quem protuliſſent in medium, ut vidit, cum ira exarſit, ac profectò, tanquam juſtus hoſtis in certamen deſcendiſſet, ſine mora intrepidus invaſit; atque acerrimâ comprehenſione leonem conſtrictum tenens, illius fauces premebat, & ſuffocabat. Tum Indus, qui hoc ſpectaculum regi præbebat, quiq; probè ſciebat ejus robur animi & conſtantiam, primùm huic caudam abſcindi juſſit. Is præ ipſo leone, quem mordicùs tenebat, ſibi caudam facile abſcindi patiebatur. Deinde etiam crus unum ſuffringi imperavit. Is verò æquè ut à principio urgebat, & perinde nihil remittebat, quaſi alienum crus, & ad ſe nihil pertinens ſuffringeretur. Poſt alterum; unde quoq; is nihil commotus, arctè tenebat. Tum tertium incidi præcepit. Is ſimiliter ut antè*

Canis cujusdam Albani mirum exemplum.

nihil ſe relaxavit à retinendo leone. Tum etiam quartum crus abſcindi voluit. Is nihilo remiſſior factus, nihiloque minùs leonis retinens, maximo robore ad ejus perniciem incumbebat. Denique etſi caput à reliquo corpore abſciſſum erat, illius tamen dentes ex illa leonis parte, in quam primùm defixi fuiſſent, pendebant: & quamvis is, qui eos in initio defixiſſet, jam mortuus eſſet: ejus tamen ipſius etiam nunc ex leone appenſum caput ſublime ferebatur. Hîc cùm Alexander non mediocri dolore afficeretur, ipſius admiratione virtutis obſtupefactus, quòd is, qui tale virtutis experimentum dediſſet, è vita, quàm ex robore animi, contrà quàm timidi ſolent, cedere maluiſſet: Indus videns Alexandrum ex hujus caſu dolorem non mediocrem cepiſſe: quatuor canes huic ſimillimos illi donavit. Ille cùm grato & jucundo animo eos munere accepit, tum verò eum ipſum qui dediſſet, tanto pretio, quanto par eſſet praſtantiſſimum regem, remuneratus eſt. Itaque horum quatuor munere Alexander ex memoria dolorem, quem ex primo ſuſcepiſſet, depoſuit. Hæc Ælianus.

§. III. De canum fidelitate & amore erga heros.

Canum fidelitas & amor ergo heros ex Plinio.

CONfirmabo id exemplis antiquis, & recentiſſimis. *Fideliſſimum ante omnia* animalia *canis*, inquit Plinius lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 40. *Pugnaſſe adverſus latrones canem pro domino, accepimus, confectumque plagis à corpore non receſſiſſe, volucres & feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conventu percuſſorem domini, laniatu & latratu coactum fateri ſcelus. Garamantum regem canes ducenti ab exilio reduxêre, præliati contra reſiſtentes. Propter bella, Colophonii, itemque Caſtabalenſes, cohortes canum habuêre: ea prima dimicabant in acie, nunquam detrectantes. Hæc erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga. Canes defendêre Cimbris cæſis domus eorum plauſtris impoſitas. Canis Jaſone Lyſio interfecto, cibum capere noluit, inediâque conſumptus eſt. Is verò cui nomen Hyrcani reddidit Duris, accenſo regis Lyſimachi rogo, injecit ſe flammæ: ſimiliterque Hieronis regis. Memorat & Pyrrhum Gelonis tyranni canem Philiſtus. Memoratur & Nicomedis Bythiniæ regis, uxore ejus Conſingi laceratâ propter laſciviorem cum marito jocum. Apud nos Volcatium nobilem, qui Ceſelium jus civile docuit, Aſturcone è ſuburbano redeuntem, cùm adveſperaviſſet, canis à graſſatore defendit. Item Cælium Senatorem ægrum Placentiæ ab armatis oppreſſum: nec priùs ille vulneratus eſt, quàm cane interempto. Sed ſuper omnia in noſtro ævo actis populi Romani teſtatum, Appio Junio & P. Silio Coſſ. cùm animadverteretur ex cauſa Neronis Germanici filii in T. Sabinum, & Servitia ejus, unius ex his canem nec à carcere abigi potuiſſe, nec à corpore receſſiſſe, abjecto in gradibus gemoniis mœſtos edentem ejulatus, magnâ populi Romani coronâ circumſtante: ex qua cùm quidam ei cibum objeciſſet, ad os defuncti tuliſſe. Innatavit idem cadavere in Tiberim abjecto, ſuſtentare conatus, effuſâ multitudine ad ſpectandum animalis fidem.* Hactenus Plinius.

Vincen-

Digitized by Google

Vincentius Belluacenſis lib. 19. Hiſt. c. 13. refert ex D. Ambroſio, Antiochiæ virum necatum, qui canem ſibi adjunctum habebat. Jacente cadavere inhumato, cùm frequens populus ſpectatum accurreret, & canis adſtans miſerabili ejulatu dolorem ex domini caſu acceptum teſtaretur; contigit ut & occiſor quaſi miſerans accederet. Hîc canis, diſſimulato paululùm dolore, audaciam ultionis aſſumpſit, & apprehenſum mordicùs reum tenuit, ac velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans (ita loquitur Auctor) univerſos in lacrymas convertit, fidemque probationi attulit, quia ſolum eum ex plurimis tenuit, nec dimiſit.

Canis fidelitas & amor erga heros ex aliis Auctoribus.

Eupolidi poëtæ comico, inquit Ælianus lib. 10. cap. 41. *Augeas Eleuſinus muneri donavit Canem, non modò genere moloſſum, ſed etiam formâ præſtantem; quem eodem nomine Eupolis, quo Augeas erat, appellavit. Canis jam nomine Augeas, cùm longâ conſuetudine, tum verò ciborum illecebris allectus, & blanditiis, diligebat dominum, ut præclarè oſtendit, cùm aliquando juvenis conſervus ejus nomine Ephialtes dramata quædam Eupolidis domini ſui ſurriperet. Non enim latuit canem furax ſervus. Is itaque acerrimo impetu crudelique incurrit in hunc direptorem, mordicùsque comprehendes interfecit. Poſt autem aliquando in Ægina Eupolis exceſſit è vita, ibique ejus corpus ad ſepulturam datum fuit. Hujus verò canis, morti illius ingemiſcens, non tantùm ululatu primùm illius exceſſum è vita luxit, ſed deinde mœrore inediâque extabuit, in odiumque vitæ adductus ex altoris ſui morte, extinctus eſt. Ex eo locus hic, ad hujus caſus memoriam conſervandam, canis luctus appellatur.*

Idem *Ælianus* lib. 7. cap 29. narrat, virum quendam Colophonium ad nundinas Teona proficiſcentem, ſumpſiſſe ſecum pecuniam, ſervum, & canem; ſervum qui pecuniam ferebat, in via ad dejiciendam alvum ex inſtituto itinere paululùm deflexiſſe, ſequente eum cane, & eo in loco marſupium perdidiſſe; canem abeunte ſervo ibi remanſiſſe, marſupio incubantem: cùm deinde ſervus ac dominus ad emporium venientes, pecuniam deeſſe animadverterent, viam relegiſſe, locum ubi ſeceſſerat ſervus, repetiviſſe, ad canem marſupio incubantem, ac præ fame vix ſpirantem offendiſſe.

Idem eodem lib. cap. 40. ait, cùm Polus, cujus dum viveret, munus erat tragœdias agere, animam quoque egiſſet, & pro more cremaretur; canem ejus alumnum in medios ignes inſilientē, vivum unà cum altore ſuo exuſtum fuiſſe. Rogo etiam eodem, in quem Mentor impoſitus fuiſſet, canes ejus Eretricos voluntariam mortem ſibi conſciviſſe. Ut verò Theodorum pſaltem ſui propinqui in ſepulchrum impoſuiſſent, ejus Melitenſem catellum ultrò ſe ipſum in cadaveris thecam injeciſſe, & pariter cum domino humatione & ſepulturâ affici voluiſſe

Idem ibidem cap. 25. narrat, cùm mulièr adultera in Sicilia conjugem

ſuum

Digitized by Google

ſuum peregrè redire audiſſet, illum, qui ſecum ſtupri conſuetudinem abſente marito habuerat, in latebras benè penitus (ut ipſa putabat) occultaſſe, ut noctu erumpens maritum obtruncaret. Hoc animadvertens parvus catellus, locum illum, quo adulter abdebatur, cœpit vehementiùs allatrare, & pedibus eò usque convellere, donec dominus fores effringeret, & adulterum comprehenderet.

Canes dominos à draconibus liberant.

Quidam tempore æſtivo (ut *Franciſcus Patricius* refert lib. 3. cap. 6. de regno & regis inſtit.) in herbeſcente prato dormiens, canem ſecum habebat; qui videns ingentem aſpidem dominum ſuum impetere conantem, ſurrexit properè, & beſtiam latratu exterrens, dormientem herum excitavit & à morſu mortifero immunem reddidit. *Joannes Tzetzes* narrat, Orpheum Menipæ filium, cum canibus venaturũ acceſsiſſe ad quoddam promontorium, ibique à magno dracone ex improviſo invaſum, à canibus liberatum, occiſo dracone. Puſio equitis cujusdam Romani domi cum cane dormiens, à ſerpente invadente liberatus ab eo fuit.

Canum fidelitatis exemplum ex Juſto Lipſio.

Juſtus Lipſius Centur. 1. Epiſtolar. ad Belgas, Epiſt. 44. & ante ipſum *Scaliger* Exercit. 202. num. 6. narrant, in Corſica Inſula agreſtem quendam, venationi deditum, ut gens ea amat, quodam ſereno die, ſcorpione ſuo & ſagittis inſtructum, & cane ſubſequã, jugum alti montis conſcendiſſe per urſi veſtigia: cùm ibi eſſet, nivem denſam cecidiſſe; illum nihilominùs calidè & temerè perrexiſſe, donec confuſis veſtigiis animi incertus hæreret primùm, deinde in rupe conſideret, & frigore occupatus obrigeſceret atque obiret. Sequenti luce fratres eum & populares requirentes in montem conſcendiſſe, eo eminùs conſpecto inclamaſſe, tandemque, quod erat, ſuſpicatos acceſsiſſe: ſed canem illos ut prædones ferociter abegiſſe, nec ullâ ratione ut accederent permiſiſſe; adeo ut coacti fuerint ſagittis eum petere, atque interimere, quò demortui cadaver potirentur.

Canis fidelitatis exemplum recens.

Recentiſſimum eſt quod nunc narro. Eſt in vicinia noſtra Monaſterium Religioſorum, quos Canonicos Regulares vocamus, rupi ad Mœnum inædificatum, dictum *Petra Stillans*, germanicè Triffenſtein. Hujus loci ac Religioſorum Præpoſitus, cùm brumali tempore Aſchaffenburgo rediret ad Monaſterium ſuum per ſilvam Speſſarticam, equo vectus, & ſolo cane comitatus, ſomno vehementiſſimè urgeri cœpit, adeò ut reſiſtendo impar equo deſcenderet, & arbori acclinatus ſomnum captare fuerit coactus. Canis ſuſpicatus mali quid domino contigiſſe, currit confeſtim ad Monaſterium, duarum horarum ſpatio diſſitum, ibique janitorem primùm ac famulos, tum Religioſos quosvis obvios, ejulatu & vellicatione veſtium ſollicitat, ad Monaſterii oſtium deducit, viam præit ſollicitè, & quibus poteſt ſignis ac modis, ut ſe ſequantur, hortatur. Suſpicati ergo, quod erat, Religioſi, mittunt properè cum cane comites; qui dominum

Digitized by Google

dominum jam frigore penè enecatum jumento imponunt, domum devehunt, animam ſomentis revocant, ac vitam reſtituunt canis fidelitati debitam.

Paulò antè citatus Lipſius loco eodem hanc narrat hiſtoriam. *Pyrrhus, inquit, Rex Epiri iter fortè faciens, populum videt limiti adſiſtentem. Accedit, quærit, audit, videtq; canem ibi eſſe, qui militis interfecti, heri ſui, cadaveri aſſiſtat triduum jam ſine cibo. Miratur & miſeratur; illum ſepeliri jubet, hunc comitem ſibi duci. Poſt aliquot dies exercitum luſtrat, ſedet in altiori loco, & ſpectat ſingillatim tranſeuntes. Canis ad pedes accubat, hactenus quietus: ſed cùm percuſſores domini tranſirent, exſiluit cum ferocia, & invaſit, identidem ſe tamen ad Pyrrhum reflectens, & quaſi ſignificans iſtos eſſe. Motus ipſe, atq; alii capiunt, examinant, convincunt, plectunt. Simile in Heſiodo poëta illo nobili, qui à Ganyctoris filiis clàm occiſus, indicem & vindicem canem habuit.* Canis fidelitatis & amoris alia exempla ex Lipſio.

Idem aliud recentius, à Ditmaro Epiſcopo ſcriptum, narrat in hunc modum. *In palatio Henrici Imperatoris, cognomento Aucupis, in multo populo canis quendam conſidentem conſpicatus, clàm & tacitè accedens, manum ejus dexteram rabido morſu invaſit, & abſtulit: tum quaſi re bene geſtâ, capite & caudâ plaudens, ad ſuos redit. Mirari omnes, ille ultrò confiteri divinâ ultione merenti hoc ſibi accidiſſe. Nam diutiùs factum, inquit, cùm herum hujus invaſoris mei dormientem in via reperi, malo genio atq; animo impellente occidi. Ibi iſtum impugnantem, inſequentem, vix evaſi: & nunc, cùm oblivione ſepulta hæc cenſerem, inopinatò me invaſit, & (DEO ita placitum) punivit.*

Sequentia duo exempla è domo paterna repetit idem Lipſius. Erat ejus patris canis fœmina, Ginetta nomine, ſolita ſubſequi dominum ſemper, nec in ulla turba falli aut pelli, ad lecti pedes jacere, nec accedentem pati ullum, nè matrem quidem, niſi hero experrecto & coërcente. Erat die quodam pater in convivio. Ibi fortè inter aſſidentes rixæ, & pugna, ut pugionibus etiam ſe peterent. Dat ſe medium pater, & diſparat. Canis opinata illum peti, utrumq; pugnatorem ſeorſim invadit, lædit graviter, & læditur, pugionibusq; ter quatervè transfoſſa cadit. Pater cum dolore & indignatione abit, illâ pro mortua relictâ. Quid facit? Surgit, & lapſabunda ſequitur; tardè domum venit, fores pro more pulſat, ſublato naribus penſili ferro; mater audit, & indicat; pater abnuit, & mortuam affirmat. Iterum ſonus; viſunt, inducunt, aut potiùs inferunt, in ſtabulo deponunt, chirurgum adhibent, & medicantur: ac poſtea convaluit, & ſæpe fidam operam hero exhibuit.

Aviæ ejusdem Lipſii paternæ erat catellus ruſulus, ex illo genere, qui cuniculos ſubterraneos ſubeunt. Is toto tempore valetudinis, quæ aviæ ſuprema fuit, à lecto non abſcedere, ne depelli quidem: & cùm jam exhalaſſet, ille ululans, & caudâ reductâ in hortum ſe proripit, ibi ſub

Nnnnn corylo

corylo arbore pedibus ſcrobem leviter fodicat, imponit ſe, & ſpiritum deponit. Hæc totâ familiâ Lipſii teſte ſunt geſta, ut ipſemet aſſerit.

Canis fideliſſimi mirum exemplum ex Scaligero.

Omnia penè dicta ſuperat, quod in Gallia contigiſſe narrat *Scaliger Exercit.* 202. num 6. his verbis. *Offenſus amici ſive potentia, ſive perfidiâ quidam Regis aulicus, eum ex inſidiis obtruncat, atque in avio agro ſepelit. Venaticus canis ibi tum fortè comes hero fuerat. Is amore victus, diu ſedit in tumulo. Poſteaquàm fames pietatem ſuperavit, atque in aulam ſine domino reverſus eſt; rati illius contubernales, beſtiam temerè vagari, ei cibum dari jubent. Satur ille, ad tumulum redit. It, redit toties, ut primùm ſuſpicio involveret animos incerta quædam ac fluctuans; mox etiam certi eſſe ſibi viderentur, heri id fieri deſiderio. Abeuntem proſecuti, deprehenſo telluris tumore, effoſſum cadaver, atque agnitum, afficiunt ſepulturâ. Canis exequiis peractis, ſocius fit eorum, quibus fuerat dux ad inveſtigandum. Tandem aliquando in aulam ubi homicida rediiſſet, eum canis conſpicatus magnis illicò editis latratibus, ægrè ab impetu cohibetur. Quo tanquam indice aucta ſuſpicio, in multorum animis certa fides evaſit. Cæterùm beſtia perſeverantia in illius odio, atque perſecutione, etiam regem movit, ut juberet hominem cauſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere inficiatione. Canis ejus orationem latratibus atque aſſultibus obturbare; ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant, interpretarentur. Eò res deducta eſt, ut juſſu regis homicida cum provocatore ſingulari certamine dimicaret. Picta eſt canis victoria in cænaculo quodam regio. Pictura vetuſtate dilutior, atque obſcurior facta, regum mandato ſemel atque iterum reſtaurata eſt. Digna prorſus Gallicâ magnanimitate, quæ ære fuſili aſſequatur perpetuitatem.* Hæc Scaliger.

De grato canum animo & amore erga heros ſuos exemplum recens vidit non ita pridem Belgium. Mortuo filio Marchionis Cannetenſis, canis ejus ſe in ſepulturam unà immiſit terrâ condendum. Violenter extracta, nunquam ex loco ſepulchri recedere voluit, ut ex oculatis teſtibus ſcribit *Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Nat. cap. 40.

Eodem teſte, quendam noſtri Ordinis Procuratorem comitabatur canis Villaregio Concham. Accidit ut cùm Concham veniſſet, canis pareret quinque catulos. Diſceſsit Procurator repetiturus Domum probationis Villaregenſem, relinquens canem Conchæ commiſſam noſtris. At unâ nocte transtulit canis omnes catulos ex Concha in Villaregium. Diſtant novem leucas. Itaque plùs quàm octoginta leucas unâ nocte percurrit. Innumera alia hujus generis omitto, & ad canum ingenium, memoriam, docilitatem, ac ſagacitatem venio.

§. IV. De canum ingenio, docilitate, ſagacitate, memoria.

TAm multa hujus rei, & tam luculenta extant exempla, ut non unus ratiocinationē rationemq; canibus concedere audeat. Hoc nos ſuprà ſuo

Digitized by Google

ſuo loco examinavimus. Nunc ex innumeris, quæ occurrunt, exemplis illa ſolùm afferam, quæ Vir Clariſſimus *Juſtus Lipſius* Cent. 1. Epiſt. ad Belgas Epiſt. 44. profert; tum pauca alia, antiqua ac recentia, ſubjungam.

Bruxellæ, ait Lipſius, *me puero canis fuit Britannici generis, ex illis grandioribus, quibus cerdones hìc uti ſolent ad currum coriis onuſtum in forum, & è foro trahendum. Ille præter hanc operam, doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id ita fiebat. Corbem vimineum collo appendebant, pecuniâ in tot libras carnis impoſitâ. Ille rectà, & nuſquam reſiſtens ferebat; in macello apud notum lanium ſe ſiſtebat; carne acceptâ redibat. Sed eveniebat interim, ut in via canes alii odore moti adſpirarent, & accederent, quaſi erepturi: tum ille corbem propugnare, fugare; & ſi copiâ aut robore vinceretur, unà irruere, & partem prædæ capere. Hæc publicè nota erant, & à nobis aliiſq; jucundè ſpectata.* Canum ingenium, docilitas & ſagacitas.

Pergit Lipſius, *ſed magis*, inquiens, *etiam ingenii & ratiocinationis (penè rationis dixeram) ſpecimen in cane, qui ante triginta circiter annos in Lovanio urbe fuit. Is litteras millo ſive collari inſertas, & aptatas, ſigno ab hero accepto, curſim Bruxellam deferebat, in notam ibi certamq; domum. Atq; illi ibi religabant, canem paſcebant, litteras à ſe, aut aliunde acceptas iterum inſerebant; & fideliſſimi, ſed & celerrimi nuntii vice, canis eodem die referebat.*

Sed his novitiis (*pergit adhuc idem Lipſius*) vetus etiam adjungam, ejusdem induſtriæ exemplum, à Plutarcho: ſingulare quidem, & ipſo quoq; ſtupente, & firmiter tamen narrante, quia oculis uſurpavit. *Veſpaſiani Imperio canis fuit Mimo domino. Is canis varia argumenta, & perſonas in ſcena repræſentabat, ut nemo hiſtrio doctiùs aptiùsq;: atq; inter alia, hominis veneno, in ſpecie, tollendi. Panem ſumebat, ſive offam, ſapore temperatam (fingebatur autem venenum eſſe:) ac repentè adſimulabat tremere, lapſare, gravedine tentari. Deniq; cadebat, ac porrectis membris in mortuum jacebat: tractus, ſublatus, elatus, ut argumentum poſcebat. Dein cùm tempeſtivum eſſet, ipſo ſermonis articulo, primùm quaſi ex ſomno ad ſe reverti, leviter caput & membra movere, oculos aperire, & circumferre, dum deniq; ſurgere, & latus geſtienſq; ad illum ire, & ſe exhibere, cui debebat. Hæc ſic decorè & efficaciter, ut totum theatrum, & ipſe Cæſar, (aderat enim) commoverentur, ac mente quaſi afflatâ exclamarent.*

Hoc ex Plutarcho: qui etiam canem fuiſſe commemorat alium, qui amphoræ oleariæ inſidiaretur: & cùm parùm plenâ non pertingeret; lapillos paulatim injeciſſe, donec oleum adſurgeret, & ad os redundaret, ſic ut lambere linguâ poſſet.

Lubet hîc interſerere, quod paucos ante annos Romæ exhibitum fuit ſpectaculum P. Athanaſio Kirchero ab Excellentiſſimo Principe Gallicano. Habebat is canem mediocris magnitudinis, Viennâ Auſtriæ ſecum abductum in Italiam. Hunc canem, cùm die quodam officii causâ Canis jucundiſſimũ ſpectaculum Romæ exhibitum.

Digitized by Google

Principem conveniſſet Kircherus, jubet herus, hoſpiti ut menſam appararet. Accurrit illicò canis, à Domino clavem petit, ſtringit dentibus, reſerat occluſum ſcriniolum, depromit mantile, mappulas, orbes, cultros, cochlearia, & alia; ſternit menſam, diſtribuit orbes cum mappulis, cultrisque, & functus præclarè officio, mandata nova accepturus ſe Domino ſiſtit. Jubetur, exhibitâ priùs hoſpiti reverentiâ, ad numeros ſaltare: ſaltat. Objurgatur ob neſcio quem errorem commiſſum: triſtatur, & præ triſtitiâ animi deliquium, ac tandem mortem ſimulat, adeo immotus humo affixus, nullis ut cohortationibus, clamoribus, verberibus dimoveretur. Jubetur tandem ſurgere: ſurgit alacriter, blanditur præſentibus quaſi plauſum petens, & finit ſcenam.

Canis muſicus Florentiæ.

Aliud non minùs jucundum, ſimul ac ridiculum exhibuit eidem P. Kirchero Sereniſſimus Hetruriæ Dux præterito anno, quod ipſemet in litteris ad me datis Die 9. Novembr. anni 1659. enarrat his verbis. *E dalla bella prima diſſe, che ingegni ſtraordinarii con iſtraordinarie coſe ſi doveano ricevere: perciò mi fece esſibire una Muſica, à cui non hò in vita mia ſentito ſimile. I Muſici erano un Papagallo, con un Cane il ſuo Maëſtro: il quale fatto ch' hebbe ſuonare una ſpinetta, che dapoi da ſe ſteſſa caminava, ſubito il Papagallo, accoſtate al Clavicimbalo le orrechie, come ſe voleſſe pigliare il tuono della voce, commincìo à papagallare; & il cane, che ſempre mirava con gli occhi fiſſi al Papagallo, ad abbaiare; mà con una armonia così ridicula in ſieme & iſtravagante, che reſtai puoco meno che fuora di me medeſimo.* Hæc latinè ita ſonant. Et ſtatim à principio dixit (Sereniſſimus Dux) æquum eſſe ut ingenia extraordinaria extraordinariis recipiantur modis: ideo Muſicam exhiberi mihi curavit, cui ſimilem, dum vivo, non audivi. Muſici erant Pſittacus cum Cane Muſices Præfecto: qui ut curavit ſonare Clavicymbalum, quod ſponte deinde ſonum proſequebatur; illicò Pſittacus, admotis Clavicymbalo auribus, quaſi tonum accepturus, incepit pſittacare (hoc eſt, pſittaci vocem ac cantum formare) Canis verò, qui fixis ſemper oculis Pſittacum intuebatur, latrare ac ululare, ſed adeo ridiculâ ſimul & extraordinariâ harmoniâ, ut tantùm non extra me ipſum raperer.

Canis docilitatis alia exempla.

Venio nunc ad alia. Fuit Juſtiniano Principe agyrta, qui Byzantium venit, & contracto populo in foro juſſit quemque annulum ſuum in acervum medium conjicere. Cùm factum; canem, quem circumducebat, accedere, & cuique ſeorſim atque ordine ſuum reddere. Quod ille ſine mora, & ſine errore faciebat. Idem canis, interrogante domino, quis ſpectantium dives, pauper; quæ mulier virgo, maritata, vidua, meretrix eſſet, & id genus alia; ſingulos notabat, idque circumiens, & accedens, veſte cujusque ore prehensâ.

Simile huic exemplum tradit *Nicephorus* de cane cæco, qui mulieres uterum

uterum geſtantes, ſcortatores, adulteros, avaros deſignabat; unde & Pythonis ſpiritum habere plerisque creditus fuit, ut ſcribit ex eodem *Philippus Camerarius* Centur. 1. Horar. Subciſiv. cap. 24.

Noſtrâ etiam ætate paſſim in Germania, Italia, Gallia, aliisque nationibus, agyrtæ mira ac jucunda canum ope ſpectacula exhibent. Sunt inter alios, qui populo inſpectante cani nummum oſtendunt; ac poſtea tecto ejus capite nummum occultant, aut ab aliquo circumſtantium occultari jubent; tum canem, ſublato velo, dimittunt ad quærendum nummum: circuit is, & olfactu rimatur omnes latebras, inventamque prædam magno latratu ſimul & lætitiæ ſignificatione prodit. Aptiſſimos ad mimica opera perdiſcenda aſſerit eſſe Albertus Magnus canes ex vulpe natos. Hi ſi deſint, ruffi ex canum cuſtodum numero deligantur, & catuli adhuc cum ſimia verſentur; ex ea enim multa jocoſa diſcent. Quòd ſi etiam ex coitu cum ſimia natus fuerit canis, omnium in hoc genere præſtantisſimus erit. Canes mimici.

Non ſunt omittendi pauperum quorundam cæcorum canes, qui ad funem alligati, ut ſæpe Romæ vidi, dominos ſuos per Urbem ad omnes Eccleſias, ad omnes Principum civiumque liberalium ædes, ubi eleemoſynæ ſpes affulget, perducunt, ibique ſubſiſtunt: quo ex ſigno conjectant cæci, ad deſideratam domum ſe ſtare. Auget miraculum, quòd, ut *Majolus* quoque Colloq. 7. notavit, ii cæci alias domos obeunt die Lunæ, alias die Martis, alias aliis diebus: & quòd cùm Quadrageſimali tempore quotidie adeò diverſis in locis, in tam ampla Urbe, indulgentiæ ac ſtationes indictæ ſint, ad omnes tamen absq; errore dominos ſuos deducant, atque reducant. Canes cæcorum pauperum.

Venio ad documenta memoriæ, quæ in canibus eximiè viget. Ulyſſes, ut *Homerus* ſcribit, cùm ad Trojanum bellum proficiſceretur, canem habuit, quem apud Eumenum ſubulcum reliquit: exactis autem variis laboribus, domum poſt annos viginti rediens, agnitus à cane fuit, conſueta adulatione exceptus. Ex *Blondo* habemus, canes Venetiis in medio fori poſt triennium agnoviſſe dominum ſuum. Tobiæ ex Meſopotamia redeunti canem adblanditum, Sacræ nos docent Litteræ. Minus ergo mirum quod nunc narro. Francofurti ad Mœnum Canonicus & celebris Eccleſiaſtes ad D. Bartholomæi templum, catellum habebat in deliciis; quem dono aliquanto tempore pòſt miſit Moguntiam cuidam domino, qui eum expetierat. Poſt multos menſes deſcendit mecum Moguntiam dictus Canonicus cum navi mercatoria. Quæ cùm appelleret, ſtabat ad ripam Rheni famulus dicti Domini Moguntini cum catello. Hic ut è longinquo vidit Canonicum in navi, incredibili lætitiâ exultat, & ſummâ celeritate in aquam ſe conjicit, navim petiturus; quod & feciſſet, Canum memoriæ exempla.

Digitized by Google

ni violenter detentus fuiſſet. Ut verò exſcendit è navi Canonicus, canis exultans ſimul & præ lætitia gemens ſalit magno impetu, & iteratis vicibus, in faciem figit oſcula, blanditur, circumcurſitat, & modis omnibus gaudium ob priſtini domini, poſt tot elapſos menſes confeſtim è longinquo agniti, adventum exprimit.

Canes veru cum carne vertentes.

Commune eſt apud Italos, Gallos & Siculos, maximè in Religioſorum domibus, ut ad carnes aſſandas canes rotis imponant, qui eas ſimul cum veru in orbem vertant. Contingit, ut cùm dicti ambulones totâ ſeptimanâ in propatulo degant, appropinquante die ac horâ, quâ labori admovendi ſunt, ſeſe abſcondant. Erant quodam loco duo hujusmodi, qui alternatim operam ſuam locare debebant. Unus ſtatuto die, quo ſibi laborandum ſciebat, ſponte ſe ſiſtebat: alter alio die ſibi deputato latebras quærebat. Primus igitur, ne abſentis defectum ſupplere cogeretur, horâ appropinquante latebras omnes domus excutiebat, & deprehenſum mordicùs ſocium coquo ſiſtebat.

§. V. De canibus varia.

Canum varia exempla.

Canes ex lapicidina effoſſi.

P. *Laurentius Stengelius* ex Neobrug. cap. 2. narrat in libro de Monſtris cap. 1. §. 16. cùm in lapicidina quadam petra ingens ferramentis finderetur, apparuiſſe duos canes, capacem ſui in eadem petra concavitatem replentes, absque omni ſpiraculo. *Videbantur*, inquit, *ex leporariorum genere, ſed truces vultu, quaſi ex Cerberi proſapia; odore graves, quaſi ex Averno; pilorum expertes. Et unus quidem citò defecit: alterum ſtupendæ edacitatis Henricus Wintonicenſis Epiſcopus multis diebus in deliciis habuit.* Canes illos intra petram creviſſe, & ſine cibo, ſine ſpiraculo inibi vixiſſe; nemo mihi perſuaſerit. Malus ergo Genius, cui facile id eſt, viam in petra aperuerit, & canes tali carcere incluſerit aliunde allatos tunc primùm, cùm reperti fuêre.

Canes ſub jugo currũ trahentes, & ſarcinas ferentes.

Marcus Polus lib. 3. cap. 43. apud *Majolum* Colloq. 7. ſcribit, apud Tartaros Septentrionales, ubi ingentes glacies vigent, cùm incolæ trahis ſeu curribus utuntur, prægrandes canes aſini magnitudine domi familiariùs alitos ſubire jugum, & trahas vehere, cujusmodi boves ſolent, duobus jugo ſuppoſitis. Alibi edocti ſarcinulas dominorum ſuorum velut aſini deferunt, idq; muneris eos paſſim in Novi Orbis plaga obire, teſtatur *Petrus Hiſpalen.* De cane quodam refert *Albertus Magnus* lib. 8. de Animal. tract. 6. c. 1. edoctum in menſa convivis lumen brachiis ſtabili veſtigio tenuiſſe, donec perdurarent epulæ.

Canes Niciæ venatoris.

Nicias quiſpiam de venatoribus (inquit Ælianus lib. 1. c. 8.) *cùm de improviſo in carbonariam fornacem lapſus fuiſſet; canes, qui cum eo erant, hoc intuentes, non illinc diſceſſerunt, ſed primò circa caminum ingemiſcentes & ululantes commoraban-*

morabantur: tandem prætereuntes leviter & ſenſim morſu veſtium attrahebant ad id quod accidiſſet, tanquam auxiliatores domino ſuo implorantes homines. Unus igitur videns hoc idem, ſuſpicatus eſt id quod erat, & ſecutus eſt canes, invenitq; Niciam in fornace deflagratum, rei conjecturâ ex reliquiis factâ.

Felis pro fele in ciſternam lapſa implorat auxilium.

Revocat hoc in mentem, quod ante annos aliquot in Collegio noſtro Erfordienſi contigit. Duæ feles noſtræ domeſticæ colludebant ſupra marginem ciſternæ; una illarum præceps ruit in aquam; currit mox altera, & voce lamentabili obvios vocat in auxilium, unguibusque ac dentibus pertrahit ad locum, proſpectansque nunc in ciſternam, nunc in adſtantes, indicat ſociæ caſum & periculum, nec deſinit donec viva adhuc extrahitur.

Canis Gelonis Syracuſani.

Gelon Syracuſanus cùm nocte quadam ſomno arctiſſimo comprehenſus ſomniaret, è cœlo ſe tangi, ac percuti; exclamavit voce contentiſſimâ. Audiit hoc canis fideliſſimus, quem alebat Gelon; accurrit, cum impetu in lectum ſe conjicit, circumcurſat, latrat, domino laturus auxilium. Sed excitato Gelone, quod ſomnium erat, evanuit, & canis fides apparuit. *Ælianus* lib. 6. c. 62.

Canis inſequens cervum parit diverſos catulos.

In libro Venationis Alfonſi Regis Hiſpaniæ ſcribitur, teſte *Nierembergio* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 40. gravidam canem, vocatam Buſteram, dum inſequeretur cervum, correptam partu peperiſſe unum catulum; quem ore ſumens percurrebat aliquod ſpatium: poſtea allatrabat feram, interim pariens alium; quo cum alio catulo ſervato, recurrebat mater, & relatrabat. Hoc pacto reliquos effudit. Occiſo demum cervo, ſtatim accurrit ubi catulos collegerat.

Geſnerus teſtatur lib. 1. de Quadrup. Verbo *Canis*, in Scotia genus eſſe canum, quod furem perſequatur: qui ſi fluvium trajecerit, tranare & canem: in adverſam ripam ubi appulit, tam diu in gyrum procurrere, donec odoratu veſtigia deprehendat.

Canes Rhodienſes odore agnoſcunt Turcas.

Rhodienſes milites, cùm adhuc Inſulam tenerent, canes alebant ſtipendiarios & excubitores, ita inſtructos, ut cùm noctu vagarentur, Turcas à Chriſtianis odore dignoſcerent, illos latratu terrerent, proſcinderent mordicùs; his verò adblandirentur.

Canis ab eſu ovorum recentium deſueſcit.

Canem habebat vir nobilis, qui gallinarum ovis recentibus inſidiabatur impenſiùs, & quæcunque ac ubicunque inventa devorabat avidiſſimè. Diſplicuit hoc domino, & famulum juſſit eductum in campos canem trajicere glande plumbeâ. Famulus miſeratus cani, ſpopondit pro eo emendationem. Ovum ergo coquit, & calidiſſimum ori canis ingerit, compreſsâque buccâ deglutire cogit. Ab eo tempore non ab eſu tantùm ovorum abſtinuit, ſed aſpectum quoque vitavit, ut fugeret monſtrato vel à longè ovo.

Eccle-

Digitized by Google

Catellus baculo exceptus, ingreſſum templi devitat.

Eccleſiaſticum comitabatur catellus, quòcunque itabat. At quia in templo noſtro altarium antipendia mingendo deſtruebat, conqueſtus domino Sacriſta, reſponſum tulit, ut deprehenſum canem caſtigaret. Fecit Sacriſta, & bacillo egregiè delumbavit impudentem minctorem. Ab eo tempore comitabatur ut antea catellus dominum quòcunque itaret; at ut templum noſtrum ingrederetur, adduci nullis blanditiis potuit.

Canis Marchionis Mantuæ.

Franciſcus Marchio Mantuæ, *Blondo* teſte: loquelæ uſum perdiderat. Habebat autem canem ita inſtructum, ut ſigno ab hero accepto vocaret quemcunque ex aulicis voluiſſet.

CAPUT XX.

De Caſtore.

Caſtor, ſeu Biber, amphibium animal. Vide Iconiſmum XXXIII.


CAſtor animal quadruplex, quod & Fiber ac Biber dicitur, ex genere eſt amphibiorũ; & ſemipiſcis ab aliquibus dicitur, ob vitam amphibiam in terra & aqua traductam. *Colore* eſt ex albo cinereo, in dorſo nigricante: pilo plumâ molliore; qui quò nigrior, eò pellis æſtimatur pretioſior. *Dentes* habet adeo acutos, ut ligna minutim ſecet. Pedes, quinis diſtinctos digitis: priores quidem caninis ſimiles; poſteriores verò, propter membranam digitorum interſtitiis interjectam, anſerinis, quibus & in natando utitur. *Caudam* piſcium ſimilem habet; Sesquipedalem in majoribus, ſex digitorum latitudine, duorum craſſitie, quatuor interdum librarum pondere, ad margines deſinentem in tenuitatem, membranâ glabrâ & lividâ contectam, & lineis quibusdam ſquamas piſcium æmulantibus incredibili artificio depictam.

In inguinibus geminos habet tumores ovi anſerini magnitudine, utrimq; unum, membranâ ſuâ concluſum. In horum medio meatus eſt, ex quo liquor pinguis & ceroſus exſudat; quo admotâ linguâ deterſo, corporis partes, quas contingere poteſt, velut oleo oblinit.


Reperiuntur in Burgundia circa Matronam fluvium; apud Sequanos in agro Cabillonenſi, Lotharingos, Auſtrios circa Danubium, Helveticos, Polonos, Ruſſos, Pruſſos, Italos quoque circa Padum in mare ſe exonerantem, Hiſpanos, & circa fluvios Ponti. Ubicunque autem habitat, cavernas ponit littoribus vicinas, quoniam amphibium eſt animal, ut diximus. Veſcitur foliis & radicibus arborum. Piſcibus quoque veſci ſcribit Albertus; quod tamen negant aliqui, quoniam nec vivos, nec mortuos ſibi appoſitos ſæpe attigit, ac nè olfecit quidem. *Vox* vagitum infantis exprimere dicitur.

Ad

Catoblepa.



Caſtor ſeu Biber.



Digitized by Google

Digitized by Google

Ad *naturam* & *mores* quod attinet, hæc fuêre notata. Cùm quempiam mordere incepit, non priùs deſinit, quàm fragorem oſſium percipit. Cùm domi alitur, nec ſtercore, nec urinâ domum inquinat: ſi non patet egreſſus, querulatur. Amore eximio fœtum proſequitur: quo adacta quæpiam ereptis catulis incluſa, portis & clavis avulſis ex alto ſe præcipitem dedit. Pedibus anterioribus tanquam manibus ori cibum admovet. Alvo conſtipatâ, ob eſum corticum arborum, partes poſteriores ſæpe in aqua madefacit. Dum venatores fugit, teſtes ſibi avellere dentibus dicitur, & abjicere, conſcius ſe propter illos peti. Hoc tamen alii negant, cùm parvos habeat, & ſpinæ adhærentes, qui ſuperſtite ipſo avelli nequeant: contrariam autem opinionem inde natam ajunt, quòd eos tam aſtutè occultet. Ligna dum convehunt caſtores ad habitationes ſuas conſtruendas, illa inter unius aut ſenis, aut aliàs ad laborandum inutilis, reſupinati crura componunt, eumque onuſtum arreptâ caudâ pertrahunt ad locum deſtinatum: ideo hi glabrum dorſum habere ſunt deprehenſi à venatoribus, teſte *Alberto Magno*. Idem facere mures Alpinos compertum habemus. Ex Scytharum obſervatione refert Julius Pomponius Sabinus, caſtores, quos ſervos vocant (diſtinguunt enim in nigros, dominos, & ſervos) poma legere, & cortices cædere, ac intra caveas ſuas condere: ſic autem eò devehere; jungere duos, & dorſis eorum bacillos cratis in modum diſpoſitos imponere, hisque poma ac cortices ſuperimponere, & quò volunt, devehere. Mira certè induſtria, ſi vera. Iidem ſervi caſtores captis atque abductis nigris, ac dominis, tanto mœrore afficiuntur, ut vultu atque ingreſſu eum indicare videantur. Ad cædenda ligna ſe conferentes, eâdem ſemper ſemitâ à fluvio ad arborem gradiuntur; arborem quam aut ſecandam pro ædificio, aut decorticandam pro eſca elegerunt, non priùs deſerunt, quàm totam dentibus diſſecuerint; & propriè caſuram identidem reſpiciunt, nè improvidi opprimantur. Impendente inundatione fluminis, pridie ædificium mutant, atq; in altiorem locum transferunt. Lignis ad fluvium delatis, aliquam aquæ portionem ſepiunt, nè flumine æſtivis caloribus decreſcente aquis deſtituantur, quibus indigent ad humectandas partes poſteriores.

Caſtoris natura, & mores.

Caſtores ut ligna convehant.

CAPUT XXI.

De Catoblepa.

Catoblepa, ſeu ut alii appellant, Catoblepas, aut Catoblepon, animal eſt Africanum, tauro ſimile, mirè noxium hominibus & beſtiis. De eo ſic ſcribit *Plinius* lib. 8. Nat. Hiſt. cap. 21. *Juxta hunc* (Nigrim ſcilicet fluvium)

Catoblepa. Vide Icon. XXXIII.

fluvium) *fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, cæteriſq; membris iners; caput tantùm prægrave ægrè ferens. Id dejectum ſemper in terram, aliàs internecio generis humani, omnibus qui oculos ejus vidêre, confeſtim exſpirantibus.* Eadem habet *Solinus* cap. 43. Polyhiſt. *Ælianus* lib. 7. de Animal. cap. 5. plura ſcribit in hunc modum. *Cùm multiplices & varias Africa procreat beſtias, tum Catoblepontem, ſic nuncupatum, parere exiſtimatur. Is tauro ſimilis ſpectatur; magis tamen truculentus, terribiliſq; aſpectu. Alta ei & denſa ſunt ſupercilia; oculi non perinde quidem magni ut bubuli, ſubjiciuntur, ſanguine ſuffuſi. Non directè, ſed ad terram verſus intuetur, unde & nomen ei factum. A vertice incipiens juba, equinæ ſimilis, per ejus frontem promittitur; & faciem ejus occupans, formidabiliorem eum reddit. Mortiferas depaſcitur herbas; ac ſimul ut taurino aſpectu conſpexit, ſtatim horret, & jubam erigit. Eâ autem in excelſum excitatâ, atq; apertis labris; per guttur quiddam vehementer grave & viroſum emittit, ut aër ſupra caput obducatur, & inficiatur: animalia autem appropinquantia, quæ hoc cœlum hauriunt, graviter affligantur, & vocis uſum amittant, in lethaleſque convulſiones incidant. Quod & homini accidere dicunt. Hanc ſui noxiam vim & fera hæc in ſe agnoſcit, & alia animantes nôrunt, eoq; ab ea quàm longiſſimè refugiunt.* Hæc Ælianus. De hoc eodem animali *Athenæus* lib. 5. cap. 15. ex Alexandro Myndio lib. 2. Hiſtoriæ de Jumentis, ſequentia ſcribit. *Nomades, qui ſunt in Libya, animal Gorgonem appellant, ubi gignitur, etiam Catoblepa. Eſt autem, ut plurimi aſſerunt, qui ex pelle ſignificant, agreſtibus ovibus perſimile, ac, ut nonnulli volunt, vitulo: quod talem habere reſpirationem dicunt, ut omnia, quæ ei animali obvia fuerint, interimat. Dicunt præterea, comam id habere, quæ ex fronte ad oculos demittatur: quam ubi concutiens ob gravitatem vix tandem aſpexerit, illum perimit, qui ab eo viſus fuerit. Non ex ſpiritu quidem, ſed ab exhalatione, quæ fit, oculorum naturali, citoq; mortuum facit. Res autem ita percepta eſt. Quidam ex iis, qui militarunt cum Mario contra Jugurtham, Gorgonem videntes, putanteſq; eſſe ovem ſilveſtrem, quia infrà annuebat, tardeq; movebatur, in ipſam irruebant, tanquam enſibus, quos habebant, interfecturi. At hæc perterrita, comam concutiens, quæ ante oculos jacebat, eos confeſtim mortuos relinquebat, qui illam inſecuti fuerant. Hoc cùm ſæpius feciſſent alii, morerenturq; & omnes qui appropinquaſſent; explicarunt quidam animalis naturam, quam ab incolis didicerant. Poſtea equites quidam Nomades, Mario jubente, huic eminùs inſidias tetenderunt, jaculiſque percuſſerunt, & feram ad ducem accedentes attulerunt. Quam fuiſſe hujuſmodi, & pellis eſt indicium, & univerſus Marii exercitus teſtatur.* Pellem hujus animalis miſit Romam, & in templo Herculis poſuit, ut quo triumphantes duces convivia civibus exhibebant.

Catoblepæ aſpectus omnibus noxius.

CAPUT

Digitized by Google

Iconiſmus XXXIV. Ponatur è regione pag. 843.



CAPUT XXII.

De Cercopithecis.

CErcopithecus eſt ſimius caudatus, ſic dictus à κέρκος, quod caudam, & πίθηκος, quod ſimium aut ſimiam ſignificat. Germani vocant Meerkatz / Galli *Marmot*, Itali *Gatto Maimone*. Differunt inter ſe variè, mole, colore, ingenio. Inveniuntur enim nigri, pallidi, fuſci, variegati, magni, parvi, mediocres, barbati, leonicipites, caniformes, & aliarum differentiarum. Nonnullorum icones appono. Reperiuntur magnâ copiâ in Occidentali India, prætereaque in Æthiopia, Java, Congo, India Orientali, & alibi. Cercopitheci. Vide Iconiſmum XXXIV.

Ad naturam, ingenium, & mores quod attinet, nemo plura & ſelectiora habet quàm *Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 44. ex quo ſequentia deſumpſimus. Omnes penè ſunt charitate in filios inſignes, quos deportant in tergoribus, donec ſibi commodè poſſint proſpicere. Filii viciſſim complectuntur matrem per collum manibus, & pedibus per ſpinam. Veſcuntur fructibus arborum, & ovis avium. Ebibunt plures lotium, & ſordes ſuas. Nonnunquam videntes hominem ſolum, deſcendunt ad ludendum cum illo. Omni ſunt aſtu inſtructi. Arborum ſtipites, quos conſcenderunt, in viatores detorquent & jaculantur. Tranſiliunt flumina caudis invicem apprehenſis, & ab arboribus vicinis fluviis vibrati tam diu, donec extremus appoſitæ trans amnem arboris ramum arripiat: quo affixo arbori, catena ſimiorum utrimque protenditur. Deinde cùm is qui in altera parte hæſit, tutò ſe affixit, vociferatur, ſignum jam notum ipſis; quo audito, alter extremus ſe ſolvit: ita omnes ſimul transmittuntur. Cercopithecorum mores.

Sagittâ aliovè telo confoſſi, ſibi mutuò opem ferunt, admotisq; foliis muſcovè arborum vulneri, ſanguinem ſiſtunt, & vitam tuentur quantum poſſunt. Filios circumferunt, ut jam dixi, mirâ pietate & amore, idque juxta montium verrucas & ſumma cacumina: ubi venatores, ut filios capiant, pyram conſtruunt maizio circumdatam, adjecto lapide cacaoatl ſive corvino, qui ejus eſt naturæ, ut igne calefactus tonitru edat, atque diſſiliat. Accurrunt igitur Cercopitheci, & juxta pyram accenſam cubant, ſparſumq; cacaoatl comedunt: ſed terrente eos ſubitò in illos emiſſo lapide, obliti filiorum aufugiunt, & ſobolem chariſſimam venatoribus prædam relinquunt.

Magna aliquibus pernicitas: ferè volucrum more occupant arbores, transvolantque ab una ad alteram. Viſus eſt, qui tranſcenderit uno impetu Cercopithecorum pernicitas.

petu fluvium. Quando hominum agmen tranſire ſentiunt ſilvas (pauci enim homines, nedum ſoli, tranſire propter cercopithecos non audent) duces eorum plebejâ multitudine variarum ſpecierum convocatâ, procurrunt obviam, & clamoribus horrendis ex arbore in arborem tranſilientes, viatores inſequuntur, & mille ſcurrilitatibus ac geſtibus ridiculis derident. Fingunt ſæpiùs velle ſe turmatim tranſeuntes appetere: ſed ubi, ad arborum jam truncos demiſſæ, videns ſagittas aut ſclopeta, quæ experti aliquando, aptari atque in ſe dirigi; vento velociùs ad arborum culmina ſe recipiunt, ibique rabidis querelis editis frendent dentibus minitabundi.

Cercopithecorum dexteritas.

Tantam eſſe illorum dexteritatem dicunt, ut excuſſas contra ſe ſagittas evitare ſciant, & manu prehendere, ac ſi ſponte porrectas acciperent. Sclopetorum tamen globulos non ita disjicere aut evitare ſciunt; unde non pauci iis læſi cadunt. Quando ſocium vident aliquem de ſuo grege præcipitem ruere vulneratum, & tolli à jaculantibus è terra; tanto fremitu ac ſtrepitu tonant & replent æthera, ut mille leonum rugitus, & totidem tigridum ſuperent clamores. Dum arbores conſcendunt tranſeuntibus viatoribus, quilibet manu geſtat & ore quotquot poteſt lapides, quos deinde in tranſeuntes conjiciunt, dum ſagittas aut glandes plumbeas in eos ejaculari ceſſarunt. In vetulam caudatam ſimiam ſagittarius tetenderat ſcorpionem: exſpectaturam ictum ſe ſimulavit ſimia: ſed ubi jam dirigi oculo clauſo ſagittam vidit, jaculato in ſagittarium lapide faciem acriter contudit, & dentes confregit. De novo tamen ſtratagemate pœnas Cercopithecus dedit: quo enim tempore lapis ad ſagittarium decidebat, ſagitta in ſimiam aſcendit, & tactam dejecit.

Cercopithecorum familiaritas cum hominibus.

Joannes Ardois, aliique ſcribunt, magnam familiaritatem contrahere ſimios ac cercopithecos cum barbaris regionum Occidentalium; pro argento cum illis ludere, ex lucro parato invitare ad tabernam, ſolvere pretium vini numeratâ pecuniâ. Quod ſequitur, ab oculato teſte didicit *Nierembergius*. Aderat inter milites Hananæ, dum luderent, ſimius: obſervabat illum qui plùs lucraretur, hærebatq; ejus lateri, donec colludium largiretur pro more. Si nolebat, pugnis ſimius cædebat: ſi donabat, ſtatim ad tabernam convolabat, & manu acceptum vas porrigebat vendenti vinum, ut ſibi infunderet. Coronato calice tunc ebibebat, mox ſolvebat pretium, colludio tradito, & recedebat: quòd ſi excederet pretium colludii, exſpectabat ut rurſus venditor infunderet merum; quod bis aut ter repetebat pro valore argenti. *Joſephus Acoſta* alium narrat miſſum ab hero ad tabernam, ut pro ſe vinum emeret, non priùs tradere ſolitum pecuniam, quàm acciperet lagenam plenam; quam in via adverſus pueros defendebat, fugans eos correptis per intervalla lapidibus: & quamvis

vini

Digitized by Google

vini aviditſſimus eſſet portator, illibatam tamen lagenam referebat domum. Idem mulieribus fuco ornatis valde infenſus, diſcerpebat crines & cultum.

In ora Carini, Petro Martyre referente, cercopithecum reperêre Hiſpani cæteris grandiorem, caudâque longiore, qui caudâ ſuſpenſus ex arbore, & robur, ter quatervè librans atque devolvens, captando, ex ramo tranſilibat in ramum, & ex arbore ſe projiciebat in arborem, acſi volitaret. Arcuarius eum ſagittâ confixit. Vulneratus ſeſe dejicit, & hoſtem vulneratorem rabidus adoritur. Stricto enſe agit in belluam venator, & lacertum cercopitheco abſcindit, capitque mancum ferociter renitentem. Ad claſſem perductus, inter homines parumper manſuetudinem induit. Dum ſic ferreis vinctus catenis ſervatur, è littoribus adducunt aprum venatores alii. Cercopitheco aper, & ipſe ferox, oſtenditur. Setas excutit uterque. In aprum cercopithecus furibundus ſalit, caudâ circumligat aprum, cum ſervato à venatore lacerto guttur ejus apprehendit, & reluctantem ſuffocat. Cercopithecus aprum occidit.

Hiſpali aſtuto hoc ſtratagemate uſus cercopithecorum aliquis, quem volebant occidere. Per domorum tecta fugax, dum videt ſe à ſagittario peti, deſcendit illicò per feneſtram quandam, & caſu obvium infantem ab incunabulis corripiens, complectitur, iterumque ſe tectis reſtituens, quoties ſagittarium videbat arcum intendentem, pro clypeo puerum objiciebat; ſciens utique, non emiſſurum ſagittam cum periculo innocentis. Cercopitheci Hiſpali aſtus.

Cercopitheci adulti junioribus, qui ex arbore in arborem nequeunt adhuc tranſilire, viam ſternunt hoc modo: unum arboris ramum caudâ tanquam manu arripiunt, manibus verò alterius arboris ramum comprehendunt, atq; ita utrâque arbore retentâ pontem quaſi ab una in alteram ſternunt, per quem juniores ſine periculo tranſeunt.

Odio acerbiſſimo proſequuntur cercopitheci crocodilos, adeo ut conſpecto illo fugiant per ignem & aquam. Narrat *Petrus Gillius* in Ælianum, cùm pellis crocodili paleis repleta ex feneſtra per longum intervallum cercopithecis oſtenderetur, ipſos cum clamore, tremore, & alvi dejectione evadere conatos, tametſi vinculis conſtricti tenerentur. Cercopitheci crocodilos averſantur.

Jonſtonus ex *Marcgravio* lib. 6. Hiſtor. Natur. Braſil. cap. 5. refert, eſſe apud Braſilienſes cercopithecorum barbatorum genus, caprinæ & rotundæ barbæ, magnitudine vulpis noſtratis, facie elatâ, oculis nigris ac ſplendentibus. Maximo numero in ſylvis inveniri, ibique horribilem clamorem excitare. Singulis diebus ante & poſt meridiem ſemel atque iterum convenire: Unum eorum minorem in medio & altiori loco reſidere, reliquos pauló inferiùs circumſidere; illum præcinere altâ voce, & Cercopitheci Braſilienſes conveniunt ad cantum.

 ſigno

ſigno manu dato, reliquos omnes accinere, tam diu cantionem prorogantes, donec ſuperior iterum manu ſignum det; & tunc omnes uno momento ſilere, & ſuperiorem grandi voce cantionem finire.

CAPUT XXIII.

De Cervo.

Cervi, eorumq; natura & mores.

CErvus animal eſt biſulcum, pilo molli, &, ſi Junio credendum, intus cavo, ideo commodè natat. Tametſi pleriqueſpadiceo ſunt colore, dantur tamen & albi, qualis erat Sertorii cerva, quam eſſe fatidicam Hiſpaniæ gentibus perſuaſit. Mares cornuti ſunt, non fœminæ, niſi perrarò. Cornua ipſis inter reliqua animalia maxima. Bimis primùm cornua oriuntur ſimplicia, & recta; trimis bifida; quadrimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedit numerus usque ad annum ſextum. Subinde tamen in multò plures ramos diſtribuuntur: nam viſa ſunt, quæ ramos habebant undecim, quindecim, & viginti unum, teſte *Gesnero.* Non cava ſunt, nec oſsibus capitis adhærent, ut cæterorum animalium, ſed ſolida, & cuti adhærentia. Singulis annis ſtato veris tempore ea mutant. Corporis formam omnes noverunt. *Ariſtoteles* lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 15. prodit, vermes continere cervos in capite vivos, naſci ſolitos ſub lingua in concavo circiter vertebram, quâ cervici caput innectitur, vermibus in carne putrida naſci ſolitis haud minores, numero viginti. Fuêre tamen qui plures, & alii qui nullos viderunt. Dicunt itidem, intra oculi os veſpas enaſci, & provolare.

De lapide reperto in oculi cantho, varii varia. Agricola vocat lapidem Belzahart: Bellunenſis Bezaar: Scribonius oculi ſordes: Scaliger Exercit. 112. lacrymam, addens eam ante annum centeſimum non naſci, poſt eam ætatem accreſcere ad oculi canthum ipſis oſſibus, eâ duritie, quâ cornu ſuperet. Credat qui volet. Oſſa in corde omnibus propè reperiri dicuntur; annoſioribus tamen majora, minora minoribus. In omnibus ferè regionibus, etiam Indiæ utriusque, reperiuntur cervi; alibi tamen frequentiores, alibi rariores. Alicubi cicures ſunt, & domi pariunt, domi nutriunt, interdiu ad paſtum in ſilvas eunt, veſperi redeunt, & mulgentur. Hìc in arce noſtra Mariana, & in multis Germaniæ locis, cicures in foſsis circa mœnia aluntur. Lappi vice jumentorum utuntur ad vehicula trahenda: Vehiculo enim in ſcaphæ piſcatoriæ formam facto, cervos jungunt, in quo vector, nè cervorum citato curſu excidat, pedibus alligatur, lorum dexterâ, baculum ſeu perticam ſiniſtrâ tenens, quâ vehiculi caſum, ſi fortè in latus plùs æquo vergat, ſuſtinet. Eo vehendi genere viginti milliaria uno conficiunt die.

Cervi cicures alicubi, trahentes vehicula.

De

De longævitate cervorum multa multi dicunt; non æquali probabilitate. *Heſiodus* dicitur attribuere cornici novem noſtras ætates, id eſt, annos circiter 900; quadruplum ejus cervis; quod quis credat? *Plinius* poſt centum annos aliquos captos aſſerit cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute; in magna obeſitate. Tempore Caroli Gallorum Regis, qui tempore Schiſmatis inter Clementem & Urbanum VI. vixit, captus eſt ad Silvanectum cervus, in cujus torque latinis litteris ſcriptum erat: *Hoc me Cæſar donavit.* Quod an de Cajo Julio Cæſare intelligendum ſit, nec nè, certant Auctores. Cæſaris Auguſti cerva, cum inſcriptione torquis; *Noli me tangere; quia Cæſaris ſum*, multis luſtris ab ipſius imperio deprehenſa dicitur. Quidam ætatem ex ramorum multitudine colligunt; quod Ariſtoteli non placet, & procul dubio falſum eſt; conſtat enim longiſſimam eſſe & multorum annorum; & apud Germanos noſtros ratum habetur, ſi cum cervo naſcente quercus in ſilva enaſcatur; eam præ vetuſtate collabi, ac computreſcere, vivo etiamnum cervo; & putridum ejus truncum ungulis diſſipante. Cervorum ætas longa.

Sympathiam cum attagine habet, antipathiam cum aquila, vulture, ſerpente, canibus, trigride, ariete, vulpium gannitu, cacto, aſpalatho, rubris pennis. Attagines ſæpe dorſo ipſorum inſident, & pilos vellicant. Aquila inſidens cornibus excutit multum pulverem volatu collectum in cervi oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. Serpentum cavernas inveſtigat, nariumq; ſpiritu extrahit renitentes. Cactum (cardui genus eſt) ſi calcet cervus, & ſaucietur, oſſa ejus nullum ſonum edere poſſe dicunt. Aſpalatho tactus moritur. Fugit cùm videt arietem; timet gannitum vulpis. Cervi Sympathiam & antipathiam cum quibus habeant.

Ingenium cervorum ſequentia oſtendunt. Paſcua quærunt in locis ſylvoſis & nemoroſis. Meliora quandoque paſcua nacti, ſemper tamen redeunt ad priſtina, ubi educati ſunt. Major & ſuper cæteros eminens cervus uno minore comitatus incedit, quem armigerum venatores vocant. Adeo ſunt timidi cervi, ut in proverbium abierint, quo timidos appellamus cervos. Cerva hinnulos tenellos adhuc ducens in ſtabula, aſſuefacit quò refugere debeant: ad curſum maturos exercet aſſiduè, & fruteta tranſilire docet, nè dum per loca fruticibus arbuſtisque referta currendum eſt, cornibus hæreant, & capiantur. Mas cùm pingueſcit fructuum tempore, nusquam apparet, timens nè pondere ſuæ corpulentiæ impeditus capiatur. Latent quoque cùm cornua amiſerunt, vel pudore, vel imbecillitatis ob amiſſa arma conſcii. Decidua cornua abſcondunt in locis remotis, & condenſis arbuſtis, nè ab hominibus reperiantur, invidentes fortaſſis nobis vim medicam quam habent. Dictamno excutiunt infixa tela. Herbam, quam cynaren vocant, edunt contra noxia gramina. Animal eſt adeo Cervorum ingenium.

Digitized by Google

adeo ſimplex,& mali nullius ſuſpicax, ut equo aut buculâ accedente propiùs, hominem juxta venantem non cernant; aut ſi vident, arcum ipſum ſagittasq; mirentur. Mulcentur fiſtulâ, & cantu paſtorali.

Cervi ut tranent fluvios.

Dum maria anguſta tranant,quale eſt inter Ciliciam& Cyprum,unus ante cæteros natat; hunc alter,capite innitens tergo,inſequitur; & ſimiliter cæteri deinceps: cùm primus natando defatigatur, ad extremum agmẽ recurrit,& caput in alterum inclinans, paululùm à labore recreatur; ſecundus recens,defatigato ſuccedens anteit; hoc abeunte in locum poſtremum, ſuccedit tertius,tum quartus,& ſic ordine omnes,donec transnatarunt. Pedibus tanquam remis utuntur; cornibus altis atque erectis, tanquam velis. Fugiunt, audito canis latratu, ad ventum ſeu auram ſecundam, ut odor diſſipetur, & non ad canes deferatur. Albertus tamen contrarium ſcribit. In fuga ſubinde ſubſiſtunt, ac reſpirant. Serpentibus abundè ſaturati, nè venenum noceat,ad aquas contendunt, & ore tenus corpora immergunt,nec priùs bibunt, quàm vi frigoris cogente hauſtum venenum per oculos deſudando elacrymentur. Omitto alia multa quæ habet *Majolus*, *Geſnerus*, *Aldrovandus*, *Jonſtonus*, & alii.

CAPUT XXIV.

De Cuniculo.

Cuniculus.


CUniculus, animal quadrupes & digitatum, notius eſt quàm ut deſcribi, aut multis verbis explicari debeat, ſi de noſtratibus ſit ſermo: Indici enim nobis minùs ſunt noti. Vocantur ab aliquibus parvi lepores, ab Italis *Coniglii*, à Germanis Königlein / ab aliis aliter. Fœcundiſſimi ſunt, præſertim in regionibus calidis, ubi ſuperfœtantes ſingulis menſibus plures effundunt fœtus. Semeſtres,ſaltem nondum anniculi, congrediuntur. *Niphus* à quodam eorundem altore intellexit, fœminas binos aut ternos enixas, poſt dies quatuordecim totidem peperiſſe. In Sicilia innumerabilis eſt eorum copia, & toto anno in foris proponuntur venales exiguo pretio. Sæpe vidi,duos ſolos, maſculum & fœmellam, domi alitos,intra paucos menſes totas domos repleviſſe. Qui in campis cuniculos ſeu cavernas ſuas habent, capiuntur furonibus intra cavernas intromiſſis: morſu enim, truſione, & pedum fricatione cogunt eos egredi, & in obtenta retia incurrere. Non minor copia apud Zelandos in ipſo Oceani aditu eſſe dicitur, ut tota Brabantia poſt ſolſtitium brumale iis alatur.

§. I. Cuniculorum ingenia, & Differentiæ.

Cuniculorum ingenia.

NAturam & ingenium produnt ſequentia. Locum in quo habitant, deſerunt, ſi quid periculi in eo præſentiunt. Migrante uno, reliqui quoq; gregatim

Iconiſmus XXXV. Ponatur è regione pag. 849



Digitized by Google

gregatim abeunt. Ruminant. Æmulationis ſtudio ita ſibi invicē aliquando infeſti ſunt, ut alter alterum cruribus ac pedibus etiam mutilet. Terram aſſiduè fodientes, ſpecus multiformes ſibi parant: & in Hiſpania aliquando oppidum non incelebre, arenoſo in loco poſitum, ita ſuffoderunt, ut incolæ aliò migrare fuerint coacti, teſte *M. Varrone*. Ex cuniculis ſuis non niſi manè & veſperi egrediuntur, nec longè ab iiſdem abeunt. Foveas, in quibus ſtabulantur, arenâ cooperiunt, nè à tranſeuntibus deprehendantur. A potu menſes aliquot abſtinent. Sunt valdè timidi.

Differentiæ cuniculorum plurimæ ſunt, ſumptæ à colore, magnitudine, & forma. Sunt enim albi, nigri, flavi, cinerei, variegati. Sunt noſtris ordinariis quadruplo majores viſi. Sunt in nova Hiſpania novem cuniculorum ſpecies, quas *Nierembergius* lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 7. enumerat, omnes formâ nonnihil inter ſe differentes, & ideo diverſis appellatæ nominibus. In Hiſpaniola reperti ſunt cuniculi formâ & caudâ murinâ, aliquantulùm minores quàm Europæi ordinarii. Degunt inter herbas, & in montibus, non ſub terra. Quatuor eorum ſunt ſpecies, & diverſa habent nomina, ut ibidem refert *Nierembergius*; qui capite 9. ſequenti addit, *Viſcachos* quoque eſſe cuniculorum genus, quod feles imitetur prolixitate caudæ, & nives amet. Cuniculorum differentiæ.

Gulielmus Piſo lib. 3. Hiſtor. Natur. & Medic. Sect. 3. ait, in Braſilia ſex ſeptemvè eorum ſpecies exſtare, magnitudine, colore, & figurâ nonnihil inter ſe diſcrepantes; quamvis naturâ, indole, & ſapore ferè conveniant, & ob carnis bonitatem omnibus pariter in deliciis habeantur. Capiuntur in hunc modum. Antrum ſeu cuniculum, in quo latitant, ab utraque parte obturant, & in locum, in quo conſidere autumant, longum cultrum infigunt, ut ita transfigant prædam ſub terra abſconditam. Quin vivi capiuntur, cicurantur, & pingueſcunt. Omnes ſunt admodum fœcundi: ſeptenos enim & ultra uno partu ter quolibet anno pariunt, non cæcos more noſtratium. Quinq; eorum ſpecies lubet ex dicto Auctore breviter deſcribere, & iconibus appoſitis depingere.

§. II. Cuniculorum variæ ſpecies in Braſilia.

PRima, eaq; maxima ac præcipua ſpecies eſt eorum, qui vocantur *Páca*, magnitudine pinguis & craſſi porcelli, cujus inſtar grunniunt. Cibum oblatum non pedibus, more cuniculorum aliorum detinent, ſed in terra depoſitum devorant. Capite ſunt craſſo, auribus præter morem parvis, absque cauda, ut pleriq; alii Braſilienſes cuniculi. Crura priora paulò poſterioribus breviora habent, ideo non adeo velociter currunt, ſed morſu vehementi ſe ab hoſte defendunt. Pilis ſunt brevioribus, ad tactum duris, umbræ coloris, in utroq; latere maculis cinereis præditi, carne tenerâ Cuniculorum Braſilienſium ſpecies variæ. Vide Icon. XXXV.

 & pin-

& pingui, quæ lardo non indiget, ſi aſſatur , & inter delicias magnatum cenſetur.

Secunda dicitur *Tapeti*, figurâ, magnitudine, pilis, auribus, barbâ leporibus noſtratibus ſimilis; quorum etiam more in ſylvis, non intra terram nidificat. Rectiùs igitur lepores, quàm cuniculi fortaſſis dicerentur.

Tertia vocatur *Aguti*. Eſt magnitudine & figurâ noſtratium ; pilis ſplendentibus, rufis & duris, ut in porcellis junioribus; grunnit ut porcellus; inferiorem mandibulam, ut ſues, breviorem habet ſuperiori ; aures breves ac rotundas; poſteriora crura glabra, longiora, ſex digitorum; anteriora breviora, quatuor tantùm digitorum; quibus directè anteriùs extenſis incedit, & arripit cibum oblatum, devoratq; quàm ocyſſimè. Eſt adeo à Natura munitus hic cuniculus, ut ſi unguibus & dentibus ſe tueri non poſſit, velocitate pedum ſe ſalvet : ſi verò irritatus, vindicare ſe non poteſt, grunniendo quatit humum poſterioribus cruribus multò fortiùs, quàm cuniculi noſtrates, dorſiq; pilos erigit. Cicuratur. Sed ſylveſtrium caro tenerior quàm cicurum.

Quarta dicitur *Cania Cobáya*. Cedit Europæis magnitudine; ſuperat eosdem varietate & elegantiâ colorum. Pilis eſt molliuſculis, maculis albis, nigris, rufis; cruribus brevibus, anteriùs digitis ſenis, poſteriùs quinis. Capite & dentibus gliris ſimilitudine; caudâ ferè nullâ. Nulla cuniculorum ſpecies tam familiariter in ædibus cicuratur, quàm hæc. Grunniendo cibum quaſi à domeſticis mendicat inſtar caniculæ domeſticæ.

Quinta *Aparéa* dicitur. Sunt admodum parvi, absq; cauda, pilis leporinis, ut & capite, barbâ & inceſſu. Petroſis potiùs cavernis, quàm nemoroſis gaudent.

CAPUT XXV.

De Cynocephalo.


Cynocephalus.

Vide Iconiſmum XXXVI.

CYnocephalus, hoc eſt, Caniceps, animal eſt quadrupes capite canino, ejus ferè formæ, cujus eſt Cercopithecus, de quo ſuprà cap. 22. Corpulentius tamen & craſſius eſt, validius ac magis efferatum. Græcis dicitur κυνοκέφαλος, Æliano κυνοπρόσωπος, Gallis *Babion*, Italis *Babuino*, Germanis Hundskopff. *Strabo* tribuit ei faciem Satyri. Reperitur in Æthiopia, Ægypto, & Arabia præcipuè. Cibo veſcitur eodem quo ſimiæ & cercopitheci. Fructus teſtaceos dum edit, involucra abjicit. Carnes quoque & aſſas & elixas admittit, nec reſpuit vinum. Vocem habet rudem, & variam, atque ingratam, & acutùm quandoque ſtridet.

Naturam, ingenium, & mores quod attinet Cynocephalorum, facilè iraſcun-

Iconiſmus XXXVI. Ponatur è regione pag. 850.



Digitized by Google

Digitized by Google

iraſcuntur, petulantes ſunt ut ſimiæ, ſed longè efferatiores. Tempore utriusq; æquinoctii naturali quodam inſtinctu ſingulis diei & noctis horis mingunt,& clamorem quendam edunt, ſicque vivorum horologiorum vicem ſubeunt; quæ cauſa eſt cur Ægyptii ſuis hydrologiis cynocephalũ ſedentem ac mingentem inſculpſerint,ut notavimus in *Mechanica Hydropneum.* par.2.claſſe I.c.4.Machina 4. ex *Horo Apoll.* lib.I. c.16. Mas in interlunio nec comedit, nec quóquam intuetur, ſed faciem in terram dejicit; fœmina verò etiam ſanguinem è genitali emittit. Hiſce luctum ob Lunæ defectum teſtantur. Lunam naſcentem avidè operiuntur,& exorienti veluti gratulantur. Ab Ægyptiis Sacerdotibus olim ſtudioſè nutriebantur, ut tempus ſynodi luminarium ab iis diſcerent. Cynocephalorum natura, & mores.

Ingenio ſunt ſingulari Cynocephali. In Ægypto diſcunt litteras deferre ad perſonas ſibi indicatas, teſte Strabone. Inibi viſi ſunt à circumſtantibus protensâ manu nummos petere, & ad heros ſuos deferre, teſte Bellonio.

CAPUT XXVI.

De Capris & Hircis, tam domeſticis, quàm ſilveſtribus.

IN hunc locum diſtuli de capris & hircis tractationem, ut ſimul uno comprehenderem capite, quæ in varia alii diſtrahunt, ob varias hujuſcemodi animalium ſpecies. Agetur in eò de Capris & Hircis, tam domeſticis ac manſuetis, quàm ſilveſtribus ac feris. Silveſtrium plurimæ ſunt ſpecies, ut Rupicapra, Dama, Ibex, Bubalis, Pygargus, Capra Strepſiceros, Dama vulgaris, Capra moſchi, Capra Bezoardica, Snhak Scytharum, Oryx, Capra auribus demiſſis, & ſi quæ ſunt aliæ. De nonnullis agemus hic, de aliis infrà ſuis locis.

§. I. De Capra & Hirco domeſticis.

CApras & Hircos domeſticos, biſulca eſſe animalia, & cornigera, notum eſt omnibus. Colorem habent varium, nigrum, album, variegatum. Cornua longa, & acuta; oculos in tenebris ſplendentes; naſum ſimum; dentes ſuperiores nullos præter priores geminos, reliquorũ pauciores capræ quàm hirci. E mento omnium pẽdet villus, qui aruncus dicitur; è cervice papillæ, quas alii mammillas, lacinias, verrucas appellant. Pedes macilentos habent. Per nares & aures ſpirare dicuntur; cujus ſignum, quòd naſo obſtructo nihil offenduntur. Reperiuntur multis in locis, tam Veteris, quàm Novi Orbis. Comedunt fruteta, arbuſta, cytiſum, agreſtem, Capra domeſtica.

folia querna, & aliarum arborum, oleæ præſertim, fraxini, tamariſci, barbæ hircinæ, roſæ caninæ, & vitis tenellos palmites, aliasque herbas. Salſedine delectantur. Dracula Tranſalpinæ Hungariæ præfectus ſæpe captivis Turcis pedes excoriatos contuſo ſale perfricuit; mox capras adhibuit, quæ linctu cruciatum augerent.

Capræ quibus cum rebus ſympathiam habeant, & antipathiam.

Amicitiam colunt cum ovibus, tigri, ſargo, pulegio, & eryngio. Ovibus cohabitant, & conveſcuntur. Tigri ſi hædus objiciatur, abſtinet cibo per biduum; tertio die eſuriens aliud poſcit; niſi porrigatur, caveam convellit, hædo parcit, teſte *Plutarcho*. Sargus piſcis umbrâ caprarum delectatur, & ſtantes in littore tangere geſtit, ad ſaliendum per naturam inhabilis, ut *Plinius* prodidit. Pulegium à capris guſtatum, balatum concitat. Si eryngii caulem capella morſu defectum ore ſuſtulerit, totus ſtatim ſubſiſtit grex, relictoque paſcendi ſtudio, novo veluti ſpectaculo attonitus, non priùs mirari rem deſinit, quàm paſtor caulem illum abſtulerit, ut *Plinius* inſinuat lib. 9. Nat. Hiſt. cap. 50. E contrario inimicitiam exercent cum lupo & pardali, qui eas invadunt; cum elephante, qui eaſdem exhorret; cum caprimulgo ave, quæ ubera ſugit, & uberi tabem, capræ ipſi cæcitatem adfert; cum humana ſaliva, quam devitant; cum melle, quo ſumpto debilitantur; cum evonymi folio & fructu, quæ guſtata interimunt, niſi purgentur anocho; cum aqua, in qua folia rhododendri maduêre, quâ hauſtâ pereunt. Oleam ſi lambendo contingant linguâ, dum primò germinat, ſterileſcit. Pulmo aſſus ebrietatem prohibet. Conyzam edentes moriuntur ſiti. Omitto alia multa, ut & omnia, quæ ad uſum in Medicina ſpectant.

Caprarum natura & mores.

Natura, mores, & ingenium caprarum atque hircorum ſequentia dant. Mobiles ſunt, & celeres. Plus curant dumeta, & loca aſpera atque montoſa, quàm campeſtria. Ita inhærent rupibus paſcentes, ut videantur pendere. Nolunt in ovillo grege extremum tenere locum, ſed amant antecedere.

Caprarum duarum ſolertia ſingularis.

Mutianus apud *Plinium* loc. cit. ait, ſibi viſam ſolertiam ejus animalis in ponte prætenui, duabus obviis è diverſo: cùm enim ob anguſtias pontis nec retrocedere poſſent, nec una alteri cedere; alteram decubuiſſe, atque ita alteram proculcatæ ſupergreſſam. In occaſum declinante Sole, in paſcuis non contuentur ſe inter ſe, ſed averſæ jacent; reliquis autem horis adverſæ, *Plinio* eodem loco teſte.

Caprarum induſtria.

Bellonius in Cairo ſeu Memphi Ægypti vidit, capras geſtare ephippium, ſubſultare, & calcibus ferire equorum inſtar, ac ſimias ſibi impoſitas portare. Vidit idem, quæ ad muſicæ ſonum choreas duceret, per orbem ligneum tranſiliret, per funem ambularet, ac mox rurſus ſe exiguum ſuper orbem circumvertens, per eundem funem regrederetur. Diſcunt currui jungi. Cùm oculorum caliginem ſentiunt, eos ad rubi ſpinam adfricant, & pituitam eliciunt, nullâ

pupillæ

Iconiſmus XXXVII. Ponatur è regione pag. 853



Digitized by Google

pupillæ læſione, *Plinio* teſte. Ubi purgatione egent, helleboro veſcuntur, eodem referente. Dum jugulandas ſe præſentiunt, cibum ampliùs non attingunt, *Æliano* aſſerente. Hircos Zelotypos eſſe, conſtat ex hiſtoria ſuprà lib. 4. ex *Plutarcho* recitata, nempe in urbe Sybari caprarium adoleſcentem, nomine Crathin, capræ concubuiſſe, hircum gregis ducem id perſpicientem rivalitate laboraſſe, & datâ opportunitate adoleſcentem ſomnum capientem invaſiſſe, & occidiſſe. Hirci Zelotypi.

Libya alit capræ genus admirandum, familiare tamen, *Adim main* vocatum, penè vitulinâ mole, & arietinâ ſpecie, prolixis auribus, lacte lanâque utile. Fœminæ duntaxat cornutæ. Portat jumenti inſtar pueros per breve aliquod ſpatium. Typum habet Nierembergius. Capræ Libycæ.

§. II. De Rupicapra, ſive Dorcade.

Rupicapræ ſunt illæ capræ ſilveſtres, quas Germani Gembs / Rhæti quiltalicè loquuntur, & quorum in montibus frequentes reperiuntur, *Camozza* vel *Camuzza* vocant. His magnitudo eſt, quæ capræ villaticæ, paulò tamen altior, & corporis formâ feris aliis capris ſimilior. Color eis inter fuſcum & rufum, qui tamen æſtate magis ad rufum, hyeme ad fuſcum pergit, teſte *Geſnero*, qui ait ſe vidiſſe etiam partim albis, partim nigris diſtinctam coloribus; inveniríque interdum, ſed rarò, planè albas. Hoc certum, mutari colorem per anni tempora. Oculos habent rubros; aures arietinis longiores, colore gilvo, atramque lineam utrimq; rectà à cornuum radice, ſupra oculos ad extremum os ductam, & in labra ſuperiora deſinentem. Atra etiam linea ſpinæ dorſi longitudinem notat. Frontem veluti ſtella inſignit. Caudæ ſuperior pars piloſa, nigra, rotunda & longa. Cornua nigricant, novem aut decem digitos longa, multis nodoſis circulis exaſperata, minoribus paulatim, in unco nullis; qui lævis eſt, & inſtar hami acutus. Parallela ferè ambo ſurgunt, id eſt, æquis intervallis inter ſe diſſita; ſolida, niſi quòd initio ad pollicis circiter menſuram cava ſunt; teretia magis quàm domeſticis. Cornuum mucronibus, teſte *Scaligero* Exercit. 207. tergum ſcalpunt; qua ſcalpturitione tantam capiunt voluptatem, ut extremum cornu faſtigium in corium eò uſque adigant, unde retrahere nequeant: quo fit ut ex altiſſimis decidant rupibus, & vel capiantur à venatoribus, vel fame intereant. En iconem. Rupicapra, ſeu Dorcas. Vide Iconiſmum. XXXVII.

Rupes montium colunt, non ſummas tamen ut Ibex. Deſcendunt aliquando ad inferiora Alpium juga, conveniunt ad arenoſas petras, & arenam inde lingunt, ut capræ villaticæ ſalem, quâ linguæ inertem pituitam defricent, & excitent appetitum. Circa loca illa occultant ſe venatores cum bombardis, & incautas feriunt. Cùm in venatione urgentur, aſcendunt ſemper altiùs, donec nullus ad eas canibus pateat acceſſus. Rupicapræ quomodo capiantur.

Deinde cùm venatores manibus pedibusq; reptãtes ſequi vident, de ſaxo in ſaxum tranſiliunt, ac montium cacumina petunt, donec nulla ſcandendi reliqua ſit facultas: illic ſe cornibus retinent, ac quaſi ſuſpendunt, ideoque vel bombardis feriuntur, vel in præceps ruunt, vel relictæ pereunt fame.

Rupicaprarum prudentia, & pietas.

Ad prudentiam pertinet, quòd dum errabundæ quærunt in rupibus novas ſedes, aut paſcua, antequam de rupe in rupem, de lapide in lapidem tranſiliant, pede extento priùs periclitantur num firmus ſit, an mobilis, aut lubricus. Ad pietatem, quòd parentes infirmos, aut ætate confectos alunt, pabulum ſuo ore collectum iis porrigendo, & ex fluvio hauſtam aquam afferendo, & corpus horridum lingendo, ſi *Oppiano* credimus.

Dorcas

Rupicapram alii vocant Capream, ut *Varro*, *D. Hieronymus*, *Scaliger*, &c. alii Dorcadem, ut *Dioſcorides*. Sed de Dorcade poſtea agemus.

§. III. De Dama Veterum.

Dama Veterum.

DAmam duplicem conſtituunt Auctores, Veterum unam, alteram Recentiorum. Dama Veterum eſt animal de caprino genere magnitudine capræ, & colore Dorcadis ſeu Capreoli, de quo poſtea. Cornua habet, non in dorſum adunca, ut Rupicapra, ſed in adverſum & verſus frontem; nec aliâ fortaſſis ratione diſcriminatur ab illa. Hiſce cornibus tanquam uncis apprehendunt prominentes rupes, neque aliter inacceſſas montium verrucas ſuperant, ut *Scaliger* tradit.

Dama Recentiorum.

Dama Recentiorum non de caprarum, ſed cervorum eſt genere, ideoque huc non ſpectat. Germani vocant ein Dam/ vel Damhirſch/ Itali *Daino*, Galli *Dain*, vel *Daim*. Corpore igitur cervum refert, ſed caput habet minus cervo, cornua cervinis latiora, ſingulis annis decidua.

§. IV. De Ibice.

Ibex.

QUæ de hoc animali trademus, deſumpta ſunt ex *Plinio*, *Alberto*, *Bellonio*, *Scaligero*, *Stumphio*, *Geſnero*, *Aldrovando*. Ibex igitur eſt illud animal, quod Germani vocant Steinbock/ Galli *Bockenſtein*, Itali *Steinbecko*, Helvetii fœminam *Ibſchen*, vel *Ibſchengen* (vocabulo utique ab Ibice deducto) Albertus caprum montanum. In ſummis apud Helvetios montibus abundant, ubi glacies nunquam ſolvitur, eò quòd loca frigida requirant, cæci alioquin futuri. Sunt de genere Caprorum ſeu Hircorum, magno hirco majores, colore fulvo, cruribus gracilibus, ungulis biſulcis & acutis, oculis pulchris ac ſplendentibus. Magni ponderis cornua longiſſima ei reclinantur in dorſum ad clunes usque, aſpera & nodoſa, eòque magis quò magis ætas proceſſit: augentur enim quotannis, donec jam vetulis tandem nodi circiter viginti & ampliùs creverint. *Scaliger* ait, in quibusdam numeratos fuiſſe nodos viginti quatuor, & pependiſſe pondo duodeviginti,

Ibicum ſaltus.

Digitized by Google

ginti. Saliendo Rupicapram longè ſuperant. Nulla montium rupes tam edita, aut præceps eſt, quam non ſaltibus aliquot ſuperent, ſi modò aſpera ſit, & ſpatia tanta promineant, quanta ſalientis ungulas excipere poſſint. *Stumphius* ait, ſcandere parietem, ſi aſper ſit, & non incruſtatus. Venatores impellunt illos ad rupes excelſas, & læves; ubi cùm evadere non poſſunt, conficiuntur. Venatorem accedere volentem exſpectant, & ſollicitè obſervant, an inter ipſum & rupem in qua hærent, vel minimum ſpatium interſit, ubi pedes figant; quo reperto, cum impetu ſe transferunt, & venatorem impellunt, atque dejiciunt. Quare operam dant, ut objectu ſcopulorum tecti de improviſo appareant, & ita preſſè rupi hæreant, ut nulla intervalli ſpes appareat: tunc enim loco manent, & vel capiuntur, vel conficiuntur. Valeſii, qui circa Sedunum habitant, ibicem in prima ætate captum, omnino cicurari, & cum villaticis capris ad paſcua ire & redire ajunt. Ibices cicurantur.

Fœmina minor eſt mare, minùsque fuſca; major tamen caprâ villaticâ, rupicapræ non adeo diſſimilis. Cornua ei parva, & rupicapræ, aut vulgaris capræ ſimilia.

Ex Ibicum genere videntur eſſe Capræ feræ Libycæ, de quibus *Ælianus* lib. 14. cap. 16. *Capra fera,* inquiens, *ad ſummos Libycorum montium vertices commorantur. Ad boum magnitudinem accedunt. Ipſarum fœmora, pectus, cervix, & maxillæ denſiſſimis pilis diffluunt. Frons rotunda protuberat. Tibiis brevibus, oculis canis ſunt. Cornibus poſt primum exortum utrisque invicem longè averſis, & aberrantibus, & ad latera incurvis: non enim ſimiliter atque aliarum caprarum montanarum recta exiſtunt, ſed eatenus retorquentur transverſa, ut ad armos pertingant: adeo ſunt procera. Ex capris longè maximâ ad ſaliendum habilitate ſunt: nam ex cacumine in aliud longè diſtans cacumen tranſiliunt. Et tametſi ſæpe earum quapiam, dum ex uno vertice in alterum ſaltare contendit, ob nimiam intervallorum diſtantiam per prærupta ſaxa præceps agitur; nihil tamen læditur. Sic eſt adverſus ſaxorum duritiem membrorum reſiſtenti firmitate, ut nec cornua frangat, nec caput diminuat: eſt enim durities ipſorum* (cornuum) *ingens, & ipſarum æmula rupium. In ſummis montibus plurimas, ſolertiâ quâdam captandi caprarii generis, nimirum vel jaculis, vel retibus, vel laqueis à doctrina artis venaticæ inſtructi comprehendunt. Jam in patentium camporum æquoribus quilibet vel tardus pedibus eas, quòd ibidem non valent ad fugiendum, capere queat.* Hæc & alia ibidem Ælianus. Eadem magnitudo ac durities eſt cornibus ibicum; adeo, ut ſi cadant, iis ſe totas involvant, & à læſione immunes maneant. Capræ feræ Libycæ.

§. V. De

§. V. De Caprea, ſive Capreolo, aut Dorcade.

Caprea ſive Capreolus.

Dorcas ſive Capreolus.

DOrcas, Caprea, Capreolus idem videtur eſſe animal; illud nimirum, quod Germani Rehen in genere, marem verò Rehebock / & fœminam Rehegeiß appellant, Itali verò *Capriöli*, Galli *Cheureul*. Sunt colore cervis non diſſimiles, ſed mole corporis longè inferiores, quâ vix capras æquant. Mas cornua in capite gerit ſenis plerumque ramis diſtincta; quæ & decidua ſunt. Viſu dicuntur eſſe acuto, voce exili, pelle cervini coloris, ut dixi, ſed maculosâ. Fœmina capto marito alium quærit, & ſecum in priſtinæ habitationis locum adducit: maritus verò captâ fœminâ aliò diſcedit, & aliam ſequitur conjugem. Hoc ſcientes venatores, fœminam non capiunt, & captam dimittunt, quòd una aliquando plures mares adducat capiendos. Loca amant alpeſtria quidem, ſed humiliora quàm ibices, & rupicapræ. Amicitiam habent cum perdicibus, teſte *Oppiano*; ideo in eisdem locis paſcuntur, & venatores expoſito capreolo alliciunt perdices, & perdicibus capreolos. Idem ait, fugienti moleſtam eſſe urinam, ni eam exoneret, ideo venatores non ſinere illos reſpirare & quieſcere. Venatores etiam capreoli vocem ſibilo folii imitantur, & allectum interficiunt, aut capiunt, idque vel retibus, vel canibus. Contra ventum currunt, ut flatu ejus refrigerentur inter currendum; quod ſcientes venatores, canes quoque contra ventos collocant.

Capreæ contra ventum currunt.

§. VI. De Capra moſchifera.

Capra moſchifera.

Moſchus quid ſit, & unde fiat.

MOſchus quàm grati ſit odoris, omnes nôrunt; quid ſit, quomodo & ubi conficiatur, aut unde oriatur, non æquè. *Simeon Sethi* ait, eũ fundi ab umbilico peregrinæ dorcadis; quam *Aldrovandus* ob id capram moſchi ſeu moſchiferam appellat. Hujus enim animalis, cùm ruit in Venerẽ, quaſi furiis ſtimulatum, intumeſcere ajunt umbilicum, confluente in eum craſſarum partium ſanguine; eodemque tempore ipſum abſtinere à cibo & potu, humique volutari, eâque volutatione umbilicum fœculento ſanguine turgentem exprimi, coagulari, ab incolis locorum colligi, intra folliculos concludi, ac vendi exteris nationibus. *Cardanus* lib. 10. de Subtilit. vocat hoc animal Moſchum, aitque ſe illud Mediolani mortuum vidiſſe; infra ejus umbilicum colligi veſicam, implerique ſanguine, qui in tam grati odoris moſchum cum tempore coaguletur. *Paulus Venetus* folliculum moſchi conſtituit juxta umbilicum inter carnem & cutem; *Iſidorus* abſceſſum ſtatuit in inguine; *Alexander Benedictus* veluti abſceſſum folliculi modo innaſci tradit animali, cum pilis cervorum pilis ſimilibus pendentem, petreo veluti ſanguine, quo natura ſe exonerat, plenum. *Scaliger* Exerc. 21. hæc ſcribit de moſchi origine. *In regno Pegu Gazala ſimile*

Digitized by Google

ſimile animal album eſt, cujus ex inferiore mandibula æquè dentes utrimque ſinguli exeruntur. Sub ejus ventre fit ſanguinis collectio in tumorem; quod, ut ſcis, apoſtema Græci vocant. Captâ ferâ, eam partem cum corio ſimul abſcindunt. Quæ inter ſecandum guttæ ſanguinis effluunt, caduntque, eæ pro moſcho optimo atque excellentiſſimo aut excipiuntur, aut colliguntur. Hujus minimæ portiuncula beneficio ad cæteri cruoris condimentum utuntur. Ubi ſecuerunt; hirudines admovent tot, tamque diu, quoad earum ſuctu cruor univerſus cum ipſa vita detrahatur. Eum ſanguinem exſiccatum, atque in pulverem redactum, prioris illius perpauxillâ quantitate, viribus verò efficaciſſimis perficiunt, quippe centeſimam ſatis eſſe, produnt. Tùm illud in folliculos hoſce, qui ad nos importantur, inditum ſervant. Similia ante omnes citatos ſcripſit *Serapion*, dicens, in ſilveſtribus capreis conceptam ſaniem, antequam vomica rumpatur, ſuâpte naturâ ad maturitatem pervenire, & tunc feram titillantis humoris lancinatu laceſſitam, infricare ſe magno oblectamento cotibus & ſaxis longo inſolatu candentibus, donec ruptâ vomicâ ſanies è folliculo diffluat, & ſupra lapides effundatur, atque ab indigenis colligatur Solis calore jam coagulata.

Longè aliam moſchi originem tradit *Amatus Luſitanus* apud *Aldrovandum* lib. 1. de Quadrup. Biſulcis cap. 20. ex *Leonardo Fuchſio* lib. 1. de Compoſit. medic. cap. 16. Ait enim, in India eſſe animal quoddam leporis magnitudine, quod vivum adhuc virgis cæſum necetur; eoque occiſo, pelle detractâ, intraneis exemptis, univerſam carnem plagis ac verberibus, quoad liveſcat, contundi, ac pinſi; ubi piſta eſt, manibus tractari, ut ſi quæ duriuſcula oſſula in ea fuerint, rejiciantur; tum redigi in globulos, & parte pellis ejusdem animalis excoriati obvolvi; & hunc dici moſchum folliculo incluſum. Hæc Luſitanus. Similia ſcribit ex Petro Jarrico *Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 56. ubi loquens de Animali Moſchifero, ait, eſſe in Sinarum regno, aut non procul inde, animal vulpis magnitudine, & ſilvas incolere ſolitum: Hoc aſſiduis virgarum fuſtiumq; verberibus enecari, ut toto ſanguis effundatur corpore: cadaver putridum, & jam aridum, fruſtatim, non detractâ pelle, diſcindi, ſacculosque inde parari, quos Luſitani papos nuncupant. *Pantoja verò* (addit Nierembergius ex Jarrico) *è ventriculo cujusdã feri animalis, quod fele paulò grandius, educi moſchum credit; nec in China ipſum, ſed in regione proxima reperiri. Civettam haud dubiè intelligit; vel ſi idem omnino animal cum eo, quod deſcripſimus, credendum, nobilius ac pretioſius moſchum ventriculo alvoq; educi; utq; major illius ſit copia, verberibus ipſum, quoad cætera membra diffundat odor, enecari.* Provincia illa Sinarum regno vicina, eſt fortaſſis Cathai, ex qua *Braſavolus* ait mercatorem quendam Venetiis habuiſſe præſtantiſſimum moſchũ, quòd moſchifera animalia ibi paſcantur nardi ſpicis.

Moſchi origo alia.

In hac controverſia de moſchi origine, ego puto, moſchum colligi & ex animalis moſchiferi folliculis ſuprà deſcriptis, & confici etiam ex reliquo ſanguine ac carne conciſa. Hujus ultimi ſignum eſt, quòd inter ipſum moſchum, ſi atteratur, fragmenta minuta pilorum, feſtucarum, & oſſium reperiantur, ut *Cardanus* & alii notârunt. Primus igitur eſt longè præſtantior quàm poſterior.

Moſchiferum animal quodnam ſit.

Quale porrò ſit animal, quod moſchum dat, incertum adhuc nobis eſt, quoniam, ut vidimus, alii leporis aut vulpis magnitudine id eſſe aſſerunt, alii capræ (unde & Capram-moſchi vocant aliqui) alii Gazelam, alii Civettam, alii aliter. Fortaſſis non unum tantùm animal moſchiferum eſt. Vide plura apud *Aldrovandum* loc. citat. cum quo, donec certius aliquid occurrat, placet ipſum vocare Capram moſchi, aut moſchiferam.

§. VII. De Capra Bezoardica.

Capra Bezoardica.

QUàm notus eſt lapis, quem Bezoar alii, alii Bezaar, & alii Belzaar, hoc eſt, (ut ajunt) veneni dominum, ſeu veneno dominantem appellant; tam eſt ejus origo, & locus unde ad nos Europæos defertur, ignotus, aut ſaltem incertus; niſi quòd ex animali quodam ortum ſuum habere credatur. Nonnullorum ſententias referam.

Bezoar unde fiat.

Monardes apud *Aldrovandum* lib. 1. de Quadrup. Biſulc. cap. 22. ait, Arabum opinionem eſſe, eum generari in cervis, dum poſt devoratos ſerpentes aquis ſe immergunt, & tam diu in iis perſeverant ſine potu, donec calor ingens, quem ex hauſto ſerpentum veneno contraxerunt, extinguatur, ut ſuprà cap. de Cervo retulimus. Idem ait, ſe ab iis, qui Orientales Indias, & Sinarum regiones peragrârunt, intellexiſſe, Cervicapras in India ſupra Gangem in montibus Chinæ vicinis, poſt devoratos ſerpentes, & caloris ex hauſto veneno concepti extinctionem per immerſionem intra aquas, inquirere per arva, ac devorare herbas, quas naturali inſtinctu ſciunt venenis reſiſtere, & ex his herbis beneficio caloris ex veneno ſumpto reſidui decoctis, intra ipſos generari lapidem Bezoardicum. Et alii quidam tradunt, generari in dicti animalis ventriculo, alii in renibus, alii in veſica fellis, alii in inteſtinis, aliiſque corporis internis partibus, alii in quodam receptaculo faſciæ modo confecto, & villoſâ carne conſtante, ipſi ventriculo interiùs adhærente.

Bezoardicum animal quodnam ſit in Orientali India.

Animal porrò, in quo Bezoar reperiri dicitur, vocat *Monardes* Cervicapram, ut diximus, eò quòd partim cervi, partim capræ præ ſe ferat formam. Eſt enim, inquit, cervi magnitudine, ejuſdemque quodammodò formâ; binis duntaxat cornibus latis, & in extremo mucronatis, atque in dorſum valde recurvis, pilis brevibus, cinerei coloris, ruffedine mixtis.

Indos

Digitized by Google

Indos vel telis, vel retibus, vel decipulis illud venari, & mactare: eſſe autem ita ferox, ut venatores quandoque occidat: agile præterea eſſe, & ad ſaltum pronum; in antris vivere, gregatim ire, vocem gemebundam edere. *Garzias ab Horto* apud *Aldrovandum* loc. cit. idem animal ait eſſe hircini generis, & Perſicâ linguâ Panſan appellari, rufi aut alterius coloris, mediocris altitudinis. *Acoſta* apud eundem *Aldrovandum* dicit, eſſe hirco ferè ſimile, arietis prægrandis magnitudine, colore rufo, agile, acutiſſimi auditus, & à Perſis Panſam nominari.

Tantum de animali Bezoardici lapidis Indiæ Orientalis reperio. Quoniam verò etiam ex Occidentali India lapis idem ad nos affertur, videndum, quæ ejus ſit origo.

Bezoardicum animal Occidentalis Indiæ. Vide Icon. XXXVII.

Gulielmus Piſo lib. 3. Hiſtor. Natur. & Medic. Sect. 3. ſcribit. *Præter Dorcades Europæas, Braſilienſibus non multùm diſſimiles, Capreæ indigenæ* Cuguaſu-etê *non cornutæ, &* Cuguaſu-aparâ *cornutæ, præcedentibus minores, exiſtunt. Pilis ſunt ſplendentibus, glabris, hinc inde fuſco & albo variegatis, inprimis ſi juvenes ſint; nam maculæ albæ accreſcente ætate pereunt. Pes quilibet duas habet ungulas nigras, & ſupra has duas minores ſupra ſe invicem poſitas. Caudâ ſunt brevi, ut ſolet in Capris; oculis magnis, nigris; naribus patentibus; cornibus mediocribus, ex tribus ramuſculis fabricatis, villoſis, cinericii coloris, quæ quotannis amittunt. Caſtitate & fœcunditate cum Europæis certant, ſtatoque tantùm tempore, initio ſcilicet menſium pluviorum, quod veris vices ſupplet, mares admittunt; poſtea deferveſcunt, & meticuloſæ fiunt. In uteri cornibus concipiunt, ſexque menſibus, & minùs aliquando in utero gerunt: quod tempus in frigidioribus Europæ regionibus tardiùs abſolvitur. Non adeo ſilveſtres ſunt, quin facilè cicurentur. Fructus & frondes, quas depopulantur, omnem denique cibum, ruminant. Viſcera quoque naturalia more aliorum ruminantium diſpoſita habent, ſicut in cornutis, alteràq; tantùm maxillâ dentatis, ſolet fieri &c.* Et poſt nonnulla: *Verùm ſicut hæc Capreæ ſpecies carne ſuâ alimentum, ita lapide in ventriculo contento medicamentum præbet haud contemnendum, ſcilicet lapidem Bezoardicum Occidentalem, nunc Orientali minùs celebrem quidem, attamen apud incolas contra mala quoque venenata in pretio habitum. Quo lapide Venatores difficiliùs aliquando potiuntur, quàm ipſo animali, in quo generatur: vulneratum enim telo, aufugit ſummo ſtudio, eructatq; è ventriculi fundo per os ipſum lapidem; quem ſi non ſagaciter obſervet venator, ſpe omni excidit eo potiundi, ut mihi aliiſq; contigit aliquando.*

Bezoardica animalia alia.

Plurium aliorum animalium, quæ eundem Bezoardicum lapidem ſuppeditant, mentionem facit *Franciſcus Hernandus* in Manuſcriptis ſuis, apud *Nierembergium* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 60. his verbis. *Quinam cervorum, dorcadumvè lapidem, vocatum Bezoar, aut dominum veneni, generent intra ſe, erit, ut opinor, narrare opportunum. Accepimus ergo ab expertis venatoribus,*

Digitized by Google

toribus, & qui in diſſectis hiſce animalibus prædictos lapides non ſemel invenerunt, reperiri in ovibus illis vervecinis cornu expertibus, quas Vicunias *vocant &c. Præterea in* Teuthlalmacame, *qui caprarum non mediocrium aut paulò majore conſtant magnitudine, pilo teguntur cano, & qui facilè avellatur, fulvoque, ſed lateribus & ventre candentibus. Unde* berrendas *indigenæ Hiſpani vocare ſolent. Cornua geſtant juxta exortum lata, atque in parvos paucoſque teretes, & præacutos ramos diviſa, & ſub eis oculos. Deinde in quodam Damarum genere, quas* Macatlchichiltic, *aut* Temamacame *appellant, cornibus breviſſimis acutiſſimiſque, coloris fulvi, fuſci, & infernè albi. Nec non in* Ibicibus, *quorum hic redundat copia. Ut Hiſpanos, & apud hanc regionem frequentes* Cervos *taceam, in quibus quoque eſt lapidem, de quo habetur ſermo, reperire. Capreas etiam cornuum expertes, quas audio paſſim reperiri apud Peruinos: & ut ſummatim dicam, vix eſt* cervorum caprearumvè *genus ullum, in cujus ventriculo, aliavè corporis interna particula ſuâpte ſponte ex ipſis alimoniæ excrementis lapis hic, qui etiam in* tauris vaccisque *ſolet offendi, non paulatim concreſcat, & generetur, multis ſenſim abditis & adhæreſcentibus membranulis, quales ſunt caprarum; ideoq; non niſi in vetuſtiſſimis ac ſenio jam confectis reperiuntur: neque ubique, ſed certis ſtatiſque locis, ubi ea ſuppetit materia, &c.* Hæc, & alia multa Hernandus.

Bezoar ex ſimiis.

Addit *Nierembergius* loc. cit. cap. 6. venatores quosdam Orientales miro artificio etiam ex ſimiis elicere lapidem bezoardicum; prodire nimirum certo anni tempore ad ſimiarum venationem, non ut occidant, ſed ut vel necent ſagittis ſubtili arte emiſſis, quæ non penetrent, ſed tantùm cruentent ſimias, & aufugere permittant. Ex cruore interim petream glandem fieri intra corpora ſimiarum, & ſingulas tot generare hujusmodi glandes, quot plagas acceperunt: quas cùm jam maturuiſſe ſciunt Venatores, iterum exire ad earum venationem, & captis aut occiſis ſimiis, lapides eruere. Vide etiam quæ habet *Bontius* in Hiſtor. ſua cap. 45. & *Piſo* in Commentar. in dictum caput, ubi optimè explicatur geneſis lapidis Bezoardici Orientalis.

§. VIII. De Capro lactante hædos.

Caper lactans hædos.

S. *Franciſcus Xaverius*, Indiarum Apoſtolus, lib. 2. Epiſtol. quas ex India in Europam ſcripſit, Epiſtola 3. (cujus autographum Hiſpanico idiomate ſcriptum vidit & legit *P. Joannes Euſebius Nierembergius* in Collegio Madritenſi, ut ipſemet teſtatur lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 68.) ait, ſe in Inſula Amboino vidiſſe caprum marem, lacte ſuo parvos alentem hædos: ubere quippe, quod prope genitalia unicum habebat, tantum lactis reddebat quotidie, quantum ſcutella capere poteſt. Addit, ſe manu ſuâ expreſſiſſe lac illius capri. Hoc tamen non eſt ante hac inauditum, ut Sanctus puta-

putabat: *nam & in Lemno Inſula* (inquit Ariſt.lib.3.Hiſt. Animal.cap.20.) *capro ex mammis, quas geminas juxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, ut coloſtra inde conficerent. Quod idem etiam proli maſculæ capri illius eveniſſe accepimus. Sed hæc oſtentis annumeranda potius ducunt.*

Addit *Ariſtoteles* ibidem: *Viris poſt pubem exiguum nonnullis* (lac) *exprimitur: Verumtamen per ſuctum frequentiorem vel multum prodiſſe aliquibus, traditum eſt.* Et *Nierembergius* loc. cit. ait, ſe vidiſſe oculis ſuis mulam ſterilem, quæ tamen lacte copioſo nutriebat aliam mulam parvam, quam pepererat quædam aſina; ac etiam exprimi ab uberibus mulæ copiam lactis.

CAPUT XXVII.

De Ciacali, & Cappa.

AUgerius Busbequius apud *Nierembergium* lib.9.Hiſt. Natur. cap.48. refert, cùm in itinere ſuo, transmiſſo jugo montis Olympi, Nicomediâ veniſſet Nicæam, cœptâ jam primâ vigiliâ noctis, non procul inde audiviſſe magnum clamorem, & velut hominum irridentium ac inſultantium voces. Interroganti quid eſſet, & num fortaſſis à nautis vicini lacûs Aſcanii irriderentur, reſponſum fuit, *ululatum eſſe beſtiarum, quas Turcæ* Ciacales *vocat. Lupi ſunt vulpibus majores, communibus lupis minores, voracitate tamen edendique ingluvie pares. Gregatim incedunt, hominibus armentiſque innoxii; furto magis & dolo, quàm vi, victum quærentes. Ab harum ferarum ingenio Turcæ homines fraudulentos & verſipelles, maximè Aſiaticos, Ciacales vocant. Tentoria Turcarum, aut etiam domos noctu ſubeunt; in quibus quidquid inveniunt eſculentum, vorant. Quòd ſi aliud deeſt, quidquid eſt operis coriacei, rodunt, velut calceos, ocreas, cingula, gladiorum vaginas, & quidquid eſt hujus generis. Neque deeſt ad furtum ſolertia, niſi (quod in illis ridiculum eſt) ſuo ſe proderent indicio. Nam cùm maximè ſunt in ipſo furto occupati, ſi quis fortè gregalium, qui foris remanſit, ululare incipiat, mox ipſi idem faciunt, parum memores ubi verſentur. Quo clamore expergefacti homines, arreptis armis fures manifeſtarios malè mulctant.* De aliis lupis ſuo loco erit ſermo. Ciacalis.

Cappa eſt animal aſino grandius, nigrum, villoſum, ferox, canibus quoque infeſtum. Obvium quemque raptat, non ſecus ac lupus pecudem. Forma pedum inſolens. Ungula ſimilis eſt calceo Gallico, à fronte lata, rotunda, non ſciſſa; à calcari acuta. Aſpectum humanum formidat. *Euſebius Nieremb.* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap.71. Cappa.

CAPUT XXVIII.

De Danta, & Dante Africano.

Danta. DAnta, quam Indi *Capam*, alii *Tapiroуſam*, alii *Ducanarem* vocant, mulis ac vaccis eſt ſimile animal, mularum mediocrium magnitudine, fulvo ac promiſſo pilo, mularibus auribus, ſed pendulis, vitulinis labris, ſine cornibus, collo contractiore, tibiis gracilibus, ungulâ continuâ, & aſini ungulæ perſimili, caudâ breviſſimâ. Roſtrum ſuperius propendet per palmum ſuper rictum; attollit, cùm iraſcitur. Dentes habet acutos. Hominibus tamen innoxium eſt, quia fugâ potiùs, quàm viribus ſe defendit. Pellem habet duriſſimam, ac ferè impenetrabilem, quæ ob id loricæ vicem ſupplet. Ungula medetur dolori cordis. Duos habet ventriculos, quorum unus alimenta excipit; alter impenetrabili adhuc Naturæ ſacramento reperitur putrefactis lignis & virgulis plenus.


Venatores hanc feram aut ſagittis conficiunt, aut foſsâ excavatâ ac decipulis ingeniosè fabrefactis capiunt. Ante ingreſſum aquæ eam vulnerent oportet; ibi enim morſu ſe defendit, & occidit canes. Phlebotomiam fertur docuiſſe homines: nam cùm craſſeſcit, interna crura vulnerat arundine reſectâ, ut Hippopotamus ſolet. (Danta Phlebotomiam docuit.)

Magno eſt in pretio apud Barbaros, propter pellem; quam ſimul atque detraxerunt, dorſi corium in orbem circumcidunt, ad Solem exſiccant, in parmas findunt mediocris cadi magnitudine, quibus in bello pro parmis utuntur, cùm nullius teli ictu transfigi queant.

Dantes. Dantes animal eſt quadrupes, bove paulò minus, formâ tamen capitis & corporis reliqui non multùm abſimile, colore ſubrufo, cornua caprina habens in capite, polita tamen & nigra, ex quibus, ut ex bubalorum, varia conficiuntur inſtrumenta. Pellis ad multa utilis, præcipuè ad veſtes conficiendas. Africani quia non ſciunt artem illam præparandi, utuntur caudâ ad parmas, & ſcuta ſua contra telorum vim contegenda. Ferum eſt animal, & venatorem ſuum, niſi dexterrimus ac celerrimus ſit, facilè peſſumdat: absque ullo enim timore viſum inſequitur; & ſi adipiſcitur, cum cornibus nocere non poſſit, ore dilacerat, & pedibus usque ad mortem conculcat. Arcu tamen & ſagittis, atque ſclopetis occiditur. Ita *Pegaſetta* apud *Nierembergium* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 18.

Digitized by Google

Iconiſmus XXXVIII. Ponatur è regione pag. 86



Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Dabuh, ſeu Jeſeph, animali necrophago.

DAbuh animal Libycum eſt, *Jeſeph* ab Africanis dictum, formâ & mole lupinâ, niſi quòd pedes & manus humanæ. Innocens vivis, infeſtum tantùm cadaveribus, quæ à Mauris in agros condita exhumat, ac devorat. Miræ ſtoliditatis eſt; ruſticâ tympani & calami melodiâ lenitum, venatores non fugit, nec reſiſtit, imò patitur ſe ligari. Idem videtur eſſe cum hyæna Busbequii, quam ſcribit ſepulchra ſuffodere, extrahere cadavera, portare ad ſuam ſpeluncam; eſſe lupo aliquantò humiliorem, at nihilo breviorem; pellem habere lupi ſimilem, niſi quòd pilo ſit horridiore, & grandibus maculis nigris diſtinguatur; caput ei ſpinæ dorſi eſſe contiguum, ſine ullis vertebris, ut propterea cùm reſpicere velit, ſe totam vertere neceſſe habeat. **Dabuh, ſeu Jeſeph.**

De eadem beſtia narrat fabulam Busbequius, à Mauris auditam, qui *ajunt, hyænam, quam ipſi Zirtlam vocant, ſermonem intelligere humanum (veteres etiam imitari dixerunt) proptereaq; à venatoribus hunc in modum capi. Accedunt ad ejus cavernam; ſubit unus cum fune, cujus partem extremam ſociis tenendam foris relinquit; ipſe identidem pronuncians,* joctur, joctur, ucala, *illam ſe non reperire, illam non adeſſe, introrepit: at hyæna, quæ ſe latere, neſcirique ex ejus ſermone putat, manet immota, donec ſibi crus fune vinciatur, ſubinde venatore illam non adeſſe clamante. Deinde cum iiſdem verbis retrocedit. Sed ubi jam ex ſpelunca evaſit, derepentè clamore magno hyænam intus eſſe pronunciat: quo illa intellecto, vehementi impetu, ut fugam capiat, necquicquam proſilit, venatoribus per funem, quo crus ei implicatum diximus, renitentibus. Sic eam vel occidi, vel adhibitâ induſtriâ narrant vivam capi: nam animal ſævum eſt, & quod ſe impigrè defendit.* **Dabuh quomodo capiatur.**

CAPUT XXX.

De Daſypode pinuum, ſive Ocotochtlo.

QUam virulentum, tam in alias feras charitate eſt inſigne animal Indicum; quod Daſypodem pinuum Hiſpani, Ocotochtli appellant Indi. Formam, naturam, ingenium, mores deſcribit *Nierembergius* lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 1. *Vertagi eſt magnitudine; tereti, humili, & craſſo corpore; auriculis parvis; facie leoninâ ſive felinâ; viridis oculis, & rubrâ iride;* **Daſypus pinuum.** Vide Icon. XXXVIII.

iride; craſsis cruribus, aduncis unguibus, fuſco circa dorſum pilo, circa ventrem candido, reliquum corpus cinereo, nigris ubique conſperſum maculis; roſtro ac caudâ brevibus, asperâ linguâ, ululatu exili, & incredibili pernicitate. Vivit Telzococamis montibus, venatur cervos, & alia ejusdem molis animalia, interdum etiam homines. Lingua ejus tanta ineſt vis veneni, ut ſi præda oculos vel alluerit, vel attigerit, eam confeſtim excæcet, imò interimat. Occiſorum cadavera herbis, fœno, ceſpitibus tegit: deinde conſcendens propinquas arbores, ululat. Tunc feræ circumjacentes, arcano Naturæ argumento conſciæ invitationis, ad epulum ocyùs advolant, prædâ ex ſigno inventâ ſatiantur: poſtremus ipſe Ocotochtlus deſcendit, ut innocuè paſcantur convivæ: nam ſi ille prior veſceretur, corruptis veneno ſuo reliquiis, cæteræ perirent feræ, quotquot deinde guſtarent. Tantâ urbanitate caritati favet, tam comi providentiâ ſaluti alienæ. Scilicet nemo eſt, qui prodeſſe nequeat, ſi velit &c. En typum.

Dalypodis liberalitas erga alia animalia.

De Dromedario egimus ſuprà, cùm de Camelo; de Dama verò, cùm de capris ſilveſtribus.

CAPUT XXXI.

De Echino, ſive Erinacio vulgari.

Echinus vulgaris, ejusque ingenium & mores.

ECHinus (quem Hericem, Hericium, Herinacium, vel meliùs Erinacium alii appellant. Itali *Riccio* vel *Rizo*, Hiſpani *Erizo*, Galli *Heriſſon*, Germani Igel) eſt animal quadrupes digitatum, cuniculi magnitudine, aculeis vallatum undique, præterquàm in ore, pedibus, & parte inferiore, quam rara lanugo totam operit. Eſt alius ſuillus, qui ſuis rictum habet; alius caninus, qui caninum habet rictum, ac præterea inſigniter fœtet, *Matthiolo* teſte. Quamprimùm latratum canum, aut ferarum odorem, aut venatorum adventum perſentiſcunt, in orbem ſe colligunt, roſtro pedibusque intrò collectis, ut globum aculeatum referant, & mortui ſpeciem. Ventorum varietatem internoſcunt; unde cubilia ſua ad viciſſitudinem Aquilonis & Auſtri commutant, vel in illis duas feneſtras fabricant, unam ad Notum, alteram ad Boream; & qua parte ventum ſpirare advertunt, feneſtram obturant, teſte *Ariſtotele* lib. 9. Hiſt. Animal. cap. 6. Et ſi domi alantur, modò ad hunc, modò ad alterum parietem accedunt, teſte eodem. Veſcuntur pomis, uvis, aliisque fructibus. Hyberno tempore pomis cavernas implent; è queis non niſi noctu egrediuntur. Ad annum ſine cibo perdurare poſſunt. Dum capiuntur, urinam emittunt, cujus contactu ſpinæ dorſi eorum decidunt. Vindemiæ tempore vites ſubeunt, pedibusque botrorum acinos in terram decutiunt, & ſuper eos volutati ſuis aculeis affigunt, atque ad cavernas deferunt. Eodem aſtu poma

Echinus qua arte uvas deferat in cavernas ſuas.

Digitized by Google

poma ex arboribus vento decuſſa, domum deportant. In globum colle-
cti aperiuntur, ſi è regione ventris aqua infundatur, quòd tunc aërem ad
reſpirandum attrahere nequeant.

CAPUT XXXII.

De Echino Braſilienſi Cuandú.

DE Echino Braſilienſi, quem *Tatum* alii, alii *Armadillum* appellant, egi-
mus ſuprà cap. 3. Præter hunc alius eſt, *Cuandú* dictus, vulgari ſolùm
ex parte ſimilis. Duplex eſt; major, & minor. Majorem deſcribit *Gu-
lielmus Piſo* lib. 3. Hiſt. Natur. & Med. Sect. 3. & lib. 5. cap. 21. dicens, eſſe
magnitudinis ſimiæ majoris; totum corpus pilis carere, ſed ſpiculis arma-
ri undique rigidis, acutis, concavis, diverſicoloribus, ſpithamam longis;
capite quoque eſſe aculeato, exceptâ regione aurium, & ore; circum na-
res habere pilos multos, qui barbam felinam ei faciant; oculos prominen-
tes, & fulgidos; caudam oblongam, ab exortu ſuo ad medietatem aculea-
tam, reliquâ medietate nudam, & raris ſetis porcorum inſtar obſitam;
interdiu dormire, noctu circumvagari; ſpirare naribus quaſi anhelaret;
vocem edere, ut porcum *ju, ju*; ſcandere arbores, ſed tardo greſſu, quòd
pollice careat, idcirco in deſcenſu caudam arbori circumvolvere, nè laba-
tur; veſci fructibus, & gallinarum ac columbarum pullis multùm da-
mni inferre, iiſque perpetuò inſidiari, & exinde pinguefactum facilè præ-
dam fieri venatoribus; carne eſſe admodum candidâ, pingui, gratâ. Hæc
Piſo locis citatis. Addit capite illo 21. ſpicula hujus animalis eſſe pecu-
liari qualitate venenatâ infecta, eaque irritatum evibrare in perſecutores
ſuos tam profundè, ut penetrent ſenſim in carnem, & viſcera inficiant,
transfixosque lentè interimant: ſed quantùm viva nocent, tantùm pro-
deſſe mortua, quòd pulvis eorum medeatur familiari Indiarum dyſente-
rico malo. En typum.

Echinus Braſilienſis duplex.

Vide Icon. XXXVIII.

CAPUT XXXIII.

De Elephante.

QUantum mole corporis, tantum ingenio, prudentiâ, ſagacitate, do-
cilitateque, reliqua ſuperat animalia Elephas, animal Aſiaticum &
Africanum, Europæis atque Americanis peregrinum. De hoc animali
faciliùs librum integrum, quàm libri unius caput conſcripſerim. Ut ta-
men quàm plurima dicere liceat, paucis multa complectar, & ſumma tan-

Elephas.

 tùm

Digitized by Google

tum plerumque capita attingam. Priùs tamen formam corporis, & omnium partium accuratè deſcribam.

§. I. Forma corporis, & partium ejus.

Elephantis magnitudo. Vide Icon. XXXIX.

Elephas igitur, ſeu ut alii, Elephantus, ejus eſt formæ, quam appoſitum ſchema monſtrat. *Magnitudo* non eſt una omnium, etiam adultorum. *Gillius* menſus unum Conſtantinopoli, invenit ab oculo ad extremum tergum pedes undecim, ab oculo ad extremam promuſcidem octo. *Cadamuſtus* vidit alium plùs carnis habentem, quàm quinque noſtrates boves. *Cardanus* lib. 20. de Subtil. ait, ſe vidiſſe juvenculum agentem annum decimum tertium, tam altum, ut homo erectis manibus dorſum non attingeret, craſſitie duorum boum; eſſe autem adultis quandoque molem pro viginti quinque bobus. Quod tamen per auxeſim dictum puto. Ingentis tamen molis eſſe ſubinde, ex mole dentium colliges in ſequentibus.

Color. *Colore* nigri ſunt, vel, ut *Cardanus* habet, fuſci cinereo colore mixti. Narſingæ tamen regem habuiſſe album, Indicarum rerum Scriptores prodiderunt.

Cutis. *Cutem* habent cancellatam, adeò duram, ut putes eſſe oſſeam. Ventrem tamen habent mollem. Glabranè ſit cutis, an piloſa, aut ſetoſa, non convenit inter Auctores. *Plinius* lib. 8. Nat. Hiſt. cap. 10. nullum iis ſetarum eſſe tegumentum, ne in cauda quidem præſidium abigendo tædio muſcarum. *Cardanus* loc. cit. ait, cutem & caudam eſſe fermè absque pilis: *rariſſimum enim eſt, ut unus aut alter hinc inde colligatur*: piloſam tamen eſſe ſupremam dorſi partem, unà cum auribus, non ſecus ac in aliis animalibus. *Cadamuſtus* ſeſe pilos nigricantes, & duorum ferè palmorum menſuram excedentes extraxiſſe teſtatur. *Gillius* ad duorum palmorum longitudinem acceſſiſſe ait.

Cauda. *Vartomannus* denique *caudam* habere ſimilem bubalis, trium fortè dodrantum longitudine, paucis in extremitate pilis aſſerit; *Cardanus* verò loc. cit. caudam eſſe, ut ſuis, pro ratione, ſed fermè absque pilis ullis, & prælongam, adeò ut à terra imum ejus nè palmo diſtet.

Caput. Aures. *Caput* deforme eſt, breve, & vix à collo diſtinctum. *Aures* prægrandes quidem, ac quaſi duorum palmorum, absque forma aurium, ſed quaſi quadratæ; quæ tamen pro corporis ratione exiguæ ſunt. Sub illis locus eſt, cui ſcalpro ictu mallei adacto interficiuntur.

Oculi. *Oculi* magni, & acuti; qui tamen ſimiliter parvi apparent præ corporis mole.

Proboſcis. Quo loco aliis animantibus naſus eſt, elephantes habent partem quandam pendentem, adeò longam, ut ad terram pertingat, & longitudine animalis altitudinem fermè adæquet, in fine perforatam, flexilem ac omnem in partem volubilem. Latinis *proboſcis, promuſcis, manus, tuba, manus naſuta* vocatur. Hanc *naſi* loco eſſe animali, nemo dubitat, quandoquidem perforata ac diviſa eſt ut naſus, & eà reſpirat, atque adoratur.

Sub-

Digitized by Google

Iconiſmus XXXIX. Ponatu



Digitized by Google

r ... è regione pa

Elephantis magnitudo. Vide Iconem. XXXIX.

Elephas.



Color.

Cutis.

Cauda.

Caput.
Aures.

Oculi.

Proboſci

Subſtantia tamen proboſcidis hujus multùm à ſubſtantia naſi differt: nam tota nervea eſt, & coriacea, adeo ut eam colligat atque remittat quomodo libet; tam enim brevem quandoque facit, ut vix cubitum ſuperet, & tunc latiſſima eſt; quandoque verò ita extendit, ut ad terram deſcendat, & tum vix humano brachio eſt craſſior. Eſt tamen mollioris ſubſtantiæ, quàm reliquum corpus. Circumvolvit eam undique, & maxima cum celeritate; eâ capit potum ac cibum, & in os mittit: nam promuſcide non edit, ſed ore, nec ore edere aut bibere poteſt absque promuſcide. Hinc manus, & manus naſuta vocatur, ut diximus. Suo eam rectori erigit, & offert, ut conſcendat; eâ arbores proſternit; eam, cum aquis immergitur, erigit, eâque reflat atque reſpirat.

Os latitat ſub capite in pectore, ſimile ferè ori ſuis, quo & bibit, & comedit, quæ promuſcidi admovit. *Linguam* exiguam habet, & magis quàm in cæteris animantibus intus poſitam, ut vix videri queat. *Dentes* molares quatuor habet ad mandendum, & duos ingentes, recurvos, prælongos, ex ore altrinſecus prominentes, natos è mandibula ſuperiore, proboſcidem in medio habentes, tantæ molis ac roboris, ut iis hominem, imò & trabem tranſverſam imponere, atque in altum attollere nullo negotio queat. Bini hi dentes ſubinde ingentis ſunt magnitudinis. Nam *Vartomannus* vidit duos in Sumatra Inſula, pendentes libras trecentas & triginta ſex, teſte Jonſtono; at *Cardano* teſte & *Scaligero*, libras 325. *Cadamuſtus* unum ſpectavit occiſum, cujus dentium amplitudo ternos palmos excedebat, eminebant ex ore ad duos palmos. *Plinius* lib. 8. cap. 10. aſſerit, in extremis Africæ, quà confinis Æthiopiæ eſt, dentes poſtium vices præbere in domiciliis, ſepesque in iis, & pecorum ſtabulis, pro palis elephantorum dentibus fieri. *Gillius*, ſæpe ad longitudinem decem palmorum augeſcere, memorat. Venetus quidam mercator unum aureis triginta ſex emiſſe dicitur, longitudine dodrantum ipſius quatuordecim, craſſitudine dodrantum quatuor, tanto pondere, ut humo tollere non potuerit. Firmi olim duo erant tam enormi magnitudine, *Sabellico* teſte, ut Aurelianus urbis victor eos pro miraculo deportandos curârit. *Cardanus* vidit non ſemel, qui fermè ſex cubitos vel incurvi æquarent; qui ſi recti fuiſſent, longiores planè fuiſſent ſeptem cubitis. *Scaliger* vidit unum ſe longè proceriorem. *Cadamuſtus* octonum pedum agnoſcit longitudinem.

Os.

Lingua.

Dentes.

Crura habet teretia, ad columnarum modum, atque in his juncturas. Coxæ rectæ deſcendunt, nec in anteriorem partem ut bobus exporriguntur; hocque ideo contingit, quòd juncturæ genuum ſunt æquales, atque adeo ut, niſi flectere crura videas, juncturâ carere credas: inde natam exiſtimat Cardanus opinionem, quòd juncturis careant. Quam ſuſpicioné auxit fortaſſis illius inceſſus; nam diſtentis cruribus, ac ſi junctu-

Crura.

Digitized by Google

ris omnino careat, ambulat. Sunt autem illius crura anteriora poſterioribus longiora. *Pedes* ſunt rotundi, in quinque digitos diviſi, ſed diviſio ea obſcura eſt. Sunt autem plani, & abſque munimento ullo; lati ut orbes menſales, adeo ut diameter rotundæ plantæ ſeu veſtigii ſit, juxta Scaligerum, trium palmorum & pollicis. *Digiti* in pedibus informes, numero quidem, ut dixi, quinque, ſed leniter diſcreti, ungulis, non unguibus ſimiles. *Mammas* duas habet fœmina, adeo parvas, ut ſub armis latitent. *Vocem* ex proboſcide emittit velut tubæ raucam, & ex ore velut hominis loquentis ſimul ac ſpirantis, unde ſpirabundam eam vocat Ariſtoteles.

Pedes. Digiti pedum. Mammæ. Vox.

§. II. Elephanti ſunt gloriæ cupidi.

Elephantos gloriæ cupidos eſſe, multis exemplis probatur.

JOannes Hugo apud *Nierembergium* lib. 9. Hiſt. Natur. cap. 88. narrat, quoties Goæ feſtivis diebus publica per plateas urbis deducitur ſupplicatio, in ſolemnem comitatum adaptari quoque Elephantos. Præcedere juniores, ponè ſequi annoſiores, omnesq; promiſcuè geſtare cruces, & inſignia Regni Luſitanici, à capite per univerſum corpus coloribus nativis depicta; ſingulis inſuper ſupra tergum quinque vel ſex buccinatores, tubicines, aut muſicos alios provehentibus. Hos Elephanti *non tantùm placido animo ſuſtinent, verùm etiam inceſſum tantâ gravitate moderantur, ut tum ornamentis illis, tum inſidentibus muſicis eos expreſſe, non ſecus ac homines, ſuperbire planè conſpiciantur.*

Eodem Hugone referente, *Goa navis quadam grandior in littus extrahenda erat. Qui id præſtaret, Elephantus adducebatur. Opus is aggreditur, ſed primò fruſtra: dein vires ultimas colligit, conatur denuò, item fruſtra. Quare commotus Elephantiſta, criminationes in eum crebras conjectat, ignaviam & infirmitatem exprobrans, & ni inceptum opus confectum det, in contumeliam ſe adducturum, qui id præſtaret, alium, comminans. Quibus auditis, tum pudore excitatus, tum irâ inflammatus Elephantus, excuſſis omnibus extraneis ſuppetiis, opus de novo tanto niſu & virilitate aggreſſus eſt, ut ex tractu illo violentiſſimo medius illicò creparet, eodemq; loco exanimis procideret.*

Pergit idem, *Præterea alio quoque tempore*, inquiens, *cùm reditum ex Cochino in Luſitaniam meditarer, & navis noſtra gubernaculum, caſu quodam alicubi confractum, in littore redintegrari poſceret; ad illud in terram, ſuppoſitis binis teretibus columnis (cylindros aut volvulos dicunt) faciliùs extrahendum, adductus Elephantus fuerat. Cùm verò & hic juvenculus, & gubernaculi moles pondusque longè gravius & vaſtius eſſet, quàm ut ab uno illo emoveri poſſet; diſtinctis quidem vicibus aliquot illud extrahere anniſus eſt fruſtra: dum tandem virium ſuarum extremum periculum faciens, ut rem omnem*

in

in caſſum citra effectum ullum ſe moliri cognovit; dolore & pudore victus, in genua ſe pronum abjecit, planctumque & ejulatum tam profundum fecit, ut exſtillantibus lacrymis oculi ejus undiquaque madeſcerent. Quem cùm inſuper magiſter ejus, in ſpectatorum gratiam, convitiis inceſſeret, & increpationes acerbiores identidem ingeminaret, illumq́;, ut ad præſentium hominum conſpectum pudeſceret, juberet; extractionem quidem iterum aggreſſus is eſt, at ſucceſſu non feliciore, etſi nervos ad ruptionis usq; periculum intenderet. Tandem ad opem ferendam illi ſecundus inducebatur. Cum quo poſtquàm collatis viribus clavum ex unda in ſolidum eò usque extraxiſſet, ut jam volvulis ſubditus incubaret; ſucceſſu tantillo illicò animoſior factus, acceſſorium alterum tum dentibus, tum capite non tantùm ab operis continuatione audacter depulit, verùm etiam ſolus poſtea machinam in commodum locum promovit.

Hæc recentia ſunt exempla. Nec deſunt antiqua. Erat, *Plinio* teſte, Antiocho Regi Elephas, cui nomen Aiax. Is dux plerumque agminis generoſus, & celſus. Evenit ut flumen tranſeundum eſſet. Renuit. Pronuntiatum illicò à magiſtris, principatum inter eos obtenturum illum, qui primus tranſiviſſet. Intellexit; & ecce alius, cui Patroclus nomen, arripuit, & fluvium tranſivit. Alter inediâ ſe interemit.

Aliud recens narrat *Acoſta*, dicens, in littore vicino urbi Goæ tormentum fuiſſe grande loco movendum: conatum elephantem, non potuiſſe commovere: inſtigantem magiſtrum, duos alios juniores elephantos oſtendiſſe, qui id facerent, niſi ipſe præſtaret: iterum conatum tanto niſu, ut medius creparet. Alia huc ſpectantia exempla in ſequentibus referentur.

§. III. Humanum ſermonem intelligunt.

HOminum ſermonem, cui aſſueti ſunt, intelligere Elephantos, aſſerit Plinius, Ælianus, & alii multi, confirmantque jam relata exempla, aliaque quæ ſequuntur.

Cùm hybernis menſibus pluviæ increbeſcunt in Orientali India, ſuo quodam annuo morbo infeſtantur, adeoque graviter furunt, ac debacchantur, ut à magiſtris ſuis ægrè coërceri valeant. Quo tempore appropinquante, plerumque integræ ſeptimanæ ſpatio diſcurrunt per urbium plateas & compita, obvia quæque proculcantes, ſequentibus ponè magiſtris, & à longè populum, ut ſibi caveant, inclamantibus. Tunc extra civitatis portas aguntur, & ad arbores craſſis ac ſolidis catenis ex pedibus religantur, ibidemque cibantur ſub aperto cœlo, donec deficiente hyeme, & pluviis decreſcentibus, ſimul unà furor eorum deferveſcat. Hunc tamen morbum ait *Chriſtophorus Acoſta* in Hiſtoria Indic. leniri verborum pharmaco; adſiſtere videlicet belluæ magiſtrum, incre- *Elephanti ſermonem humanum intelligunt.*

 pare

pare acriter, fœditatem oſtendere, ſtirpem proponere, à natura degeneres mores.

Erat in urbe Cochin, inquit idem Acoſta, *Elephas, operas diurnas præbere ſolitus ad portum, & res maritimas. Eum fortè defatigatum urgebat urbis præfectus, ut liburnicam, quam cœperat commovere, in mare deduceret. Ille abnuere, inſtare alius, atque blandiri, & addere ut in gratiam Regis Luſitaniæ id præſtet. Hic motus ille, voce clarâ ingeminat*, ho, ho, *quod Malabrium linguâ eſt*, volo: *ac ſine mora navim in mare traxit.*

Refert *Pierius* de Elephanto, cui nomen Hannonis inditum fuerat, ab Emanuele Luſitaniæ Rege ad ſummum Pontificem Leonem X. Romam miſſo, qui nullâ ratione aut vi adduci potuerit, navem ut conſcenderet. Inſuſurratum Regi fuit, dolo magiſtri id fieri, qui ſuaſiſſet beſtiæ, in longinquas regiones ſibi abeundum, ubi malè haberetur. Neque enim Magiſter ipſe libens diſcedebat, nè amaſiam ſuam, quam deperibat in patria, deſerere cogeretur. Quo audito Rex dura quæque magiſtro minatur, ni belluam induceret, ut intra triduum navim conſcenderet, & deſtinatum iter capeſſeret. Paret territus Regis comminatione magiſter, ac diſcipulum Hannonem aggreditur, eique proponit Regis voluntatem, & quòd ad primum orbis dominum ac maximum principem deſtinaretur, benè illi ac lautè omnia futura, multaque his ſimilia. His auditis, in aliam ſententiam perductus Hanno navem conſcendit, neque ampliùs imperium directoris detrectavit.

§ IV. Elephantum prudentia, memoria, gratitudo, juſtitia, vindictæ cupiditas.

PLinius lib. 8. Natur. Hiſt. cap. 3. refert ex Mutiano ter Conſule, teſte oculato, cùm Puteolis advecti Elephantes, è navi egredi cogerentur, *territos ſpatio pontis, procul à continente porrecti, ut ſeſe longinquitatis æſtimatione fallerent, averſos retrorſus iſſe.*

Elephantorum prudentia.

Garzias ab Ortâ apud *Nierembergium* loc. cit. cap. 85. (quod & *Lipſius* ex Acoſta refert Centur. I. miſcellan. Epiſtol. 50.) ex inſtrumento publico Cochini aſſervato narrat, ea in urbe Elephantum *petiiſſe à rectore ſuo cibum, & rectorem reſpondiſſe, lebetem, in quo illi orizam coqueret, pertuſum eſſe; tamen ad cacabarium deferret obturandum, deinde orizam ſe cocturum. Lebetem promuſcide ſumptum elephantus ad cacabarium defert. Is lebetem reparat, ſed rimam, quam non animadverterat, inobturatam relinquit. Lebetem refert elephantus. Rector orizam cum aqua coquendam injicit, ſed per rimam effluere conſpiciens aquam, rurſus elephanto tradit, conſarciendam ut referat. Defert elephas. Cacabarius de induſtria lebetem ſe reparare ſimulans, rimam auget.*

Elephas

Digitized by Google

Elephas ad mare profectus, lebete aquam haurit. Hanc effluere videns, lebetem intelligit non reparatam. Ad cacabarium redit, magno barritu intonans, quaſi de ejus perfidia conquereretur. Cacabarius tandem lebetem probè ferruminat, & reparat. Sed ei elephantus non fidens, denuo è mari aquam haurit: quam non effluere animadvertens, domum redit, & orizam in eo coctam edit. Vivunt etiam nunc, qui hoc ſpectaculum ſe vidiſſe affirmant.

Calendis Januarii, (inquit Hugo loco ſuprà cit.) *elephantiſtæ* Goæ *ad Proregem, Archiepiſcopum, & officiarios alios, Xenia pro more loci petitum, oſtiatim circumeunt,* cum elephantis ſuis. *Ad quorum aulas, ſeu portas ubi deventum eſt, elephanti cum quadam quaſi humana reverentia ſe incurvant modicè primùm; deinde verò, ſi quid ſtrena aut munuſculi acceperunt, in genua ſe totos demittunt, quaſi gratias dicturi pro honorariis, quæ magiſtris ſuo (ut perſuaſum habent) nomine collata ſunt. Poſtea quoque à longo tempore, quoties ædes illas obiter prætereunt, ad januas illorum capite annuunt, & veteris benefacti gratiam memores renovant.* Elephantorum memoria, & gratitudo.

Pergit idem, dicens, cùm ab oneribus ferendis, aliiſque muneribus exequendis liberi ſunt elephanti, in eadem urbe, permitti in forum olitorium ut excurrant, ubi raphani, lactucæ, & caules venum proſtant; illiſque ab hortulanis mulierculis ſubinde venalium rerum manipulos objectari: contigiſſe illo tempore, quo in furorem illos agi ſuprà diximus, ut unus annuo illo & ſolemni furore correptus, poſtquàm per vicos urbis paſſim divagatus fuiſſet, in dictum forum irrumperet, ac pedibus omnia obvia protereret, ac comminueret. Fit conſternatio primùm omnium, deinde fuga relictis omnibus rebus ad vendendum expoſitis. Erat inter fugitivos muliercula, quæ elephanto illi, quoties antea adventaſſet, olus, aut fructus alios porrexerat; & nunc repentino timore conſternata, infantem in vanno expoſitum reliquerat eo loco, quo antea conſidere erat ſolita, & ad proximas ædes confugerat. Elephas cùm ſolus in foro pro libitu debaccharetur, & ſusque deque omnia verteret, nec aliud ab afflicta matre ac cæteris ſpectatoribus exſpectaretur, quàm ut infantem quoque protereret; ut illum conſpexit in ſæviſſimo ſui furoris paroxiſmo, memor beneficii à matre olim accepti, leni promuſcidis exporrectæ contactu infantem humo placidè attollit, atque in humile quoddam tectum officinæ proximæ molliter collocat, ac deinde furorem ſuum, ut inchoarat, proſequitur, ſummâ omnium admiratione, matriſque gaudio. Addit autem, his ſimilia quotidie in India contingere.

Huic non abſimile eſt quod refert *Laurentius Beyerlinck* in Theatro vitæ Hum. Litt. E. ex Acoſta medico Hiſpano, diligenti rerum Indicarum Scriptore, & multarum oculato inſpectore. Erat, *inquit*, in urbe Goæ

Goæ elephas, qui annuo furore correptus, dum ruptis catenis vagaretur, ſervulum ulnis infantem geſtantem in ædes prorupiſſe, relicto infante, vidit. Hunc ille attollit, in tectum vicinum ſecurè collocat, & iter proſequitur. Interpretabantur omnes, ex veteri beneficio puero parcere, quòd mater illius transeunti ſubinde panem & fructus obtuliſſet.

Elephantorum juſtitia. *Petrus Bellonius* narrat in Aſiatica peregrinatione, divertiſſe ſe in hoſpitium medio die, & æſtu; fuiſſe in comitatu elephantem, atque in ſtabulo hoſpitii aſinum cujusdam viatoris, comedentem fortè hordeum ad elephantis ingreſſum; elephantem depuliſſe aſinum, & hordeum invaſiſſe, ac devoraſſe. Cùm deinde herus ſuperveniſſet, & elephanto hordei menſuram ex more propoſuiſſet; tunc memorem prioris rapinæ, ſpectante hero, & ſe, promuſcide hordeum diviſiſſe, & partem aſino procul ſtanti obtuliſſe.

Elephanti vindicant ſe de illata injuria. *Michael Glycas* in Annalib. par. 1. refert, elephantem cùm in circum duceretur, ſedentem in foro magiſtrum ferarum ſubitâ irâ interfeciſſe; cauſam aliam violentiæ illatæ non fuiſſe, quàm quòd idem magiſter eum ante decennium eo in loco percuſſiſſet ferro.

Miles putamen nucis in urbe Cochinenſi conjicit die quodam in transeuntem elephantem, ut Acoſta ſcribit: ille tollit ſtudioſè, & condit: poſt dies paucos militi obvius, idipſum in faciem ejus magno niſu rejicit, & exultabundus abit.

Eâdem in urbe miles elephanto obvio cum rectore detrectavit cedere de via. Rector contumeliam apud elephantum interpretatur: qui poſt paucos deinde dies in ripa Mangatæ fluminis, quod urbem alluit, militem otioſè ambulantem conſpicatus, illicò corripit, in altum tollit, & aliquoties flumine mergit, allevans ſubinde atque demittens, eâque vindictâ contentus, hominem loco, unde ſuſtulerat, reponit, & abit.

Cùm is (inquit Ælianus lib. 6. de Animal. cap. 52.) *qui hordeum huic elephanto admetiendi procurationem habebat, hordei partem ſubtraxiſſet, illumq; in locum lapidibus ſuppoſitis ipſi debitam tamen menſuram cumulatè ſervaſſet, ut dominum utrinsq;, ſi quando vidiſſet, falleret; elephantus videns hunc, qui ipſum debito fraudabat, polentum coquere, primùm promuſcide ſabulum collegit, deinde in ollam infudit, ſicq; ſolerter injuriis injurias ſibi illatas ultus eſt.*

Plutarchus ſcribit, in Syria elephantem fuiſſe, cui ſervus quotidie de pabulo aliquid detrahebat clàm domino. Accidit, ut præſente domino totum dimenſum daret ſervus. Elephas promuſcide dividens hordeum, partem ſepoſuit, ut domino ſignificaret, quantum aliàs accepiſſet, & quantum fuiſſet detractum.

Plinius lib. 8. cap. 5. ſcribit, agnitum ab elephanto multos poſt annos, qui rector in juventa fuiſſet.

§. V. Fi-

Digitized by Google

§. V. Fides & amor erga dominos ſuos, ac ſoboles.

QUidam Rex Pegu (inquit Nierembergius lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 92. ex Gothardo) *commiſſo prælio interfecit Regem in Anna. Concidit autem ſimul elephas Pegumi; qui conſcendit in belluam ſui hoſtis* occiſi. *Illa mortem ſui domini ægerrimè ferens, totum diem ejulando & lacrymando conſumebat, & vix perſuaderi poterat, ut vel parum cibi guſtaret. Viderunt equidem mercatores noſtri ipſimet eum lacrymantem. Et licèt in locum elephanti regii, qui in acie occubuerat, conſtitutus, duos ſibi adſtantes haberet miniſtros, qui eum conſolarentur, & monerent, ut depoſito tandem luctu cibum caperet, & lætaretur, quòd longè potentiorem jam dominum nactus fuiſſet; parum tamen proficere apud eum poterant: finem enim lacrymandi facere nolebat, & in ſignum luctus ſui promuſcidem ſemper in terram propendentem habebat. Tandem tamen cùm quindecim jam dies in luctu fuiſſet, appoſito iterum cibo veſci cœpit.* Credibile ergo omnino eſt quod *Strabo* lib. 4. tradit, nonnunquam mœrore aut inediâ enecatos elephantos, ſi magiſtros ſuos furore acti interfeciſſent. Elephantorum amor erga dominos ſuos.

Ælianus lib. II. de Animal. cap. 15. narrat ex hiſtoriis Indicis, cùm elephas uxorem ſui domitoris & altoris ſtuprari ab alio manifeſtè deprehendiſſet, ambos cornibus (id eſt, dentibus, qui cornuum in modum prominent) interfeciſſe, ac in ſtragulis conſtupratis, & lecto adulterato jacentes reliquiſſe, ut cùm primùm ſuus rector veniſſet, & manifeſtò nefarium facinus, & ſe vindicem cognoſceret. Idem ibidem ait, Romæ aliud ſimile eveniſſe ſub Imperatore Tito; hunc tamen elephantum *non modò utrumque occidiſſe, ſed & ſtragulâ veſte eos texiſſe, & nutritio advenienti ſtragula rejeciſſe, ac retexiſſe, & proximè inter ſe jacentes demonſtraſſe.*

Amorem erga ſobolem confirmat, quod idem *Ælianus* lib. 9. cap. 8. narrat, cùm in elephantorum venatione (de qua paulò pòſt) mater in foveam pullum ſuum incidiſſe conſpexit, nè minimam quidem moram interpoſuiſſe, ſed vehementi dolore affectam incitato curſu in eandem foveam inſiliiſſe, & caſu ſuo prolem oppreſſiſſe, ſibi autem præcipitatione illâ caput infregiſſe. & erga ſobolem.

§. VI. Docilitas & induſtria Elephantorum.

AUgerius Busbequius Legatus Cæſaris ad Imperatorem Turcarum in itinere ſuo Conſtantinopol. ſcribit, ſe vidiſſe elephantem juvenem mirè lepidum, qui & ſaltaret, & pilâ luderet. Movebat enim ad cantum pedes alternos, perinde ac ſi tripudiare vellet. Pilam verò in ſe conjectam promuſcide excipiebat, & repercutiebat, prout nos palmâ facimus. Elephantorum docilitas. Elephas ludit pilâ.

Digitized by Google

Elephanti ſuper funē ambulant.

Plinius lib. 8. Hiſt. Natur. cap. 3. eos ſuper funes ambulare teſtatur, & non tantùm adverſis funibus ſubire, ſed etiam regredi. Idem ſcribit *Seneca* Epiſt. 86. dicens, Æthiopem mimicum juſſiſſe elephantem ſubſidere in genua, & ambulare per funem. *Suetonius* in Galba cap. 6. quoque teſtatur, Galbam ante Imperium exhibuiſſe ſpectaculum elephantis, qui ad faſtigium theatri conſcenderit, atque illinc per funes decurrerit, ſeſſorem inſuper ferens. Similia habet idem, & Dio in Nerone.

Elephas ſcribit, & tripudiat.

Mutius ter Conſul auctor eſt apud *Plinium* loc. citat. aliquem ex elephantis litterarum græcarum ductus didiciſſe, ſolitumque perſcribere ejus linguæ verbis: *Ipſe ego hac ſcripſi, & ſpolia Celtica dicavi.* *Philoſtratus* quoque in vita Apollonii aſſerit, eos ſcribere, & tripudiare, & ad fiſtulam ſaltare.

Elephanti theatrici.

Romæ cùm Tiberii Cæſaris nepos Germanicus gladiatorum ſpectaculum ederet, duodecim elephanti fuêre in theatrum introducti, à magiſtro priùs probè inſtructi, ut *Ælianus* refert lib. 2. de Animal. c. 11. *Compoſito gradu incedebant, in diverſas theatri partes diviſi, ac molliter ingredientes toto corpore diffluebant, miro ornatu, nimirum ſtolis ſaltatoriis & floridis induti, ſolâq; magiſtri ſignificatione vocis ordinatim inſtructi, ut ferunt, gradiebantur. Ac verò rurſus ſi illis hoc imperaretur, in orbem ſaltabant, eundem orbem ad imperantis vocem denuò ſolvebant, & explicabant. Atque nunc flores pavimentum ornabant ſpargentes, idq; parcè, & modeſtè: nunc pedibus terram pulſantes, concinnam & moderatam ſaltationem unà conſenſione obibant &c.* Pergit nonnullis interjectis; *Illa verò,* inquiens, *vel ad ridiculè inſaniendum præ admiratione ſpectatorem inducere poſſint, in theatri arena humiles lecticas ſpectare, & eis impoſitos lectos, eosq; vario ſtragulo textili, & magnificis operibus pictis opertos, copioſæ alicujus & venuſtæ familiæ teſtimonium: lauta item pocula, & argenteas crateras, aureasq; permultâ aquâ repletas, menſasq; magnificas è thyo & ebore, perquàm ſuperbas, tanto pane, & carnibus inſtructas, ut vel edaciſſimorum animalium ventrem implere potuiſſent. Omnibus ita abundè apparatis, convivæ intromiſſi ſunt elephanti. Mares ſex virili veſte induti, totidemq; fœminæ ſtolà muliebri ornatæ, decorè epulis accubuêre. Tum ſigno percepto, in menſam promuſcides tanquam manus modeſtas porrexerunt, ſummâq; cum moderatione epulati ſunt, neque ex ipſis quiſquam viſus eſt vorax, neque vel delicatioris, vel majoris partis avidior, ut Perſa illa apud aureum illum Xenophontem. Cùm eſſet bibendum, unicuique crater exhibebatur. Et hi quidem promuſcidibus potionem haurientes, moderatè bibebant: deinde circumſtantes leviter & feſtivè ſine contumelia aſpergebant &c.* Pergit adhuc. *Ego,* inquit, *rectè & ordine in tabula quadam latinas litteras vidi elephantum ſcribere: veruntamen docentis manus ſubjiciebatur, ad litterarum figuram & lineamentum inſtituens animal: cùmq; elephantus ſcriberet, ejus oculos immotos & dejectos eſſe perſpexi, ut Grammaticum quendam dixiſſes.*

Elephas ſcribens.

Ele-

Digitized by Google

Elephantem vidiſſe ſe refert *Arrianus* apud *Cardanum* lib. 10. Subtilit. qui cùm in auribus bina habere cymbala, promuſcide alternatim ea tangebat ad rhythmum, ſaltabatque pro rhythmi ratione, cæteris eum invitantibus, choreamque ducentibus. Elephas ſaltans ad numerum.

Idem *Cardanus* ibidem narrat, vidiſſe ſe elephantem reginæ Mariæ Bohemorum, filiæ Caroli V. Cæſaris, annum agentem decimum tertium, adeò docilem, ut ſeſſorem ſuum planè non ſecus quàm homo alius intelligeret. Imperabat, admonebat, uno verbo opus tantùm erat. Inter reliqua cùm aſcendere vellet, dextrum crus flectebat; utque ſenſim aſcenderet, illud elevabat: baculum quo regebatur, ubi excidiſſet, promuſcide acceptum porrexit ſeſſori: quem adeo diligebat, ut ab illo admonitus, quòd abſconditurus eſſet ſe in cœnaculo majore, cùm quiſpiam diceret, ſeſſorem tuum quærito, ad illum rectà ivit, invenitque, invento mirum in modum blandiebatur. Ubi Archiepiſcopus Mediolanenſis adeſſet, monitus illum inclinatis anterioribus cruribus, & capite ſalutavit. Ubi ille diceret, effare aliquid; mugivit.

§. VII. Elephanti quomodo capiantur, ac domentur.

Referam primò quæ apud Plinium, deinde quæ apud recentiores circa hanc rem inveni.

Plinius lib. 8. Nat. Hiſt. cap. 8. & 9. hæc ſcribit. *Capiuntur autem in India, unum ex domitis regente rectore: qui deprehenſum ſolitarium, abactumvè à grege, verberat ferum: quo fatigato, tranſcendit in eum, nec ſecus ac priorem regit.* Pergit Plinius: *Africa foveis capit, in qua deerrante aliquo, protinus cæteri congerunt ramos, moles devolvunt, aggeres conſtituunt, omnique vi conantur extrahere. Antea domitandi gratia greges equitatum cogebat in convallem manu factam, & longo tractu fallacem; cujus incluſos ripis foſſisque, fame domabant. Argumentum erat ramus, homine porrigente clementer acceptus. Nunc dentium cauſâ pedes eorum alioquin mollisſimos jaculantur.* Pergit ulteriùs Plinius. *Troglodytæ contermini Æthiopiæ, qui hoc ſolo venatu aluntur, arbores propinquas itineri eorum conſcendunt: inde totius agminis noviſſimum ſpeculati, extremas in clunes deſiliunt. Lævâ apprehenditur cauda: pedes ſtipantur in ſiniſtro femine. Ita pendens, alterum poplitem dextrâ cædit præacutâ bipenni. Hoc cruore tardatus profugiens, alterius poplitis nervos ferit, cuncta præceleri pernicitate peragens. Alii tutiore genere, ſed magis fallaci, intentos ingentes arcus defigunt humi longiùs. Hos præcipui viribus juvenes continent: alii connixi pari conatu tendunt, ac prætereuntibus ſagittarum venabula infigunt, mox ſanguinis veſtigiis ſequuntur.* Hæc de captura Plinius cit. cap 8. Elephanti quomodo capiantur.

De cicuratione cap. 9. ſequenti hæc ſubjungit. *Domantur autem rabidi fame, & verberibus, elephantis aliis admotis, qui tumultuantem catenis coërceant.* Elephanti quomodo cicurentur.

ocant. Nec plura his Plinius. Alii vix habent quidquam ab his diverſum, niſi quòd *Ælianus* lib. 12. de Animal. cap. 44. refert, elephantum Indicum robore ætatis confirmatum, ſi capiatur, ex feritate ad manſuetudinem ægrè traduci, niſi harmonico ſono. *Inſtrumento quodam muſico*, inquit, (*Scindapſum vocant*) *vernaculam cantiunculam ei canunt: Is animum attendit, auremque ad audiendum erigit, & ſuavitate illius demulcetur, animi incitatio comprimitur. Tunc paulatim in objectum cibum reſpicit; & tametſi omnibus vinculis exolvitur, tamen cantu devinctus non ampliùs ad priſtinos mores à manſuetudine deficit, & cibo libenter veluti conviva fruitur.*

Elephanti delectantur muſicâ.

Gothardus Artus apud *Nierembergium* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 90. & *Garzias ab Orta* apud eundem cap. 85. hanc referunt venandi praxin, à Rege Pegu adhiberi ſolitam. In urbe ædificant carceres elephantorum, ex columnis ligneis tanto ſolùm intervallo à ſe invicem diſtantibus, ut homines transmittant, belluis autem iſtis tranſitum nullatenùs permittant. Dimittunt deinde fœmellas quasdam elephantes in ſilvam, commonitas priùs, nè cum elephantis maſculis ſilvam incolentibus congrediantur, ſed ſignis indicent, ſe tunc congreſſuras, cùm ad ſtabula ſua pervenerint. Tantus enim pudor ineſt elephantis, ut aliis ſpectantibus, non concumbant, ſed latibula quærant; & ſi ab aliquo ſuperveniente deprehendantur, quaſi furibundi in eum irruunt. Antequàm autem exeant fœmellæ iſtæ, peculiari quodam oleo partes earum obſcœnæ inunguntur; cujus odorem dum percipiunt elephantes mares, tanto amore & ardore erga fœminas accenduntur, ut neglectâ omni circumfusâ multitudine recedentes in civitatem, ad ipſos usque carceres eas ſequantur. Hos dum ingreſſi ſunt, adſunt ſtatim qui peſſulum objiciant, & exitum ipſis præcludant. Hoc facto, fœmellæ ſtabula ſua carceribus contigua ingrediuntur, quæ præter beſtiam unam nõ admittunt, & à venatoribus ſtatim occluduntur. Remotis dein fœmellis, ſentientes elephanti ſe deluſos, & inſuper captivos, in furorem quaſi verſi totis viribus ſe liberare conantur, exhibentq; adſtantibus ſpectaculum viſu admodum jucundum: gemunt enim, & lacrymantur, atque huc illuc diſcurrunt, donec curſu nimio defatigati, ſudorem toto corpore emittant. Cùm autem venatores ſtabulis illos includere volunt, fœmellas iterum producunt: quæ præcedentes, eos ad ſtationem deſtinatam ſive ſtabulum traducunt; quod quidẽ tam anguſtum eſt, ut præter beſtiam unam non admittat. Fœmella tum progrediens, ſtabulo emittitur, ipſe verò elephas, ad collum manu alligatus ibi detinetur, donec mœrore & inediâ confectus, (cibum enim & potum aliquot diebus non admittunt) cicuretur; quod quidem octo dierum ſpatio fieri ſolet. Quo facto, miniſtri ei adducuntur, qui curam ejus agant, & ad bellum, aliaque officia, eum aſſuefaciant, &c. Hactenus Gothardus.

Elephantorum pudor.

Aliam

Digitized by Google

Aliam capiendi rationem refert *Eduardus Lopez* apud eundem *Nierembergium* cap.86. dicens: barbaros in regno Congiano ad capiendos elephantos, foſſas facere magnas, ſuperiùs paulò quàm in fundo latiores, ita ut incidentes elephanti, inferiùs compreſſi, viribus ſuis ad exſiliendum uti non queant; & hos herbis, & frondibus, præcipuè ab iis expetitis tegere, ut fraus non niſi cum ipſorum illuc transeuntium ruina cognoſcatur. Interfuit hujusmodi venationi ipſemet Edoardus juxta Coanzam, & ait in unam hujusmodi foſſam cecidiſſe elephantem juvenculum: quem cùm pater ſubſequens vidiſſet, omnibus viribus, fruſtra magno ſtrepitu eum conantibus deterrere circumſtantibus, tentaſſe extrahere; & cùm ſe nihil efficere adverteret, foſſam terrâ, lapidibus, & arboribus congeſtis, usque ad ſummum impleſſe, maluiſſeque ſuum fœtum mortuum, quàm in hoſtium poteſtate videre.

Garzias ab Orta apud dictum *Nieremb.* cap.85. alium capiendi modum narrat, ex fide amici ſui, qui duobus interſuerat venationibus, ad quas profectus fuerat Rex Pegu cum infinita hominum multitudine. *Cingebant*, inquit, *illi in orbem totum illum locum, in quo elephantes ſua paſcua habere nôrunt. Deinde paulatim ambitum illum ſive hominum coronam contrahentes, tandem in medio comprehenderunt, non modò ingentem elephantorum multitudinem, (nam eâ venatione quatuor millia capta ſunt) ſed alia animantia, velut apros, tigrides, partim viva, partim jaculis confixa. Omnes autem elephantes dimiſit, præter ducentos, tum adultos, tum juniores, nè ſuam regionem elephantis depopularetur.*

De domatione, ac cicuratione, idem *Garzias* hæc ſubjungit. *Illos verò domârunt in hunc modum. Magnis trabibus eos ſepientes, paulatim circum, quo concludebantur, in anguſtius contrahebant, donec ſingulos elephantes vix locus caperet. Deinde funibus è vimine contextis, eorum pedes, & dentes vinciebant, ut elephanti ſe movere loco non poſſent. Hos binis funibus cinctos ſubibant rectores, & calcibus impetentes, tum baculo ferientes, perpetuò ſe verberaturos, & tandem fame enecaturos minitabantur, niſi eſſent morigeri: ſi verò eſſent morigeri, oleo ſe peruncturos, & cibum ſubminiſtraturos pollicebantur. Deinde ſingulos educebant, & lavabant. Lotis ſingulis, binos elephantos domeſticos, & jam domatos, admovebant, inter quos utrimque coërcerentur. Hac ratione domitos fuiſſe referebat.*

Idem ibidem hanc etiam rationem recenſet. *Juniores verberibus, objurgationibus, & fame, interdum verò beneficiis domantur: majores verò magnis ædibus concluduntur, quæ multas habent januas anguſtas, è quibus ii, qui elephantos domare volunt, jacula & ſpicula in eos conjiciunt, donec jam feſſi, vulneribus & fame ſint propè enecti. His deinde rectores ſignificant, illos ſe ita exercitaro, ut ferocitatē deponant. Quòd ſi humi ſe proſtraverint, beneficia collaturos pollicentur.*

Sſſſſ 3 Pro-

Digitized by Google

Procumbunt elephanti, lavantur, unguntur oleo, & cibus datur: deinde ſingulis ferè momentis interrogantur, qui valeant, quid petant. His rationibus paulatim edomantur.

Alia multa de elephantis dicenda ſuperſunt, quæ prudens omitto. Adeat, qui volet, Ariſtotelem, Plinium, Solinum, Ælianum, Cardanum, Geſnerum, Aldrovandum, Nierembergium, & alios.

CAPUT XXXIV.

De Equo.

Equus.

DE equo quò plura alii Phyſiologi, eò nos pauciora dicemus, illa nimirum duntaxat, quæ ad naturam, mores, ingenium, memoriam, docilitatem, aliaque ſimilia ſpectant.

§. I. De Equis varia.

Equorum natura, & mores.

EQui bibunt ſorbendo, & os profundè aquæ immergunt. Voraces ſunt, & parte ſuâ celeriter abſumptâ invadunt in partem conſortis, qui ob id ſæpe macreſcit. A pabulo vix unquam ceſſant, dum habent. Sarmatæ longinqua obituri itinera celeriter, iis cibum adimunt pridie, & ita per centena paſſuum millia continuo curſu iis inſident. Turcæ quoque iter agentes, interdum equos non paſcunt, potare tamen ſinunt, quoties aquam inveniunt, *Bellonio* teſte. *Saxo* refert, Valdemarum eâ nocte, quam belli inſecuta eſt dies, quâ Suenonem III. Danorum regem vicit, præcepiſſe frænatos ſtare equos ſine paſtu, nè ſatietate graves, minùs ad curſum eſſent apti. Blanditiarum ſunt amantes. Equæ matres pullos ſuos impensè amant, & pulli matres, quas ideo ubique ſequuntur. Sciens hæc olim Darius, equas à partu recenter ad pugnam periculoſam ducebat, domi relictis pullis, ut cùm fugere neceſſarium foret, equæ pullorum amore quàm celerrimè domum properarent. Tartari, *Paulo Veneto* teſte, cùm prædandi causâ ingrediuntur regiones illas ſeptentrionales, queis multis ſeptimanis, ac menſibus ſol non apparet, equos cum pullis accipiunt; & relictis ad primum ingreſſum pullis ſub cuſtodum curâ, pergunt, onuſtique prædis, laxant habenas equis; quæ per tenebras rectà ad pullos ſuos, atque celerrimè revertuntur. Si equarum ſocietate conjunctarum una perit, altera pullum ejus nutrit, teſte *Ariſtotele*, *Tzetze*.

Bucephalus Alexandri præter dominum, alium non admiſit ſeſſorem, quando ornatus erat, atque armatus ad prælium. Idem cùm in bello Indico Rex non ſatis providè in hoſtium cuneum ſe immiſiſſet, & ipſe telis undiq; confoſſus eſſet, moribundus tamen & propè exanguis regem è mediis

Digitized by Google

è mediis hoſtibus vivaciſſimo curſu retulit, & ubi eum extra periculum vidit, ſubitò concidit, atque exſpiravit; unde & urbe de novo conditâ, ac nomine ſuo nobilitatâ, immortalem memoriam eſt conſecutus. Idem Bucephalus, qui præter Alexandrum non admittebat ſeſſorem alium, regi conſcenſuro ſubmittebat genua, ut faciliùs aſcenderet. Julii Cæſaris equus nullum unquam, præter Cæſarem, admiſit. Pannonicus equus cujusdam medici ſtabat pro foribus ſolutus, & donec ab ægris rediret, exſpectabat, etiamſi diem integrum abſuiſſet; nec alium interim admittebat ſeſſorem; & medico adventanti occurrebat gratulabundus; mox ubi dorſo excepiſſet, tanquam triumphans glomerabat in gyrum; ſi is frigoris pellendi, vel ſanitatis gratiâ pedibus ibat, ponè ſubſequebatur, ut *Gaudentius Merula* teſtis oculatus narrat.

§. II. De equorum docilitate.

EQui Lycoſpades dicti Græcos ab aliis diſcernebant: illos amabant, ab illis contrectari ſe ſinebant, cum illis totos dies traducebant, & ſomnum capiebant, ut *Ælianus* ſcribit; at ubi barbarus accedebat, elato clamore extimeſcebant, & in fugam ſe dabant. Advertunt equi, an qui regit, aut equitat, aurigandi, aut equitandi peritus ſit. Equos ſaltare ad tibiæ ſonum, ſi aſſueſiant, docet Sybaritarum ſtrages, à Crotoniatis accepta, ut *Ariſtoteles* ſcribit, & *Athenæus*: cùm enim ſcirent Crotoniatæ Sybaritarum equos audito tibiarum ſono, in poſteriores pedes ſeſe erigere, pedibusque prioribus motus quosdam, geſtusque exhibere ad numerum ſaltatorios; congreſſuri cùm illis in pugna, militibus ſuis immiſcuêre tibicines, quorum melodiam cum audiviſſent Sybaritarum equi, non ſolùm exſiliverunt, verùm etiam excuſſis ſeſſoribus confugerunt ad Crotoniatas. Idem Biſeltæ contra Cardianos fecêre. *Olaus Magnus* de equis parvis ac deformibus Elandiæ Inſulæ Gothici maris ſcribit, ingenioſiſſimos eſſe, ut ſaltibus & choreis buccinæ vel tympani ſono audito aſſueſcant, & ut circulos ferreos, vel ligneos non admodum amplos tranſiliant, ſaltuatimque vivaciſſimâ pernicitate ſe ſe gyrando revolvant. Hujusmodi equum fuiſſe conjicit Aldrovandus illum, de quo *Scaliger* Exercit. 209. ſcribit, circumductum à quodam agyrta, cujus juſſu, aut ſolo nutu, ambulabat, ſuccuſſim properabat, currebat, ſaltabat, vel quadrupes, vel bipes; vinum bibebat; in clunibus ſedens, anteriores pedes ad pateram ferebat, pelvim ſive malluvium cruribus ſuſtinebat, quaſi à tonſore lavaretur; humi ſe ſternebat, atq; porrectus jacebat, ciliorum compreſſione annuebat, caput ad heri nutum attollebat, aliaque multa faciebat, quæ vel inſtructiſſimi canes non facerent. Alia multa de equorum docilitate ac dexteritate extant exempla, & quotidie ſpectantur; & ego ipſe equum ad ſonum chely-

Equorum docilitas.

Equi ad numeros ſaltant.

Digitized by Google

Procumbunt elephanti, lavantur, unguntur oleo, & cibus datur: deinde ſingulis ferè momentis interrogantur, qui valeant, quid petant. His rationibus paulatim edomantur.

Alia multa de elephantis dicenda ſuperſunt, quæ prudens omitto. Adeat, qui volet, Ariſtotelem, Plinium, Solinum, Ælianum, Cardanum, Geſnerum, Aldrovandum, Nierembergium, & alios.

CAPUT XXXIV.

De Equo.

Equus.

DE equo quò plura alii Phyſiologi, eò nos pauciora dicemus, illa nimirum duntaxat, quæ ad naturam, mores, ingenium, memoriam, docilitatem, aliaque ſimilia ſpectant.

§. I. De Equis varia.

Equorum natura, & mores.

EQui bibunt ſorbendo, & os profundè aquæ immergunt. Voraces ſunt, & parte ſuâ celeriter abſumptâ invadunt in partem conſortis, qui ob id ſæpe macreſcit. A pabulo vix unquam ceſſant, dum habent. Sarmatæ longinqua obituri itinera celeriter, iis cibum adimunt pridie, & ita per centena paſſuum millia continuo curſu iis inſident. Turcæ quoque iter agentes, interdum equos non paſcunt, potare tamen ſinunt, quoties aquam inveniunt, *Bellonio* teſte. *Saxo* refert, Valdemarum eâ nocte, quam belli inſecuta eſt dies, quâ Suenonem III. Danorum regem vicit, præcepiſſe frænatos ſtare equos ſine paſtu, nè ſatietate graves, minùs ad curſum eſſent apti. Blanditiarum ſunt amantes. Equæ matres pullos ſuos impensè amant, & pulli matres, quas ideo ubique ſequuntur. Sciens hæc olim Darius, equas à partu recenter ad pugnam periculoſam ducebat, domi relictis pullis, ut cùm fugere neceſſarium foret, equæ pullorum amore quàm celerrimè domum properarent. Tartari, *Paulo Veneto* teſte, cùm prædandi causâ ingrediuntur regiones illas ſeptentrionales, queis multis ſeptimanis, ac menſibus ſol non apparet, equos cum pullis accipiunt, & relictis ad primum ingreſſum pullis ſub cuſtodum curâ, pergunt, onuſtique prædis, laxant habenas equis; quæ per tenebras rectà ad pullos ſuos, atque celerrimè revertuntur. Si equarum ſocietate conjunctarum una perit, altera pullum ejus nutrit, teſte *Ariſtotele*, *Tzetze*.

Bucephalus Alexandri præter dominum, alium non admiſit seſſorem, quando ornatus erat, atque armatus ad prælium. Idem cùm in bello Indico Rex non ſatis providè in hoſtium cuneum ſe immiſiſſet, & ipſe telis undiq; confoſſus eſſet, moribundus tamen & propè exangu-

Digitized by Google

è mediis hoſtibus vivaciſſimo curſu retulit, & ubi eum extra periculum vidit, ſubitò concidit, atque exſpiravit; unde & urbe de novo conditâ, ac nomine ſuo nobilitatâ, immortalem memoriam eſt conſecutus. Idem Bucephalus, qui præter Alexandrum non admittebat ſeſſorem alium, regi conſcenſuro ſubmittebat genua, ut faciliùs aſcenderet. Julii Cæſaris equus nullum unquam, præter Cæſarem, admiſit. Pannonicus equus cujuſdam medici ſtabat pro foribus ſolutus, & donec ab ægris rediret, exſpectabat, etiamſi diem integrum abſuiſſet; nec alium interim admittebat ſeſſorem; & medico adventanti occurrebat gratulabundus; mox ubi dorſo excepiſſet, tanquam triumphans glomerabat in gyrum; ſi is frigoris pellendi, vel ſanitatis gratiâ pedibus ibat, ponè ſubſequebatur, ut *Gaudentius Merula* teſtis oculatus narrat.

§. II. De equorum docilitate.

EQui Lycoſpades dicti Græcos ab aliis diſcernebant: illos amabant, ab illis contrectari ſe ſinebant, cum illis totos dies traducebant, & ſo- Equorum docilitas.
mnum capiebant, ut *Ælianus* ſcribit; at ubi barbarus accedebat, elato clamore extimeſcebant, & in fugam ſe dabant. Advertunt equi, an qui regit, aut equitat, aurigandi, aut equitandi peritus ſit. Equos ſaltare ad tibiæ ſonum, ſi aſſuefiant, docet Sybaritarum ſtrages, à Crotoniatis accepta, ut *Ariſtoteles* ſcribit, & *Athenæus*: cùm enim ſcirent Crotoniatæ Sybaritarum equos audito tibiarum ſono, in poſteriores pedes ſeſe erigere, pedibusque prioribus motus quoſdam, geſtusque exhibere ad numerum ſaltantes; congreſſuri cùm illis in pugna, militibus ſuis immiſcuêre tibicines, quorum melodiam cum audiviſſent Sybaritarum equi, non ſolùm exſultarunt, verùm etiam excuſſis ſeſſoribus confugerunt ad Crotoniatas. Idem Biſeltæ contra Cardianos fecêre. *Olaus Magnus* de equis [illegible] deformibus Elandiæ Inſulæ Gothici maris ſcribit, ingenioſiſſimos eſſe ut ſaltibus & choreis buccinæ vel tympani ſono audito [illegible] circulos ferreos, vel ligneos non admodum amplos [illegible] que vivaciſſimâ pernicitate ſe ſe gyrando [illegible] [illegible] conjicit Aldrovandus illum, de quo [illegible] circumductum à quodam agyrta, cujus [illegible] [illegible] properabat, currebat, ſaltabat, [illegible] [illegible]bebat; in clunibus ſedens, ante[illegible] [illegible] mall uvium cruribus ſuſtinebat [illegible] [illegible]bat, atq; porrectus jacebat [illegible] ad heri nutum attollebat, [illegible] [illegible]cerent. Alia [illegible] [illegible] & quotidie [illegible]

Digitized by Google

Equus adorat regem.

chelyum ſaltantem in foro vidi alicubi. *Dion* teſtatur, Nervæ Parthorum & Armeniorum fines ingreſſo ſatrapas regionis occurriſſe, ipſosque mox reges cum muneribus, equumque duxiſſe ita edoctum, ut regem adoraret. Nam pedes anteriores in modum ſupplicantis flectebat, caputque pedibus ejus, qui proximus erat, ſubjiciebat. *Textor* quoque ſcribit, cùm in adventum & gratulationem Mariæ Britannicæ, quæ Ludovico XII. Gallorum Regi nupſerat, ſpectacula Lutetiis ederentur, viſum ſibi equum, qui ſeſſore hortante Reginam inclinatis genibus ſalutabat, moxque conſurgens volucri ſaltu in aëra ſeſe efferebat. De Artybii Perſarum Ducis equo apud *Herodotum* legimus, edoctum fuiſſe, ut ſe in armatum erigeret, pedibusque ſimul & ore eum, in quem agebatur, inſiliret. *Solinus* quoque ſcribit, equos noſſe hoſtes, eosdemque mordicùs petere.

§. III. De memoria equorum.

Equi memoriâ valent.

M*Emoriâ* valere equos, indicat tubæ ſonus, quo nimirum audito aures arrigunt, nares inflant, hinniunt, fræna cum ſtrepitu rodunt, pedibus terram quatiunt, loco manere difficulter poſſunt, pugnandum eſſe ex aſſueto aliàs ſono recordantes. *Ariſtoteles* verò tantum in equo vigorem memoriæ agnoſcit, ut vocem deinceps agnoſcant equorum, cum quibus pugnarunt priùs. *Tretzes* eandem memoriæ vim confirmat exemplo paraſiti cujusdam, qui cùm equo veheretur curuli, prandio quod captabat, fruſtratus fuit: equus enim in itinere incidens fortè in columnam metæ formâ, putansque circum eſſe eum locum; usque ad veſperum circum eam ſe flexit cum impetu, ut in circo aſſueverat. *Petro Gregorio Toloſano* teſte, Epiſcopus quidam equum habebat generoſum, & ſibi valde idoneum, eumque ſolus equitare ſolebat. Hunc ut aſtu extorqueret, quoniam precibus non poterat, homo militaris Epiſcopi frater; clàm equitabat frequenter, & dum calcaribus urgebat, verba illa, *Deus in adjutorium meum intende*, pronuntiabat, ſimulque calcaria validè infigebat, ut equus territus ſaltu creberrimo in aëra ſeſe attolleret. Contigit ut die quodam equitans Epiſcopus, in via cum Sacellano horas matutinas recitando, pronuntiaret dicta verba, *Deus in adjutorium meum* &c. quæ audiens equus, & calcaria timens, ſaltibus tam crebris in altum ſe extollebat, ut ſeſſorem Epiſcopum excuteret, & in lutum projiceret; unde frater nactus occaſionem, ſuaſit Epiſcopo, ne equo illo ampliùs uteretur, ut qui hominem militarem potiùs, quàm eccleſiaſticum requireret.

§. IV. De

Digitized by Google

§. IV. De amore, gratitudine, fide erga dominum.

PLinius recitat ex Philarcho, Centeretrium è Galatis, in prælio occiſo Antiocho, potitum ejus equo; conſcendiſſe ovantem; at illum indignatum, præcipitem in abrupta iviſſe. Idem aſſerit, Scytharum regulo ex provocatione dimicante, hoſtem, cùm victor ad ſpoliandum veniſſet, ab equo ejus ictibus ac morſu confectum. Mithridates Rex Ponti, eodem teſte, ſomnum capiens, corporis ſui cuſtodiam non ſolùm ſatellitibus, ſed & equo, tauroque ac cervo manſuefactis committebat, qui adventante aliquo eum vocibus emiſſis excitabant. Dionyſii equus, cùm ab eo in cœno hærens eſſet relictus, ut ſe ſe exemit, ſecutus eſt domini veſtigia, & ſi apum examen tergo hæreret. Cæſaris equum Aſturconem refert *Textor* triduo antè quàm is occideretur, fleviſſe. De ſuo quoque Aſturcone teſtatur *Cardanus*, eum ſæpius fleviſſe ubertim, maximè æſtate; ſed cauſam fletus ſe ignoraſſe. Interfecto Nicomede rege, equus ejus inediâ vitam finiit; ut ſcribit *Plinius*. *Dio* verò, & *Xiphilinus* teſtantur, cùm Severus Imper. Prætorianis militibus, qui Pertinacem occiderant, equos & arma ademiſſet, illique diſpergerentur; unum fuiſſe ex iis, qui, quòd equus eum nollet deſerere, ſequereturque hinniens, ſe ipſumque equum interfecerit, equum autem ſpectatoribus libenter domini ſui manibus mori viſum. De Soclis Athenienſis equo narrat *Ælianus*, tam vehementi amore in Dominum fuiſſe incenſum, ut cùm adeſſe ſentiret dominum, exultaret & geſtiret; cùm aſcendere pararet, ſe ad conſcenſum præſtaret obedientem; cùm ante oculos conſiſteret, ille ſuaviter & amatoriè eum intueretur, cùm venditus alteri fuiſſet, inediâ voluntariâ ſibi mortem præ triſtitia conſciverit.

Equorum amor erga dominum

Equus Julii Cæſaris flevit.

Item Cardani equus.

§. V. Exemplum recens, ac memorabile equæ leonem occidentis.

P. *Ludovicus Richeomus* in Opuſculo Gallico, quod *l' adieu de l' ame*, Valedictionem animæ inſcribit, Colloq. 12. ſequens exemplum, quod non multis antè annis ab eo tempore, quo ſcribebat, in celebri Hiſpaniarum urbe Saragoza (Cæſarauguſta) contigerat, in hunc refert ſenſum. *Equam annis jam confectam & inutilem, propter præclaram operam, quam olim in bellis navârat domino ſuo, ceu emeritam minimè parcè fœno & avenâ paſcebat Magiſter. Ad hunc cùm aliquando leones ex Africa deducerentur, ab amicis nonnullis nobilibus rogatus fuit, ut nobilium cœtui munus daret, dictamque equam cum leonum ſuorum aliquo in theatrum deductam committeret, quo ab omnibus proverbio illo pervagato, quod equum generoſum nunquam ajebat torpeſcere, aut fides*

Equa leonem occidit.

Digitized by Google

præſtaretur, aut certè deinceps manifeſto exemplo derogaretur &c. Malè res ea dominum habuit, maluiſſetq; aliud quippiam à ſe fuiſſe poſtulatum &c. Verùm dedecere ſe ratus plùs bruto dolori, quàm amicorum precibus indulgere, petentibus annuit. Et ecce præfixâ die in frequentiſſima nobilium turba, & plurimorum civium concurſu, qui pergulas feneſtraſque, commodiùs ut ſpectare poſſent, occupaverant, in amplam admodùm & ſpatioſam aream lapidibus quadratis exſtructam, inprimis equam adducunt. Inveniſſes revera neminem, qui non commiſeratione animalis motus, vel momentum vitæ ei ſponderet, vel non certam ei mortem ſolâ leonis præſentiâ illatum iri autumaret. Intromittitur ergo & leo: cùm iſta mox regem ſuum, & hoſtem antè non viſum conſpicata, inſtinctu quodam naturali certum vitæ ſuæ finem adeſſe intellexit. Verùm nihilominùs cognoſcens curam ſui gerendam eſſe, timorem ejecit, nec niſi laudatâ & inſigni morte obire ſe velle conſtituit. Cedit ergo nonnihil, & in angulum ab utraq; parte muris clauſa ſe recepit, leviter aërem anterioribus pedibus verberans. Adeſt ſenſim leo, & regio planè more, gravi & lento gradu ad eam accedit, terram caudâ bis tervè pulſat, nihil admodum minas, & ronchos vaſalli ſui pertimeſcens. Jam magiſter in agonia equam ſuam conſtitutam intuens, clamaturus erat, cùm revera voce elatâ jumentum compellat, & ad certamen confirmat, nevè animum toties in concurſibus bellicis ſpectatum abjiciat, hortatur. Excepit vocem deplorata beſtia, & ante oculos obverſantem ſibi mortem ſentiens, animum attollit, novum ſtratagema imò novam lectionem à magiſtro timore extemplò diſcit; pectusq; contrahens, valido ſoleæ ferreæ ictu leonem ita ſalutat, ut mox impactâ in frontem calce attonitus confeſtim angulum peteret, & hoſti tam potenti ſpatium dormiendi concederet. Mirantur verber inopinatum, quotquot ad id ſpectaculum confluxerant; clamant, vociferantur, nec cujus vicem doleant, aut cui gratulentur, adhuc diſpiciunt: cùm ecce tibi leo, ubi pauliſper ceu mortuus requieviſſet, excitatur, ingentiq; rugitu vicinas quaquaverſum domos, & plateas complet: adſtat equa, ſudat, ronchos trahit, etiam veluti pœnitentiâ ducitur, quòd tam potentem hoſtem adgredi, & in ſuam, ut metuebat, perniciem laceſſere auſa fuiſſet. Hæc inter ſaucius erigitur, ac ilia aliquoties feriens, quò immanem ejus, & extremam iram agnoſceres, in inimicum provolat, eiq; impendens dextrum armum avellit, jamq; ita mutilum conficit. Verùm non abſq; ſua etiam ruina id ei ſtetit: ſequentem enim noctem cùm tonitru vocis ſuæ totâ civitate reſonantis exegiſſet, poſtridiè exſpiraviſſe inventus eſt. Habes hîc revera ubi liquidò videas, quàm non ſegniter aut abjectè timor vitæ amittendæ, exanguem jam debilemq; ſenectutem armet; quomodo exhauſto contra generoſum, ac ſtrenuum inimicum ſufficiat; quomodo deniq; ſtrenua illa beſtia nunquam ſui diſſimilis, ad extremum usq; conflictum, mortem laudabilem adverſario intulerit, & eandem non ſine illuſtri victoriâ obierit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

De Ejulatore.

EST inter novi Orbis animalia, quem Ejulatorem appellant, aſtu nocentiſſimus. Infantilem quippe luctum, ac ejulatum ſimulat, edito ſono, ſub oppida & villas in prima nocte: Quo audito, accurrunt miſerentes, plorantem quæſituri; quos ipſe incautos perimit. Sed jam cauti repetito periculo oppidani, prodeunt è domibus incenſis titionibus inſtructi. Forma & moles hujus feræ canem leporarium imitatur. *Nierembergius* lib. 9. Natur. Hiſtor. cap. 72. Ejulator animal.

CAPUT XXXVI.

De Fele Ordinaria.

FElis, ſive cattus, quem Græci *αἴλουρον* dicunt, notiſſimum apud omnes nationes eſt animal, nec indiget deſcriptione. Sunt domeſtici catti, ſunt ſilveſtres domeſticis majores, ſunt exotici. Hos inter Syriaci ſunt varii, ore torvi, pectore toroſi, pedibus amplis. Agreſtes in Malabaria, verſantur in arboribus, ſaltu valentes, & volatu ſine alis, *Scaligero* teſte Exercit. 217. n. 9. Membranam ab anterioribus pedibus ad poſteriores usque productam habent; *quam dum quieſcunt, ad alvum contrahunt; ubi volare inſtituunt, pedum crurumq; agitatione protentâ collectâq; membranâ, tum ſuſtinentur, tum feruntur; mirabilisq; eſt eorum, tanquam per aërem currentium, ſpecies. Hoc tametſi videbitur ſuperſtitioſis ingeniis vanum; tamen ſi quis conſideret naturam veſpertilionis, & habeat hiſtoriæ fidem, & ipſe ſibi rationem confingat ultrò: contemplabitur enim illum bipedem volantem, quadrupedem perreptantem potiùs quàm ingredientem; & quod ſubtilius eſt, cruribus volantem, alis ambulantem.* Eſt & in India genus quoddam, pilis veſtitum nigris, & promiſcuè candentibus, roſtro longo, auriculis parvis, cruribus brevibus, caudâ faſciis nigris candidisque interciſâ. Felis ordinaria. Feles agreſtes Malabarici volantes.

Feles antipathiam ſeu inimicitiam habent cum muribus, buſonibus, ſerpentibus, vulpanſere, aquila, ruta, felle proprio, ſuavi odore, & humiditate. Rutâ à columbariis pelluntur. Unguentorum odore aliquando in rabiem aguntur. Si aqua mergantur, nec ſtatim exſiccentur, pereunt. Buſones interimunt, non minùs quàm mures. In Cypro viperas, & chamæleontes venantur. Felium antipathia & ſympathia.

Sympathiam ſeu amicitiam habent cum valeriana, & mentha cattaria.

Digitized by Google

Valerianæ radix felibus grata.

ria. Cattorum tripudium ſi exhibere cupis, valerianæ radicem catto uni aut pluribus projice. Accurrunt odore illecti; mox lambent, ac baſiabunt; tum circumcurſitantes tripudiabunt; arreptam dentibus vellicabunt identidem, volutabuntur circùm, ac miriſſimos geſtus, incredibilis delectationis, & ut apparet, gaudii indices edent. Diceres, herbam eos deperire. Vidi non ita pridem id ſpectaculi, primùm in uno, deinde in altero, tertio, ac quarto catto ſuperveniente, qui omnes certatim, ac per vices arreptam radicem vellicabant, ac baſiabant, circumque curſitantes tripudiabant. Cauſa vel eſt odoris, vel alterius qualitatis effluvium cattis ſympathicum, quod ſpiritus excitat, ſanguinem & cor exhilarat. Valerianam Germani noſtri vocant Katzenkraut/ vel Katzenwurtzel/ & Baldrian. De ea erit ſermo, cùm de Mirabilibus Herbarum. Hæc præterea mira in cattis ſunt notata. Fœmina gravida, ſi mas interim occidatur, abortit. Oculi omnium ad lunæ varias phaſes evadunt modò majores, modò minores. Imò & ſolis curſum diurnum pupillæ eorum imitantur: Diluculo enim protenduntur, meridie in orbem contrahuntur, ad occaſum ſolis hebeſcunt. Noctu medium illuminant; adeo ſunt lucidi oculi. Saccis incluſi, & procul ab ædibus delati, redeunt. Mutante hoſpite ædes, eas non deſerunt; Manu hominis demulceri ambiunt. Excrementa ſua obruunt effoſsâ terrâ, vel munditiei amore, vel ne odorem ſui indicem poſt ſe relinquant. Occultiſſimo ſpeculatu, magno ſilentio, lenibus veſtigiis, inſigni aſtu inſidiantur muribus, & avibus. Diſcurrebant in quodam Collegio noſtro paſſeres intra canalem ligneum, tecto ad excipiendas pluvias adhærentem, & à latere fiſſum: notat hæc cattus domeſticus; accedit ſilentio, & pede per fiſſuram intromiſſo arripit aviculæ pedem, atque à corpore reliquo, in hortum decidente, avellit, & mox per domus ambulacra, & ſcalas, in hortum deſcendit, captâ potiturus prædâ. Plura de fele vide apud Phyſiologos, præſertim Geſnerum, Aldrovandum, Jonſtonum, & alios.

Felium mira.

CAPUT XXXVII.


De Fele Zibethica.

Zibeth quid ſit.

Felis Zibethica.

Vide Icon. XL.

Z*ibeth* (inquit Scaliger Exercit. 211.) *vocatur odoramentum quoddam, pingue, craſſum, nigri ſaponis facie; quod ſudor eſt animalis, cui felis figura eſt.* Quod animal alii propterea vocant *animal Zibethi*, alii cattum *ſeu felem Zibethicam*, alii etiam *Sivettam*, vel *Civettam*, & *cattum ſilveſtrem* appellant. Gyllius putat eſſe pantheræ genus, Bellonius verò Hyænam veterum. Magnitudinis eſt ferè vulpinæ, colore lupino, nigris maculis reſperſo, rictu oblo-



Digitized by Google

Valerianæ radix felibus grata.

ria. Cattorum tripudium ſi exhibere cupis, valerianæ radicem catto uni aut pluribus projice. Accurrunt odore illecti; mox lambent, ac baſiabunt; tum circumcurſitantes tripudiabunt; arreptam dentibus vellicabunt identidem, volutabuntur circùm, ac miriſſimos geſtus, incredibilis delectationis, & ut apparet, gaudii indices edent. Diceres, herbam eos deperire. Vidi non ita pridem id ſpectaculi, primùm in uno, deinde in altero, tertio, ac quarto catto ſuperveniente, qui omnes certatim, ac per vices arreptam radicem vellicabant, ac baſiabant, circumque curſitantes tripudiabant. Cauſa vel eſt odoris, vel alterius qualitatis effluvium cattis ſympathicum, quod ſpiritus excitat, ſanguinem & cor exhilarat. Valerianam Germani noſtri vocant Katzenkraut / vel Katzenwurtzel / & Baldrian. De ea erit ſermo, cùm de Mirabilibus Herbarum. Hæc

Felium mira.

præterea mira in cattis ſunt notata. Fœmina gravida, ſi mas interim occidatur, abortit. Oculi omnium ad lunæ varias phaſes evadunt modò majores, modò minores. Imò & ſolis curſum diurnum pupillæ eorum imitantur: Diluculo enim protenduntur, meridie in orbem contrahuntur, ad occaſum ſolis hebeſcunt. Noctu medium illuminant; adeo ſunt lucidi oculi. Saccis inuoluſi, & procul ab ædibus delati, redeunt. Mutante hoſpite ædes, eas non deſerunt; Manu hominis demulceri ambiunt. Excrementa ſua obruunt effoſsâ terrâ, vel munditiei amore, vel ne odorem ſui indicem poſt ſe relinquant. Occultiſſimo ſpeculatu, magno ſilentio, lenibus veſtigiis, inſigni aſtu inſidiantur muribus, & avibus. Diſcurrebant in quodam Collegio noſtro paſſeres intra canalem ligneum, tecto ad excipiendas pluvias adhærentem, & à latere fiſſum: notat hæc cattus domeſticus; accedit ſilentio, & pede per fiſſuram intromiſſo arripit aviculæ pedem, atque à corpore reliquo, in hortum decidente, avellit, & mox per domus ambulacra, & ſcalas, in hortum deſcendit, captâ potiturus prædâ. Plura de fele vide apud Phyſiologos, præſertim Geſnerum, Aldrovandum, Jonſtonum, & alios.

CAPUT XXXVII.

De Fele Zibethica.


Zibeth quid ſit.

Felis Zibethica.

Vide Icon. XL.

Zibeth (inquit Scaliger Exercit. 211.) *vocatur odoramentum quoddam, pingue, craſſum, nigri ſaponis facie; quod ſudor eſt animalis, cui felis figura eſt.* Quod animal alii propterea vocant *animal Zibethi*, alii cattum *ſeu felem Zibethicam*, alii etiam *Sivettam*, vel *Civettam*, & *cattum ſilveſtrem* appellant. Gyllius putat eſſe pantheræ genus, Bellonius verò Hyænam veterum. Magnitudinis eſt ferè vulpinæ, colore lupino, nigris maculis reſperſo, rictu oblo-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

oblongo inſtar Taxi, linguæ non tam ſcabræ ut felis. Armatur dentibus, & pilis aſperioribus. Folliculum circa inguina geſtat, in quo dictum odoramentum colligitur. Reperitur in Pegu, in regno Congitano, in China, in Cambaja, in ſilvis Æthiopiæ, & in Ægypto; inde in Hiſpaniam, & Italiam advehitur. Naſcitur tamen & in Hiſpania, ac Balearibus Inſulis, teſte *Nierembergio* lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 28. Cicuratur adeò, ut innoxiè ſupra humeros ab hominibus geſtetur, & cum hominibus colludens vellicet eorum naſum, labra, aures, dentes. Comedit carnes, dulciaria, orizam cum ovis. Romæ Pipionum carne alebatur apud Cardinalem Galeottum, ut majori proventu Zibethum daret. Eſt id excrementum, quod ex loculo circa extremam abdominis partem, intra femora, cavernis & anguſtiis inſtructo dimanat, primò album, progreſſu temporis ſubluteum, tandem nigreſcens. Odor ejus primis diebus gràvis; expoſitum deinde aëri, & concretum, redditur gratiſſimum. Colligitur cochleari, ſingulis diebus drachmæ unius pondere. Majorem Zibethi copiam fundit animal, ſi antequam colligatur, virgis exagitetur, ut in iram, ac ſudorem diſſolvatur. Ex ſtercore hoc (ſtercus enim eſt, & excrementum, ut dixi) quidam Ulyſſipone ad mille quingentos aureos annis ſingulis colligunt, teſte *Ludovico Granada* in ſymbolo, apud Majolum Colloq. 7. Vide quibus homines diteſcant, & delectentur, dum luteas hujus mundi caſas inhabitant. Sed de hoc animali, & ejus excremento, infrà in littera H. iterum erit ſermo.

CAPUT XXXVIII.

De Glire.

GLIS, Sciuro non abſimile animal, majus tamen, colore eſt nigreſcente, vel dorſo fuſco, & ventre albo, roſtro oblongiori, acutioribus auriculis, caudâ non æquè villoſâ, ventre medio magis protuberante quàm in Sciuro, latere & tergo prorſus cinerei coloris. Græcis vocatur ἐλειὸς, Italis *Ghiro*, Hiſpanis *Liron*, Gallis *Ratzliron*, Germanis communiter ein Ratz / aliquibus etiam, ſed imperitè, ein Eichhorn / propter ſimilitudinem cum ſciuro. Reperiuntur in ſilvis, & in domibus ruſticis. In Hybernia dicuntur non reperiri, nec in ædibus ex lignis Hybernicis ædificatis; quod tamen falſum eſſe teſtatur *Jonſtonus* cap. 14. de Quadrup. Glis.

Hyeme in cavis arborum dormiunt, & pingueſcunt, unde & glires, quaſi gliſcentes, ſeu creſcentes dicuntur. Tam altè dormire dicuntur, ut vix igne admoto excitentur, nec diſſecta membra priùs moveant, quàm in aquam ferventem fuerint conjecta. Murium ritu ædes ruinoſas tri-

meſtri ſpatio, antequàm collabantur, deſerunt, quòd earum compagem diſſolvi naturæ inſtinctu præſentiant. Omnes aliquando ejusdem ſilvæ congregantur; & ſi aliqui monte vel flumine diſcreti ad eas accedunt, præliantur invicem. Diverſæ gentes eorum carnibus veſcuntur.

In ædibus capiuntur muſcipulis. In ſilvis venatores obturant limo foramina cavearum, quas inhabitare ſolent, & revertentes, ac in patefaciendo aditu occupatos transfigunt, vel baculis interficiunt. Alii profundas foveas parant, & lignis ac pâlis tegunt, ut tranſeuntes incidant. Bononienſes ruſtici excavatas cucurbitas appendunt arboribus, in quibus nidulari ſolent, & repertos cum fœtibus abſportant. Alibi fumum excitant prope arbores & caveas ipſorum, & obſtupefactos capiunt. In valle Telina ruſtici cum facibus accedunt noctu, & fulgore excæcatos apprehendunt manibus, Gesnero teſte.

CAPUT XXXIX.

De Gulone.

Gulo.

OLaus Magnus, *Matthias à Michou*, aliique ſeptentrionalium regionum, ac rerum Scriptores, referunt, in regionibus illis, maximè in Livonia, & Moſchovia, animal reperiri voraciſſimum, *Roſomacha* dictis gentibus, Germanis verò Vielfraß nominatum, magnitudine canis, facie felis, corpore & caudâ vulpis, colore nigro. Veſcitur perlibenter cadaveribus, tantumque vorat, ut tympani inſtar infletur; tuncque anguſtiam duarum rupium, aut arborum ingreditur, & ventrem comprimendo extrudit per infernas ſupernasque portas excrementa, rurſumque ad cadaver properans impletur denuo. Vera helluonum idea. En typum.

Vide Iconiſmum XL.

Pellis animalis hyeme occiſi in pretio maximo eſt, æſtate exiguo. Coloris eſt ſplendidi, & quaſi floribus diſtincta. Venatores ut gulonem interimant, hyeme cadaver ad ſilvam deferunt; cujus odore illectus accedit, & ſagittis vel bombardis confoditur. Alii trabes, chordâ diſtinctas ita accommodant prope cadaver, ut accedentes capiantur, ac ſtrangulentur. Alii effoſſis ſcrobibus, & cadavere immiſſo, inſidias ſtruunt,

CAPUT LX.

De Hippotamo.

Hippotamus.

HIppotamus. id eſt, equus fluviatilis, ſic dictus, quod fluvios inhabitet; & equum non figurâ, ſed magnitudine referat, amphibium eſt

Digitized by Google

eſt animal: Ab Ariſtotele, & aliis antiquis ad biſulca, à recentioribus ad digitata refertur. De eo *Ariſtoteles* lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 17. ſic ſcribit. *Equo fluviatili, quem gignit Ægyptus, juba equi, ungula qualis tubus, roſtrum reſimum, talis etiam ineſt biſulcorum more, dentes exerti, ſed leviter, cauda apri, vox equi, magnitudo aſini, tergoris craſſitudo tanta, ut ex ea venabula faciant; interiora omnia equi & aſini ſimilia.* Hæc Ariſtoteles, quæ tranſcribunt *Plinius* & *Solinus*.

Joannes Leo in Deſcript. Africæ lib. 9. apud Aldrovandum lib. 1. de Quadrup. Digit. cap. 12. ſcribit, hippotamum formâ equum, magnitudine aſinum repræſentare, depilem eſſe, & cymbis inſidiari, easque mercibus onuſtas, ac ſecundo Nigro flumine delatas, dorſi frequentibus gyris agitatas demergere. *Bellonius* lib. 1. de Aquatil. apud eundem Aldrov. ait, ſe vidiſſe Bizantii parvum hippotamum, cum capite, ad reliqui corporis collationem, indecentiſſimo, quale eſſet vaccinum, nullis cornibus præditum, auribus urſinis brevibus, & ſubrotundis, oris rictu adeo vaſto, ut leoninum ſuperaret, patulis auribus, repandis labris, dentibus equinis obtuſis, oculis & linguâ prægrandibus, collo ut piſces nullo, aut admodum brevi, caudâ inſtar porci, vel teſtudinis rotundâ, reliquo corpore obeſo inſtar ſuis, pedibus brevibus, ungulis ut in ſue diviſis.

Fabius Columna in lib. Obſerv. Aquat. & Terreſt. cap. 15. apud eundem, vidit hippotamum integrum, ſale conditum, quem Fridericus Zerenghi Narnenſis Chirurgus, ex Ægypti paludibus prope urbem Damiatam captum, ſecum advexerat in Italiam, Anno 1603. Longitudo à capite ad caudam erat pedum tredecim, latitudo ſive diameter pedum quatuor cum dimidio, altitudo trium cum dimidio, venter potiùs planus quàm carinoſus, crura à terra ad ventrem pedum trium cum dimidio, ambitus crurum, pedum trium, pes latus uno pede, ungulæ ſingulæ latæ unciis tribus. Caput erat vaſtum in comparatione ad totum corpus, & latum pedes duos cum dimidio, longum tres, craſſum ambitu ſeptem. Oris rictus pedis erat unius, roſtrum carnoſum ac repandum, oculi exigui, lati unciâ unâ, longi duabus, aures parvæ ac breves, nec uncias tres excedentes. Totum corpus obeſum erat, pes latus in quatuor ungulas diviſus, ungulæ verò quales in bobus, & nigræ, talus calloſus ac latus.

Ex his patet, ungulas hujus beſtiæ non eſſe bifidas, ſed quadrifidas, ideoque potiùs inter digitata, quàm biſulca animalia, eſſe numerandam. Fabius citatus putat, antiquos non bene obſervaſſe pedes, quòd aquis ſint obruti. Veram iconem exhibet Aldrovandus. Jonſtonus habet binas, ſed nimis elegantes, ideoq; adulteratas. Patet præterea, cur tam variis appelletur nominibus aqud varios Scriptores: nam alii equum vocant

Digitized by Google

menſtrui ſpatio, antequàm collabantur, deſerunt, quòd earum compagem diſſolvi naturæ inſtinctu præſentiant. Omnes aliquando ejusdem ſilvæ congregantur; & ſi aliqui monte vel flumine diſcreti ad eas accedunt, præliantur invicem. Diverſæ gentes eorum carnibus veſcuntur.

In ædibus capiuntur muſcipulis. In ſilvis venatores obturant limo foramina cavearum, quas inhabitare ſolent, & revertentes, ac in patefaciendo aditu occupatos transfigunt, vel baculis interficiunt. Alii profundas foveas parant, & lignis ac palis tegunt, ut tranſeuntes incidant. Bononienſes ruſtici excavatas cucurbitas appendunt arboribus, in quibus nidulari ſolent, & repertos cum fœtibus abſportant. Alibi fumum excitant prope arbores & caveas ipſorum, & obſtupefactos capiunt. In valle Telina ruſtici cum facibus accedunt noctu, & fulgore excæcatos apprehendunt manibus, Gesnero teſte.

CAPUT XXXIX.

De Gulone.

Gulo.

OLaus *Magnus*, *Matthias à Michou*, aliique ſeptentrionalium regionum, ac rerum Scriptores, referunt, in regionibus illis, maximè in Livonia, & Moſchovia, animal reperiri voraciſſimum, *Roſomacha* dictis gentibus, Germanis verò Vielfraß nominatum, magnitudine canis, facie felis, corpore & caudâ vulpis, colore nigro. Veſcitur perlibenter cadaveribus, tantumque vorat, ut tympani inſtar infletur; tuncque anguſtiam duarum rupium, aut arborum ingreditur, & ventrem comprimendo extrudit per infernas ſupernasque portas excrementa, rurſumque ad cadaver properans impletur denuo. Vera helluonum idea. En typum.

Vide Iconiſmum XL.

Pellis animalis hyeme occiſi in pretio maximo eſt, æſtate exiguo. Coloris eſt ſplendidi, & quaſi floribus diſtincta. Venatores ut gulonem interimant, hyeme cadaver ad ſilvam deferunt; cujus odore illectus accedit, & ſagittis vel bombardis confoditur. Alii trabes, chordâ diſtinctas ita accommodant prope cadaver, ut accedentes capiantur, ac ſtrangulentur. Alii effoſſis ſcrobibus, & cadavere immiſſo, inſidias ſtruunt.

CAPUT LX.

De Hippotamo.

Hippotamus.

HIppotamus. id eſt, equus fluviatilis, ſic dictus, quod fluvios inhabitet; & equum non figurâ, ſed magnitudine referat, amphibium eſt

Digitized by Google

eſt animal: Ab Ariſtotele, & aliis antiquis ad biſulca, à recentioribus ad digitata refertur. De eo *Ariſtoteles* lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 17. ſic ſcribit. *Equo fluviatili, quem gignit Ægyptus, juba equi, ungula qualis tubus, roſtrum reſimum, talus etiam ineſt biſulcorum more, dentes exerti, ſed leviter, cauda apri, vox equi, magnitudo aſini, tergoris craſſitudo tanta, ut ex ea venabula faciant; interiora omnia equi & aſini ſimilia.* Hæc Ariſtoteles, quæ tranſcribunt *Plinius* & *Solinus.*

Joannes Leo in Deſcript. Africæ lib. 9. apud Aldrovandum lib. 1. de Quadrup. Digit. cap. 12. ſcribit, hippotamum formâ equum, magnitudine aſinum repræſentare, depilem eſſe, & cymbis inſidiari, easque mercibus onuſtas, ac ſecundo Nigro flumine delatas, dorſi frequentibus gyris agitatas demergere. *Bellonius* lib. 1. de Aquatil. apud eundem Aldrov. ait, ſe vidiſſe Bizantii parvum hippotamum, cum capite, ad reliqui corporis collationem, indecentiſſimo, quale eſſet vaccinum, nullis cornibus præditum, auribus urſinis brevibus, & ſubrotundis, oris rictu adeo vaſto, ut leoninum ſuperaret, patulis auribus, repandis labris, dentibus equinis obtuſis, oculis & linguâ prægrandibus, collo ut piſces nullo, aut admodum brevi, caudâ inſtar porci, vel teſtudinis rotundâ, reliquo corpore obeſo inſtar ſuis, pedibus brevibus, ungulis ut in ſue diviſis.

Fabius Columna in lib. Obſerv. Aquat. & Terreſt. cap. 15. apud eundem, vidit hippotamum integrum, ſale conditum, quem Fridericus Zerenghi Narnenſis Chirurgus, ex Ægypti paludibus prope urbem Damiatam captum, ſecum advexerat in Italiam, Anno 1603. Longitudo à capite ad caudam erat pedum tredecim, latitudo ſive diameter pedum quatuor cum dimidio, altitudo trium cum dimidio, venter potiùs planus quàm carinoſus, crura à terra ad ventrem pedum trium cum dimidio, ambitus crurum, pedum trium, pes latus uno pede, ungulæ ſingulæ latæ unciis tribus. Caput erat vaſtum in comparatione ad totum corpus, & latum pedes duos cum dimidio, longum tres, craſſum ambitu ſeptem. Oris rictus pedis erat unius, roſtrum carnoſum ac repandum, oculi exigui, lati unciâ unâ, longi duabus, aures parvæ ac breves, nec uncias tres excedentes. Totum corpus obeſum erat, pes latus in quatuor ungulas diviſus, ungulæ verò quales in bobus, & nigræ, talus calloſus ac latus.

Ex his patet, ungulas hujus beſtiæ non eſſe bifidas, ſed quadrifidas, ideoque potiùs inter digitata, quàm biſulca animalia, eſſe numerandam. Fabius citatus putat, antiquos non bene obſervaſſe pedes, quòd aquis ſint obruti. Veram iconem exhibet Aldrovandus. Jonſtonus habet binas, ſed nimis elegantes, ideoq; adulteratas. Patet præterea, cur tam variis appelletur nominibus aqud varios Scriptores: nam alii equum vocant

Digitized by Google

vocant fluviatilem, ut diximus; alii equum Niloticum, quod in Nilo præcipuè inveniatur, quamvis etiam in nigro flumine, & in mari ſit; alii bovem marinum; alii marinum porcum; alii aliter.

Hippotami aſtus.

Ingenium & aſtus in eo elucet, quòd *Æliano* teſte lib. 5. de Animal. cap. 53. noctu ex aquis egrediens ad paſtum, lata depaſcatur, & ſatur averſo veſtigio ad flumen regrediatur, idque vel ut venatores fallat, vel ut inſequentes ſe obſervet, atque averſo corpore excipiat. Alii tamen averſo etiam corpore ad paſtum ire ſcribunt: *Solinus* in Polyhiſtor. prodit, hippotamos nimiâ corporis obeſitate preſſos, caudici arundinis tam diu ſeſe affricare, donec apertâ venâ effluat ſufficiens ſanguis: quem ut iterum ſupprimant, cœno venam obturare. *Ælianus* l. 7. c. 19. ſcribit, eos conficere, ac devorare patres ſuos. Alii ajunt, cùm ad ætatem maturam pervenerunt, virium experiendarum causâ aggredi patrem; qui ſi cedat, quaſi viribus inferior, matrem adoriri.

CAPUT XLI.

De Hyæna.

Hyæna.

DE animali hoc ita ſcribit *Ariſtoteles* lib. 6. Hiſtor. Animal. cap. 32. *Hyæna colore lupi propè eſt, ſed hirſutior, & jubâ per totum dorſum prædita eſt. Quod autem de ea fertur, genitale ſimul & maris & fœminæ eandem habere, commentitium eſt: ſed virile ſimiliter atque in lupis & canibus habetur. Quod verò fœmineum eſſe videtur, ſub cauda poſitum eſt, figurâ ſimile genitali fœminæ, ſed ſine ullo meatu. Sub hoc meatus excrementorum eſt. Quin etiam fœmina hyæna, præter ſuum illud, etiam ſimile ut mas habet ſub cauda, ſine ullo meatu: à quo excrementorum meatus eſt, atque ſub eo genitale verum continetur.* Similia habet in libris de Generat. Animal.

Hyæna non eſt utriusq; ſexus.

De eadem hyæna ſic ſcribit *Plinius* lib. 8. Natur. Hiſtor. cap. 30. *Hyænis utramque eſſe naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri, parere ſine mare, vulgus credit, Ariſtoteles negat. Collum & juba continuitate ſpinæ porrigitur, flectique, niſi circumactu totius corporis, nequit. Multa præterea mira traduntur. Sed maximè ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſſimulare, nomenque alicujus addiſcere, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitari ad ſollicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali ſepulchra erui inquiſitione corporum. Fœminam rarò capi. Oculis mille eſſe varietates, colorumque mutationes. Præterea umbræ ejus contactu canes obmuteſcere. Et quibusdam magicis artibus omne animal quod luſtraverit, in veſtigio hærere &c. Hyænæ plurimæ gignuntur in Africa.* Et lib. 28. cap. 8. ait, *Hyænam Magi ex omnibus animalibus in maxima admiratione poſuerunt, utpote cui & ipſi*

Hyænæ mira.

magicas

Digitized by Google

magicas artes dederint, vimq́; qua alliciat ad ſe homines mente alienatos. De permutationis ſexûs annua vice diximus, cæteraq́; de monſtrifica natura ejus: nunc perſequemur quæcunq́; medicinis produntur. Præcipuè pantheris terrori eſſe traduntur, ut nè quidem conentur reſiſtere: & aliquid de corio earum habentem non appeti. Mirumq́; dictu, ſi pelles utriusque contrariæ ſuspendantur, decidere pilos pantheræ. Cùm fugiunt venantem, declinare ad dextram, ut prægreſſi hominis veſtigia occupent. Quod ſi ſucceſſerit, alienari mente, ac vel ex equo hominem decidere. At ſi in lævam detorſerit, deficientis argumentum eſſe, celeremq́; capturam. Faciliùs autem capi, ſi cinctus ſuos venator, flagellumq́; imperitans equo ſeptenis alligaverit nodis &c. Eadem prorſus, ſed aliis verbis, habet *Solinus* cap. 40. Polyhiſt.

Ælianus lib. 6. cap. 14. *Hyæna,* inquit, *ut Ariſtoteles tradit, læva in manu vim ſopiendi habet, & ſolo tactu ſomnum conciliandi, ſæpeq́; numero in ſtabula ingreſſa, cùm dormientem aliquem deprehenderit, & pedetentim ad illum progreſſa fuerit; ſoporiferam, ut ita dicam, manum ejus naribus admovet, ſicq́; eas opprimit, hic ut ſine ſenſu eſſe videatur: ac tantum terræ ſuffodit, quantum ſit ad eum ipſum obruendum ſatis; guttur verò & ſupinum & nudum relinquit, in quod incumbens, ſomno oppreſſum ſuffocat, poſteaq́; in latibulum abſtrahit. Jam cùm lunæ orbis plenus eſt, retro poſito lunæ fulgore ſuam canibus umbram injicit, quos ſtatim mutos reddit, & tanquam veneficio quodam eorum ſenſus perſtringit: deinde & elingues abducit, & optatis fruitur.* Et lib. 7. cap. 22. ait. *Hyæna noctu ad ſtabula adit, & vomentes imitatur. Canes qui audierint, accedunt velutì ad hominem: quos illa correptos vorat.*

Hactenus ex antiquis. Nunc pauca ex recentioribus. *Scaliger* Exerc. 217. num. 7. ait, Hyænam eſſe *lupi formâ, ſed majorem: pedibus longioribus, humanis ſimilibus: craſſis item ſuris, & humanis propioribus. Dabuch vocant Arabes, Afri Jeleſ. Hæc ſanè hyæna Græcorum eſt. Feras huic alias non eſſe prædam, ſed erutis ali cadaveribus. In ſpecubus ſtabulatur. Venatores cantu, atq́; tympanorum pulſatione delinitam laqueis injectis capiunt. Spartianus in tertio Gordiano Belbum vocat. Suo quoq́; tempore decem Romæ fuiſſe tradit. Antiquis fuerat perſuaſum, promiſcuum eſſe utrumq́; in eodem ſexum. Hos caſtigat Ariſtoteles: negat enim in maſculo eam rimam, quæ ſub excrementorum exitu eſt, perviam introrſum eſſe. De Melibus hoc idem à nobis dictum eſt. Sed in aquatico Mure, cujusmodi multos vidimus ad ſtagna Ligurum Taurinorum, maxima eſt admiratio: fœmellæ namq́; tria ſub cauda ſunt foramina, à veſica, ab alvo, à matrice. Hoc ſanè, quàm mulier, nobilior, cujus fœtus non edatur per fœtidas vias excrementorum. Hyænam ridiculè cattum Zibethicum quidam exiſtimârunt. Ganos à Phrygibus, & Bithyniis olim Hyæna dicta fuit.* Hæc Scaliger.

Hyænæ natura & mores juxta Recentiores.

Mus aquaticus.

Petrus Bellonius lib. 2. putat, animal Zibethi, quod ſupra Felem ſeu Cattum

Uuuuu

Digitized by Google

tum Zibethicum appellavimus, & ab aliquibus Sivettam, ſeu Civettam vocari diximus, eſſe hyænam hactenus deſcriptam. Rationem aſſignat, quòd omnia ferè, quæ de hyæna hîc diximus, Civettæ conveniant. Nam eſt magnitudine & colore lupi, ſimilique modo hirſuta, niſi quòd corpus maculis habet reſperſum nigris, ita ut ſub oculis binæ ſint nigræ maculæ, pedes nigro pilo obſiti, crura maculata, cauda oblonga ſuperiùs nigra, inferiùs albis maculis aſperſa. Præterea in cervice & dorſo habet pilos nigros, quos ſurrigit cùm indignatur; & talis fortè eſt juba illa Ariſtotelis. Tandem videtur ſimul habere genitale maris, & fœminæ, eo modo, quo de hyæna dictum. Sed Bellonium ridet *Scaliger*, ut vidimus; refellitque *Geſnerus*, *Augerius Busbequius* Epiſt. 1. de Legatio. Turcica, *Cluſius* in Addit. ad Bellonium, & alii. Rationem aſſignant, quòd plura ab Ariſtotele, Plinio, Solino, Æliano tribuuntur hyænæ, quæ non conveniunt Civettæ, ut conſideranti patet, quæ colligit *Petrus Caſtellus* Romanus in Exetaſi de hyæna odoriſera Zibethum gignente, apud *Jonſtonum* in fine libri de Quadrupedibus: ubi etiam invenies deſcriptionem hyænæ ex Busbequio, & Petro Fabro.

CAPUT XLII.

De Hyſtrice.

Hyſtrix.

HYſtrix ex Erinaceorum eſt genere, ſpinis ſeu aculeis undique contectus, unde & *porco ſpinoſo*, ſeu *porco di ſpino* ab Italis dicitur. Os habet leporino ſimile, dentes quatuor longos, duos in ſuperiore, totidem in inferiore parte; aures humanis ſimiles, pedes anteriores pedibus Taxi, poſteriores urſi aſſimulantur. Dorſo & lateribus ſpinæ bicolores, partim nigræ inſunt, unius, duorum, ac trium ſubinde palmorum longitudine, utrimque acuminatæ, & oſſeæ, quas animal erigere poteſt, ac ſolet, ut pavo caudam. Ingreſſurum in cavernam arctam, demittit, ſeu contrahit. In canes ac homines inſequentes easdem ejaculatur. Reperitur in Africa & India, in Gallæcia & Italia, ac etiam in Sicilia circa montem Ætnam. In dumetis & vepribus latitat. Victitat pomis, rapis, pyris, paſtinacis, & pane etiam comminuto. Noctu magis quàm interdiu ad paſcua egreditur. Hyeme in cavernis latitat.

De animali quodam Hyſtrici ſimili.


Hyſtrici ſimile animal.

CArdanus lib. 10. de Subtilit. mentionem facit animalis cujusdam à ſe viſi Papiæ in Italia, quod his verbis deſcribit. *Vulpis magnitudo, aliquantò longius; ore & rictu leporino, cum pilis longis, duobusq; dentibus prælongis,*

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconiſmus XLI. Ponatur è regione pag.89.



Digitized by Google

giæ, ſiquidem digiti humani longitudine prominentibus ad modum ſciuri; Oculis ſerpentinis, quippe qui ungulis carerent, & nigri eſſent. Pileus inerat capiti hircinæ barbæ ſimillimus, ſed non aliter quàm criſta pavoni. Pilus muſtelinus ac pulcher, niſi quòd ſuper collum velut lana candida videbatur. Anteriores pedes ut Taxi; aures, & poſteriores nihilo differentes ab humanis, niſi quòd pedibus ungula urſi, pro humana erat. In dorſo, poſtremaque parte, ſpinæ circiter centum, hyſtricis inſtar, quarum quædam in apice curvabantur, prominebant alioquin immobiles, nec ut de hyſtrice ferunt, emiſſariæ. Cùm moveretur, ſtrepitum, dum ſe colliderent, edebant. Cauda anſerina, ſed in ſpinas plumæ finiebantur. Si reliqua non videas, anſerem dices; candidis, ac cinereis plumarum ſedibus, latoque lumine anſerem æmulantibus; vox ſubobſcura, rauca, quaſi latrantis canis. Iracundum animal, ſed tamen quod facilè à circulatore tractaretur. Canes odio proſequebatur maximo. Sexus fœminei, ætatis juvenilis. Potus nullus, cibus panis aquâ madefactus. Animal hoc ſui generis vix eſſe credam, ſed ex hyſtrice alioque, velut urſo, natum.

CAPUT XLIII.

De Jaguára, & Jaguarete.

HAs duas beſtias *Gulielmus Piſo* lib. 3. Hiſtor. Natur. & Medic. Sect. 3. numerat inter tigrides minores & veſcas apud Braſilienſes. *Seniores brevibus,* (inquit,) *juniores longioribus ſunt pilis, & paulùm criſpis inſtar lanæ ovillæ; nunc capræ inſtar ex flavo ruſeſcentis coloris, nunc maculis nigricantibus eleganter diſpoſitis. Lupi ferè ſunt magnitudinis & molis: rapaces quoq;, & hominibus æquè ac beſtiis infeſtæ, cùm famelicæ ſunt: aliàs enim à gregariis canibus, imò vel ſolo accenſo rogo de nocte in fugam facilè aguntur; ignis enim vel luminis beneficio, me ſociosque itineris mei ab his aliisq; noxiis animantibus tutari ſolebam. Terribilem noctu clamorem* u u *inſtar canis famelicæ excitare ſolent. Prædâ potitæ eam dilacerant, caputque in ipſum cadaver immittunt ſanguinemque inprimis ſugunt. Licèt carnis bonitate, mole capitis, corporis, caudâ, & maculis cutis inter ſe differant, oculis tamen igneis, barbâ, & ungulis felinis, dentibus acutiſſimis, atque indole, conveniunt.* Jaguára, & Jaguarete. Vide Icon. XLI.

CAPUT XLIV.

De Ichneumone.

ICHneumon, ſic dictus ab *ἰχνεύειν*, hoc eſt, inveſtigando, ab aliis *Porculus* ſeu *Suillus, Mus Pharaonis, Mus Indicus, Lutra Ægypti* dicitur. Magnitudine Ichneumon.

Vide Icon. XLI. eſt felis, ſed longior; pilis inſtar pili lupini duris, albicantibus ſeu ſubflavis per intervalla, & leucophæis. Roſtrum habet nigrum, & ſuillum; auriculas breves, & rotundas; crura nigra; quinque in pedibus poſterioribus digitos, quorum poſtremus ab inferiori parte perbrevis eſt. Caudam longam, & circa lumbos craſſam. Teſtes, linguam, dentes, felis inſtar. Meatum denique extra foramen excrementi peramplum, undique pilis cinctum, quem magno urgente æſtu aperire ſolet. Hinc utriusque ſexus ichneumones eſſe putârunt aliqui. Amphibium eſt animal, & ad Niloticas ripas commoratur.

Veſcuntur muribus, ſerpentibus, limacibus, lacertis, chamæleonte, ranis, & aliis hujus generis. Aves, & inprimis gallinas vehementer appetunt. Hepate Crocodilorum delectari, & ideo in dormientium ventrem irrepere, proditur. Adverſatur Crocodilo, cujus ova in littore inventa frangit; & aſpidi, & omni ſerpentum generi. Ventum maximè abominatur, eoque flante latibula quærit. Mures, & ſerpentes more felium & muſtelarum depopulatur; ideo in Ægypto cicuratur. Aſſiduis colluſionibus gaudet. Nè frigore lædatur, caput inter genitalia abdit, & echini inſtar in pilam ſe contorquet. Conſpecto aliquo animali, pilos erigit, & magno etiam ſe cani opponit, felemque tribus dentium ictibus ſtrangulat. Omne animantium genus, etiam equos, & camelos adoritur.

Ichneumonis aſtus. Prædaturus ſe in poſteriores pedes erigit: prædam verò conſpicatus, tranquillo per humum tractu ſe promovet, & tandē magno impetu adoritur. Hoſtes ſuos nunquam, niſi advocatis ſociis, aggreditur. Contra aſpidem pugnaturus, in luto priùs volutatus, in ſole apricatur, donec quaſi loricæ munimentum acquirat: ſi lutum deſit, aquâ madefactus in pulvere ſe volutat. Gnarus teneras ſibi nares, ſolo caudæ flexu in acerrima dimicatione eas tuetur. Hæc omnia ex variis collegit *Jonſtonus* cap. 9. de Quadrup.

CAPUT XLV.

De Leone.

SUmmâ tantùm capita de leone, quadrupedum rege, perſtringam, ne caput hoc in librum excreſcat.

§. I. Leonis externarum partium deſcriptio.

Leo, ejusq; deſcriptio. ARiſtoteles, *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*, & varii Recentiores, Leonis naturam eò accuratiùs deſcripſēre, quò frequentiùs is in hominū oculos incurrit, utpote qui in variis Principum Theriotrophiis enutriri, & omnibus

Digitized by Google



Digitized by Google

Leo



Digitized by Google

bus ſpectandus exponi ſolet. Eſt autem Leo capite mediocri, comparatione totius corporis; fronte quadratâ, in medio cavâ; ſupercilio eminenti, & naſum verſus cujusdam nubis inſtar porrecto; oculis charopis, (nigro-cæruleis) non valde volubilibus, nec valde prominentibus; naſo craſſiori potiùs quàm tenuiori; ſuperiori maxillâ non prominente, ſed inferiori æquali; rictu amplo, in quo labia ſunt tenuia, ita ut partes ſuperiores ſuperinjectæ ſint inferioribus; rigenti collo magno, & mediocriter craſſo, pectore robuſto, metaphreno lato, medio ventre gracili, cruribus validis, & nervoſis, pilis flavis, neque rectis, neque valde criſpis. Pedes anteriores quinis digitis, poſteriores quaternis diſtinguuntur. Infima pars caudæ hirta eſt, qualis in bobus. Leonis partes exteriores. Vide Ioniſmum XLII.

Leæna in omnibus Leoni eſt ſimilis, exceptâ jubâ, qua caret, & mammis, quas binas tantùm in ventre habet; quod lactis inopiæ tribuendum eſt, hæc autem calidiſſimæ, ac ſicciſſimæ complexioni.

§. II. Leonis interiorum partium deſcriptio.

Muſculos temporales habet magnos, & validos, quòd fortes habet maxillas, & mordendo valere debet, utpote animal carnivorum. Lingua imbricatâ aſperitate eſt prædita, & peraſperæ limæ ſimilis. Lienem habet nigrum, ut & cætera animalia leoninam ac calidam temperiem habentia. Ariſtoteles, & ex ipſo Ælianus, Cardanus, & alii, leoni cervicem rigidam tribuunt, quòd unico conſtet oſſe, neque ullis vertebris jungatur. Scaliger tamen Exerc. 208. id negat, allatis binis exemplis. Ælianus ſcribit, oſſa ſolida eſſe, & medullis carere: quod non credit Aldrovandus, cùm medulla ſit oſſium nutrimentum. Alii ajunt oſſa habere meatus anguſtiſſimos, ut ſolida eſſe, & medullis carere videantur. Leonis partes interiores.

§. III. Leonum variæ differentiæ, & locus natalis.

Differunt jubis, ferociâ, colore, magnitudine, & aliis. Sunt qui jubis carent; & hos dicunt eſſe adulterinos, ex pardis & leænis natos. Sunt qui jubam brevem & criſpam habent; ſunt qui prolixam & minùs criſpam: primos ajunt eſſe ſegnes & ignavos, poſteriores verò generoſos & ferociores. Leonum differentiæ variæ.

In Parthia ſunt ferociſſimi, & audaciſſimi. In Armenia adeo imbelles, ut ſimplicibus minis paſtores illos à gregibus arceant. In India quoque occidentali minùs audaces ſunt, & auditis minantium vocibus fugiunt.

Sunt aliqui concolores, alii diſcolores. Concolores ſunt flavi, albi, nigri. Album Romæ vidi. Nigri dicuntur eſſe in intima Africa. In Occidentali India ſunt etiam ſubcinericii coloris. Diſcoloris unius meminit

Ælianus, præditi ore rubro, & nigris floribus cyaneo colore diſtinctis, neque multo pilo veſtiti. Alterius Oppianus, qui pilis nigris tegebatur, excepto ore, quod flavus color decorabat. Paulus Venetus vidit in Tartaria diſtinctos nigro & rubro colore.

Reperiuntur, tanquam in locis natalibus, in Africa, Aſia, & America. Olim etiam in Europa erant inter Acheloum & Neſſum fluvios, teſte Ariſtotele; at nunc extincti ſunt.

§. IV. Natura, & Mores.

Leonis natura.

NUllum animal majori robore & magnanimitate præditum eſt, quàm leo. Feras adgreditur, & homines etiam armatos. *Joannes Leo* in Hiſt. Africæ ait, invadere ducentos equites. Circa annum 1653. in regno Tunetano leo ingens multo tempore circa Tunetum urbem, magnam hominum & armentorum ſtragem edebat, contraque eum Regulus loci aliquot centenos viros armatos ire juſſit; qui tandem ſagittis, & bombardis eum proſtraverunt. Pellem tanquam rem, ob vaſtitatem rariſſimam, Reguli filius Chriſtianus, Don Philippus ab Auſtria nuncupatus, miſit ad P. Athanaſium Kircherum, in ejus muſeo aſſervandam; quam tamen is qui deferendi curam habebat, Genuæ neſcio cui Principi, pecuniâ corruptus, contradidit.

Leonis mores.

Integra armenta invadit leo; & prædam in proximum nemus catulis defert. Pro his acerrimè pugnat, tela & lapides aſpernatur, etiam lethali vulnere ſaucius, nec priùs illorum tutelam quàm vitam relinquit. Antequam pugnam adgrediatur, caudâ ſe verberat, & quaſi ad pugnam extimulat. Ad venationem ſolus exit, non ſociatus leo cum leæna, nec hæc cum illo, ob animi magnitudinem, tanquam alterius auxilii non indigens. Teterrimum ex ore fœtorem exhalat, ob crudas & nimias carnes comeſtas. Limis oculis neminem aſpicit, nec ſe ita aſpici à quoquam patitur. Morti vicinus, terram mordet, & lacrymatur. Graditur pedatim. Dum incedit, ungues retrahit velut in vaginas, nè hebetentur. Rectum iter non peragit, neque ſimplex veſtigium, ſed varium & multiplex imprimit, modò progrediens, modò regrediens, & veſtigia etiam oblitterans caudâ, nè à venatoribus tramites obſerventur. Juniores paſcunt ſenes parentes, & ad ſumendum cibum ex venatione delatum hortantur. Injuriarum eſt memor, & ultor; erga beneficos gratus. Utrumque exemplis poſtea confirmabimus. Vox ejus eſt rugitus; quo audito cætera animalia figunt gradum præ timore, ac ſtupore. Dormit oculis apertis, quia pellis oculo incumbens minor eſt, quàm ut magnos oculos tegere queat: Galli cantum timet, & ignem. Si ilicis folia pede attigerit, obtorpeſcit. Odoratur ſagaciſſimè.

Leo lacrymatur.

§. V. Leo-

Digitized by Google

§. V. Leones quomodo capiantur, & cicurentur.

VEnatores Libyci, teſte *Gyllio* in Annot. ad Ælianum, diligenter inveſtigant viam, per quam leones latibula ſua petunt; in via ſcrobem altum & latum effodiunt, & in medio columnam, agnum alligatum ſuſtinentem erigunt, foſſam maceriâ cingunt, nè leo appropinquans doloſum barathrum videat: qui tandem audito agni balatu accedens, ab inopinata foſſa excipitur. Alii venatum exeuntes deferunt ſecum ſtragulam, eamque contra leonis ingruentis impetum objiciunt, caputque ejus operiunt; tuncque fera quodammodò torpeſcit, nec venatori vincienti reluctatur. Venatores Euphratem accolentes retia tendunt, quibus tenſis equites more bellico ſiniſtrâ clypeos crepitantes, & dextrâ facem accenſam tenentes, ac circumfuſi currendo, leones invadunt, multis peditibus, magno ſtrepitu concomitantibus: leones igne, & vociferatione territi, & reſiſtere non audentes, in retia currunt, & comprehenduntur. Leones quomodo capiantur.

Bartholomæus Anglicus lib. 18. de Anim. apud Aldrovandum ait, aliquos effodere foveam altam in via, per quam leones ad ſpeluncas ſuas tendunt, & à latere foſſæ aliam caveam parare, continentem ciſtam leonis capacem; leonem à prima fovea exceptum, & exitum per ſecundam quærentem, incurrere in ciſtam ſe claudentem, & exitum negantem.

In Æthiopia, teſte *Gyllio* citato, viri robuſti, ex omni parte armati, & ſcutati, flagellorum vibratione obſtrepentes, leonis ſpelæum adeunt; leo irritatus, magno ſtrepitu, & impetu erumpit, & in venatores irruit; hi conſtanti animo leonem excipiunt, & dum is unguibus ac dentibus quempiam illorum invadere nititur, retrò ſcuticâ ab alio cæditur, & irritatur; leo relicto priore, contra hunc ſe convertit, interimque ab aliis eodem modo cæditur, atque vexatur, donec tandem longo labore fractus, & procumbens, vinculis coërcetur, ac domum ducitur.

Geſnerus ait, quoſdam venatores injicere in os leonis in ſe irruere volentis pulverem chalcanthi, ejusque tantam in adſtringendo vim eſſe, ut leo mordere non poſſit. Et hoc pulvere ajunt quoſdam uſos Romæ, dum in theatris ſpectante populo cum leonibus pugnabant.

Indi occidentales, armati lapidibus, fuſtibus, & ſagittis, leonem invadunt, tam diuque exagitant, donec concidat. Quòd ſi arborem conſcendat, ſagittis petitum dejiciunt. Alii & alibi canibus invadunt leones: & hi ſi arborem reperiant, ei ſe admovent, & adverſi pugnant: ſin minùs, liberè pugnant, & reſiſtendo impares facti non fugiunt, ſed pedetentim recedunt, contemptis canum morſibus, & venatorum ictibus, donec effuſo ſanguine, & deficientibus viribus, concidant.

Cicurantur catuli citiùs quàm adulti: utriq; nec minis ſolis, nec ſolis blan-

Leones quomodo cicurentur.

blanditiis, ſed utriſq; mixtis. Cicuratorum leonum exempla multa habemus. Hanno Carthaginenſis cicuravit unum, ſed exilium à Magiſtratibus pro præmio reportavit, tanquam omnia auſurus, qui beſtiam tam ferocem ad manſuetudinem traduxerat. *Martialis* in Epigram. meminit leonis arieti conviventis adeo pacificè, ut unus feritatis, alter timoris videretur oblitus.

Ælianus lib. 12. de Animal. cap. 23. ſcribit, in Elymæa regione Adonidis templum fuiſſe, & in eo manſuetos adeo leones, ut homines templum ingredientes, tanquam ſalutatos adulando exceperint. Eosdem ſi ad cibos advocarentur, tanquam invitatos convivas adfuiſſe, & quidquid porrectum fuerat, accepiſſe, ac modeſtè & decenter abiviſſe. Hanno citatus leonem ad ſarcinarum vectiones aluit. Cum Berenice Leo manſuetus convivebat, & linguâ faciei ejus adblandiebatur. Onomarchus Catanæ Tyrannus habuit leones convictores. Joannes II. Luſitaniæ Rex ſemper habebat ſibi aſſidentem Leonem tanquam catulum. Agyrtæ multi manſuetos leones quotidie circumducunt: Antonius Romæ poſt pugnam Pharſalicam jugo ſubdidit, & currui vehendo junxit.

Leones Indici adeo aſſuefiunt loro, teſte *Æliano* lib. 17. de Animal. cap. 26. *ut facilè ſimiliter atque canes ad venandos hinnulos, cervos, apros, tauros, & aſinos ſilveſtres duci queant.*

§. VI. Leo injuriarum memor, & ultor.

Leo injuriarum memor, & ultor.

E*Um à quo injuriam acceperit leo* (inquit Ælianus lib. 7. de Animal. c. 22.) *probè novit ulciſci: & quamvis ex eo ipſo non ſtatim ultionem ceperit, tanto tamen pòſt iram retinet, quoad pœnas pro maleficio ſibi illato ſumpſerit. Cui rei teſtimonio eſt Juba Maurus, pater illius, qui Romam miſſus eſt obſes. Is cùm aliquando iter per deſertam regionem faceret, ut gentem quæ ab ſe defeciſſet, ſub jugum rurſus mitteret, è ſuo comitatu quiſpiam, cùm præſtanti nobilitate, tum egregiâ pulchritudine adoleſcens, rei venatoriæ non imperitus, leonem caſu ſecundùm viam animadverſum ſagittâ appetens, non ab ictu directo aberravit, quin ei vulnus, non tamen mortem, intulit. Et cùm expeditio acceleraretur, tum leo vulnere accepto, ſtatim ſe ſubduxit. Tum ille qui vulnus ei inflixiſſet, unà cum cæteris diſceſſit. Anno vertente interpoſito, Juba rebus, ad quas cum exercitu profectus fuiſſet, præclarè geſtis, eâdem viâ regreſſus eſt ad eum locum, ubi anno antè leo vulnus excepiſſet. Is ſanè, etſi in magna hominum multitudine erat adoleſcens, ab invadendis tamen cæteris ſuum impetum ſuſtentavit, illum tantùm, qui ſe anno antè læſiſſet, corripuit, & furorem acerbiſſimum, quem tamdiu, quàm dixi, ſervaſſet in illum ipſum hominem peradoleſcentem, quem ab aliis internoſſet, effudit, ac ſimul dilaceravit, nec illum quiſpiam ab hac calamitate vindicare eſt auſus, ſed graviſſimâ leonis irâ perterrefacti, urgente etiam itineris ratione, omnes prætererunt.*

§. VII. Leo

§. VII. Leo canem ſuum contubernalem ulciſcitur contra urſam.

Q*Uod de leone Eudemus dicit* (ait idem Ælianus lib. 4. de Animal. cap. 45.) *non parvam admirationem habet. Hoc ipſum ejusmodi eſt. Juveni ferarum cicuratori canem nimirum, urſam, & leonem fuiſſe: eosque primùm & pacem inter ſe ſervaſſe, & amicitiam rectè coluiſſe. Deinde cùm canis aliquando & urſa inter ſe colluderent, & ludicris morſiunculis conflictarentur; urſam repentè ad feros mores revertiſſe, & canem ſimul invaſiſſe, & ventrem miſero unguibus indigniſſimè diſtraxiſſe. Cujus atrocitatem facti leonem indignatum, & canis tanquam ſocii deſiderio motum, & perfidia urſinæ odio (quòd fœdus illa fregiſſet, & amicitiam inſtitutam violaſſet) inflammatum, juſtâ & meritâ iracundiâ contra urſam & exarſiſſe, & ab ea pares pœnas, quibus illa priùs canem affeciſſet, repetiiſſe.*

Leo canem ſuum contubernalem ulciſcitur contra urſam.

§. VIII. Androclus ſervus à Leone, cui laniandus objectus fuerat, & quo cum in deſertis Libyæ priùs convixerat, ſervatus.

M*Emoriæ vim* (Ælianus lib. 7. de Animal. cap. 48.) *quæ beneficium agnoſcat, animalibus quoque rationis expertibus ineſſe, ſine ulla arte & doctrina, quam mirabiles quidam oſtentatores ſe excogitaſſe gloriantur, illa quæ mox dicam, argumento ſunt. Cùm à Senatore Romano ſervus, cui nomen Androcles erat, aufugiſſet, quia facinus quodpiam nefarium (id verò quale fuerit, ignoro) admiſiſſet, & verò in Africam veniſſet, relictis urbibus (quarum ſitum ex aſtris fortè, quod ajunt, conjiciebat) in deſertiſſimam proceſſit regionem: ibique cùm ardore ſolis torreretur, ſpeluncam ſubiens, ab æſtu requieſcebat. Hæc autem ſpelunca leonis erat cubile. Poſtea autem quàm ex venatu leo ſummo cum dolore, quo laborabat, ex pede transfixo ſtirpe à ſummo præacutâ revertiſſet, atq; in juvenem, qui intra ſpecum abdebatur, incidiſſet; ipſum leniter aſpexit, ac blandire cœpit, pedemque porrexit, & quoad poterat, ſibi ſtirpem extrahi rogabat. Ille primò, etſi mors illi neceſſaria erat, ab eo pertimuit. Deinde poſtquàm manſuetam vidiſſet belluam, & pedis morbum cognoviſſet; tum id, quod pedem vexàrat, evellit, tum verò dolore liberavit. Qua curatione leo delectatus, illum hoſpitaliter & amicè tractando, & quæ venaretur, cum illo communicando, præmium ſalutis perſolvit. Is quidem incoctis, ut leonum mos fert, paſcebatur; ille verò aſſis veſcebatur, communique menſâ ſecundùm ſuam uterque vivendi rationem utebantur. Itaque totum triennium ibi Androcles ætatem duxit. Et cùm tandem ejusmodi habitationis illum tæderet, quòd corpus ei omnino incomptum illotumque prurigine nimiâ vexaretur; à leone diſcedens vagari, & ſe fortunæ committere cœpit. Cùmquè, ubi eſſet, intellectum fuiſſet, comprehenderunt eum, vinctumque Romam ad dominum miſerunt. Hunc dominus tum de his quæ admiſiſſet facinoribus reum facit. Ita factum eſt, ut is ſic capite*

Leo ſervat Androclum ſervum.

Digitized by Google

damnaretur, ut diſtrahendus beſtiis daretur. Tum verò ille Libycus leo fortè captus fuit, & in theatrum miſſus. Simul & eò ad pereundum conjectus eſt homo leonis aliquando hoſpes, & convictor. Is primùm quidem ſervatorem ſuum non recognovit: leo contrà ſtatim hominem diverſorem ſuum agnovit, ſuaviterque blanditus eſt, & totius corporis inclinatione ad pedes hominis ſe abjecit. Androcles tandem ſuum hoſpitem recognovit, & leonem tanquam peregrè venientem amplexatur. Quamobrem cùm artis magicæ peritus videretur Androcles, immiſſa eſt in eum etiam pardalis. Quæ cùm invadere eum aggrederetur, leo illum, qui videlicet ei aliquando ſalutem attuliſſet, ab hujus laniatu ſervavit, illamque laceravit. Spectatores, ut par erat, incredibili tenebantur admiratione: qui autem ſpectacula præbebat, Androclem accerſivit, ab eoque totam rem cognovit. Inde primò rumor in multitudinem effluxit: deinde re cognitâ, populus clamorem ſuſtulit, cunctusque conſeſſus multiplicem plauſum dedit, homini ipſi, & leoni eſſe largiendam libertatem. Conſtat igitur brutis quoque non deeſſe memoriam. Hiſtoriam hanc narrat etiam *Gellius* lib. 5. Noct. Attic. vocans ſervum illum Androdum. Similis caſus quoad ſpinam ex leonis pede extractam, contigit etiam Mentori Syracuſano in Syria, qui leone obvio, & ſuppliciter ei ſe obvolvente, attonitus pavore, cùm refugienti undique fera ſe opponeret, & veſtigia more adulantium lamberet, animadvertit magnum in ejus pede tumorem; & ſurculo extracto, leonem cruciatu liberavit. Sed quid à leone præmii retulerit, non conſtat. Helpis autem Samius, cùm in Africa leone viſo, pavidus in arborem conſcendiſſet, & leo penes arborem procumbens, miſerationes quæreret; deſcendens extraxit ex hiatu os, & à leone poſtmodum quotidie venationem accepit. Omitto hiſtoriam relatam in Prato ſpirituali de Abbate Geraſimo extrahente ſpinam è leonis pede propè Jordanem, & alia multa exempla, quæ *Majolus* narrat Colloquio 7.

§. IX. Leones mirificè ulciſcuntur catulorum ſuorum cædem adverſus urſam.

Leones ulciſcuntur catulorum ſuorum cædem contra urſam.

I*N Pangæo Thraciæ monte Eudemus ait* (referente Æliano lib. 3. cap. 21.) *urſam, quo tempore leonis luſtrum non ignorabat à defenſoribus vacuum eſſe, hujus catulos, qui per ætatem ſe nondum tueri quirent, interemiſſe: mox parentes cùm aliunde ex venatu reverti ſſent, & cùm etiam leunculorum cædem factam vidiſſent; acerrimo, ut par erat, dolore preſſos, urſam inſecutos fuiſſe: hanc verò ſummo cum metu quantum potuit itineris contendentem, in primam quamque arborem conſcendiſſe, ibique ut ab illorum inſidiis declinaret, conſediſſe: eam autem illi cùm ſe viderent ulciſci nequire, leænam quidem continenter ſummâ diligentiâ ad arboris truncum inſidias molientem excubaſſe, furſumque verſus intentis oculis ſanguinariam aſpexiſſe: leonem verò ſimiliter atque hominem ex li-*

ex liberorum morte mœrentem , longè lateq́; ſummo cum dolore totis montibus erraſſe, dum materiarium fabrum offendiſſet. Cujus è manibus magnopere exterriti ſecurim ubi is excidiſſe perſpexiſſet, ſeſe attollens, illum blandè, & ſuaviter amplexabatur, linguâq́; illi faciem abſtergebat. Quam benignitatem homo ſentiens, ſuis rebus fidere cœpit. Leo hunc cauda amplexatus ducebat: neq́; ſecurim, quæ hujus è manibus effluxerat, illum relinquere permittebat, ſed pede ſuo ſecurim tollendam eſſe oſtendebat. Cùmq́; ejus ſignificationem homo non intelligeret, ſecurim leo ore accepit, mordicusq́; tenens illi porrexit ; ac denique illum ad luſtrum ſuum, ubi conſtrati catuli jacebant , perduxit. Id quod leæna videns, ipſa quoque ad eos profecta, homini ſignificabat , cladem miſerabilem reſpiceret: atque poſtea ſuâ ſignificatione hunc impellebat , ſuſpiceret urſam. Unde homo conjecturâ aſſecutus, aliquam hos ex hac gravem injuriam accepiſſe, omnes nervos ad exſcindendam arborem contendit. Quam cùm evertiſſet, urſam præcipitem in terram delapſam feræ diſtraxerunt. Hominem illæſum leo reduxit in locum, ubi priùs ei occurriſſet, atque materia quam à principio cadebat, illum inviolatum reddidit.

§. X. Leo militem offendit, non occidit.

Aldrovandus lib. 1. de Quadrup. Digit. cap. 1. refert ex Alberto Magno, leonem illatis injuriis ſemper parem ſeu æqualem reddere vindictam. Confirmat hoc Albertus exemplo cujusdam militis, qui cum multis dextrariis equis exierat ad venationem. Equitantes inciderunt in tres leones, quorum uni miles ſagittam immiſit, ſagitta tamen prope caput leonis prætergreſſa non vulneravit. Leo ſubſtitit aliquantiſper: tunc miles ad eum feſtinans, antequam aliis duobus leonibus conjungeretur, lancea eum confodere conatus eſt, ſed iterum vano ictu , ſimulque de equo ad terram delapſus eſt. Leo ſtatim accurrens, caput militis in galea compreſſit, læſit, ſed non vulneravit, neque eum occidit; & mox alios Leones ſecutus eſt.

Leo militem caſtigat, non occidit.

§. XI. Leonis magnanimitas in pugnandi occaſione.

IDem *Aldrovandus* ibidem narrat ex Dialogo Gabrielis Simeonis , eum Florentiæ interfuiſſe ſpectaculo venationis in platea Sanctæ Crucis parato ; ibique inter alia animantia , duos leones in theatrum ductos. Horum alteri in arena occurriſſe capreolum , qui pedibus anterioribus ter aut quater caput leonis percuſſit : ſed leo tanquam magnanimus & generoſus, percuſſionem illam parvi pendens , capreolum illæſum præterivit , & ad bellandum cum ſuperbiſſimo tauro in altera theatri parte morante, alacri animo ſe contulit. Similem magnanimitatem oſtendit,

Leonis magnanimitas in occaſione pugnandi.

Digitized by Google

dum in venatione urgetur à Venatoribus,& canibus, ut diximus. Leonis cum equa pugnam retulimus ſuprà in Equo.

CAPUT XLVI.

De Leopardo ſeu Panthera.

Leopardus ſeu Panthera.

Leopardus, qui & Pardus, & Pardalis, & Panthera dicitur, faciem habet parvam, os magnum, oculos parvos albicantes & vagos, frontem longam, aures rotundas magis quàm planas, collum longum ac tenue, pectus parvis coſtis præditum, dorſum longum, clunes & femora carnoſa, partes circa ilia & ventrem plana, colorem varium, corpus totum inarticulatum, & aſymmetrum. En typum.


Vide Icon. XLIII.

Oculi in umbra fulgere, in ſole hebetari dicuntur. Totum corpus eſt maculis conſperſum, ut minutis orbiculis, ac veluti oculis depictum videatur. Sunt qui tradunt, teſte *Plinio* lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 17. Pantheris ſeu Leopardis in armo eſſe maculam Lunæ ſimilem, creſcentem in orbem, & curvantem pari modo cornua. Dentes habent & ungues acutiſſimas. In Europa nulli reperiuntur tanquam in natali ſolo: in Africa multi ſunt, uti & in Aſia. Ita infenſum dicunt eſſe homini leopardum, ut vel in pictura expreſſum dilaceret: ſecundùm alios ita homini gravis, ut eo conſpecto fugiat. Sunt tamen qui dicunt, faciem hominis tantùm odio infeſtare, probantque exempla Galliarum Regis beſtiarii, qui pantheram ad venationem emiſſam non niſi averſus reducere poterat, teſte *Geſnero.* Simile cum gallinis, ſerpentibus, & allio odium ſeu antipathiam habet: jure enim gallinarum perunctos non invadunt, teſte *Plinio* lib. 29. cap. 4. præſertim ſi allium fuerit incoctum: nec ejus pelle indutus, invaditur à ſerpentibus. Cum hyæna tam malè ipſi convenit, ut ſuprà vidimus, in Hyæna ex Plinio, ut ſi utriusque pelles è regione ſuſpendantur, pantheræ pili decidant.

Panthera quibus cum rebus antipathiam habeat.

Odore cuncta ſollicitat animalia; quo invitata, poſtquàm acceſſerunt, præda fiunt. Eadem capitis ſui torvitate terret, ideo illud occultat, ut *Plinius* lib. 8. cap. 17. ſcribit. Quo etiam teſte ibidem cap. 27. Pantheras perfricatâ carne aconito, barbari venantur: occupat enim illicò fauces earum angor: at contra id medentur ſibi excrementis hominis; quorum tam ſunt avidæ, ut à paſtoribus ex induſtria in aliquo vaſe ſuſpenſa altiùs quàm ut queant ſaltu attingere, jaculando ſe appendendoque deficiant, & poſtremò exſpirent, alioquin vivacitatis adeò lentæ, ut ejectis interaneis pugnent. Catulos ſemper præcedunt, & ad mortem usque tuentur. Fœmellæ poſt partum cryptæ præſident, mares de victu proſpiciunt. Cicuraæ

Iconiſmus XLIII. Ponatur è regione pag. 900.



Digitized by Google

Digitized by Google

ratæ nunquam feritatem deponunt. *Geſnerus* in Hiſtoria Quadrup. narrat, poſt mortem Franciſci primi Galliarum Regis, leopardos marem & fœminam caveis elapſos, plurimos circa Aureliam dilaniaſſe, & inventa mulierum cadavera, quibus mammillas tantùm devoraſſent.

Memorandum, quod de Panthera tradit Demetrius Phyſicus apud *Plinium* lib. 8. cap. 17. *jacentem in media via hominis deſiderio, repentè apparuiſſe patri cujuſdam Philini, aſſectatoris ſapientiæ; illum pavore cœpiſſe regredi, feram verò circumvolutari non dubiè blandientem, ſeſeq; conflictantem mœrore, qui etiam in Panthera intelligi poſſet. Fœta erat, catulis procùl in foveam delapſis. Primum ergo miſerationis fuit, non expaveſcere; primum, ei curam intendere. Secutusq; quà trahebat veſtem unguium levi injectu, ut cauſam doloris intellexit, ſimulque ſalutis ſuæ mercedem; exemit catulos: eâque cum iis proſequente, usque extra ſolitudines deductus, latâ atque geſtiente; ut facilè appareret, gratiam referre, & nihil invicem imputare; quod etiam in homine rarum eſt.* Panthera ab homine auxilium petit pro catulis.

Æquè memorandum quod narrat *Ælianus* lib. 6. cap. 2. Pardalim parvulam enutriſſe venatorem, ac docuiſſe cum hominibus verſari manſuetam. Hinc cum die quodam hædum objeciſſet vivum, pardalis abſtinuit, quòd propter cibi expletionem inediâ uti neceſſe haberet. Idem die altero eandem ob cauſam fecit, manente interim cum leopardali hædo. Die tertio ac deinceps, quamvis fame premeretur, hædum tamen convictorem ſuum tangere noluit, ſed alium arripuit. Familiari ergo pepercit fera immanis, & homo involat in amicos & intimos. Panthera parcit hædo convictori.

CAPUT XLVII.

De Lepore.

LEporem non eſt quòd deſcribamus, cùm obvius ubique, & notus ſit omnibus. Præter colorem leporinum habentes, reperiuntur albi variis in locis, & alibi etiam coloris varii. Concipiunt, & pariunt quovis ferè anni tempore, maximè in regionibus calidioribus. Poſt primum congreſſum ſuperfœtant: unde mirum in modum brevi tempore multiplicantur, & apud *Athen.* lib. 9. legitur, Aſtypalæam ex geminis leporibus, ætate Antiochi Gonatæ, brevi tempore tot leporibus fuiſſe repletam, ut intra annuum ſpatium plures ſex millibus caperentur. Timidi ſunt ſupra modum. Inimicitias gerunt cum aquilis, corvis, muſtelis, vulpibus, & canibus; omnes enim leporibus inſidiantur. Dormiunt oculis apertis. Auditu pollent acerrimo; nam ad minimum foliorum motum concitantur, & fugiunt. Dormiturientes, ne cavernæ locus deprehendatur, huc illuc diſcur- Lepus, ejusque mores.

diſcurrentes veſtigia primò ſua diſturbant, deinde magno ſaltu in cavum proſiliunt; ubi decumbentes, femen ilibus ſubjiciunt, cruribus prioribus ut plurimùm junctis, & auribus ſuper utrumque humerum demiſſis. Loci natalis tam ſunt amantes, ut nullum peregrinum admittant. Facilè cicurantur, & nimis pinguefacti intereunt.

Hyeme impendente cubilia in locis apricis conſtituunt; æſtate ad Aquilonem cubant. Ad pabula longinqua proficiſcuntur, ut longo curſu exercitati, pedum celeritatem firment. Ut venatores fallant, per flexuoſas vias incedentes, frutices omnes evitant, nè pili iisdem affricati, odorem canibus prætereuntibus præbeant. Dum ſegnes ad inſequendum vident canes, lento gradu properant; dum urgere, citatiſſimo curſu feruntur. A venatore agitati, inter glebas ejusdem ſecum coloris ſe abſcondunt.

Vide Iconiſmum XLIII.

De variis leporum ſpeciebus, aut differentiis, & de animalibus lepori ſimilibus, vide *Nierembergium* lib. 9. Natur. cap. 8. Lepores cornutos exhibet *Jonſtonus* hac formâ.

CAPUT XLVIII.

De Lupo, & variis ejus ſpeciebus.

SUnt lupi communes ac noſtrates, ut omnibus ferè notum, canibus magnis maſtinis ſeu paſtoralibus ſimiles, coloris varii, ut poſtea dicetur. Oculos habent ſplendentes, & quaſi lucem jaculantes. Dentes ſerratos, teretes, acutos, inæquales. Rictum amplum, & os quod maximè diducunt. Collum adeo breve, ut contorqueri, ac retrò verſari non queat; ſed totum corpus contorquendum, ſi retrò velit aſpicere. Cerebrum, quod cum luna creſcit, atque decreſcit, teſte Alberto. Cor ſi ſiccetur, odoratum. Jecur ungulæ equinæ ſimile. Genitale oſſeum. Pedes priores quinis digitis, poſteriores quatuor diſtinctos. Oſſium ſubſtantiam denſiorem. Renes aliis animalibus ſimiles, ſed qui in ſenectute vermes & ſerpentes producunt. In veſica lapillus reperitur, qui ſyrites dicitur.

In Sardinia nullos eſſe lupos, tradidit Pauſanias; in Creta, Ariſtoteles; in Olympo monte Macedoniæ, Plinius, & Solinus; in Anglia Jonſtonus. In ſeptentrionalibus Provinciis magna eorum copia, & maximè in Moſcovia, ubi pecoribus, jumentis, & hominibus inſidiantur. Carnivori ſunt, & inprimis ovillam appetunt. Ideo caulam ingreſſi, omnes ferè interimunt, & in cumulum conjiciunt: equis, bobus, anſeribus inſidiantur. In Sicilia frequenter equorum, maximè hinnulorum, coxas & femora exedunt, ut ſæpe narrari audivi, dum inibi degerem. Humanæ carnis

Luporum fames & voracitas.

Digitized by Google

carnis ſapore maximè alliciuntur, ſi ſemel guſtaverint. Prægnantibus capto odore inſidiari, prodit Olaus magnus. Fame urgente nec ſuæ ſpeciei parcunt. Ælianus tradit, tunc multos ſimul excurrere, & vertigine correptum, atque cadentem, à cæteris dilaniari, ac vorari. Coram catulis qui ablactantur, prædam nuper voratam evomunt; at grandioribus factis opponunt agnum, vel anſerem. Plantam illam Scythicam agniformem, Boramez dictam (de qua in 4. par. Magiæ actû,) appetunt, ſi Linſcot. in Navigat. credimus. Terram quoque & argillam comedunt; & dum cibi alii deſunt, pinuum fructus. Ante annos aliquot Bambergæ, quæ urbs eſt ampla, at ſine muris, utpote imperii Romani pagus, hyeme quadam frigidiſſimâ noctu irruit ex improviſo lupus ingens in hypocauſtum, in quo paterfamilias cum uxore, liberis, famulis, atque ancillis morabantur; eorumque plurimos ſauciavit, qui vel tunc ſtatim, vel non diu poſt exſpirârunt. Occiſus tandem, atque apertus fuit, atque intra ſtomachum dictorum fructuum copia reperta: quos fame ſtimulatus devoraverat.

Multa de luporum antipathia cum rebus variis traduntur, quæ tamen non usquequaque ſunt veritati, & experientiæ conſona. Ajunt, hominem quem priùs viderint, conticeſcere: & clamandi facultate deſtitui: oculum lupi erutum, quadrupedes domeſticos terrere: mulierem, ſi ſupra calidam ejus urinam minxerit, non concipere; caudam ad præſepe ſuſpenſam, facere nè comedant pecora: rumpi equos, qui veſtigia luporum ſub equite ſequantur: ſi lupi calcaneum equi quadrigam trahentes conculcent, ſiſtere ac ſi cum quadriga glaciaſſent: Oves à lupo adeſas, habere ſuaviorem carnem, verùm lanas earum pediculos & pruritum creare: agnos nuper natos, nec alicujus animalis effigiem extra caulam conſpicatos, audito repentè luporum ululatu exanimari: pelles eorundem lupinæ ſuperpoſitas ſtatim depilari: Stercus lupi in ovili occultatum pecudes quieſcere prohibere, niſi auferatur: fides ex inteſtinis ovium, cum fidibus ex inteſtinis luporum permixtas, obſtrepentes omnem citharæ concentum interturbare: Scillàm ſi contigerit lupus, repentè contrahi: lapides ideo perhorreſcere, quòd in parte à ſaxis icta vermes naſcantur: ſcintillis ex ſilice emicantibus ita terreri, ut etiam famelicus accedere non audeat: tympanum ex ejus corio formatum, cætera animalia fugare. Cantum & ſonum ipſi inimicum eſſe, prodit *Geſnerus*, qui novit unum, qui cùm lapidibus lupum terrere non poſſet, ſono tympani, quod geſtabat, perterrefactum fugavit. *Luporum antipathia, & mirabilia.*

Dicitur lupus amare pſittacum. Vulneratus, in luto ſe volutat, ut ſanguinem ſiſtat. Dracontium comedunt ad acuendos dentes. Cùm in foveam inciderunt, vel ſe incluſos ſentiunt, præ ſtupore innoxios ſe præbent. *Luporum ſympathia, & mores.*

Digitized by Google

bent. Percuſſores agnoſcunt, & ex obſervato invadunt. Fœtus ſuos impensè amant. Fœmina partus cuſtodit, mas pro catulorum ſalute cibos ad ipſam defert. Cùm fugiunt, catulos ſecum ferunt. Cœlo nubilo præcipuè inſidiantur, ut magis lateant. Cùm per folia incedunt, ne ſtrepitum faciant, linguâ pedes ſuos lambunt, & lubricos reddunt. Fluvios transmiſſuri, ne undarum fluctibus abripiantur, ſinguli apprehenſis morſu prænantium caudis, unâ ſerie transmittunt. Apprehenſis quoque mutuò caudis, bovem è palude extrahunt. Dum cibum capiunt, intuentibus iraſcuntur. Si homo pariter & animal aliud ſe offerunt, homini parcunt, illud invadunt.

Lupi mira aſtutia. Apud Geſnerum quidam ſe vidiſſe aſſerit, lupum morſu apprehendiſſe lignum triginta, vel quadraginta librarum in ſilva, & cum eo ſe aſſueſeciſſe tranſilire grandem eo in loco arboris abſciſſæ truncum, tandemque cùm ſatis peritus tranſiliendi ſibi videretur, ſe abſcondiſſe, & adveniente propter ſatam ibi avenam porcâ ſilveſtri, cum pluribus ætate differentibus porcis, anniculis, bimis, prorupiſſe, apprehenſoque porco qui æqualis pondere videbatur ligno, cum quo tranſilire truncum didicerat, ſaltu retrò truncum ſe recepiſſe, & interemptum ibi porcum devoraſſe.

Aliquando cum canibus amicâ ſocietate fœderantur, & caulas invadunt. Ubi caulas intrâverunt, omnes interficiunt oves, antequam aliquam ad comedendum attingunt. Cicurantur, maximè juvenes; adſueſcunt hominibus, canibus, ovibus. Habuimus aliquando hoc in Collegio noſtro unum, qui non minùs catello quovis familiariter cum Patribus noſtris verſabatùr. Paucos ante annos, non procul hinc, ruſticus opulentus lupum habebat, qui cum canibus caulas defendebat, & lupos invaſores ſtrenuè arcebat. Abiit die quodam ruſticus cum reliquis canibus rus, relicto ſolo lupo ad caulæ cuſtodiam. Irruit interim lupus alius, & repentè quatuor aut quinque ſtrangulavit primo impetu oves, antequàm à lupo domeſtico compeſceretur. Victus tandem ab hoc fuit, atque occiſus, & ovium cadaveribus tectus. Ruſticus ut domum reverſus, videt oves occiſas, in cumulum conjectas, & propè cubantem lupum; ratus ab ipſo occiſas, exonerato ſclopeto trajecit eum glande plumbeâ. Deprehenſo dein errore ſuo, adeò doluit, ut diceret, maluiſſe ſe dimidium gregem perdere, quàm fideliſſimum lupum.

Lupi aliæ aſtutiæ. Lupi ſi in minorem aliquam pecudem incidunt, auriculâ comprehensâ ſecum abducunt currendo, & renitenti clunes caudâ identidem feriunt. Tauros à fronte adoriri non audent, quòd cornua extimeſcant: quamobrem primùm, quaſi rectâ viâ pugnaturi eſſent, minas ingerunt, & illorum oculis ſeſe crebrò objiciunt; deinde ſe retorquentes, in dorſum

Digitized by Google



Digitized by Google

Iconiſmus XLIV. Ponatur è regione pag. 905.




1

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconiſmus XLV. Ponatur è regione pag. 905.



Digitized by Google

dorſum inſiliunt, & acerrimè ad illorum perniciem incumbunt. Per ætatem caneſcunt. Famelici noctu adverſo vento odorem eſcæ ad medium milliare ſentiunt. Quandoque uno ululante, omnes conveniunt, & ſimul equorum gregem adoriuntur. Turmatim aliquando progrediuntur, & nocte intempeſtâ juxta deſtinatum pagum ſubſiſtunt, interim illorum unus in pagum excurrens, canes excitat, & ſimulatâ fugâ, usque ad inſidiarum locum ad ſe perſequendum incitat; ubi canes ab aliis invaduntur. Frondes & ſalicis ramulos porrigunt capris, ut eas his gaudentes ineſcent.

Luporum ſpecies aliquot.

LUporum ſpecies multæ ſunt. Præcipui ſunt lupi Scythici, & Marini. *Scythicus* eſt in ultima Scandinavia, poſt Norvegiam. Animal eſt lupi magnitudine, perpetuò iracundum, Germanis Grimmenflau dictum, ab acie unguium quibus maximè ſævit. *Marinus* eſt amphibium animal, magnitudine urſi, pelle duriſſimâ, capite enormi, oculis permulto pilo obumbratis, pelle villis erectis hiſpidâ, nigris maculis diſtinctâ, caudâ oblongâ & craſsâ, atque villosâ. Conſpicitur in littore Oceani Britannici, & alibi. Utriusque effigiem accipe.

Luporum ſpecies.

Vide Icon. XLIV.

CAPUT XLIX.

De Lutra.

LUtra corpore eſt quàm Caſtor, ſeu Fiber, de quo ſuprà, graciliore & longiore; capite canino; dentibus inſtar canis venatici; formâ oris quadratâ; auribus Caſtoris; caudâ oblongâ, terete, & in faſtigium deſinente; vulpinis cruribus, paulò tamen craſſioribus; pedibus poſterioribus planis, & membranâ communitis; pelle denique minùs quàm Caſtoris ſpiſsâ, frequenti & brevi pilo conſperſâ, nonnihil ad caſtaneæ colorem accedens. Reperiuntur paſſim, maximè circa fluenta & lacus. Et quia cavernas quoque ſibi effodiunt, inter amphibia reponuntur.

Lutra.

Vide Icon. XLV.

Veſcuntur præter herbas, fructusque, maximè piſcibus, quorum tantam copiam interdum in cavernas ſuas deferunt, ut aëris infectio metui poſſit. In urinando, aërem per intervallum exertis naribus hauriunt, ne ſuffocentur. In antro veluti tabulatum ex ramis, & virgis conſtruunt, ſuper quo, ne madefiant, noctu cubant. Per aliquot milliaria ex aquæ rivulo piſcinæ odorem percipiunt. Jejunæ natando curſum amnis ſuperant; ſaturatæ cum aquæ fluxu delabuntur. Piſcinam ingreſſæ mirâ agilitate meliores piſces aggrediuntur, & in omnes, quamvis devorare non

Lutræ piſcibus fruuntur.

Digitized by Google

poſſint, ſæviunt. Facilè cicurantur, & ad certum ſignum in aquas ad piſces capiendas ſe conjicere edocentur. In Suecia ad coqui nutum piſces ex piſcina in culinam deferunt.

CAPUT L.

De Lynce.

Lynx. LYnx capite eſt parvo; oculis fulgentibus; facie alacri; pilo molli, & densâ lanugine conferto, maculiſque diſtincto; caudâ brevi. Extrema pilorum albicant, & venter medius eſt candidus, in quo puncta quædam nigricant paſſim, crebra verò ſunt juxta imum ventrem ad latera. Auriculas parvas habet, & quaſi triangulum referentes, ambitu nigro, & ſupra eas villus niger cum paucis pilis albis eminet. Barba ad inſtar felis ex ſetis albis conſtat. Pedes admodum villoſi ſunt, & anteriores quinq; digitos, poſteriores verò quatuor tantùm habent. Viginti dentibus armatur, quorum duodecim ſunt inciſores.

Lynces acutè cernunt. Clariſſimè omnium quadrupedum cernunt, ideo quidam corpora ſolida penetrare viſu fabulantur. Velocis ſunt curſus. *Plinius* lib. 8. Hiſt. Natur. cap. 38. ſcribit, lyncum urinam glaciari areſcivè in gemmas carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas: atque hoc ſcire lynces, & invidentes urinam terrâ operire, eoque celeriùs ſolidari illam. Hoc tamen vanum eſſe, tradit Dioſcorides, & Braſavolus. Tantâ oblivione quidam eſſe aſſerunt, ut ſi prædam ferentes retroſpiciant, prædæ obliviſcantur, & aliam quærant. Æſtate depilantur, hyeme valde hirſuti redduntur.

CAPUT LI.

De Mapach.

Mapach, ejusq; mores. MApach animal eſt quadrupes Occidentalis Indiæ, cane Melitenſi paulò majus, humile, teres, pilis veſtitum, nigro alboque colore promiſcuè variatis, magno capite, parvis auriculis, roſtro canis venatici longo ac tenui, ſingulis juxta oculos faſciis candidis in rectum utrimque procedentibus, caudâ longâ, humanis manibus ac pedibus, quibus prætentare videtur omnia. Iconem appono ex *Nierembergio* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 42. Antra & cavitates montium atque collium Tzozocolci inhabitat, & variis aliis nominibus à barbaris appellatur. Cicuratur facilè, & quibusvè oblatis veſcitur. *Cicuratum altumq; domi, nunquam non blanditur*

Vide Icon. XLV.

Digitized by Google

tur domeſticis, quos induſtrioſo demulcet amore, aut adulatione. Juxtà jacet, volutatur humi rotatione jucundà, mille modis laſcivit, & ludit, vulpeculam imitatur aſtu & moribus, lavat inſtar alurorum faciem manibus, eisdem cibaria haud aliter ac ſimia ori applicat, ferocem ſe oſtentat exteris & advenis, notis verò atque domeſticis blandum atque amabile. Verùm non ſemper abſtinet morſu, ſuàpte naturâ mordax. Nunquam ejus innocentiæ certa ac firma fides, non ſecura conſuetudo, & familiaritas: perfidum enim eſt, & cùm minùs putes, crura aut manus involat. Verſutè interdum blandimentis provocat, quos adoriatur incautos. Terrorem induſtriè incutit invadentibus ſonitu quodam rauco & horrido. Technis & arte vincere tentat, quos vi opprimere nequit. Alitur ſanguine cohortalium, aut gallipavonum, quos aut intra domicilia, aut in agris clanculùm ac per inſidias corripit, & lacerat: item culmis ſpicisque tlaolli (quorum peſtis eſt) arborum pomis, & melle metl; hyeme muribus ac lacertis, & aliis hujusmodi animalibus. Incedit quandoque poſterioribus tantùm pedibus. Furto quidquid offenderit, ſurripit. Sunt qui ad ſimiarum genus, aut cercopithecorum id animal referant; ſunt qui ad quauhpecotli; nec deſunt qui ad indigenas vulpeculas. Videtur tamen ſui generis, cæteris formâ, & moribus diſſimile. Hæc ex Nieremberg. loc. cit.

CAPUT LII.

De Mele montano.

Melem montanum vocant Indi Novæ Hiſpaniæ *Quauhpecotli. Animal eſt* (verba ſunt Nierembergii lib. cit. cap. 43.) *duos plùs minùs dodrantes longum, roſtro prolixo, tenui, verſus ſuperna contorto, prolixà item caudâ, pilo longo, circa alvum candente, cætera fuſco aut atro, candentique, ſed circa dorſum nigriore; atris pedibus, & incurvis unguibus. Miteſcit facilè. Vorax eſt; nullis parcit oblatis eſcis; nec tamen edulis ejus caro. Placidum eſt animal, ac mille modis blandiens ac ludens; noxium tamen ignotis. Melis videtur genus, propterea* texon *vocari conſuevit.* Melis montanus.

CAPUT LIII.

De Maripeto.

A *Loyſius Almeida,* & ex ipſo *Nierembergius* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 47. *Jonſtonus,* & qui res Japonicas mandârunt litteris, referunt, apud Japones in regno Goto ſilvam eſſe, in qua tantùm gignatur animal canis Maripetus.

magnitudine, cruribus brevioribus, ad eſum humanum percommodum, aureo colore, præmolli villo. Cùm ſenuerit hoc animal, dimiſsâ terrâ ſponte mare ingredi, ibique paulatim transformari in piſcem, ac per ſingulares corporis partes, certo quodam temporis intervallo, verè mutatâ quadrupedis formâ ac naturâ, transire in piſcem. Idque adeo verum eſſe obteſtatur Almeida, ut affirmet aliquando contigiſſe, piſcem hujusmodi captum inventum nondum omnibus corporis quadrupedis partibus prorſus transformatis, nondum videlicet opportuno elapſo tempore, quo omnia piſcis membra effici potuerint: pars enim adhuc habebat formam quadrupedis, altera jam ſquamis & pinnis formata videbatur. Adjicit, fabuloſum hoc non eſſe, ſed compertiſſimum jam fuiſſe, veritatique adſtipulari indigenarum omnium conſenſum. Memini me legiſſe in annuis litteris è Japonia ſcriptis, quendam è noſtris Patribus, in convivio apud Dominum quendam, ex hoc animali nondum penitus in piſcem transformato comediſſe.

CAPUT LIV.

De Moſchifero animali.

Moſchiferum animal.

NIerembergius lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 56. ex *Petro Jarrico* narrat, eſſe in Sinarum regno, aut non procul inde, animal quod moſchi materiam ſuppeditat; eſſeque animal vulpis magnitudine, ſylvas incolere ſolitum. Hoc aſſiduis virgarum fuſtiumq; verberibus enecare incolas, ut toto ſanguis effundatur corpore; Cadaver putridum, & jam aridum fruſtatim, non detractâ pelle, diſcindere, ſacculosque inde parare, quos Luſitani *papos* nuncupant. *Pantoja* tamen exiſtimat, è ventriculo cujusdam feri animalis, quod fele pauló grandius, educi moſchum. Vide quæ diximus ſuprà de fele Zibethi.

CAPUT LV.

De Myrmecophago, ſive Tamendoa

VIde quæ de hoc animali, formicarum venatore, ac devoratore, ſcripſimus ſuprà capite 5.

CAPUT LVI.

De Marte.

Martes.

MArtes, quem alii Martam & Marterum vocant, in ſeptentrionalibus regionibus ut plurimùm reperitur, uti & in Germaniæ Alpibus, quæ Italiæ

Digitized by Google

Italiæ obvertuntur. Incolunt magnorum ædificiorum tecta, necnon faginas & abietinas ſilvas. Excrementis moſchum redolent. Cicurantur. Geſnerus habebat cicurem, canis amantiſſimum, quem in itinere ſequebatur. Vinculis ſolutus, circa ædes vagabatur, & redibat. Supinus catti more ludit. Inſidus tamen eſt. Pellis eſt in uſu, maximè apud ſeptentrionales. Per rura vagatur, gallinas jugulat, & ova exhaurit.

Vide infrà Iconiſmum XLVI.

CAPUT LVII.

De Muſtela.

Muſtelæ vulgares.

MUſtelæ aliæ ſunt vulgares, aliæ ſilveſtres. Vulgaris in lateribus & dorſo eſt rutila, rarò ſubflava, circa guttur ſemper alba. Corpus ei tenue, cauda brevis, dentes habet minores quàm mures. In regionibus ſeptentrionalibus inveniuntur albæ. In cavernis, petrarum fiſſuris, fœnilibus, & ſtabulis habitat. Veſcitur muribus, & talpis; inſidiatur veſpertilionibus, & ſerpentibus. In columbariis ova exſorbet, & avium interemptarum ſanguinem exſugit. Defunctas invadit, & earum oculos effodit. Lepores quoque adgreditur. Ore parere, vulgaris fabula eſt. Antipathiam cum corvo, & cornice gerit, quòd eorum ova abſorbeat. Gallinæ auditâ ejus voce exanimantur ferè. Cum cattis pugnat, cum ſerpentibus congreditur, ramo rutæ vel ſoncho munita: his deſtituta, opprimitur. Fimus, ſi per agros, & ſilvas liberam vitam agit, moſchum redolet. Ratione ætatis varium colorem induit. Catulis viſum deperditum herbâ quâdam reſtituit. Facilè cicuratur, maximè ſi dentes allio affricentur. Caveas duobus foraminibus exſtruit, quorum alterum Septentrionem, alterum Auſtrum verſus obvertitur. Fœtus ſpatio unius diei in diverſa loca transfert. Quia in rabiem concitatur, morſus ejus lethalis eſt: ideo & vaccarum ubera, ſi ea attigerit, inflammatione corripiuntur. Majora etiam animalia adgreditur, ut ſuprà cap. 1. vidimus in Alce.

Muſtelæ cum ſerpentibus quomodo congrediantur.

Muſtelæ ſilveſtres. Viverra ſive Furo.

Silveſtrem muſtelam vocant aliqui Furonem, ſeu Furem, Furunculum, Furectum, Itali *Furetto*. Aliis viverra dicitur. Coloris eſt inter album & buxeum medii, ventre albo, oculis rubicundis, muſtelâ domeſticâ non major. Cicurantur facilè, & cicuratæ includuntur capſis ligneis, in quibus multum temporis ſomno inſumunt. In iiſdem deferuntur ad campos, & cuniculorum cavernis immittuntur, ad illos extrahendos, aut expellendos. Venationis hujus modum vidi in Sicilia. Idem viget in Gallia Narbonenſi. Adhibentur & ad aves ex nidis in parietibus inacceſſis extrahendas. Fœminæ libidine correptæ, niſi ſe mari commiſcuerint, inflatione correptæ pereunt. Fœtus poſt partum per dies triginta cæci

ſunt; & die quadrageſimo poſt acceptam viſionem, ad venationem proficiſcuntur. Ad iram provocatæ, excrementa alvi odorata egerunt.

Ex muſtelarum genere eſt animalculum Inſulæ Zeilam, ſerpenti coronato inimiciſſimum; cum quo quoties pugnat, radicem ligni colubrini præmordet. Nec alterius generis eſt animalculum illud, quod *Agricola Hameſter* vocat, & in agro Thuringiæ abundat.

Muſtela Zibellina.

Huc quoque ſpectat *Muſtela Zibellina*, quam Agricola paulò minorem facit Marte, totam obſcuro colore fulvam, præter guttur, quod cinereum eſt. Inveniuntur in partibus ſeptentrionalibus, & extremis Moſchovitarum ſilvis, in Lithuania, Ruſſia alba, & locis mari Cronio vicinis. Inſidiantur aviculis, dum in opaco ſaltu latitant. Sunt animalia naturâ agilia, & ſemper inquieta. Obſervatum eſt, pelles ipſorum in imo arcæ repoſitas, & aliis veſtibus onuſtas, poſt triduum plùs minùs in ſummum aſcendiſſe. Si manibus tractentur, ſemper æquales remanent. Soli expoſitæ corrumpuntur. A blattis præſervantur, ſi ſæpe excutiantur, & ramis abſynthii involvantur.

CAPUT LVIII.

De Monocerote.

Monoceros, ejusque natura, & mores, ex Veterum ſententia.

MOnoceros, ſi nomen ſpectetur, idem eſt ac animal unicornu, ſeu unius cornu; convenitq; vocabulum hoc omnibus animalibus, quæ unum habent cornu. Hoc tamen loco accipitur pro peculiari quodam animali; quod deſcribam primò ex Veteribus, deinde ex Recentioribus.

§. I. Veterum ſententia de Monocerote.

PLinius lib. 8. Nat. Hiſtor. cap. 21. ait, *Monocerotem eſſe aſperrimam feram, reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, mediâ fronte cubitorum duûm eminente.* Addit, hanc feram non poſſe capi vivam, utique propter feritatem. Similia, vel potiùs eadem, habet *Solinus* cap. 65. Polyhiſt. his verbis. *Atrociſſimum eſt Monoceros monſtrum, mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, caudâ ſuillâ, capite cervino. Cornu è mediâ ejus fronte protenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor; ita acutum, ut quidquid impetat, facilè ictu ejus perforetur. Vivus non venit in hominum poteſtatem, & interim quidem capi non poteſt.* His conſentit *Ælianus*, qui lib. 16. de Animal. cap. 20. loquens de feris montium Indiæ interiorum, ait ex Hiſtoricorum & Sapientum Indorum teſtimonio, in iis eſſe Monocerotem: *eumq; magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere, jubâque præditum, & pilis fulvis eſſe, pedum bonitate,*

Digitized by Google

tate, & totius corporis celeritate excellere, atque ſimiliter ut elephantes pedibus inarticulatis (hoc eſt, pedum digitis indiviſis) *eſſe, apri caudam habere; inter ſupercilia cornu uno, eodemque nigro, non levi quidem, ſed verſuras quaſdam naturales habente, atque in acutiſſimum mucronem deſinente, ornatum exiſtere; omniumque maximè animalium abſonam vocem & contentam emittere; & ad alias quidem beſtias adſe accedentes manſueſcere, cum verò gregalibus ſuis pugnare. Neque modò mares inter ſe naturali quadam contentione diſſidere, ſed contra etiam fœminas certare, pugnamq; usq; ad mortem victi ingraveſcere. Nam & reliqui corporis maximo robore praditus eſt, & cornu inprimis inexpugnabili armatur. Deſertiſſimas regiones perſequitur, ſimul & ſolitarius errat. Praſiorum regi illius pullos etiamnum teneros ajunt deportari. Nam integra atatis, & perfectè nullum unquam quisquam meminit captum fuiſſe.*

§. II. Recentiorum ſententia de Monocerote.

Monoceros ex Recentiorum ſententia.

TAntum invenio apud antiquos. Nunc nonnullos recentiores audiamus. *Cardanus* lib. 10. Subtilit. hæc habet. *Eſt autem Monoceros animal rarum, equi magnitudine, pilo muſtelæ ſimillimo, capite cervino, in quo cornu creſcit unicum, cubitorum trium longitudine, media in fronte, atque rectum, in imo autem amplum, tendens in aciem. Collum breve, juba rariſſima, & in alteram tantùm partem tendente, crura velut capreolo tenuia, poſteriorum exterior pars multo pilo villoſa, ungula bifida; in univerſum ſi quis advertat, cervi natura non eſt abſimilis, prater cornu illud. Ferum eſt valde. Naſcitur in Æthiopia inter ſolitudines ſqualentemque terram, atque inter ſerpentes; mirumque in modum venenis cornu ejus adverſari creditur.* Hæc Cardanus. Præmiſerat autem, Monocerota longè aliud eſſe animal à Rhinocerote, ac ſolo nominis ſimilitudine cum illo convenire. Malè ergo *Scaliger* Exercit. 205. reprehendit Cardanum, quòd Monocerota ſub Rhinocerotis nomine pinxerit, quaſi ſtatuerit unum eſſe animal, cùm ſint duo longè diverſa. Ipſe porrò *Scaliger* loc. cit. ex Vartomano ita deſcribit Monocerotes, ſeu Unicornes. *Unicornibus equi magnitudo: crura, pedes, caput, cervi. Pili color badius. Equi juba, rarior, brevior. Coxa villoſa, &c.* Negat Vartomanus ferocem eſſe belluam, contrà quàm alii communiter ſcribunt: ait enim, ſe duos, Sultano ex Æthiopia miſſos, Mechæ ad Mahumetis ſepulchrum vidiſſe cancellis obſeptos, minimè feroces. Sed fortè à prima ætate hominibus aſſueverant.

Paulus Jovius lib. 18. Hiſtor. loquens de regno Gogiano Africæ, & ortu Nili, cùm dixiſſet, aſſerere incolas dicti regni, gigni in eo dracones alatos; ſubdit. *Idem affirmant de Monocerote, quod animal unicorne à noſtris appellatum, pulli equini formâ, colore cinereo, jubatâ cervice, hircinâ barbâ; bicubi-*

bicubitali cornu armatum frontem præfert, &c. Subjungit deinde multa de hujus cornu virtute contra venena, quæ infrà referam. *Marcus Polus* variis locis ait, Monocerotes reperiri apud Tartaros in regno Mien, & in regno Guzerat, quod confine eſt regno Indico Malabar; & in regno Basma Javæ majoris. Frequentiſſimos verò eſſe in regno Lambri ejusdem Inſulæ, meminit lib.3.cap.15. eorumque formam deſcribens, ait, Monocerotes elephantis minores eſſe, villo à bubulorum non diſſimili, elephantinis pedibus, unico in fronte cornu, apri capite, ſemperque in terram prono; in volutabro ſuum more delectari, deformeque animal eſſe, cornu neminem prorſus petere, linguâ tantùm exertâ, quæ pinnis armata eſt, lædere, ac genibus obvia petere, & ſubſtrata premere; falſum ac fabuloſum eſſe, quòd à ſolis virginibus capiatur, ut *Albertus Magnus* lib. 22. de Animal. affirmat & vulgus credit.

Ludovicus Barthema, qui Orientalem Indiam omnem luſtravit, & Perſidem, Africanasque oras adnavigavit, meminit quoque in Itiner.cap.17. Monocerotis, ſed villos ejus ſubfuſco colore eſſe tradit, cornu longitudinis tricubitalis, cervino capite, brevibus ac perraris crinibus, cruribus cervinis, ac poſterioribus quidem admodum villoſis, ungulâ pedum caprinâ, paululum in ſummâ anteriore parte diviſâ. Addit, eſſe mite animal, & ſe vidiſſe duos Mechæ in Arabia, ex Æthiopia miſſos Sultano, ſeptis aſſervatos, quorum alter magnitudine erat pulli equini triginta menſes nati, alter magnitudine pulli unius anni; quorum color erat equi muſtelini, caput cervi, collum non oblongum, jubæ ab altera tantùm parte dependentes, tibiæ tenues, eæque graciles admodum hinnuli modo, cæterùm plurimis pilis veſtitæ, ungulæ capræ. Cornu prominebat in fronte unicum, ſed adultiori longitudine trium cubitorum, minori quatuor dodrantum. *Garzias ab Orta*, Proregis Indiæ Medicus, ait, inter promontoria bonæ ſpei & Capo de Currentes viſum animal terreſtre, quod etiam mari delectetur; caput, & jubam equi habere, cornu præditum duos palmos oblongo, ac mobili, quod modò in ſiniſtrum, & dexterum verteret, modò attolleret & demitteret. Id animal cum elephante ferociter præliari, ejusque cornu adverſus venena laudari. *Münſterus* unicornes non equinâ magnitudine eſſe prædicat, ſed trimeſtris hinnuli; non pedibus elephantinis, ſed fiſſis caprinorum in modum; cornu non duûm modò, ſed trium ſæpe cubitorum altitudinis, colore muſtelino, cervice non admodum procerâ, nec valde crinitâ, rarioribus nempe & brevioribus pilis inſtructâ, ex altero tantùm latere pendentibus, cruribus macilentis, & tenuibus, natibus quidem arduis, ſed valde piloſis. *Andreas Thevetus* Tom.1.lib.5.cap.5. meminit unicornis viſi nobili cuidam Turcæ Sangeaco, qui magnitudine quinquemeſtrem aut ſemeſtrem taurum æquabat,

unicum

unicum verò cornu non in media fronte, ſed in ſummo capitis vertice geſtabat, & cruribus & pedibus aſininis erat, pilo tamen longiore, & auribus rangifero haud abſimilibus. Omitto multa alia, quæ leges apud *Geſnerum*, *Aldrovandum*, *Jonſtonum*, *Andream Marinum*, *Bacium*, & alios.

§. III. Quid ſentiendum ſit de Monocerote.

Ex dictis apparet, quanta ſit Auctorum diſcrepantia de Monocerote. Quæ diſcrepantia movit Andream Marinum, ut peculiari libello Italicè ſcripto rem totam ex fundamentis diſcuſſerit, ſtatueritque ficta eſſe omnia, aut ex vulgi errore orta, quæcunque Antiqui, & illos ſecuti Recentiores, de Monocerote tanquam peculiari animali, ab aliis unico cornu præditis diſtincto, ſcripsêre: *Bacius* è contra alio libello itidem Italico defendit mordicùs contrariam ſententiam, & adverſariorum argumenta diſſolvit. Utriusque Auctoris libellum, in brevem ſynopſin contractum, latinum reddidit, & vulgavit *Aldrovandus* lib. 1. de Quadrup. Cap. de Monocerote, ſeu Unicorni propriè dicto. Alii putant, eſſe quidem in rerum natura Monocerotem, ſed non eſſe diſtinctum à Rhinocerote. Ego ſic ſtatuo.

Monoceros quale animal ex vera ſententia.

I. Certum videtur, inter alia animalia eſſe unum, quod propriè & per antonomaſiam dicatur Monoceros, ſeu Unicornis, eſſeque animal robuſtum, truculentum, ſuperbum, ac tale, quale à citatis Auctoribus deſcribitur. Nam non ſolùm Plinius, Solinus, Ælianus, aliique veteres id aſſerunt, ut vidimus, ſed Sacra etiam Scriptura citatis Auctoribus longè antiquior id ſupponit; ut cùm dicitur *Pſalmo* 21. verſ. 22. *Salva me ex ore leonis, & à cornibus Unicornium humilitatem meam.* Et *Pſalmo* 91. verſ. 11. *Et exaltabitur ſicut Unicornis cornu meum.* Et *Pſalmo* 28. verſ. 6. *Et dilectus quemadmodum filius Unicornium.* Et *Pſalmo* 77. verſ. 69. *Et ædificavit ſicut Unicornium ſanctificium ſuum in terra.* Et *Iſaiæ* cap. 34. verſ. 7. *Et deſcendent Unicornes cum eis, & tauri cum potentibus.* His omnibus in locis Unicornis ſumitur pro animali forti, & feroci, ut Interpretes explicant, & conſideranti patet.

Monoceros non eſt idem cum Rhinocerote.

II. Monoceros propriè dictus, & hactenus deſcriptus, non eſt idem cum Rhinocerote. Eſt contra *Tertullianum* lib. 2. cont. Idol. cap. 10. & ejus Scholiaſtem *Pamelium*, *D. Gregorium* lib. 31. Moral. cap. 13. *D. Iſidorum* lib. 12. Origin. cap. 2. *Albertum Magnum* lib. 22. de Animal. *Ariam Montanum*, aliosque nonnullos veteres, & novos Interpretes Sacræ Scripturæ, uti & fortaſſis contra *D. Hieronymum*, qui eandem vocem Hebraicam *rem* vel *reem* reddit latinè Monocerotem, & Rhinocerotem, ut patet ex locis antea citatis, & ex *Deuteron.* cap. 31. verſ. 17. *Numer.* 23. verſ. 22. & cap.

Digitized by Google

& cap. 24. verſ. 8. *Job* 39. verſ. 9. cùm tamen ſeptuaginta Interpretes ponant ubique μονόκερωτα. Diverſa tamen eſſe animalia, vel ex eo patet, quòd iidem Auctores, qui Monocerota deſcribunt, aliter & ſeparatim deſcribant Rhinocerota (ut videbimus infrà cap. 69.) & aſſerunt Monocerotem habere cornu in fronte, Rhinocerotem verò in naſo. Præterquàm quòd *Pauſanias* lib. 9. & alii tribuunt Rhinoceroti præter cornu in naſo, aliud parvum firmiſſimum ſupra naſum.

Monoceros quomodo capiatur.

Tzetzes Chiliade 5. cap. 8. carm. 7. rationem capiendi Monocerotem ait eſſe, ut juvenem fortem ac validum, habitu muliebri veſtitum, aromatibus cumulent: unicornem namque odore illectum cornu manuleis ſeu manicis juvenis implicare; illum adſtringere; alios cornu abſcindere. *D. Gregorius* loc. cit. negat ob ingentes vires ullâ venantium virtute capi; ſed virginem ei puellam proponi, quæ venienti ſinum aperiat, in quo ille omni ferocitate depoſitâ caput deponat, & ſic repentè velut inermis capiatur. Idem repetit *Iſidorus*, & Albertus *Magnus* locis cit. & *Beda* in Pſalm. 77. Qui addit, monocerotem habere habitaculum mundiſſimum. Cornu hujus animalis paſſim creditur habere mirabilem virtutem contra venena, & variis in locis, ac Principum gazophylaciis, hujusmodi cornua aſſervari dicuntur. Quæ utrum ſint vera Monocerotis cornua, & an tantam virtutem habeant, latè alii examinant apud Aldrovandum loc. cit.

CAPUT LIX.

De Mulo & Mula.

Mulus, & Mula.

MUllum & Mulam vocamus animal ex equa & aſino genitum. Quod ex aſina & equo generatur, vocat *Plinius* lib. 8. cap. 44. mulam effrænem, & tarditatis indomitæ; at *Columella* cum aliis nuncupat Hinnum.

Hinnus.

Differunt magnitudine corporis: nam ut *Varro* ſcribit, *Hinnus ex equo & aſina procreatus, minor eſt quàm mulus corpore, plerumq; rubicundior; auribus ut equi; jubam & caudam ſimilem aſini habet.* Utriusque differentiæ Mula ſterilis eſt: & ſi quæ peperit aliquando, prodigii loco habitum fuit, ut *Plinius* loc. cit. teſtatur.

Mulæ in Syria pariunt.

Coëunt quidem, & pariunt mulæ omnes in Syria, teſte *Ariſtotele* lib. 6. de Hiſtor. Animal. cap. 24. ſed id genus diverſum eſt ab enumeratis, quanquam ſimile, ut Ariſtoteles ibidem aſſerit. Verba Ariſtotelis ſunt: *In terra Syria ſuper Phœnicem mulæ & coëunt, & pariunt omnes, ſed id genus diverſum eſt, quanquam ſimile.* Muli quoque ejusdem generis fœcundi ſunt, ut *Ariſtoteles* citato libro cap. 36. teſtatur, dicens. *Sunt in Syria, quos mulos appellant, genus diverſum ab eo, quod coitu equæ & aſini procrea-*

Digitized by Google

creatur, ſed ſimile facie, quomodo aſini ſylveſtres ſimilitudine quadam nomen urbanorum accepêre. Et quidem ut aſini illi feri, ſic muli præſtant celeritate. Procreant ejusmodi mulæ ſuo in genere. Cujus rei argumento illæ ſunt, quæ tempore Pharnacæ patris Pharnabazi in terram Phrygiam venerunt, quæ adhuc extant. Tres tamen ex novem (quot numero olim fuiſſe ajunt) ſervantur hoc tempore. Idem aſſerit *Plinius* loc. cit. de Mulis Cappadociæ: *Theophraſtus vulgò parere in Cappadocia tradit; ſed eſſe id animal ibi ſui generis.*

Sed de Mulo ex equa & aſino, quid dicendum? *Ariſtoteles* lib. 6. Hiſt. Animal. cap. 24. ita ſcribit. *Mulus ſupervenire, coireque incipit miſſis dentibus primis; ſed ſeptennis implere poteſt; etiam cum equa conjunctus, ginnum procreavit: pòſt deinde ſupervenire non poteſt. Mula quoque jam facta gravida eſt, ſed non quoad perficeret, atque ederet prolem.* Idem lib. 2. de Generat. Animal. cap. 6. *Sed intereſt,* inquit, *quòd mas ſeptennis duntaxat generat, ut ajunt, fœmina improlis omnino eſt, idque propterea, quia perducere ad finem, quod conceperit, nequeat. Nam concepiſſe quidem jam mulam conſtat.* Et circa finem ejusdem capitis ait: *Itaque concipere quidem aliquando mula poteſt (quod jam factum eſt ſed enutrire, atque in finem perducere non poteſt. Mas generare interdum poteſt, quoniam & calidioris naturæ, quàm fœmina, mas eſt, & nihil corporis per coitum confert ad generationem. Quod autem facit, ginnus eſt; quod mulus oblaſus eſt.*

Quæ porrò cauſa ſit ſterilitatis mularum, fusè & doctè diſputat *Ariſtoteles* cap. 6. cit. alii enim cauſam conjiciunt in frigiditatem ſeminis; alii in malam conſtitutionem uteri; alii autem ajunt, id eſſe ſecretum naturæ. Ego puto, id non provenire ex mala uteri conſtitutione, alioquin nec concipere poſſent mulæ, cùm tamen, teſte Ariſtotele, aliquando conceperint; ſed ex ſeminis frigiditate, quæ obſtat, quò minùs conceptus fœtus ad perfectionem deducatur. Mulæ cur ſteriles.

Mulus & mula libenter volutantur, maximè in pulvere, ut à laſſitudine recreentur. Ideo cùm ad itineris metam pervenerunt, niſi continuò deonerentur, aut clamoribus terreantur, cum ſarcinis procumbunt, & volutationi indulgent. Expaveſcunt facilè rerum inſolitarum viſu, & auditu. Id frequentiſſima experientia me docuit in Sicilia, ubi itinerantes vix aliis quàm mulis, & mulabus utuntur ad equitandum. Habebamus in Collegio quodam mulam juvenem, ſed manſuetiſſimam: vehebatur illâ quidam ex noſtris Patribus per vias ſaxoſas ac præcipites, ſed adeo nihil timebat, fretus jumenti manſuetudine, ut laxato atq; è manibus dimiſſo freno, litteras è ſacculo extractas lectitare cogitaret. Extrahit ergo litteras, & aperit. At ut mula ſtrepitũ chartæ audiit, adeo repentè fuit territa, ut per avia, ac devia curſitans, non deſiſteret à calcitratione, donec seſſorem excuteret. Calcitrant præterea contumaciſſimè, & onera cum Mulorum ac mularum mores.

 clitel-

Muli capitoſi & pertinaces.

clitellis excutiunt. Sunt pertinaces maximè muli: Quidam nullis minis aut verberibus adigi poſſunt, ut alios mulos, mulasvè ſimul ſecum gradientes præcedere ſinant, ſed calcibus ac morſibus id prohibent. Unum equitavi per dies aliquot, qui potiùs in fruſtra concidi ſe permiſiſſet, quàm ut mulum ſocium, quo alius vehebatur, præcederet. Tolerabat verbera, & punctura; cùm primùm calcibus vel leviſſimè tangebatur, furibundi inſtar per campos, & in obvios muros incurrebat, aut tranſilire tentabat. Mulus cùm aſino ad fabricam Collegii noſtri comportabat arenas, & lapides, ita tamen, ut mulus ſemper præcederet. Onerabat mulio priùs aſinum, ac dimittebat; deinde mulum, ac ſubſequi cogebat longo ſpatio: hîc nihilominùs cum onere etiam graviſſimo tam diu curſum accelerabat, donec aſinum aſſecutus præceſſiſſet. Omitto alia multa. *Aldrovandus* cap. de Mulo, §. Hiſtorica, refert ex Vincentio, accidiſſe in Meſopotamia, ut cùm ibi ingenti terræ motu hiatus magnus eſſet factus, qui ad aliquot milliaria pateret, inde prodierit mulus ex omni parte incolumis.

Mulus ex hiatu terræ prodiit.

CAPUT LX.

De Noërza.

Noërza, muſtelæ genus.

ALbertus Magnus meminit cujusdam Muſtelæ, quam *Noërzam* vocat, magnitudine martis. Pili ad colorem lutræ accedunt. In remotiſſimis nemorum penetralibus latet, & putidum odorem de ſe emittit.

CAPUT LXI.

De Nabi.

Nabis, ſeu Camelopardalis.

SUprà cap. 16. egimus de Camelopardali. Hæc Æthiopibus Nabis appellabatur, teſte *Plinio* lib. 8. cap. 18. & *Solino* cap. 43. Polyhiſt. Vide quæ diximus loc. cit. quibus adde quæ habet *Heliodorus* apud *Angelum Politianum* cap. 3. Centur. 1. *Varronem* lib. 4. de Lingua latina, *Strabonem* lib. 16. Geograph. *Albertum Magnum* lib. 22. de Animal.

CAPUT LXII.

De Onagro.

Onager, ejusq; natura & mores.

ONager eſt aſinus ſilveſtris. Germanis Wald-Eſel dictus, equi facie, colore cinereo; agilis adeo, ut haud facilè capiatur. Degunt hi in ſoli-

Digitized by Google

ſolitudinibus, & locis petroſis, ac præaltis. Aluntur herbis, præſertim virentibus; in quas ſi incidant, præ gaudio rudunt, nec ab iis abigi ſe ſinunt, tametſi inſidiis ſe peti videant. Dicunt *Iſidorus*, *Bartholomæus Anglicus*, & *Albertus* lib. 22. de Animal. eos in æquinoctio duodecies rudere interdiu, & duodecies noctu; quòd alii fabuloſum putant. *Scaliger* Exercit. 206. num. 4. ait, Onagros homine conſpecto in iiſdem ſtare veſtigiis; mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, poſterioribus calcitrare; ubi tam propè venator acceſſit, ut manu queat contingere, fugâ ſeſe ſubtrahere.

Plinius lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 30. ſcribit: *Africa aſinorum ſilveſtrium multitudinem fundit. Mares in eo genere ſinguli fœminarum gregibus imperitant. Timent libidinis æmulos, & ideo gravidas cuſtodiunt, morſuque natos mares caſtrant. Contrà gravidæ latebras petunt, & parere furto cupiunt, gaudentque copiâ libidinis.* Eadem habet *Solinus* cap. 40. dicens: *Africa Onagros habet. In quo genere ſinguli imperitant gregibus fœminarum. Æmulos libidinis ſuæ metuunt. Inde eſt quòd gravidas ſuas ſervant, ut in editis maribus, ſi qua facultas fuerit, generandi ſpem morſu detruncent. Quod caventes fœminæ, in ſeceſſibus partus occulunt.* Onagri libidinis æmulos timent.

CAPUT LXIII.

De Oryge.

ORyx ex caprarum ſylveſtrium eſt genere, unicornis, & biſulcus, teſte *Ariſtotele* lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 1. & lib. 3. de Partibus Animal. cap. 2. & *Plinio* lib. 11. Natur. Hiſtor. cap. 46. Contrario veſtitur pilo, & ad caput verſo, ut *Plinius* ſcribit lib. 8. cap. 53. addens, hoc ſoli orygi convenire: quod tamen alii aſſerunt competere & tauro Æthiopico. Generatur in Africæ locis aquâ carentibus, ac perpetuò arentibus, eodem *Plinio* teſte lib. 11. cap. 73. & nihilominùs mirabili remedio eſt ſitientibus: *Namque Gætuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris veſicis.* Syrii ſeu Caniculæ ortum ſentire dicuntur, eamque in exortu ejus contueri, ac velut adorare, referente *Plinio* lib. 2. c. 40. Addunt alii ex *Horo Apoll.* Lunâ exoriente Orygem intentis oculis eam aſpicere, vociferari, prioribus pedibus terram fodere, oculos deinde demittere, & caput occultare, quaſi indignè ferentem ſideris adventum. Idem dicitur facere ad ſolis exortum; & inſuper alvum dejicere. Hinc ab Ægyptiis olim odio habebatur.

Oryx.

Oryx caniculæ ortum obſervat. Lunæ exortum averſatur.

Digitized by Google

Hæc de Oryge, cujus *Ariſtoteles* & *Plinius* mentionem faciunt. *Aldrovandus* putat, Orygem, cujus meminit Oppianus, ab hac differre; ideo duo agnoſcit genera ipſius.

CAPUT LXIV.

De Ove.


Ovis, ejusque mores. OVis communis nec deſcriptionem, nec formam appono, quoniam nulli non eſt nota. Quibusdam in locis latam valde, & craſſam circumferunt caudam. Circa Damiatam Ægypti verveces vix eam ſuſtinent. Tuneti in Africa adeo habent craſſam, ut ſe loco dimovere vix poſſint præ pondere. (Oves enormiter caudatæ.) Addunt, eas qui curam illorum gerunt, caudam exiguis vehiculis alligantes, gradum promovere. Sed hoc fabuloſum videtur: deferuntur enim in Siciliam frequenter è Tunetano regno verveces, quos propterea *Barbareſches* appellant, & Siculi ſæpiſſime eò trajiciunt, ac revertuntur; nihil tamen ſimile unquam fuit notatum. In Arabia quædam oves tricubitalem produntur ab Herodoto trahere caudam. Hæc aliquando decem, aliquando viginti & plures libras pendit. Viſa à Joanne Africano apud Jonſtonum, quæ octoginta ſuperabat; ab aliis, quæ centum quinquaginta. Sed quis non videt & ridet hîc hyperbolem?

Aries Arabiæ. Aries Arabiæ cornibus caret, lanam habet promiſſam, caudâ terram contingit. (Meromorus aries Indicus.) *Meromorus* ſpecies arietis eſt apud Indos occidentales, raſus, & ſtupiditatis quodam geſtu conſiſtere ſolitus. (Arietes Guineenſes.) Aries Guineenſis ſeu Angolenſis eſt magnitudine noſtri arietis, caput habens craſſum, aures pendulas, caudam usque ad ſuffragines protenſam, ſcrotum magnum, penem in medio ventre, cornua parva deorſum usque ad oculos incurvata, & quaſi torta, ad collum inferiùs jubam pendulam longis pilis conſtantem, in reliquo corpore breves pilos hircinos, nullam lanam, caput & aures nigras, caudam nigram & albam, pilos ad occipitium albos, crura nigra & alba. (Oves Peruvianæ.) In Peru oves ad aſellorum magnitudinem excreſcunt, longis cruribus, craſſo corpore, capite longo, collo & effigie quaſi cameli, carne optimâ: caſtrati aratrum trahunt, & ligna dorſo ferunt, quinquaginta pondo onera ſuſtinent, & tergo ſublata ad aliquot milliaria vehunt. Hos *Matthiolus* ita deſcribit, ut non diſcrepent à Camelo cervo, de quo ſuprà cap. 17. Huic ſimile animal alit Chilenſe regnum, teſte *P. Alonſo d' Ovaglie* in Hiſtoria Regni Chilenſis.

CAPUT

Digitized by Google

Iconismus XLVI. Ponatur è regione pag. 919.



Digitized by Google

CAPUT LXV.

De Papione.

PApio, ſeu Pavio, Germanis Papyon/ animal eſt ex Cercopithecorum genere, magnum, hirſutum, horrendo capite, brevibus cruribus, caudâ ferè vulpinâ, ſed admodum brevi, & plerumque erectâ, pedibus humanis ſimilibus, & proceritati corporis minimè reſpondentibus. Tam eſt ſalax animal, ut ad fœminarum conſpectum effervefcat. Veſcitur pomis, pyris, & aliis arborum fructibus: pane item & vino. Fœmina unico partu ut plurimùm fœmellam & maſculum ſimul enititur. En typum. Papio. Vide Iconiſmum XLVI.

CAPUT LXVI.

De Pena.

PEna eſt catelli magnitudine animal circa Bengalam. Hoc ubi tigridem conſpexit, illius inſiſtit veſtigiis, & allatrat aſſiduè, ut latratu audito, tum feræ, tum homines latebras petant, ac ſibi ab inſtanti fera caveant. Hinc ſæpe præ inediâ, prædæque defectu, in agris exſpirat. Ita *Nierembergius* lib. 9. Hiſt. Natur. cap. 76. ex Pimenta. Pena.

CAPUT LXVII.

De Putorio.

PUtorius à fœtore ſortitus eſt nomen: ſemper enim putidum ab ore halitum emittit. Ichtis ab aliis vocatur, quòd piſcibus valde delectetur. Corpore marti ſimilis eſt, ſed major. Circa collum anguſtior, circa imum ventrem latior, in cauda & cruribus nigrior, & ad latera flavior. Pellis duplici pilorum ordine conſtat. Crura ſiniſtri lateris breviora eſſe à quibusdam creditum fuit; quod tamen autopſia refellit. Incolit horrea, ſtabula, ſilvas, ripas. Victitat muribus, gallinis, avibus, (quibus ſtatim caput aufert) piſcibus, ranis &c. tempore vernali pelles graviſſimè olent, hyeme non item. En iconem. Putorius. Vide Iconiſmum XLVI.

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

De Rangifero.

Rangifer. RAngifer eſt cervi ſpecies. Reperitur præcipuè in Lapponia, Suecia, Norvegia, & aliis polo arctico vicinis regionibus. Germani vocant Reen. In ejus deſcriptione non conveniunt Auctores. *Albertus* ait eſſe majorem cervo ordinario, colore inſignem, & ad fugam celerrimum. Tres cornuum ordines eidem tribuit, ita ut in ſingulis ſint bina cornua, & caput ejus virgultis compoſitum videatur. Similia habet *Olaus Magnus.* Aliqui cum Alce eum confundunt; ſed malè. Cibus ei muſchus montanus, præſertim hyemis tempore, quo nives quantumvis altas perforat, & victum quæritat. Æſtate foliis ac frondibus arborum veſcitur, quæ carpit ſtando, & eundo: muſchum verò & herbam obliquato capite, propter nimiam cornuum in anteriora inflexionem.

CAPUT LXIX.

De Rhinocerote.


Rhinoceros. RHinoceroti nomen à cornu, quod in naſo gerit, eſt attributum. Alii vocant bovem Ægyptium, alii taurum Æthiopicum. *Plinius* de illo nihil aliud lib. 8. cap. 20. ſcribit, niſi quòd unum in naſo habeat cornu, eoque ad ſaxa limato ſe præparet ad pugnam cum elephanto hoſte, & in dimicatione alvum maximè petat, quam ſcit eſſe molliorem. Longitudine eſſe parem elephanto, cruribus multò brevioribus, colore buxeo. *Ælianus* lib. 17. cap. 44. ait, ſuperfluum eſſe, formam ejus deſcribere, utpote notiſſimam Romanis, apud quos ſæpe in amphitheatris comparuerat. Solùm ait, cornu in ſumma nare gerere acutiſſimum, & non minùs ferro durum; & hoc ipſum limare, atque acuere ad ſaxum, dum eſt cum elephanto pugnaturus; & ejus crura ſubire, alvumque diſcerpere; quem ſi non præoccupârit Rhinoceros, ſed ab elephanto præveniatur; illius promuſcide apprehenſum attrahi, ac retineri, & dentibus ceu ſecuribus conſcindi, tametſi ejus pellis duriſſima ſit, ut ægrè à jaculis penetrari queat.

Rhinocerotis cornu. De cornu Rhinocerotis maxima eſt diſcrepantia. *Tertullianus* & alii, unum tantùm adſignant; *Martialis* & alii, bina. Utrumque hoc alii in capite collocant, alii in naribus unum, alterum & brevius in humero dextro; alii utrumque in naribus; alii majus in naſo, minus in fronte.

Sed

Digitized by Google

Rhinoceros.



Digitized by Google

Sed nec de forma præcipui cornu conveniunt: nam alii rectum ſtatuunt inſtar tubæ, lineâ nigrâ transcurrente; alii rectum quidem, ſed ſine linea; alii recurvum, alii ſimum.

Artemidorus apud *Strabonem* lib. 16. Geograph. ait, Rhinocerotem longitudine parùm ab elephantis diſcrepare, magnitudine tauri, formâ apro proximâ; duo cingula tanquam draconum volumina dorſo usque ad uterum circumeuntia habere, alterum jubam verſus, alterum ad lumbum. *Jacobus Bontius* lib. 5. Hiſtor. Natur. & Med. cap. 1. quod eſt de *Abada*, ſive *Rhinocerote*, ait, ſe millies animal vidiſſe, tam caveâ incluſum, quàm in ſilvis ad paſtum vadens; colore eſſe è nigro cinereo, corpore glabro, vel pauciſſimis pilis obſito, cute rugosâ planè, & plicis ſuperinductâ, ut ob id ſcutatum, & clypeatum appareat, prout à pictoribus pingitur, cùm revera pellis non ſit diſcreta, ſed continua. Corium tam craſſum eſſe, ut machærâ Japonicâ illud vix diſſecare quis valeat. Roſtro eſſe ſuillo, non tamen tam obtuſo ut ſuum, ſed acutiore, & ſuper foraminibus varium conſpici tam famoſum cornu, à quo nomen ſit ſortitum. Colore id cornu plerumque eſſe nigro, ſæpe cinereo, aliquando albo. Magnitudine & corporis mole æquare elephantem, pedibus tamen brevioribus. Rhinocerotis deſcriptio. Vide Icon. XLVII.

Innoxium eſſe animal, niſi laceſſatur; & tum crudeliſſimum eſſe, non ſolùm in offendentes, ſed in obvia quæque, adeo ut arbores totas proſternat ingenti fragore. Ubi hominem proſtravit, aſperrimâ ſuâ linguâ illum lingendo enecare, tum cutem & ſubjectam carnem abradere usque ad oſſa. Audi exemplum ex Bontio loc. cit. *quod nuperrimè accidit Secretario noſtræ civitatis Theodoro Gemmingio; qui cùm nuper duobus aliis comitatus eques in ſilvam exiſſet exſpatiatum, in paludoſo loco in Rhinocerotem cum catulo ſuo incidit (nam hoc animal non ſecus cœno, quàm porci, & apri libenter volutatur) qui illis viſis ſurrexit, ac tardè recedens præ ſe agebat catulum ſuum ſilvam verſus; qui cùm laſciviens aliquando reſtaret, mater ipſum roſtro protrudebat. Interea quidam ex eorum conſortio præ temeritate, equo inſidens, belluam inſequitur, & exertâ machærâ, quam gerebat, Japonicâ, poſteriores partes Rhinocerotis ferit; ſed ictibus non penetrantibus, propter cutis craſſitiem, aliquot ſtriæ albæ in tergo & natibus beſtiæ apparebant. Quod patientiſſimè bellua ferebat, quousq; catulum ſuum inter vepres, & ſalicta occuluiſſet. Tum enim repentè converſa in equitem noſtrum, cum immani grunnitu, & ſtridore, ejus caligis mordicùs apprehenſis, eas mordicùs diſcerpſit, materiâ levi, utpote bombycinâ, ſequenti, alioquin planè actum de eo fuiſſet. Sed equus fortè prudentior aliquantò ſuo rectore, retrò ſalit, & in fugam convertitur, inſequente eos omni vi Rhinocerote, proſternendo cum horribili fragore arbores, & quidquid obvium ipſi impedimento eſſet. Dum noſter eques devenit in eum locum, ubi ſocios reliquerat. Quibus viſis, eo derelicto, alios impetit. Qui furorem belluæ declinantes, poſt* Rhinoceros laceſſitus furit vehementiſſimè.

Digitized by Google

duas ingentes arbores ſe abſconderant, & vix duos pedes intermediâ rimâ à ſe invicem diſtantes. Et ſive hoc felici eorum fato, ſive ſtupore huic animali ingenito, evenerit, beſtia ſolummodò per iſtam rimam ſummo conatu ſibi viam quærebat, & arbores non ſecus ac arundines tremefacere faciebat; ſed tamen craſſities earum frontis ipſius impetum infringebat. Interim dabatur eis locus ſclopeta ſua explodendi, & belluam adactis aliquot ictibus per cerebrum feriendi; & ſic beſtiam immanem proſtravêre, ſuppetias ferentibus Mauris ſervis, qui iſtinc à dominis ſuis lignatum miſſi erant.

CAPUT LXX.

De Sciuro.

Sciurus. SCiurus Germanis Eichhorn dicitur. Forma eſt omnibus ſatis nota. Priorum pedum miniſterio pro manibus utitur. Dum graditur, caudam poſt ſe trahit; ſedens, ſupra dorſum eandem erigit; in ſaliendo, ab eadem tanquam alâ juvatur; in ſolis ardore eâ ſe obumbrat; dum amnes tranat, cortice conſcenſo eâdem pro velo utitur. Prævisâ tempeſtate, obturat cavernam, quâ parte ſpiraturus eſt ventus, & partem alteram aperit.

Indicorum ſciurorum quinque vel ſex ſpecies enumerat, atque deſcribit *Nierembergius* lib. 9. Hiſt. Natur. cap. 34. quas lege apud ipſum.

CAPUT LXXI.

De Simiis.

Simius & Simia. Vide Icon. XXXVI. SImius, & Simia, Græcis πίθηκος dicitur. Nares, aures, dentes, hominis more habet: cilium in utraque palpebra prætenue, & prolixius. In pectore binas mammarum papillas, & brachia hominis modo, ſed hirſuta; quæ & ipſa, uti & pedes, ut homo inflectit. Manus, digitos, ungues hominis ſimilia, etſi rudiora. Pedes ipſi ſui generis: ſunt enim velut manus majuſculæ, & digitis ut manus conſtant, medio longiore. Veſtigium etiam manui ſimile eſt, niſi quòd in longum ſe porrigat, & volam referens tendat ad poſtrema. Sunt variarum formarum. Unam exhibui ſuprâ Iconiſmo XXXVI.

Naturam & mores ſimiarum quod ſpectat, ſunt valde petulantes, & mimicæ. Manſuefactæ catulos omnibus oſtendunt. In neomænia, ſeu novilunio gaudent, & exultant; in interlunio triſtantur. Inventæ, quæ aurigæ munus obibant, latrunculis ludebant. Nuper hîc ſimius, pueri more veſti-

Digitized by Google

Digitized by Google

Iconiſmus XLVIII. Ponatur è regione pag. 923.

Su



Digitized by Google

veſtitus, pileo tectus, equo impoſitus, per urbem obequitabat, unâ manu frænum tenens, & equum regens, alterâ pileum prætereuntibus deponens. Fuit ſimia, quæ cùm infantem à nutrice lavari, & faſciis involvi videret, abſente nutrice eundem denudatum in ferventem aquam abluendi gratiâ impoſuit, & interfecit. Dum quæ venatores facere vident, imitantur, facilè capiuntur. Manſuefactæ ſubinde ad rabiem redeunt. Delectantur puerorum, & canum luſu, ſed non cuſtoditos ſtrangulant, vel ab alto præcipitant. Vino delectantur, & inebriantur.

De Ourang-outang.

HUc pertinet Indorum Ourang-outang, ex Angola delatus, quem non nemo hominem ſylveſtrem nominat. Erat quadrupes longitudine pueri trimi, craſſitie ſexennis. Corpore nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato, habiliſſimo tamen ac perniciſſimo. Artubus tam ſtrictis, & muſculis adeo vaſtis, ut quidvis auderet, & faceret. Anteriùs undique glaber, at ponè hirſutus, ac nigris crinibus obſitus. Facies, & aures humanis ſimiles erant, nâres ſimæ & aduncæ. Pectus utrimque mammâ turgebat; erat enim ſexus fœminini. Venter umbilicum habebat profundiorem, & artus tam ſuperiores, quàm inferiores, exactam cum homine ſimilitudinem. Incedebat ſæpe erectus. Attollebat, & transferebat facilè quodcunque graviſſimum onus. Bibiturus prehendebat vaſis anſam alterâ mânu, alteram fundo ſupponebat, & madorem labiis relictum abſtergebat. Dormiturus inclinabat caput in pulvinâr, & corpus ſtragulis operiebat. Fœminarum deſiderio ardebat. Ourang-outang.

CAPUT LXXII.

De Su animali.

DE hoc *Nierembergius* lib. 9. cap. 74. ita ſcribit. *Belluam rapacem apud Patagones* Su, *id eſt, aquam vocant nonnulli, quòd plerumq; juxta fluvios degat. Alii dicunt* Succarath. *Torva eſt. Primâ oris acie quodammodo leonem æmulatur, aut hominem: nam ab aure barbata, haud promiſſis valde pilis, pectore propendente. Circa lumbos nimis conſtringitur, caudâ amplâ, & longâ ſciuri inſtar. Gigantes ejus regionis, quoniam cœlo non admodum calido fruuntur, protegunt ſe hujus feræ pellibus. Cùm urgetur pellis gratiâ, catulos in dorſo admiſſos caudâ contegit, & fugâ elabitur. Capitur unà cum catulis ſcrobe effoſſâ, & celatâ ramuſculis. Incluſa, præ rabie, aut generoſitate catulos obtruncat, & horribili clamore venatores atterret, donec ſagittis cæſa excorietur. Legi (licèt Auctor non ſit oculatæ fidei) præ charitate ad prata portare filios,* Su animal. Vide Icon. XLVIII.

Digitized by Google

ubi ſertis floridis, & odoriferis comit & coronat illos, tum filios reciconiare inſili in parentes vetulos pietate, eosque portare & alere.

CAPUT LXXIII.

De Schnak animali Tartarico.

Schnak animal Tartaricum.

MAtthias à Michou in Deſcriptione Tartariæ, inter reliqua regionis illius animalia meminit unius, quod *Schnak* ſeu *Snak* appellat, dicens eſſe quantitatis ovis, non viſum in aliis regionibus, lanâ criſeum, duo parva cornua habere, curſu velociſſimum eſſe, & eſum carnium ejus ſuaviſſimum. *Et dum grex Snak in aliquo campo inter germina conſpicitur, Cham ſeu Imperator Tartarorum cum ſuorum multitudine equeſtres vadunt, & omniquaque circumdant, in altiſſimis graminibus deliteſcentes. Dumque tympanis incipiunt ſonare, tunc Snak tanquam metu perculſa, rapidiſſimè hinc atque illinc ab una parte circumſtantium ad aliam procurrunt, & iterum atque iterum decurſando vadunt, uſque quò fatigati deficiant. Tunc irruentibus Tartaris cum clamore, occiduntur.* De eodem animali ſcribit *Camerarius*, quòd ſe quaſi ductorem præbeat capreolorum gregibus, ipſisque præire ſoleat. Acerrimo viſu ſimul & auditu præditum, ideoque longè lateque circumſpicere, & omnia obſervare, facileque hominum perſequentium inſidias è longinquo deprehendere, & comitibus ſibilo acuto ſignum dare fugæ, ut in loca tutiora ſe recipiant.

CAPUT LXXIV.

De Taxo.

Taxus.

TAxus, qui & Meles ſeu Melis, animal eſt feſe majus; & vulpe, ad cujus naturam accedit, humilius; pelle villoſâ, rigidâ, coloris leucophæi. Pilos plures habet albos, quàm nigros. Caput in medio nigrum, in lateribus album: dorſum latum, dentes acutos. Reperiuntur paſſim in locis montanis Italiæ, Helvetiæ, & aliis. Victitant crabronibus, vermiculis, pomis, & uvis, quorum eſu in autumno pingueſcunt. Cuniculis quoq;, anſeribus, pullis, & aliis avibus. Summa Taxis cum vulpibus antipathia: hæ enim, ubi egreſſos obſervârunt, latibula eorum excrementis conſpurcant, & fœtore replent, ut alia exſtruere cogantur. Pellem adeo denſam habent, ut ictui reſiſtat. Naſum tam imbecillē, ut violato moriantur. A canibus aut aliis beſtiis vexatus Taxus, ſemetipſum reſupinat, atq; dentibus, & pedib. repugnat. Brevitatis pedū conſcius, nō longè à latibulo digreditur

Taxorum latibula cōſpurcant vulpes.

Taxorum natura & mores.

Urgen-



Digitized by Google

Urgente brumâ occultatur, & ſomno pingueſcit. Ad focum hyeme allatus, in carbones ſe conjicit. Creſcente lunâ adipem ejus augeri, decreſcente minui, interlunio eâdem deſtitui, incertum. Dum latibula faciunt, ignavum effoſſæ terræ vectorem conſtituunt, & poſtquàm ſupra ſupinum extenſis cruribus terram accumulavêre, per pedes mordicùs apprehenſos extra antrum educunt, idque toties repetunt, donec latebræ latitudo habitatoribus ſufficere poſſit. Tantum palearum, & foliorum pro ſternendo ſibi lecto, unicâ vice capite & pedibus intra foveam comportant, quantum homo ſub brachio ferre non poſſet. Latibula cum duobus oſtiis fabricant: flante Auſtro, ſeptentrionale aperiunt; flante Boreâ, auſtrale. Victum pro hyeme colligunt; quâ durante, dum mas, an ad vernum tempus ſit duraturus, dubitat, nè fœmina ad ſatietatem comedat, prohibet. Quando in ſenio excæcantur, ex fovea ad paſtum non egrediuntur, ſed ſe mutuò nutriunt. Dum in eminentiore colle deprehenſi venatores ſentiunt, pedes anteriores ſupra capita ponunt, corporeque in globum redacto, more urſorum ſeſe præcipitant. Sunt alii canini, alii porcini. Hi circa oſtium cavernæ, parvâ priùs roſtro excavatâ foveâ, excrementa deponunt.

Taxi quomodo extruant latibula ſua.

CAPUT LXXV.

De Tigride.

Tigris maſculino genere & fœminino effertur. Forma eſt, quam figura appoſita exhibet. Alii ad leporarii canis magnitudinem, alii ad equi excreſcere tradunt. Viſa pellis, cujus longitudo quinque pedes ſuperabat. Oculos habet ſplendore igneo micantes, collum breve, ungues aduncos, dentes acutos, pedes multifidos. Reperitur in regionibus Aſiæ, in Java, in montibus Peruvianis, in Taprobana, & alibi. Omne animantium genus devorant; elephantos ſuperant; mulos apprehenſos trahunt; oves, boves, canes, &c. dilaniant, nec hominibus parcunt. Omnes fœminini eſſe ſexus, & ex vento concipere, quòd nulli mares capiantur, fabula eſt. Cum canibus etiam miſcentur, ut diximus ſuprà, ubi de canibus Albanis. In India Occidentali nullam Hiſpanis vim facere, infeſtare Indos; in Provincia Bambæ albos homines non attingere, nigros adoriri, imò homine albo & nigro ſimul dormientibus, albo intacto, nigrum corripere prodidit *Linſchottanus* in Itinerario. Elephanto viſo vehementer exardeſcunt; bubalorum fimo pelluntur; ad ſonum tympani ferè inſaniunt, & ſe ipſos ſauciant. Velocitatis maximæ eſſe traditur à Veteribus. *Plinius* ſcribit, totum fœtum, qui ſemper

Tigris.

Vide Iconiſmum XLIX.

Tigrides non ſunt omnes ſexus fœminini.

Tigridis catuli quomodo capiantur.

numeroſus, ſubinde abſente matre rapi ab inſidiatore equo quàm maximè pernici, atque inter fugiendum in recentem ſubinde transferri: at ubi mater rediens vacuum cubile reperit, ferri præcipitem, odore veſtigando raptorem; hunc appropinquante fremitu abjicere unum è catulis; tollere illam morſu projectum, & pondere etiam ocyorem factam remeare in cubile, iterumque conſequi, idque toties, donec in navem regrediatur cum reſiduis raptor. Qua ratione ſpeculo ſphærico convexo eludantur tigrides à venatoribus in Hircania, ſcripſimus in Magia Catoptrica ex S. Ambroſio, & Alberto Magno; quod tamen fabulæ ſimilius videtur, quàm hiſtoriæ.

Jacobus Bontius tamen lib. 5. Hiſtor. Natur. & Med. cap. 2. oculatus teſtis ſcribit, quòd Tigris *beſtia tardigrada eſt, & propter eam cauſam magis homines appetit, quàm carnem bubalorum, cervorum, & aprorum, & reliquorum animalium &c.* quæ niſi ex inſidiis impetantur à tigride, facilè ferociam ejus effugiunt pernicitate ſuâ. *Quapropter quidquid horum venatur tigris, ex inſidiis hoc facit, dum latens inter vepreta, & ſalicta, in prætereuntes beſtias ſaltu transverſo irruit. Quòd ſi aberraverit, ſemel rugiens recedit, & circumit ſilvæ aliquod ſpatium, ubi rurſus eas beſtias præterituras obſervat. Unguibus præterea prædam ſemper fermè in cervice ferit, ac unico ictu quodvis valentiſſimum & robuſtiſſimum animal humi proſternit, & exſucto cruore, cujus appetentiſſima eſt, cadaver reliquum in ſilvas trahit, ut carne ſe exſatiet.* Hæc Bontius. Fortaſſis Javæ Tigrides, de quibus ſcribit, ſunt cæteris tardiores. Addit Bontius, in Java plerumque Tigridem cum Rhinocerote incedere. Cauſam eſſe Javanenſes dicunt, quòd excrementa Rhinocerotis in remedium cruditatis ſtomachi, quâ ob voracitatem laborare ſolet, colligat, ac devoret. Plura vide apud ipſum.

Tigrides quomodo cicurentur.


Sobolis amantiſſima eſt beſtia; ideo viſo homine, protinus catulos transfert aliò; iisque amiſſis, in obvia quæque crudeliter ſævit, & rabie correpta perit. Cicurantur ſubinde, ſed caveas, aut vincula evadentes ad genium redeunt. Feritas in Indiis occidentalibus, teſte *Nierembergio*, mitigatur, ſi baculo circa renes cædatur; tunc enim languet, & vincitur beſtia, nec alia via patet victoriæ. In Bengala ad triginta milliaria inſequitur per littora navim, quâ auſugit læſor. Eam comitatur aliud animalculum, quod aſſiduo latratu illam indicat; quo audito, feræ aliæ recedunt, aut conduntur, homines auſugiunt. Si quam Nigritarum navim perſpexerint, per viginti leucas curſitando proſequuntur, ut ſi quis in terram exſcenderit, devorent. De nocte in naves inſiliunt, & incautos opprimunt. Æthiops ſervus in Bengala cùm ſomniaſſet à tigride ſe abreptum, ſequenti nocte ſub navis, quâ vehebatur, prora ſe abſcondit. Rogatus à domino cauſam, ſomnium nocturnum enarrat. Nocte ſequenti, omnibus

Tigris quos homines perſequatur.

bus

Iconiſmus L. Ponatur è regione pag. 927.

Urſus.



J

Digitized by Google

bus dormientibus, tigris in navim inſiliens, cæteris intactis, Æthiopem ſub prora invadit, & abripit. Felicior fuit alterius ſors. Hic cùm haud procul à littore in navi ageret, à tergo hinc eum tigris, ab aqua è flumine illinc crocodilus invadit. Tigris ut adverſarium præverteret, prædamque extorqueret, nimiâ velocitate ultra hominem delata, & in navis latus impacta, in crocodili fauces incidit. Omitto alia, quæ apud Nierembergium leges.

CAPUT LXXVI.

De Urſo.

URſus corpus habet craſſum, & vix mobile. Semper creſcere quidam affirmant, inventoſque longitudine quinque cubitorum, latitudine tantâ, ut quodlibet bovis tergus vincerent; talemque Maximiliano Imperatori in thermis Badenſibus oblatum. Pellis ei ſpiſſa, & villoſa; dentes ſerrati, & penitus reconditi; os longum, celeres oculi, pedes manibus ſimiles; in brachiis, & lumbis maxima vis; cauda diminuta. Interdum poſticis pedibus inſiſtit. En Iconem. Pluribus in locis reperiuntur. Maximè favos appetunt. Nota eſt hiſtoria apud Jovium de ruſtico in Moſchovia, qui in cava arbore profundo mellis gurgite collo tenus immerſus, & biduo vitam ſolo melle ſuſtentans, urſi in arboris ejusdem cavitatem more humano ſe demittentis beneficio, cujus pellem tergoris manibus comprehenderat, extractus fuit.

Urſus ejusque natura, & mores.

Vide Iconismum L.

§. I. Mira hiſtoria de urſo.

PLacet hîc aliam adjungere hiſtoriam, oppidò miram, quam refert *Ludovicus Richeomus* in lib. de Valedict. Animæ. Colloquio 12. *Decimus hic admodum annus eſt*, inquit, *cùm in Ducatu Sabandiæ opifex Nicodemus Valerius, S. Albano oppidulo oriundus, venatui cum permiſſu Principis, propter egregiam dexteritatem, incumbebat. Hic cum nonnullis ſui ordinis die quodam egrediens, ſclopeto inſtructus, rupem vicinam conſcendit, ubi quòd urſum enixum eſſe ſciebat, cumque, experientiâ ſuâ & jaculo ignivomo fretus, cum catulis ſe conſequi poſſe arbitrabatur, quòdque locus præcipitio inacceſſibilis eſſe videretur, ſolus ipſe, relictis ſociis, ad infimum montis penetrale deſcendit, velut avis prædam ſuam perſequens, ita quoque ipſe ſpectatores ſuos in ſublimi habiturus. Pergit ergo, nec ſine magna difficultate; cùm ecce jam ad partem rupis inferiorem loca paulò faciliora invenit, ſpecumque media ex parte vacuam, & naturâ, non arte caſam, ingreditur. Imminebat illa caverna urſorum, ita ut non difficulter ex ea os & ingreſſum antri poſſet conſpicari.*

Hiſtoria mira de venatore & urſo.

Ad-

Advertens ergo abeſſe non poſſe, quin mater ſimulac adventum ſuum perſenſura foret, confeſtim ſibi obviam exiret; clavam manibus prehendens, ſalutaturus illam exſpectabat. Cùm ecce, adeſt illa irâ fremens. At hic repentè longurium ſuum capiens, rectâ beſtiam intra utrumque oculum percuſſurus collimat: jamque propiùs accedente hoſte, dum feciliter rem caſuram arbitrabatur, rotam laxat, fallitur, aberrat, & jam pavere occipit. Quare neceſſitatem in virtutem commutans, continuò bombardam velut in ſtatione retinet, certus animal aut ferire, aut ſaltem habitu illud ſuo terrere. Verùm urſus ſclopo jam eluſo, bombardam ei è manibus excutit, & confeſtim impetu facto brachium ei dexterum invadit. Harum rerum interim nec ſocii ſpectatores eſſe poterant, propter loci concavitatem, nec ipſe eos ad ſuppetias ferendas inclamare. Quid tum generoſus ipſe ac ſtrenuus ſagittarius? Capit repentè in ipſa acie conſilium, & metu mortis imminentis mirificè impellente, beſtiam non aliter quàm jumentum conſcendit, ſicque in horridum illud dorſum enitens, quantum poteſt, dexterâ pilos apprehendit, & inſtar canis venatici dentes in collum belluæ adigens, animosè eam morſicat, atque pervellit. Animal à novo hoc equite gravari ſe, & devorari etiam pungique indignans, timore aucto, furore exæſtuat: & cùm teneri arbitraretur, captivo eluctari ſtudet, & rabidæ in morem feræ concitatiſſimo ſaltu de rupe in rupem ſubſultat. Ergo quantò importuniùs indomitus ille vector per ſaxa ruit, tantò ille fortiùs manu pilos ſtringit, & dentes effrani infigit, non ut curſum illi adderet, ſed quò firmiùs dorſo inhæreret: cùm præſertim lymphata illa beſtia inſtar folliculi inflati paſſim per inacceſſa baccharetur; eques autem ille nihil potiùs, quàm lapſum pertimeſceret. Hujus itaque comœdiæ ſpectatores, qui venatorem ſuum ex caverna ſuper hoc nigro animali viderunt provolantem, clamare tantùm, & validiſſimè vociferari: tum poſtquàm eum oculis ampliùs conſequi non poſſent, alter alterius ſententiam de inſolenti hoc & mirabili vicini infortunio explorare, planeq; ſtatuere, Magum eum videri, neque urſo, ſed diabolo vehi augurari. Cùm interea venator & præda per rupes, ac nemora nunquam quieſcentes vagari, ambo ſalutem ſuam deplorare, hæc ob onus ſuum exanimari, iſte ob aſcenſum periclitari. Et ferebatur illa nihilominùs rapidiſſimo ſaltu, collum dorſumque domitore ſuo tenente, cui & vires ad ſe ſuſtentandum deficiebant, & modus deſcendendi non occurrebat, cùm ab uno latere ſiniſtrâ pro fræno uteretur, & aliâ ratione ſibi opitulari non poſſet, metuens nè ſi defluxiſſet, in partes à jumento tractus diſcerperetur. Capite ergo nonnihil elevato, ubinam terrarum feratur, in quemvè locum delatus ſit, explorare geſtit; cùm ecce ad marginem novi præcipitii rapi ſe videt, ad quod magno impetu beſtia equitem ſuum, cui jam ſiniſtra ægrè ſufficiebat, agebat. Hoc ergo conſilio repentè capto, & novo timore ſtimulatus, & horrendum ob oculos ſuum conſpicans cœmiterium, ſenſim ac lentè, nec ut antè cum impetu quando aſcendebat, in terram defluit. Hic tu urſum novo horrore percitum, jamq; ſarcinâ ſuâ liberatū,

novum

novum iter & transverſum arripere videas, ingentique cum furore & fremitu per ſilvas nemoraque curſitare. Miſer ergo ex vulnere ſaucius, mirificeq; ſibi periculum evitatum, & à Deo juxta auxilium ſibi præſtitum gratulans, viam ad primam rupem capit, catuliſque profugæ repertis, qui in exiguo illo loculo, quo diximus, luſitabant, & matrem ſuam exſpectabant, in prædam omnes aufert, & ſociis donat; cum quibus attonitus juxtà ac hilaris in pagum rediens, ſpolium & livorem reportat.

§. II. Urſorum mores.

IN Myſia albi reperiebantur urſi, *Ariſtotele* teſte in Mirabil. qui cùm à venatoribus urgebantur, halitum educebant, qui carnes putrefaciebat; & ſi propiùs accedebant homines, aut canes, phlegma ejiciebant, quo vel ſuffocabantur, vel excæcabantur. Caput urſo tam infirmum eſt, ut colapho infracto exanimetur. Aquam non lingendo, nec ſorbendo, ſed vorando bibit. Deguſtatis mandragoræ malis, formiceti linctu ſanitatem recuperat. Majorem mure dicitur parere fœtum, minorem fele, nudum, membris indiscretum, ac rudem. At exciſus aliquando in Polonia, ad Geſnerum miſſus, longior erat digito, craſſitudine pollicis, corpore articulato, poſterioribus cruribus exceptis. Idem docent alia exempla. Pinguior effectus, latibulum ſupinus dorſi ingreditur tractu, & veſtigia, nè venatores conſpiciant, oblitterat; in eo quadraginta dierum ſpatio extenuat corpus, quatuordecim im̃obilis dexteri pedis ſe ſuſtentat linctu. Ubi inteſtinum attenuari, ut ferè cohæreat, perſenſit, egreſſus aro herbâ paſcitur. Nulla tunc cibi argumenta, nec niſi humoris in alvo minimum, ſanguinis exiguæ circa præcordia guttæ. Fœminas amat. Viſus in Allobrogibus, qui comprehenſam puellam in latibulum detulit, & venereo proſecutus amplexu, agreſtibus aluit pomis, *Jonſtono* referente in Thaumatolog. Danorum Reges ſtemma ex urſo ducere, aliqui crediderunt, ut ſuprà diximus. Vulnerati ſiccis herbis ſibi medentur. A latitatione egreſſi in liberam diem, tantam patiuntur lucis inſolentiam, ut cæcitate obſitos putes. Specus ſi non habent, ramorum fruticumque congerie ædificant, impenetrabiles imbribus, mollique fronde conſtratos. Si quando tauros adoriuntur, cornua & nares petunt; cornua, ut pondere defatigent; nares, ut acrior dolor ſit in loco teneriore. *Jonſtonus* ex Volaterrano, & Textore ſcribit, habuiſſe Suidrigellum Lithuaniæ Principem urſum, matutinis horis à nemore diſcedentem, qui palatio appropinquans anterioribus pedibus fores pulſabat, & cibo ſumpto remeabat in ſilvam.

Urſorum mores.

Urſus an fœtum informem enitatur.

Urſi fœminas amant.

Digitized by Google

CAPUT LXXVII.

De Vulpe communi.

Vulpes communis. VUlpes, græcè ἀλώπηξ, deſcriptione, & icone non eget, cùm notiſſimum ſit animal. Pariunt fœtum cœcum, & parturientes ita ſecedunt, ut rariſſimè gravidæ capiantur. Editum fœtum lambunt, refovent, & concoquunt. Cum ſerpentibus adeo amicè vivunt, ut in iisdem cavernis quietè degant. Ruta ſilveſtris cum eduliis gallinarum miſta, vel ejus ramuſculus ſub alis gallinarum alligatus, easdem à vulpe tutas reddit. Præliantur cum corvis, & taxis. Corvum & vulpem in cavea clauſos tam acriter dimicare vidit Avicenna, ut corvi caput ſauciatum ſanguinem emiſerit, vulpis verò labia à corvo ita conſtricta, ut nè hiſcere potuerit. Taxos fugant, cryptas eorum ſtercore fœdando, ut ſuprà diximus. Ululando & latrando canem imitantur, quando iraſcuntur & dolent.

Vulpium mores. Moribus & ingenio vulpes ſunt admodum doloſæ, ut omnibus notum. In Thracia, teſte *Plinio*, amnes lacusque gelatos tranſituræ, aure ad glaciem applicatâ, craſſitudinem ejus explorant. In cavernis multiformes aditus faciunt, nè facilè à venatoribus illaqueentur. Quia lupus contactu ſcillæ convellitur, ut dictum ſuprà, latebris ſuis eandem apponunt. Pulicibus infeſtatæ, manipulum fœni, aut pilos ore continentes, paulatim à poſteriore parte in aquam ſe mergunt, ut pulices ad caput aſcendant, eoque immerſo, in fœnum, vel villum colligantur. Echinos in arctum conſtrictos, quia adoriri non poſſunt, urinâ in eos redditâ ſuffocant. Cum lepore ſe ludere ſimulant, & incautum devorant. Famelicæ, inſidiosè mortuas ſe ſimulant, ſpiritu compreſſo, exertâque linguâ, poſtquam ſe priùs in argilla rubra, ut cruentæ quaſi appareant, volutârunt, accedentes aves corripiunt. In Ponto ſic otidas venantur, *Æliano* teſte, ut ſeſe avertentes, & in terram abjicientes, tanquam avis collum, ſic caudam extendant; quâ inſidiarum ſtructione illæ ſeductæ, ad illam tanquam gregalem ſuum accedunt, & capiuntur. In pedica captæ, morſu pedem præſcindunt, ut aufugiant: nullâ fugæ patente viâ, mortem ſimulant. Gallinas in pertica ſedentes, caudâ huc & illuc impulsâ perterrefactas, dejiciunt, & devorant. Omitto multa alia.

Vulpes Peruvianæ. In Peruviano regno puſillæ ſunt, teterrimi odoris, adeo ut ſi urinâ aliquid fœdaverint, fœtor nunquam ablui poſſit. In ſilvis Septentrionalibus reperiuntur nigræ, candidæ, rutilæ, crucigeræ. In his ab ore per caput, tergum, & caudam, recta nigri coloris linea protrahitur, deinde alia transverſa per armos & pedes anteriores ducitur.

CA

Digitized by Google

CAPUT LXXVIII.

De Vulpibus Indicis.

VUlpium Indicarum varia ſunt genera,& nomina,apud *Nierembergium* lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 10. Quam *Coiotl* vocant, eſt lupino capite, vividis oculis, parvis & acutis auriculis, roſtro nigro,& longo, cruribus nervoſis, & uncis, craſſis unguibus, caudâ hiſpidâ & craſsâ, fuſco & longo pilo, noxio morſu. Magnitudine eſt inter lupum & vulpem mediâ. Frequens eſt in nova Hiſpania. Victitat imbecilliorum animalium prædâ, maizio, & arundinibus ſaccharaceis.Invadit aliquando & cervos,& homines. Sagax eſt venatui, & vulpinis moribus. Adeo injuriæ illatæ,atque ereptæ aliquando prædæ memor,ut poſt dies aliquot agnoſcat raptorem, inſectetur obvium, & interdum etiam aliis ſui generis comitantibus adoriatur & trucidet; cognitisque magno ſtudio, & curâ ædibus, ac interemptis quibusvis domeſticis animalibus, ulciſcatur injurias. Erga beneficos verò eſt tam gratus, ut allatis ante eum cohortalibus,& cæteræ prædæ parte, benevolentiam ſuam,gratumque animum teſtetur. Vulpes Indicæ.

Cuitlaxcoiotl iisdem quoque præditus eſt moribus, nec formâ multùm diſſimilis.

Izquiepotl maizium toſtum colore imitatur. Duós ferè dodrantes eſt longa, humilis, roſtro tenui, parvis auriculis, piloſo corpore, longâ caudâ,brevibus cruribus, uncis unguibus. Vivit in antris inter ſaxa,ubi educat prolem. Veſcitur ſcarabæis, & vermiculis, cohortales jugulat, ſolùmque earum devorat capita. Cùm pedit, fundit halitum fœtidiſſimum. In extremo conſtituta periculo, redditâ urinâ, aut fæcibus dejectis, ad octo pluriumvè paſſuum intervallum, ſeſe ab injuria vindicat, ac veſtes inficit indelebilibus maculis, & nunquam ſatis exſpirante fœtore.

Anna animalia ſunt fele domeſtico minora, tam peſtilentis fœtoris, ut dum noctu oppida obambulant, ſe ipſa prodant, etiamſi diſtent centum paſſus, foresque & feneſtræ ſint clauſæ. Plura vide apud Nierembergium. Annæ animalia fœtida.

CAPUT LXXIX.

De Zaino.

ZAinus, ſive Zahinus, aut Saynus, fera Indica, ſimilis noſtrati apro eſt, niſi quòd minor ſit, & deformior. Umbilicum habet ſupra dorſum, Zainus.

Digitized by Google

& circa renes, ex quo aqueus humor receptus, digitis expreſſus effluit. Nec tamen verus eſt umbilicus, ſed mollis quædam & glanduloſa pinguedo, ut *Franciſcus Hernandus* eo diſſecto deprehendit. Quanquam *Antonius Herrera* putet, animal per eum reſpirare: cui & *Lerius* favet, ſcribens aprum Americanum habere foramen in dorſo, quemadmodum ſues marini in capite, quo ſpiritum emittat, atque recipiat.

Zainorum natura & mores.

Iracundum eſt animal. Venatores conſcendunt arbores; accurrit grex Zainorum, mordent, & lacerant truncum, cùm hominem non poſſint; quos ille ſupernè tutus venabulo cædit. Gregatim diſcurrunt; eligunt ducem, & ut fertur, minorem aut viliorem omnium; nec niſi eo occiſo ſocietatem & cohortem diſſolvunt. Mirum odium in tigridem habent. Dux Zainorum convocat quoſcunque poteſt ſui generis, usque ad trecentos & plures; iis invadit tigridem, & multitudine vincit, non ſine Zainorum ſtrage. Feri ſunt, ac truculenti, cùm capiuntur: ſed cùm cicurantur, placidi ſunt domeſticis, & habentur in deliciis. Caro eſt ſimilis ſuillæ aprugnæ, ſed durior, atque inſuavior. Setæ ſunt aſperæ, albo & nigro promiſcuè variatæ colore. Veſcuntur glandibus, radicibus, & aliis montanis fructibus, nec non vermiculis, lumbricis, atque aliis hujusmodi. Devaſtant ſata. Redditi mites, quibuscunque aluntur eſculentis. Digiti pedum alii ſunt productiores, alii breviores.

Hæc ſufficiant de Quadrupedibus. Qui plura volet, adeat Auctores paſſim hoc libro citatos. Nunc ad Aves tranſeo.

LIBER

Digitized by Google

LIBER NONUS

De

MIRABILIBUS ANIMALIUM VOLATILIUM.

PROOEMIUM.

VIdeo me longiùs provectum terreſtri itinere, quàm initio ſtatueram. Avium igitur nationem ingreſſus, arctiores mihimet ipſe limites præfigam. Antiqua tamen veſtigia non deſeram. Naturas igitur avium, ingenium, mores, & mira recenſebo. Mirorum cauſas ſubinde indagabo, aut inſinuabo ſaltem. Ordo & hic erit qui priori Libro, Alphabeti videlicet; quamvis Aldrovando, præſtantiſſimo ac præciquo Ornithologo alius placeat, aliusque aliis. Ille in tribus eruditiſſimis Tomis, in libros octodecim diſtinctis, quos de Avibus ingenti labore & ſumptu, multorum annorum ſpatio concinnavit, primùm omnium Aves dat carnivoras, ut aquilas, vultures, accipitres, falcones, corvos, ac ſimiles alias; quibus interſerit Aves fabuloſas, gryphes videlicet, harpyias, Stymphalides, Sirenes, & Seleucides aves. Secundo loco dat granivoras, gallinas videlicet, columbas, pavones, phaſianos. His accenſet, quæ vermibus veſcuntur. Tertio denique loco dat aves quotquot vel in aquis, vel circa eas habitant, quæque domi educatæ cantu ſuo hominum aures demulcent. Alium concinniorem ordinem habet Jonſtonus Tomo de Avibus, in Libros ſex tributo. Nobis noſter placet, quia ſimplicior, ac facilior. Ab A itaque littera inchoamus.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Aquila in genere.

Aquilarum ſpecies diverſæ.

AQuila, Græcis ἀετὸς dicta, volucrum princeps & regina, non ob corporis molem, ſed ob volatus ſublimitatem, celeritatem ac durationem, ob corporis robur, animique audaciam ac generoſitatem, ob viſus acumen, aliasque dotes (de quibus mox) non unius eſt ſpeciei, ſed admodum diverſæ. Eſt enim alia Chryſaëtus, alia Haliaëtus, alia Melanaëtus, alia Pygargus, alia Morphnus, alia Percnopterus, alia Oſſifragus ſeu Oſſifraga, ut in ſequentibus videbimus. Agemus ergo primò cum Geſnero, Aldrovando, Jonſtono, aliisque Ornithologis de Aquila in genere; deinde de variis ejus ſpeciebus.

§. I. Aquilæ deſcriptio.

Aquilæ deſcriptio.

OMnis Aquila eſt γρύψ, id eſt, adunco roſtro, & recurvis unguibus. Corporis magnitudo non omnium eadem; nec ullius omnium avium maxima, cùm multæ aquilis reperiantur majores, ut in ſequentibus videbimus. Caro omnium eſt dura; oſſa firma, & ferè ſine medulla; plumæ rigidæ; oculi parvi, charopi, concavi, profundi, nec nimiùm oblongi, nec exactè rotundi, rubore vivido ut plurimùm perfuſi. Dentes nulli, ſed roſtrum intus ſerratum, vel potiùs canaliculatum, quod proinde loco dentium eſt; collum mediocriter longum; alæ rectæ ferè, ſi extendantur, nervoſæ, paucæ carnis, & eximiæ magnitudinis. Crura præ corporis magnitudine haud ita longa; pedum dexter ſiniſtro major, colore uterque varius; cauda brevis. Ungues, ut dixi, recurvi, ac firmi, leonum unguibus haud multùm abſimiles. Robore magno eſſe, indicat partium totius corporis conſtitutio, ipſaque experientia quotidiana.

§. II. Aquilarum ſedes, & Nutrimentum.

Aquilarum nutrimentum.

REperiuntur aquilæ in Caucaſo, Tauro, regno Peruano, Germania, Polonia, Dania, Britannia, aliisque regionibus in quibus prædæ eſt copia. Nutrimentum enim ipſarum ſunt carnes columbarum, anſerum, cygnorum, gallinarum, leporum, ovium, ac etiam cervorum; nec non teſtudinum terreſtrium, piſcium, cancrorum, ſerpentum: imò iratæ aut famelicæ, nec à ſui generis avibus abſtinent. Cadavera tamen non tangunt, Percnopterum ſi excipias, de quo accipiunt nonnulli illud Chriſti apud *D. Matthæum* cap. 24. *ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Bibere illas negant plerique, quòd prædæ ſanguis pro potu ſit. Alii tamen medicinæ

Digitized by Google

medicinæ cauſâ, & ultimo in ſenio, dum roſtro incurvato cibum ſumere nequeunt, bibere putant.

§. III. Aquilarum viſus, & Volatus.

TAm robuſti eſt viſûs aquila, ut ſolem fixis intueatur oculis absq; noxa; tam acuti, ut ex altiſſimo aëris loco, quo volando penetravit, aviculas in terra, lepuſculos ſub frutice, piſciculos ſub aquis conſpiciat. *Scaliger* Exerc. 228. teſtatur, ſe obſervaſſe unam *ſæpenumero in Sole poſitam, adverſus illius radios obtutum attentiorem, ac diu fixum pertinaciter tenuiſſe.*

Aquilarum viſus robuſtus, & acutus.

Volatum habent altiſſimum, & velociſſimum. Tam enim ſublimes ſurſum rectâ viâ, & deorſum tantâ velocitate ac impetu, jaculi inſtar, & rectâ itidem viâ feruntur, ut cæteras omnes aves ſuperent. *Scaliger* loc. cit. ſcribit, in Alpibus Veſontiorum ante oculos venatorum prævenisse unam canes ſuos, & leporem ſuſtuliſſe, quem inter vepreta diu multùmq; ſpeculata, multis gyris exſpectaverat, dum exiret. Cauſam tam pernicis & alti volatus adſcribit *Aldrovandus* alis nervoſis, pennis maximè denſis, & corpori admodum exiguo, ſi alis & pennis comparetur. Volant tamen à meridie tantùm ad veſperam, antemeridiano tempore quieſcunt.

Aquilarum volatus.

§. IV. Aquilarum Nidi, Incubatus, & Excluſio.

NIdos in ſublimi rupe, aut excelſa arbore concinnè conſtruunt, atque in eos ova deponunt fœmellæ, ut incubent. Ternos aliquando, ſæpius binos excludunt pullos. Horum unum educant, alterum expellunt, nutriendi tædio, ſi Ariſtoteli & Plinio credimus: ad tantam enim tunc temporis maciem reducuntur, ut exhauſtis viribus ad feras capiendas non ſufficiant. Ungues præterea ipſis tum invertuntur, & pennæ inediâ albeſcunt. *Tempus quo ovis incubant, ſpatio tricenûm dierum majoribus, minoribus verò viginti, ut plurimùm definitur,* inquit Aldrovandus. Dum incubant, adeò exæſtuant, ut ova penè excoquantur: quare ut refrigerent calorem, ſimulq; partum accelerent; aëtitem lapidem nidis inſerunt. Eſt is ovi magnitudine, colore puniceo, aut rubeo, vel cinereo; & tantæ virtutis ad eliciendum fœtum, ut parturientibus etiam mulieribus adhibeatur. Sunt qui ob eundem finem & adiantum herbam, & vulpinæ aut leporinæ pellis fruſta ab aquilis nido imponi ſcribant.

Aquilarum nidi, incubatus, excluſio.

§. V. Aquilæ quomodo probent pullos ſuos.

PUllos adhuc teneros, antequam nutrire pergant, hunc in modum, an genuini ſint, aut degeneres ac ſpurii, probant. Ex ungue ſuſpendunt, utpote volare nondum valentes, Soliſque adverſi radios intueri cogunt fixis oculis. Qui oculos vi ſplendoris perſtrictos inflectunt, aut nictatione

Aquilæ pullos ſuos quomodo probent.

tione obnubant; eos tanquam degeneres & adulterinos laxatis unguibus in præceps dejiciunt: qui verò conſtanter adverſum Solem, oculisque immotis aſpiciunt, extra omnem ſuſpicionem inter legitimos fœtus numerant, ac nido reponunt. Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. Animal. c 34. loquens de Haliæto, ſeu Aquila marina, ita ſcribit. *At verò marina illa, clariſſimâ oculorum acie eſt, & pullos adhuc implumes cogit adverſos intueri Solem. Tum cujus oculi priùs lacrymârint, hunc occidit; reliquum educat.*

§. VI. Aquilæ quomodo educent ſuos pullos.

Aquilæ pullos ſuos quomodo educent.

SUmmè amant, & impensè educant pullos, quos genuinos deprehenderunt. *Condunt, reſervantque ſuo in nido* (inquit Ariſtoteles lib. cit. cap. 32.) *quantum cibi pullis ſuperſit. Quod enim die quâque facultas venandi non datur; fit interim nè, quod portent, extrinſecus habeant. Si quem deprehenderint violantem nidum, verberant ſuis alis, & unguibus lacerant. Alunt ſuos pullos, donec poteſtas volandi fiat; tum nido eos expellunt.* Portare eosdem pullos ſuos in humeris inter alas, præter morem cæterarum avium, quæ pullos pedum digitis comprehenſos ferunt quò lubet, innuit Sacra Scriptura *Deuteronomii cap. 32. v. 11.* Ad venationem exercendam à teneris inſtituunt, & imbecillibus adhuc tradunt agnos, arietes, & alia hujusmodi animalia non omnino extincta, ſed adhuc ſemiviva, quo minori negotio debellare poſſint, & quodammodò triumphantes, ferocitatis ſuæ quoddam faciant tyrocinium. Erga eosdem, ſi quando ægrotare contingat, magnâ indulgentiâ ac benignitate utuntur: ubi enim ob ſtomachi debilitatem concoquere nequeunt cibum ſolidiorem, ſanguinem è præda exſuctum, & ore hauſtum, in os pullorum evomunt. Innui hoc videtur apud *Job* c. 39. v. 30. ubi ait Scriptura, de aquila loquens: *Pulli ejus lambent ſanguinem.* Viribus ac ætate aliquantùm confirmatos inſtruunt ad volandum; ſublatos enim in altum, dimittunt ut volent, labentesque rurſum ſuſcipiunt, rurſusque dimittunt, donec creſcente ætate, & audaciâ, propriis viribus volitent. Innuit hoc quoque Scriptura Sacra loc. cit. ex Deuteronomio. Factos jam grandiuſculos, & aptos ad cibum ſibi quærendum, longiſſimè à nido fugant, adeo ut nè in eadem quidem regione hærere patiantur; nè ſcilicet utrisque præda deficiat.

§. VII. Aquilarum docilitas & generoſitas.

Aquilarum docilitas, & generoſitas.

AQuilæ tametſi ingenio ſint minùs tractabiles, difficilesq; admodum ad parendum humanæ inſtitutioni; primâ tamen & tenerâ adhuc ætate cicurari ac inſtrui poſſunt, citiùsq; fœminæ quàm mares, teſte *Ariſtotele* lib. 9. Hiſt. Animal. c. 1. loquente de animalibus in univerſum. Indi, teſte

Æliano

Æliano l. 4. de Animal. cap. 26. aquilarum pullos inſtituebant ad venatum leporum & vulpium, modo ibi recenſito. Cublais Tartarorum Imperator multas habebat aquilas cicuratas, quæ non ſolùm lepores, capras, damulas, & vulpes capiebant, ſed in lupos quoq; inſilientes, eos adeò divexabant, ut facilè ab hominibus caperentur. In Africa quoq; aſſuefiunt venari vulpes & lupos, quorum capitibus inſident, ac faciem roſtro impetunt.

Generoſitatis multa ſunt argumenta. Nidi violatorem minùs quàm poſſint, caſtigant: alis enim tantùm, & unguibus verberant, non roſtro lædunt, teſte *Æliano* lib. 2. de Animal. cap. 40. Generoſi atq; excelſi animi eſt, fœtus ſuos modo ſuprà dicto probare, & degeneres repertos abjicere. Dum à cornice inſectantur, contemnunt, ac ſurſum volant: ſi tamen non deſiſtat à cœpto, correptam unguibus lacerant. In noctuam non involant, ut aliæ aves, parùm id regiam avem decere exiſtimantes.

§. VIII. Aquilarum mores, & prædandi ac pugnandi ratio.

Maximam curam unguium gerunt, quoniam eorum beneficio prædam rapiunt. Hinc cavent nè obtundantur; in inceſſu intrò ſemper vertunt, & contrahunt; per ſaxoſa incedere refugiunt; petroſis in locis habitantes, pelles occiſorum animalium ſubſternunt; niſi aut in ſolem, aut in prædam oculos intendant, ungues perpetuò aſpiciunt, metuentes nè nimiùm incurventur; hebetatos roſtro acuunt, aut ad lapides atterunt. Raptam prædam non ſtatim auferunt, ſed primò deponunt, expertæq; pondus tum demum abeunt, teſte *Plinio* l. 10. c. 3. Nec quod occiderunt, ſtatim eodem loco devorant, nè quis ſubitus hoſtis superveniat, ſed in nidum velut in caſtra deferunt. Prædæ ſe accingentes, in alta rupe ſedent, & velut ex ſpecula longè latèq; proſpectant; tum fulminis inſtar in prædam obſervatam ruunt. Teſtudines terreſtres (quibus mirè afficiuntur, non tam ut cibo, quàm medicamento) ex alto in ſubjecta ſaxa cum impetu dejiciunt, ac frangunt. Expertus hoc fuit damno vitæ ſuæ Æſchylus Poëta. Aquilarum mores, prædandi ac pugnandi ratio.

Dum ex alto in ſubtervolantes aves impetum faciunt, & primâ impreſſione non capiunt, quòd avis petita ictum celeritate volatus evitaverit; ſi ex genere non rapaci eſt, non perſequuntur ampliùs. Rapaces è contra ſi impetum evaſerunt, ipſas aggrediuntur aquilas, pondere ſuo delatas. Obſervavit hoc *Scaliger* in Petrocoriis, ut ipſe teſtatur Exercit. 231. *Falco enim ab aquila appetitus, cùm celeri dilapſione ſeſe irruenti illi ſubtraxiſſet, collectis cum animo viribus, aliquot rotationibus redintegratis,*

 ultrò

ultrò aggreſſus in fugam compulit. Unde non ſemper ſuperiorem eſſe, nec quavis prædâ à ſe petitâ potiri eam apparet. Quin & cum polypo, imbelli alioquin & timido, malè aliquando pugna ſucceſſit, teſte *Æliano* lib. 7. cap. 11. Nam *cùm in ſaxum non admodum è mari imminens polypus aliquando correpens aſcendiſſet, ibiq; explicatis brachiis ſummâ cum voluptate, quòd frigida tempeſtas eſſet, à tepore Solis caleſceret, neq; ſanè ſe in ſaxi colorem vertiſſet; aquila acris & acuta in videndo, prædam cernens, quanto potuit maximo alarum impetu in polypum inſiluit. Sed & piſcis hic circumplicantibus aquilam & pertinaciter adhæreſcentibus cirris, in profundum detraxit hoſtem capitaliſſimum, ſimul & interfecit.*

Polypus aquilam vincit.

Aquila cum tauris & cervis quo modo pugnet.

De aquila Chryſaëto ſcribit *Ælianus* lib. 2. de Animal. cap. 39. tauros in Creta Inſula invadente, in hunc modum. Cùm taurus ad paſtum dejicit caput, aquila ex inſidiis in cervicem involans, crebras illi plagas roſtro infligit. Quibus ille incitatus, tanquam furibundus in fugam ſe dat. Et quamdiu per plana diſcurrit, nihil ampliùs moleſtiæ ei exhibet aquila inſequens: cùm ad præruptum aut declivem locum deveniſſe conſpicit, explicatis alis oculos ejus identidem quatit, ac vi magnâ præcipitem agit, atque occidit. Simili modo aggreditur ac vincit cervos, teſte *Plinio* lib. 10. Natur. Hiſt. cap. 4. Nam *multum pulverem volutatu collectum; inſidens cornibus excutit in oculos; pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.* Acrior eſt illi cum dracone pugna, multòque magis anceps, etiamſi in aëre, ait idem *Plinius*. *Ova hic conſectatur aquila aviditate maleficâ: at illa ob hoc rapit ubicunq; viſum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, ut ſimul decidant.* Duas cum anguibus complicatas decidiſſe vidit *Scaliger* Exercit. 228. num. 3. unam in Sallutianos colles, quam commilitones juſſu ſuo incolumem dimiſerunt: alteram in Vaſconia, quam ruſtici unà cum angue occiderunt. Cum cygnis etiam pugnant aquilæ, & ſubinde vincuntur. Item cum Trochilo, cum gruibus, anſeribus, ardeolis, omnibus denique avibus, tam rapacibus, quàm non rapacibus.

Symphito, herbâ homini innoxiâ, interimitur aquila. Pennæ ejus junctæ aliarum avium pennis, anſerum præſertim & columbarum, illas abſumere dicuntur: quod tamen alii negant. Amoris erga homines, & gratitudinis erga altores ac benefactores exempla multa, atque egregia, congerit *Aldrovandus* lib. 1. Ornithologiæ.

CAPUT

CAPUT II.

De aquilis in ſpecie.

SEx Aquilarum ſpecies initio capitis præcedentis adnumeravimus, quas & *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 32. ac *Plinius* lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 3. recenſent, quamvis non eodem ordine. Has nunc enucleatiùs explicabimus.

§. I. De Chryſaëto.

OMnium aquilarum primam ac præcipuam, quæque ſimpliciter & ſine adjuncto καθ' ἐξοχὴν aquila dicitur, Græci vocant Chryſaëton, hoc eſt, auream, quòd colore ſit quaſi aureo, hoc eſt, fulvo, & proximè inter omnes alias aquilas ad aureum accedente. Hanc ſolam Ariſtoteles loc. cit. & cæteri Græci antiqui, appellarunt γνήσιαν, Gneſiam, hoc eſt, legitimam, veram, & germanam, germanique & incorrupti ortus. *Albertus* verò *Magnus* lib. 23. de Animal. vocat Herodium, hoc eſt, avium omnium (ut ipſe ait) heroëm. Quo ſenſu & avem regalem *Apulejus* dixit. Et hæc eſt, quam antiqui Jovis alitem nuncupârunt, tanquam dignam tanti domini miniſtram; *Ælianus* verò lib. 2. de Animal. cap. 39. à macularum notis ſtellarem, aliique aliis nominibus. Hanc eandem Ariſtoteles loc. cit. ſtatuit corporis mole omnium maximam, ut quæ cæteras ſeſqui alterâ proportione excedat. Plinius ergo, qui ſua ex Ariſtotele deſumpſit, dum eandem loc. cit. mediâ magnitudine inter cæteras ſtatuit, aut errat, aut locus ejus corruptus, dicendumque, mediâ magnitudine reliquas excedere. Chryſaëtus, prima aquilarum ſpecies.


Hanc aquilam exactiſſimè deſcribit atque depingit *Ulyſſes Aldrovandus* lib. 2. Ornithol. cap. 2. ex inſpectione diutina, conſideratione exacta, & diligenti anatomia unius, quam Sereniſſimus Princeps Ferdinandus Medices, Magnus Hetruriæ Dux, Piſis Bononiam in eum ipſum finem dono vivam transmiſerat. Hanc cùm novem dierum ſpatio obſervaſſet aſſiduè, tandem ſtrangulavit, & pondus ac menſuram omnem accuratè indagavit. Pondus erat librarum duodecim. Longitudo totius à roſtro ad extremos usque ungues, quatuor erat ſpithamarum & mediæ; latitudo expanſis alis, octo. Roſtrum palmam & pollicem unum erat longum, computando etiam curvaturam, quæ ſola ultra inferiorem mandibulam ad pollicem propendebat: latitudo verò ejusdem roſtri, præſertim medii, plùs quàm duorum erat digitorum. Roſtri uncus niger erat, reliquum coloris cornei ad cæruleum dilutum tendentis, fuſco maculati. Rictus oris, quantum nempe aperiebatur, unius erat palmi & pollicis.

Lingua humanæ ſimilis, lata, extremò teres, verſus radicem duobus utrimq; ceu humanis appendicibus corneis armata, inferiori mandibulæ per tenuem quandam membranam media nectebatur. Palatum medio perforatum. Inferior roſtri pars canaliculata, quâ utrimque eminentioribus marginibus à ſuperiore inſerta excipitur. Membrana quæ à fronte ultra nares protenſa eſt, nec non fræni ſeu rictus initii oræ, luteæ erant. Plumæ colli rigidæ, ferrugineæ. Oculum tunica quædam craſſa, ab infra ſurſum porrecta, inter nictandum tegebat. Palpebræ binæ oculum integebant, ſupernè & infernè, etiamſi inferior totum oculum ſolá cooperire, ſurſum porrecta, ſufficeret. Superciliorum regio eminens erat admodum, inſtar ejus quod in domorum tectis prominet; ſub qua in alta cavitate latebant oculi. Hi erant charopi, & in diluto virore ſplendor igneus intermicabat. Pupilla ſaturi erat nigroris. Harum & caudæ color fuſcus, eoque magis, quo pennæ majores. Cæterarum totius corporis minutiorum plumarum color ex fuſco ferrugineus ſeu caſtaneus erat, maculis albis ſparſim intercurrentibus, paucis dorſo, pluribus ventre, radicibus ubique albis. Rectrices alarum pennæ utrimque ſenæ erant, dodrantes binos & palmum longæ, calamis firmiſſimis, ac duris, brevioribus tamen anſerinis, ad ſcribendum aptiſſimæ. Crura ad pedes usque plumoſa, ferruginei coloris. Pedes ſubflavi erant. Siniſtri pedis poſticus unguis (ſeu calcar) ſex digitos in circumferentia longus: dextri verò quatuor tantùm. Hanc differentiam putat Aldrovandus non fuiſſe naturalem, ſed vi illatam, quia ſiniſter ille unguis videbatur mutilus. Primus anticus unguis ſiniſtri pedis erat quinque digitorum longitudine, medius trium cum dimidio, & tertius ac minimus duorum digitorum. Dextri pedis ungues proportione calcaris, pauló quàm ſiniſtri minores. Singulos digitos tabellæ quaternæ ſemicirculares, extremos prope ungues integebant, excepto maximo anteriori, quem tres tantùm annuli veſtiebant, cætera ſquamulæ cooperiebant ad granorum milii, aut pauló minorem magnitudinem. Hæc ex Aldrovando; quibus ipſe internas etiam partes, ex anatomica inſpectione adjicit.

Vide Iconiſmum LI.

Geſnerus Tigurinus deſcribit eodem ferè modo, ſed breviùs, pullum aquilæ Chryſaëti, captum in agro Tigurino, & in urbem allatum; cujus & iconem hîc ponere placuit, quoniam expreſſiùs explicat aquilæ formam ac partes præcipuas, quàm icon Aldrovandi. Alarum pennæ maximæ, in contrarium extenſæ, intervallum relinquebant dodrantum novem & dimidii. Longitudo à principio roſtri ad finem caudæ, dodrantes quinque. Proceritas ſtantis pro more, non extenſo collo, dodrantes tres, palmo minùs. Pedes erant crocei, & crura à pedibus ad

Iconiſmus LI. Ponatur è regione pag. 940.



Digitized by Google

ad palmi menſuram ſine plumis (cujus tamen contrarium exhibet appoſita figura, uti & Aldrovandi deſcriptio.) Digiti pedum medii, longitudine & craſſitudine humani medii in viro mediocri, aut paulò majores. Pars dorſi ſuperior inter alas cucullum quoddammodò ſuâ figurâ referebat, nempe triangula, mucrone deorſum verſo. Ventris plumarum color rufus ferè, aut caſtaneus, maculis albis aſperſus. Roſtrum poſteriùs ſubflavum, anteriùs nigricabat indico propè colore. Longitudo roſtri ſuperioris ad tres digitos ferè, unco præterea ad digiti menſuram deſcendente. A media lingua unci duo hamorum inſtar retrorſum ſpectabant. Hæc Geſnerus; qui addit, in agro etiam Solodorenſi Helvetiæ captos duos aquilæ pullos, deſcriptioni præmiſſæ prorſus convenientes. Eidem deſcriptioni conveniunt duæ, quas ſæpe vidi, unam Romæ in Collegio Germanico, alteram hîc in Arce noſtra Herbipolitana. Bellonius ergo, & quicunque aliam genuinæ aquilæ figuram obtrudunt, errant. Noſtra deſcriptio cohæret cum iis, quæ Ariſtoteles & Plinius locis ſuprà citatis de Chryſaëto tradunt, ut conſideranti patet; & bene expendit Aldrovandus.

Huic aquilæ hactenus deſcriptæ conveniunt potiſſimùm omnia illa, quæ capite præcedenti diximus; ideo plura non addimus.

§. II. De Haliaëto, ſeu Aquila marina.

QUam Græci Haliætum, ſeu Haliaëtum dicunt, Latini Aquilam marinam, Germani Meeradler / vel Fiſchadler appellant. Aliqui Haliæëtum ſcribunt. De hac ita ſcribit Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 32. *Quintum genus eſt, quod haliaëtus, hoc eſt, marina vocatur, cervice magna & craſſâ, alis curvantibus, caudâ latâ. Moratur in littoribus & oris. Accidit huic ſæpe, ut cùm ferre quod ceperit, nequeat, in gurgitem demergatur.* Et iterum eodem capite: *Aquila marina clariſſimâ oculorum acie eſt* &c. quæ capite præcedenti adduximus. Hæc Ariſtoteles; nec plura. Haliaëtus, ſecunda aquilæ ſpecies.

Hanc Medicus quidam præſtantiſſimus apud *Bellonium* lib. 2. de Avibus cap. 8. ita deſcribit. *Magnitudine Haliætos eſt Milvi, capite albis & fuſcis diſtincto lineis, roſtro aquilino, oculis in medio nigris, in ambitu aureis; linguâ ferè humanâ, niſi quòd ad ejus radicem utrinque appendicem cæterarum more habet; colore per ſumma Aſturis, per ima albo; gutture maculis notato rufis, ut & ventre, pectore purè candido. Supra magnitudinem corporis longitudo alarum eſt, quæ ad pedes Romanos duos & digitos undecim extenditur. Crure craſſo & ſquamoſo; pede hamato & colore cæruleo; digitis quatuor per ſuperna ad dimidiam longitudinem etiam ſquamoſis, ad reliquam inciſis, per inferna aſperis & aculeatis tenacitatis gratiâ; & his tam validis, ut flexos vix ullâ vi extendas. Pedum digitos non ut ſteganopodibus cute craſſiore nexos, ſed fiſſos, ut cætera aquilæ, obtinet.*

Haliaëtus quales habeat pedes.

De pedum conſtitutione Haliaëti controverſia non levis eſt inter aliquos. *Albertus Magnus*, loquens de Ave quadam varia, quam piſcium Aquilam Germanico idiomate vocatam ait, & piſcibus ſuper flumina ac ſtagna arboribus inſidentem inſidiari, pedem unum anſerinis ſimilem habere tradit, alterum verò accipitrinum ſeu aquilinum. *Vincentius* quoq; *Belluacenſis* loquens de Aquila Orfraye (quo nomine Haliaëtum Galli appellant) ait, eam altero pede aduncis unguibus ad prædam capiendam eſſe inſtructam, altero lato ad natandum: gyro enim multiplici (inquit) uſa in aëre, nunc more ludentis, nunc more inſidiantis, tandem prædâ in aquis visâ, impetu maximo deſcendit, altero quidem pede prædam rapiente, altero verò natante, & prædæ raptorem adjuvante. Geſnerus aſſerit, audiviſſe ſe ab Anglis, Osproium ipſorum (ſic vocant Haliætum) pedem unum anſeris habere, alterum milvi, quem & magnitudine referat; adipem in cauda pretioſam continere; volitare per aërem, & in eo veluti pendere, tum demittere adipis aliquid in aquam, ſtatimque piſces attonitos verti ſupinos; illum mox rectà præcipitem ferri inſtar lapidis, & unum ex illis altero pede adunco arripere. Idem *Geſnerus* ait, Burgundos quoque aſſerere, avem, quam Crot peſcherot, id eſt, corvum piſcatorem appellant, pedes ſimiles & eundem piſcandi morem habere; eamq; cùm piſcem pede altero aquilino in aqua corripuerit, & propter pondus ex aqua evolare nequeat, altero palmipede ad ripam usque remigare. *Aldrovandus* hanc litem ita componere nititur, ut dicat Haliætorum diverſas eſſe ſpecies, & aliquos utrumque pedem habere aduncum, alios unum aduncum, alterum planum. Ariſtoteles de prioribus loquitur, quando ſcribit, accidere haliæto ſæpiùs, ut cùm ferre quod ceperit, nequeat, in gurgitem demergatur, tractus videlicet in profundum à piſce grandiori, cui ungues infixit.

Haliætus viſu eſt acutiſſimo, & pullos ſuos ad Solis radios examinat, modo ſuprà dicto. *Ariſtoteles* loc. cit. ait, haliætum capere etiam volucres maximas, & ſolùm ſingulas aggredi, nunquam univerſas, quoniam ab his arcetur, & alis repellitur.

§. III. *De* Melanaëro, ſeu Aquila Valeria.

Melanaëtus, tertia aquilæ ſpecies.

MElanætus, ſeu Melanaëtus, idem eſt ac Aquila pulla, ſeu nigra: unde & à Germanis vocatur Schwartzadler. Hermolaus Valeriam vocat, quòd viribus præcipuè valeat; Græci verò aliqui λαγωφονὸν, & λαγωθήραν, id eſt, Leporariam, quòd lepores capiat & occidat præ aliis aquilis. Magnitudine eſt infra reliquas aquilas, roſtro aquilino & adunco, cujus extremum eſt nigrum, reliquum ſubcœruleum. Supra narium foramina roſtri initium membrana quædam transverſim obveſtit. Fræni ſeu rictus incipien

Digitized by Google

incipientis oræ utrobiq; luteæ; oculi pupilla nigra; iris charopa, & ex luteo nonnihil refuſcens; vertex ac cervix ferrugineus obſcurus, reliquum corpus nigricans totum, niſi quòd ternis exiguis notulis albicantibus dorſum aſpergitur. Alæ longæ ad ultimam ferè caudam exporriguntur; cauda ſatis lata; crura propemodum tota plumis operta, ita ut vix ad digiti ſpatium à pedibus ſurſum nudentur. Pedes toti, & illud exiguum ſupra pedes nudum, exquiſitè eſt luteum. Utraque tam crura ſcilicet, quàm pedes, horumq; digiti ad ungues uſq; tabellis veſtiuntur parte anticâ. Ungues toti nigerrimi.

Aquilarum hæc ſola fœtus ſuos alit, inquit *Plinius* lib. 10. Hiſt. Natur. cap. 3. Itaque illos non probat ad Solem, ut Haliætus. Cùm leporem ex alto conſpexit; non præcipitat ſe repentè deorſum, ſed ſenſim demittit, tum ut inſidias evitet, tum nè impetu illiſa offendat. Nec leporem aggreditur priùs, quàm viderit in plana egreſſum. Cum cervis etiam & draconibus pugnat: nam quæ diximus ſuprà de pugna aquilæ cum his animalibus, *Plinius* lib. 10. cap. 4. adſcribit Melanaëto, & Pygargo. Tametſi ergo corpore ſit minor aliis aquilis, viribus tamen & robore præcipua eſt, ob idque meritò Valeria dicta.

§. IV. De Pygargo.

Pygargus aquila eſt caudæ albicantis, unde & Albicilla nonnullis, Germanis verò weiſſgeſchwäntzter Adler dicitur. Hanc *Aldrovandus* ſic deſcribit ex una quam vivam aliquando habuit. *Magnitudine eſt mediocri, quantá ferè eſt gallus majuſculus. Roſtro toto luteo, & adunco, nempe à principio ipſo ſenſim ac leniter ad extremam uſq; unci aciem incurvato, paulò quàm cæteris aquilis longiore, ſi proportionis rationem habeas. Oculi pupilla nigerrima, iris lutea. Verticis ac colli totius color eſt dilutè caſtaneus ex cinereo; apices tamen plumarum magis nigricant. Dorſum, alarumq; pars ſuperior ferrugineis obſcurè plumulis ac ſubnigris integuntur, uti ferè & venter; & femora. Cauda ab uropygio ad finem uſq; tota albicat. Unde meritò Albicilla nomen datum à Gaza. Duæ tamen pennæ minores, & quæ reliquis majoribus ac principalibus incumbunt, extremo nigræ ſunt; Tibiæ tota ferè nuda ſunt, eaq; cum pedibus intensè lutea, utraq; tabellis ubiq; ſuperintegentibus. Ungues acerrimi.* Hactenus Aldrovandus. Aliter Bellonius, qui duas diverſas habet deſcriptiones.

Pygargus, quarta aquilæ ſpecies.

Hæc aquila vagatur in campis, & oppidis. Gaudet etiam planis, & lucis. Nonnunquam montes ac ſylvas petit more cæterarum. Difficilior eſt reliquis in alendo fœtu. Aetitem lapidem nido imponit, ad facilitandam excluſionem pullorum; magis ſollicita de parienda, quàm educanda prole. Fortitudine par eſt Melanaëto, adoriturque cervos ut ille. Hinc & Hinnulariæ nomen accepit.

§. V. De

§. V. De Morphno, ſeu Clanga.

Morphnus, quinta aquilæ ſpecies

MAgnitudine & viribus proximè ſequitur Pygargum Morphnos aquila, *Ariſtotele* teſte lib. 9. Hiſtor. animal c. 32. ſic dicta à colore nigro & obſcuro. Dicitur & Anataria, Germanicè Entenadler / quòd anatibus præcipuè inſidietur. Item Nævia, à maculis ſeu nævis, quibus interſtinguitur; & Clanga, à clangore, qui huic cum cæteris aquilis proprius eſt. Auctores in deſcriptione non conveniunt. Ajunt tamen, incolere ſaltus, & convalles, & lacus; avibusque aquaticis, ut fulicis & anatibus potiſſimùm veſci, ac etiam aliquando piſcibus. *Plinius* lib. 10. Hiſt. Natur. cap. 3. de ea loquens, ait: *Illa, quam tertiam fecimus, circa ſtagna aquaticas aves appetit mergentes ſe ſubinde, donec ſopitas laſſatasque rapiat. Spectanda dimicatio, ave ad perfugia littorum tendente, maximè ſi condenſa arundo ſit: aquilâ inde ictu abigente alæ, & cùm appetit, in lacus cadente, umbramque ſuam nanti ſub aqua à littore oſtendente: rurſus ave in diverſa, & ubi minimè ſe credat, exſpectari, emergente. Hæc cauſa gregatim avibus natandi, quia plures ſimul non infeſtantur, reſperſu pinnarum hoſtem obcæcantes.* Hæc Plinius.

Ex quibus colligo, Morphnon non eſſe diſſimilem avi illi, quam Turnerus apud Geſnerum & Aldrovandum apud Anglos veteres Balbuſardum vocari adſtruit. Hanc enim ait eſſe Buteone majorem & longiorem, nævo albo in capite, colore fuſco proximo; ad ripas fluminum, ſtagnorum, & paludum ſemper degere, vivere ex venatu gallinarum aquaticarum nigrarum, quas Coutas nominant Angli. Si qua terræ portiuncula ſuper aquas inter arundineta emineat, ſolere in ea nidum facere, ut non procul à præda abſit; aves ſubitò adoriri, & capere; interdum & cuniculos dilaniare. Ipſe tamen Turnerus doctis judicandum relinquit, an hæc ſit Veterum Anataria.

§. VI. De Percnoptero.

Percnopterus, ſexta aquilarum ſpecies.

DE aquila Percnoptero dicta, hæc ſcribit Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 32. *Quartum genus Percnopterus ab alarum notis appellatum. Capite albicante, corpore maiore quàm cætera adhuc dictæ, hæc eſt; ſed brevioribus alis, caudâ longiore. Vulturis ſpeciem hæc refert; Subaquila, & montana Ciconia cognominatur. Incolit lucos degener, nec vitiis cæterarum caret; & bonorum, quæ illæ obtinent, expers eſt, quippe quæ à corvo, cæterisque id genus alitibus verberetur, fugetur, capiatur. Gravis eſt enim, victu iners, exanimata fert corpora. Famelica ſemper eſt, & querula, clamitat, & clangit.* Ex Ariſtotele deſumpſit ſua *Plinius*, qui lib. 10. cap. 3. de eadem ſic ſcribit. *Quarti generis eſt Percnopterus: eadem Oripelargus, vulturinâ ſpecie, alis minimis, reliquâ magni-*

Digitized by Google

magnitudine antecellens, ſed imbellis & degener, ut quam verberet corvus. Eadem jejuna ſemper aviditatis, & querulæ murmurationis. Sola aquilarum exanima fert corpora; cætera, cùm occidere, conſidunt.

Itaque Percnopteros dicitur ab alarum notis, ſeu colore; nam περκνὸς nigrum varium ſignificat. Vocatur ab Ariſtotele loco cit. γυπαίετος, Gypaëtus, id eſt, Aquila Vulturina; pro quo Gaza Interpres legit ὑπαίετος, Hypaetus, id eſt, Subaquila, ſeu quaſi aquila. Germani vocant Geyer-adler/ quòd vulturem corporis ſpecie & animi ignobilitate præ ſe ferat.

Ex his colligitur, hanc aquilam eſſe omnium, exceptâ Chryſaëto, maximam quidem, ſed ob ignaviam & deformitatem, viliſſimam, ac maximè degenerem. In deſcriptione non conveniunt Auctores. Optima & genuina videtur eſſe, quam habet Aldrovandus ex una à ſe inſpecta, ac delineata.

CAPUT III.

De Aquila Oſſifraga.

SEx Aquilarū ſpeciebus hactenus explicatis, *quidam adjiciunt genus aquilæ, quam Barbatam vocant, Tuſci verò Oſſifragam*, inquit *Plinius* lib. 10. c. 3. De hac *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſt. Animal. cap. 34. ita ſcribit: *Quæ Oſſifraga appellatur, probè & fœtificat, & vivit. Cœnæ gerula, & benigna eſt. Nutricat bene & ſuos pullos, & aquilæ: cùm enim illa ſuos nido ejecerit, hæc recipit eos, ac educat. Mittit namq; ſuos aquila antè quàm tempus ſit, adhuc parentis operam deſiderantes, nec volandi adeptos facultatem &c. Sed Oſſifraga recipit eos benignè, & tuetur, & alit, dum quantum ſatis eſt, adoleſcant. Parum hæc oculis valet: nubeculâ enim oculos habet læſos.* Hæc Ariſtoteles, qui eam vocat φήνην, Latini verò Oſſifragam, Germani Beinbrecher/ quòd oſſa avidè deglutiat, ſi poſſit; ſi non poſſit, ex alto in rupes demiſſa priùs frangat. Unam vidi ſæpiſſimè Panormi in Sicilia apud Illuſtriſſimum D. Carolum Ventimiglia, cicurem, & in ædium atrio lapidum acervo inſidentem; quæ oſſa ingentia, & collo avis longè craſſiora, ſummâ aviditate in momento deglutiebat, ac bellè digerebat.

Oſſifragæ aquilæ ſpecies.

In avis hujus deſcriptione mirè variant Gesnerus, Bellonius, Aldrovandus, & alii. Quam ego vidi, erat paulò minor quàm Chryſaëtus. Quam magnitudinem & Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. Animal. cap. 8. ſuæ attribuit. Color erat fuſcus, collum breve & craſſum. Credibile eſt, non unius tantùm ſpeciei aut formæ eſſe: nam & in Tyrolenſibus alpibus reperiuntur aves, quæ à venatoribus locorum illorum vocantur Beinbrecher; quòd rupicapras ſublatas ex alto ad rupes & montium hiatus præcipitant, ut illiſis, & ruinâ gravi enecatis, oſſibusque diffractis, eſcâ ſuâ

Digitized by Google

potiantur; quarum color tamen in dorſo, qui accipitribus, in ventre albicans, magnitudo autem maximæ aquilæ.

Oſſifraga cum vipera pugnans.

Viſa eſt Oſſifraga pugnare cum vipera, & ex pugna ad herbam ſe recipere ſoncho ſimilem; quam cùm quidam experiundi causâ ſubtraxiſſet, rediens avis, neque herbam inveniens, ſtatim periit, tradente *Avicennâ* ex viro docto apud Aldrovandum.

Alterius aquilæ albæ, ſeu Cygneæ meminit Albertus Magnus; & alterius adhuc Geſnerus, quam Heteropodem vocat, quòd crura diverſis coloribus inſignata habeat.

CAPUT IV.

Aquila an, & quomodo renovet ſenectutem ſuam.

Aquila quomodo renovet ſenectutem ſuam.

AQuilam renovare juventutem, ſeu potiùs ſenectutem, innuit Sacra Scriptura *Pſalmo 102. verſ. 5.* ubi dicitur: *Renovabitur ut aquila juventus tua.* Quomodo autem id contingat, non uno modo explicant Auctores, quorum multos citavimus in Magia par. 4. lib. I. Syntagmat. 3. cap. 1. *Auctor* Epiſtolæ ad Præſidium, quæ habetur inter Opera S. Hieronymi tom. 9. epiſtol. 29. & *Lupus de Olveto* in Regula Monachorum, ex ejusdem D. Hieronymi ſcriptis collecta, cap. 17. & habetur eodem tomo, tradunt, quòd cùm ſenuit aquila, & gravantur ejus pennæ, & oculi, quærat fontem, & erigat pennas, & colligat in ſe calorem, & ſic oculi ejus ſanentur, & in fontem ſe mergat, & ita ad juventutem redeat. *S. Petrus Damiani* lib. 2. Epiſt. 18. ſeu 19. addit, quòd poſita contra fontem volat uſque ad circulum Solis, illicque in purioris ætheris vaſtitate vibrata, ad vaporem Solis & alas incendit, & caliginem oculorum prorſus exuit. Similem modum mutationis innuit etiam *S. Ambroſius*, *S. Gregorius*, *Enthymius*, *Procopius*, *Nicephorus*, *Drogo*, *Albertus Magnus*, *Rabbi Sahadias*, *Rabbi David*, *Agellius*, *Vincentius Bellovacenſis*, & alii apud *Geſnerum* lib. 3. de Avibus c. de Aquila, *Aldrovandum* lib. I. Ornithologiæ, *Joannem Lorinum* Comment. in Pſalm. 102. verſ. 5. & alios.

Plerique horum Auctorum renovationem ætatis aquilæ ſtatuunt in renovatione pennarum ipſius. Ajunt enim, aquilam gravatam ſenectute, volare ſuper nubes quàm poteſt altiſſimè, & in ipſo caloris fervore, facto impetu, in frigidiſſimas aquas ſe immergere, inde nidum petere, ibique inter pullos jam capturæ aptos quadam quaſi febre correptam cum nonnullo ſudore plumas exuere, & à pullis ſedulò foveri ac paſci, donec plumas reſumat. Ad hanc pennarum mutationem alludere videtur

Digitized by Google

videtur *Iſaias* cap. 40. verſ. 31. his verbis: *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ &c.* & *Micheas* cap. 1. *Dilata calvitium tuum ſicut aquila.*

Alium tamen renovationis modum docet *S. Auguſtinus* in cit. Pſalmum 102, & eum ſecuti alii, nempe cùm ſenectute premitur aquila, & roſtri pars ſuperior ſupra inferiorem adeò aduncatur, ut os aperire ampliùs ad cibum capiendum non poſſit, ideoque cùm cibi inopiâ langueſcit; labium illud ſuperius collidere ad petram, atque excutere, ſumptoque cibo vires renovare, ac poſt ſenectam velut juvenem videri. Quòd autem nimiam roſtri (& unguium etiam) aduncitatem acuendo ad lapidem emendet aquila, verum & compertum eſſe ſcribit *Albertus Magnus.*

CAPUT V.

De Ave quadam Scythica.

Aquilis congener videtur eſſe Avis quædam Scythica, de qua *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſt. Animal. cap. 33. ita ſcribit: *Scythia terra incola avis eſt, magnitudinis Otidis, hoc eſt, avis tarda; quæ duos procreat pullos: & quæ peperit ova, non incubatu fovet, ſed condita in leporina aut vulpina pelle relinquit, atque ita obvoluta in ſumma arbore collocat; cùmq́, à venatione vacat, cuſtodit. Et ſi quis ſcandit, impugnat, & verberat alis, perinde ut aquilæ faciunt.* De eadem *Plinius* lib. 10. cap. 33. *In Scythis,* inquit, *avis magnitudine Otidis, binos parit, in leporina pelle ſemper in cacuminibus ramorum ſuſpenſa.* Eadem habet *Auctor* libri de Nat. rerum apud Geſnerum, & *Olaus Magnus* apud eundem. Avis Scythica.

CAPUT VI.

De Aquilis albis, & mira quadam adamantis ac gemmarum venatione.

Marcus Paulus Venetus narrat de Aquilis quibuſdam albis, & adamantis ope illarum venatione, ſequentē hiſtoriam; nempe in montibus & vallibus quibuſdam regni Murfili, quod ait eſſe ultra Malabar per mille milliaria, inveniri adamantes, qui magnâ copiâ colligantur ab habitatoribus, in hunc modum. Morari videlicet in montibus illis aquilas albas, quæ ſerpentibus magnis ibi repertis veſcantur; & homines, qui per montes adamantes quærunt, & ſæpe, ob prærupta ſaxa & præcipitia pervenire non poſſunt ad valles, projicere in illas fruſta recentium carnium, viden- Aquilæ albæ.

 tibus

Digitized by Google

Adamantis & gemmarum mira venatio.

tibus aquilis; hæc fruſta ab aquilis ſublata nonnullos habere adamantes adhærentes; advertere proinde homines quó aves ſublatam carnem reponant, accurrere, abigere aquilas, & adamantes carni adhærentes colligere. Quòd ſi in ipſis vallibus devorant aquilæ carnes, ſcrutantur locum ubi noctu dormiunt, & egeſta ſtercora diſcutiunt, ac lapillos colligunt.

Huic ſimilem gemmarum venationem recenſet *Anaſtaſius Nicanus* ex Chryſoſtomo, apud *Nierembergium* lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 79. dicens, in magnæ Scythiæ ſolitudine eſſe barathrum, ſeu foſſam profundiſſimam, ad quam non patet aditus hominibus, & rupibus hinc atque illinc circumdatam, adeò ut quiſpiam ſupernè ex ſummis montibus tanquam ex mœnibus deſpiciens, non poſſit foſſæ fundum conſpicere, ſed ob profunditatem ſit velut quoddam tenebroſum chaos. In illam agnos excoriatos conjicere accolas; ad carnes adglutinari hyacinthos ibi repertos; aquilas in rupibus petrarum habitantes ad odorem carnium deſcendere, carnes lapidibus adhæreſcentibus ſurſum ferre, devorare carnes, & lapides in montibus relinquere, ibiq; ab hominibus reperiri.

CAPUT VII.

De Aquila criſtata, & Aquila virga.

Aquila criſtata.

UTramque deſcribit *Nierembergius* lib. 10. cap. 30. & 31. his verbis: *Venuſtum genus aquilæ, & inſignitum capite regio, vocant Indi* Yzquanhtli, *roſtro ad radicem luteo, deinde verò nigro, nigris unguibus, pedibus pallidis, cruribus, ventreque è nigro & candido permixtis, collo fulvo, dorſo & caudâ nigris ac fuſcis, coronâ criſtâve nigrâ. Magnitudinem circiter æquat vulgaris arietis, & vel ferocium audaciam animalium, adeo ut homines etiam ipſos, poſtquàm cicurata eſt, levi ex cauſa aggrediatur, & involet. Miteſcit tamen, & aucupio non minùs ac reliqui accipitres, quorum genus videtur, idonea eſt, atque inſervire ſolet. Avis digna, quæ regiis aucupibus alatur, ac circumferatur.*

Aquila virga.

Vilior eſt Tlacoquanhtli, *ſeu aquila virga. Frigidas amat plagas; aſturis magnitudine, fuſca & cinerea; rapax avicularum, murium, lacertarum, colotorum, quibus veſcitur.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Aquilis quibusdam miræ magnitudinis.

IN Tlatelulco Mexici fertur inventa aliquando Aquila tantæ magnitudinis, teſte *Nierembergio* lib. 10. cap. 87. ut vervecem uno prandio devorârit. Aquilæ miræ magnitudinis.

Marcus Paulus Venetus in Deſcriptione Inſulæ Madagaſcar ait, incolas narraſſe, certo anni tempore advolare mirabile genus avis, *Ruch* ab ipſis appellatum, aquilæ ſimile, ſed tam vaſti corporis; tantique roboris, ut elephantem unguibus corripiat, atque in altum ſublevet, ac deinde cadere ſinat, ut mortui carne veſcatur. Qui autem viderant ejus alas expanſas, ab unius extremitate ad aliam ſedecim paſſuum intervallum eſſe dicebant, earumque pennas octo ferè paſſus eſſe longas, craſſitudinem verò longitudini reſpondentem; eſſeque meram avem aquilæ ſimilem, non inſtar gryphi ex avis ac leonis figura conſtantem.

Joannes Leo de quadam ave Africana, quam incolæ *Ners* vocant, ait, Avem eſſe omnium earum, quæ in Africa reperiuntur, maximam, grue proceriorem & craſſiorem; adeò ſublimè volare, ut oculorum aciem effugiat; conſpecto alicujus animalis cadavere ſupra terram jacente, illicò in illud irruere; rarò ſolam, ſed gregatim volare; longævam eſſe; ideo plerasque conſpici calvo & deplumi capite; inde colligi eas præ nimio ſenio pennarum defluvium pati: ea de cauſa ſuos nidos velut recenter natos repetere, & à ſuis pullis educari. Hæc Leo. Ex quibus manifeſtò patet, avem illam aliam non eſſe quàm Aquilæ genus.

Ut non omnino incredibilia videantur, quæ de Aquilarum vaſtitate diximus ex Paulo Veneto, & Leone, facit quod narrat *Geſnerus* lib. 3. de Avibus, ex litteris Georgii Fabricii viri doctiſſimi & fide digni, inter Miſenam & Breſam (*Dreſſam*) Germaniæ oppida, cùm ruſtici multa pecora, vitulos & ſues amiſſa, in ſilvis perquirerent, inventum eſſe nidum ingentem, per tres quercus extenſum, tanto ſpatio, ut currus ſub illo converti potuiſſet, ex magnis arborum ramis & baculis vel palis conſtructum. Quâ re in urbe nunciatâ, homines multos ad nidum miſſos, qui cùm aſcendiſſent, pullos tres maximos inveniſſe, & in urbem aſportaſſe: ex iis mox unum mortuum eſſe; ejus alas per transverſum extenſas, ſeptem ulnarum menſuram æquaſſe; ungues viri magni & corpulenti digitis nihilo fuiſſe inferiores; crura leoninis majora. In nido multa vitulorum & ovium coria reperta, & hinnulum recentem, & capita animantium varia. Contigerunt hæc anno Chriſti 1550. in æſtate.

CAPUT IX.

De Auris, & Aurarum regina.

Auræ aves. FAmoſa fœdâ ingluvie eſt *Aura*, Avis Americana, quam alii vocant *Gallinazam*, aut *Gallinazum*, in maritimis locis *Zamurum*, Perüenſes *Suyuntu*, Mexicani *Tropilotl.* Corvinum eſt genus, & ad Aquilæ ferè magnitudinem accedit. Color ei eſt niger, unguis aduncus, & ater, crus fuſcum, roſtrum pſittaci inſtar. Frons depilis plicatili cute obtegitur, circumſtant pili nigri & rari, ſimiles Æthiopum. Morticina & ſtercus humanum, & aliæ ſordes, ſerviunt ejus gulæ, non ſine commodo hominum. Pernoctat in arboribus & rupibus, manè advolat ad urbes, ſpeculatur ab editioribus locis plateas, & quidquid immundum aut exanime reperit, devorat. Perſpicaces ſunt & præpetes, miri ſilentii, nec clamantes, nec canentes, raro murmure contentæ. Si quis illas inſequatur, exonerant ſe, ut leviores volatui ſint, pari feſtinatione evomentes quidquid glutiverunt. Pulli earum albi ſunt; cùm adoleſcunt, degenerant in nigredinem. Frequentiſſimæ ſunt in omnibus propè novæ Hiſpaniæ angulis. Gregatim volant. Sublimipetæ ſunt. Odor ab eis ingratus. Pennæ exuſtæ cinis vetat pilos naſci, æquè ac ſtercus formicarum, & ſanguis veſpertilionum. In aliquibus Provinciis lege latâ infligitur pœna occidentibus has aves.

Aurarum avium regina. Aurarum reginam Indi dicunt, eſſe avem quam *Cozcacoanhtli* vocant; quod nomen ipſa meruit conſtantiâ ſuâ adverſus omnem auræ vim, & ventorum impulſum. Accedit magnitudine Aquilis Gneſiis ſeu Chryſaëtis. Corpus univerſum, præter collum & eas partes, quæ juxta pectus ſunt, ex nigro purpuraſcens, fulvum eſt ac pullum; alæ ſubtus exortum nigræ, cætera cinerea, deſuper verò mixtim fulvæ-nigræ, & nonnihil in purpureum vergentes. Crura rubra ſunt, & unci ungues. Roſtri extrema (quæ pſittaci eſſe judices, tam eſt indiſtincta ſimilitudo) alba ſunt, cætera ſanguineo colore tincta. Amplum eſt narium foramen; oculi nigri, iris fulva, rubeæ palpebræ; frons ſanguineo colore perfuſa, ac plicatilibus rugis torva, quas tamen nonnunquam explicat (qua in re galli pavones videtur æmulari) & pilis quibusdam velut retorridis, rariſque Æthiopum pilis haud abſimilibus. Cauda eſt aquilæ, infernè cinerea, foris nigra. Anguibus, muribus, lacertis victitat, ſed morticinis maximè, & humano ſtercore. Sublimipeta avis eſt, & nimiùm extenſis panſiſque volat alis, vix volatum intermittens. Indigena eſt Mexicanæ Provinciæ. Verè educat. Vi incredibili obſiſtit ventis, contranititurque adver-

Digitized by Google

adverſantibus, eisdem ſedibus perſtans immobilis. Caro eſt inutilis eſui, medicinæ tamen non inepta. Hæc omnia habet *Nierembergius* lib. 10. cap. 55. & 56.

CAPUT X.

De Anſere Magellanico.

IN Inſulis Magellanici freti repererunt Batavi miras aves, quas à pinguedine ſua appellarunt *Pinguins*, ait *Nierembergius* lib. 10. c. 2. *Cluſius* vocat *Anſeres Magellanicos*: videntur enim eſſe ex anſerum genere, tametſi roſtro diſſimiles. In mari victitant hæ aves. Pingues oppidò ſunt, & prægrandis anſeris magnitudine: nam adultiores ex eo genere tredecim, quatuordecim, ac ſedecim; juniores verò octo, decem, & duodecim libras pendunt. Pronâ parte nigris pennis ſunt tectæ, ſupinâ & in ventre albis. Collum, quod craſſum & breve habent, albis pennis tanquam torque cinctum. Cutis craſſa, & denſa; inſtar ſuillæ. Alarum ſunt expertes, ſed earum loco binas parvas coriaceas pinnas habent, in latera tanquam parva brachia propendentes, pronâ parte brevibus, anguſtis, & rigidis pennis confertim tectas, ſupinâ autem minoribus & rigidioribus, iisque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigris; minimè quidem aptas ad volandum, quarum tamen adminiculo velociter natant. Maximâ ex parte in aqua verſantur, & terram duntaxat fœtificationis tempore petunt; & plerumque quaternæ aut quinæ in una ſcrobe latent. Roſtrum corvino majus habent, non adeò tamen elatum; & valde brevem caudam; pedes nigros, & anſerinorum pedum formâ planos, non adeò tamen latos. Erectæ & ſublimi capite incedunt, demiſſis in latera pinnis tanquam brachiis, ſic, ut procùl intuentibus homunculi aut pygmæi appareant. Piſcibus duntaxat veſcuntur; non ingrati tamen ſaporis ſunt carnes eorum, nec piſcem ſapiunt. Scrobes valde profundas fodiunt in littore, cuniculorum inſtar, totum ſolum adeò cavum aliquando efficientes, ut per illud nautæ ingredientes ſæpiuſculè genu tenus in eas incidant. Nierembergius ex Cluſio addit, hos eſſe fortaſſis anſeres, quos *Gomara* ait eſſe ſine pluma, nunquam è pelago prodire, & plumæ loco tegi longo villo. Anſer Magellanicus.

CAPUT

CAPUT XI.

De Ave Acolin, quæ Coturnix aquatica dici rectè poteſt.

Acolin avis, ſive Coturnix aquatica.

EST, teſte *Nierembergio* lib. 10. cap. 21. in lacu Mexicano avis quædam, *Acolin* dicta, fuſca, coturnicis magnitudine, prolixo roſtro, & curvo in inferiora, pedibus longis. Juxta aquarum ſummitatem currit celerrimè; nunquam ferè volat; veſcitur piſciculis, & ipſa eſca vulgo. Coturnix aquatica meritò dici poteſt.

CAPUT XII.

De Ave nivea, ſive Ceoan.

Avis nivea, ſive Ceoan.

CEoan, ſeu Avis nivea, humani ſermonis imitatione nobilis, turdo viſcivoro paulò major eſt; circa pectus, ventrem, atq; alarum exortum fulveſcens, permixtis ad caudam cinereis plumis. Alarum extrema, caudaque ipſa infernè, cinerea ſunt, ſupernè verò univerſum corpus nigreſcit è fuſco. Roſtrum, quod parvum eſt, atque exile, cruraque fulveſcunt. Mentum candet, inſertis tamen nigris aliquot pennis. Sermonem humanum æmulatur, velut irridens tranſeuntes; quos tamen, ubi licet, inſequitur. Ita *Nierembergius* lib. 10. cap. 73.

Sermonem humanum imitatur Ceoan.

CAPUT XIII.

De Ave evocatrice nivis, ſeu Cenotzqui.

Avis evocatrix nivis, ſive Cenotzqui.

ALiam avem à nive nomen adeptam aſſerit *Nierembergius* lib. 10. cap. 74. dictam *Cenotzqui*, ſeu Avem nivis evocatricem. Hæc antequàm ningat, clamat, poſtea ſilet. Color illi illuſtris variegatione, pectore nimirum fulvus, crure pallidus, ungue niger, ventre permixtus notis candidis & atris; ſubtus alas candidus & cinereus; ſuper fulvus, dein niger, paulò pòſt cinereus, infectus atris maculis; ſub finem conſperſus albis notis; caudâ ſubtus niger & candidus, ſuper fulvo nigrore maculatus. Caput nigrum & faſciâ cinctum cinereâ; roſtrum parvum cinereum ſupernè atque infernè, ſed ſupernè juxta exortum lineâ ambitur luteâ. Oculi nigri ſunt, & palpebræ pallentes. Quovis cœlo gaudet, montana colit, & veris tempore educat ſobolem. Ita convolvit huc & illuc caput, contorto in varias partes collo, ut immoto ſitu perſtans cuncta circumſpiciat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Avibus ſub nive recluſis, earumq́ venatione.

OLaus Magnus lib. 19. Hiſt. Septentrion. c. 33. narrat, eſſe in Septentrionalibus terris gallos ſilveſtres, quantitate phaſianorum, licèt multò breviore caudâ, & abſolutâ nigredine in toto corpore, niſi quòd in extremitate alarum & caudarum candicent aliquot pennæ. Mares rubeâ & eminenti criſtâ, fœminæ verò ſimili ac latâ, colore griſeo, decorantur. Hæ aves mirabili naturâ ſuſtinent frigus immenſum in nemoribus, uti anates in aquis. Verùm cùm nives inſtar collium terræ ſuperficiem ubique cooperiunt, ramosque arborum diutiùs deprimunt, & condenſant; certos fructus betulæ arboris in forma longi piperis vorāt, & glutiunt indigeſtos, idque tantâ aviditate, ac quantitate, ut repletum guttur toto pectore majus appareat. Deinde partitis agminibus ſeſe inter medios nivium colles immergunt, præſertim in Januario, Februario, Martio, quando nives ut turbines, typhones, vel tempeſtates graviſſimæ è nubibus deſcendunt: cùmque coopertæ ſunt, penitusque, ut nulla videatur, conglobatæ; certis hebdomadis cibo in gutture collecto egeſto ac reſumpto vivunt. Venatorum canibus non produntur: attamen ſagacitàte expertorum venatorum ſæpius evenit, ut canibus in odore errantibus, ipſi ſignis deprehenſis maximum numerum vivarum hujusmodi avium comprehendant, extrahantque, ad magnum lucrum. Sed id fieri oportet celeriter, quia audito canum latratu mox vigore alarum non ſecus ac agmina apum, erumpunt, & ſe in ſublime efferunt. Quòd ſi præſentiunt nivem imminere majorem, prædicto fructu iterum devorato aliud domicilium captant, inque eo manent uſque ad finem Martii, vel celerioris reſolutionis nivium, Sole Arietem ingrediente: tunc enim nive liquefactâ, naturæ inſtinctu (ut multæ aliæ aves) è latebris ſurgunt, ova pullosque producturæ; & hoc in montibus, ubi vepres ſunt, & arbores denſæ. Mares & fœminæ viciſſim ova cubant; & uterque pullos obſervat, præſertim mas, ne ab aquila, vel vulpe, rapiantur. *Aves ſub nive recluſæ.*

Hæ aves in maxima turba congregatæ volant, atque in altis arboribus, præſertim betulinis, manent, nec ferè deſcendunt niſi propagationis causâ, quia in earum arborum ſummitate habent ſufficiens nutrimentum. Quandò hyeme deſcendunt, ac ſeſe per campos, etiam nive repletos, dilatant; venatores ac ruſtici baculos octo aut decem pedes longos, obliquo ſitu è terra ſupra nives erigunt, è quorum ſummitate dèpendet laqueus ad omnem tactum mobilis; & ita incidunt in laqueos, & *Earum venatio.*

Digitized by Google

manent pendentes. Cùm una illarum funiculo ſuſpenſa eſt, aliæ eam liberaturæ advolant, & ſimilibus laqueis irretiuntur. Eſt & alius modus illas capiendi, videlicet ſagittis ſub umbra equorum, ut minùs inſidias valeant præcavere.

Tempore propagationis inceſſabili garrulitate alterutrum ſe ſuperare volentes canunt, mares præſertim, ut longo latoque ſpatio per omnes ſilvas audiantur; ſeque cantu frequentiùs produnt.

Olaus vocat has aves gallos ſilveſtres, aitque earum carnes eſſe admodum dulces, & temperatas, ut caponum.

CAPUT XV.

De Aviculis nivalibus.

Aviculæ nivales.

ALterius nivalium avium generis meminit *Olaus Magnus* libro cit. cap. 35. dicens, eas in ſilvarum ſolitudine ita ſeſe continere, ut humanis habitaculis nunquam, aut rariſſimè appropinquent. Sturnorum magnitudinem & colorem æſtate habent, hyeme verò multiplicatis nivibus ſemper candidæ apparent, veluti cygni. Pedes earum rubei, ut nigrarum ciconiarum; ſed roſtrum croceo colore decorum, breve tamen, & acutum. Cibus earum vermiculi, inter cortices rimoſarum arborum latitantes; vel aridi pinorum, aut abietum, aut coryli fructus; quæ etiam ſub aſperrima hyeme vim nutrimenti non amittunt. Difficilè capiuntur retibus, laqueis, ſagittis, ob nivium profunditatem. Nactæ nivium concavitates veluti abditas ſpecus, eas ingrediuntur, ac ſeſe balneant, uti pulvere gallus, aut ſturnus arenâ: deinde cacumina arborum nivibus oppletarum repetunt. Viſis accipitribus, in medias nives ſe intrudunt, aut inter denſas arbores.

CAPUT XVI.

De Accipitre, ejusq; variis ſpeciebus.

Accipiter, ejusque ſpecies.

ACcipiter, qui ab accipiendo nomen accepit apud Latinos, Græcisque ἱέραξ, Germanis Habich dicitur, animoſa, avida, rapax, ac robuſta eſt avis, & venatui aptiſſima, ob citiſſimum atque altiſſimum volatum; docileque ingenium. Nec ejusdem eſt molis ubique, nec ſpeciei unius. Sunt enim Aſtures ſeu Aſturiæ, ſunt Palumbarii, Fringillarii, Circi, Æſulones, Tinnunculi, Bubeones, Subbuteones, & neſcio qui alii.

Univer-

Univerſim loquendo de *Mole*, major eſt fœmina quàm mas; majores in regionibus Aquilonaribus quàm alibi; minores in Ægypto quàm in Græcia. Nonnunquam vix aquilis cedunt. *Color* ipſis ut plurimùm ex albido fulvo & nigro diverſus, maculisq; diſtinctus. Alicubi & albi ac leucophæi reperiuntur. *Roſtrum* habent aduncum; *Crura* lutea; *Ungues* mucronatos; *Oculos* ſplendidos, & perpetuò mobiles, quorum color cum ætate mutatur; *Linguam* latam, principio obtuſam; *Pectus* acutum, & modicâ carne munitum; *Alas* rapacium acutiores; *Anhelitum* fœtidum; *Cor* magnum; *Lienem* exiguum.

Nidulantur in præruptis rupibus, & alpibus, ſed vel inter vepreta, vel in arboribus, acere inprimis, fago, quercu, abiete, pinu. Veſcuntur gallinis, columbis, aliisque avibus, ac etiam leporibus, & cancris; viliores muribus, ranis, talpis; cicures pane & frugibus, præter carnes. Corda etiam animalium devorant, ut Albertus notavit, contrà ac Ariſtoteles & Plinius ſcripsêre. Potus eſt ſanguis animalium occiſorum; aut ſi hæc deſunt, aqua.

Salaces admodum ſunt, ſed parum fœcundi. Tria aut quatuor ut plurimùm ova pariunt. Vicenis diebus incubant. Pullos quàm primùm volandi facultatem nacti ſunt, nido expellunt. Docent tamen eos antea capere aves, quas vivas adferunt, & coram eis dimittunt, incitantque pullos ad capiendum, ut docet Albertus Magnus.

Accipitres docent pullos ſuos capere aves.

Viſu valent, & volatu citiſſimo, atque altiſſimo, adeo ut aliquando conſpici nequeant. Solem ut aquilæ intentis aſpiciunt oculis. E locis altiſſimis ſpeculantur prædam, eamque toto impetu demiſſi proſternunt. Venantur præter aves, & lepores, etiam proprium genus. Leporem poſtquàm ceperunt, ſiniſtrum pedem terræ infigunt, dextro prædam retinent, & oculos eruunt. Venaturi volitant ſoli. Prædâ conſpectâ irruunt cum impetu, ut dixi; ſi primo niſu fruſtrantur, perſequi deſinunt, & ſibi indignantur. Peculiare ipſis, & cum ſola noctua commune, reſupinare ſe in aëre, & alas extendere, roſtroque & unguibus contra fortiorem inimicum pugnare, aquilam nimirum, & vulturem. Avem ſibi fortè ſub noctem oblatam, tenent totâ nocte ſub pedibus, Sole exoriente dimittunt, obviam non perſequuntur ampliùs. Turturem deprehenſum manu mittunt.

Accipitrum mores & docilitas.

Dociles ſunt valde. Informantur à magiſtris ad venandum, quorum voces audiunt, & juſſa capeſſunt. Gaudent hominum conſortio, eorumque affectant quodammodo conſuetudinem, poſtquàm cicures ſunt redditi. Vociferantibus aucupibus, dum ad venandum ſunt dimiſſi, & hortantibus ad pugnam fortiùs urgendam, ferociunt magis, & hoſtem ardentiſſimè perſequuntur.

Digitized by Google

Antipathia eſt inter accipitres & gallinas. Hæ vocem illorum audientes fugiunt, etiam vix ovis excluſæ. Plinius putat, ova gallinarum incubantium vitiari, ſi voces accipitrum audiant. Succo herbæ hieracii oculos tingunt, ut amiſſam claritatem recuperent. Mortuum lugere, & in oculos ejus terram injicere dicuntur, & noctuæ à reliquis avibus infeſtatæ auxiliari.

CAPUT XVII.

De Acitli, ſeu Lepore aquatico.

Acitli avis ſive lepus aquaticus.

ANatis quoddam genus eſt in America, quod *Acitli*, id eſt leporem aquaticum vocare ſolent Mexicani. Hæc (inquit *Nierembergius* lib. 10. Hiſt. Nat. cap. 5.) lacubus innatat, & juxta eos perpetuò verſatur: nam neque volandi potis eſt, neque per terram commodè incedendi; femoribus ita reliquo corpori connexis atque coalitis, ut natatui, non inceſſui queant inſervire. Piſcibus veſcitur. Prolem in juncetis & arundinetis educat. Anatum noſtratium magnitudinem non ſuperat. Hanc avem fabulantur Indi ventos evocare contra ſe perſequentes aucupes; & in ejus diſſecto corde reperiri gemmam ad multa utiliſſimam, ſolique Deo conſecrandam.

CAPUT XVIII.

De diverſis Anatum ſpeciebus.

Anates.

ANas domeſtica, & fera vulgaris, notiſſima eſt avis, nec indiget deſcriptione, aut longâ indagine. Ideo pauca de nonnullis Anatum ſpeciebus in medium proferam, ſed rarioribus tantùm; ſunt enim innumeræ propè earum ſpecies.

§. I. De Anatibus Cornicinibus.

Anates cornicines.

IN Aſia, citato *Nierembergio* teſte lib. 10. cap. 25. quoddam genus eſt anatum, quod non immeritò quis inter cornicines retulerit; ita voce cornuum ſonitum imitantur, quæ inflare ſolent per diſpoſitos equos iter facientium duces. Eſt ea avis, quamvis inermis, audax & ſtrenua: quam etiam malos dæmones terrere Turcis perſuaſum eſt. Certè libertatis adeo retinens eſt, ut etiam per totum triennium in corbe nutrita, facultatem nacta libertatem ſaginæ anteponat, ſedesque naturales volatu repetat.

§. II. De

§. II. De Anatibus non conſiſtentibus.

AVem varii capitis vocant Indi ſpeciem Anatis, quam deſcribit *Nierembergius* loc. cit. cap. 26. vocatque Avem non conſiſtentem, quoniam non ingreditur, ſed natat tantùm, ſicut *Acitli* ſeu Lepus aquaticus, quoniam & huic crura extremo adhæreſcunt corpori. Roſtro eſt nigro, atque cinereo, ſed circa collum & caput purpureo, albo, cyaneo, viridi, prorſusq; vario ac pavonino, ſi ſolaribus illuſtretur radiis. Palmæ & crura ſunt rubra. Alimentum quale cæterarum paluſtrium. Hujus avis colores aliter deſcribit Jonſtonus in Mantiſſa de Avibus Num. X. Anates non conſiſtentes.

§. III. De Anatibus Septentrionalibus.

IN Septentrionalibus aquis tanta eſt anatum ſilveſtrium copia, teſte *Olao Magno* lib. 19. cap. 8. ut ferè cunctas aquas cooperire videantur. Non niſi in tepidis aquis verſantur, quarum ſubterraneæ venæ calidam quaſi ſulphuream exhalationem continuè ſubminiſtrant. Ne tamen glacie conſtringantur aquæ, naturæ inſtinctu circulariter & obliquè natantes, eas aquas ſervant apertas. Tantum vociferantur, ut ad magnam viarum diſtantiam audiantur. Cùm frigoris vehementiâ ſuperantur, in ſublime ſe elevant, vaſtumque mare petunt. Anates Septentrionales.

§. IV. De faceto Anatum, aliarumque avium aquaticarum aucupio.

PEtrus Martyr Decade 3. lib. 10. meminit cujusdam faceti, & hactenus alibi non auditi aucupii anatum, aliarumque aquaticarum avium, his verbis: *Apud Inſulares, Hiſpaniola præſertim, diximus varios eſſe lacus, variasque ſtagnantes lacunas vadoſas. Per vadoſa ſtagna ſolet aquaticarum avium multitudo vagari, quia herbas in fundo gignant, & ex ea humente limoſitate piſciculi, indeque ranarum, culicum, & inſectorum genera procreentur, Solis calore ad ima ad corruptionis & generationis opificium, ex artificis fabricatoris providentia, facilè ſubmeante. Volucrum autem per eas ſtagnantes aquas natantium diverſa ſunt genera, anates, anſeres, cygni, fulica, gaviæ, mergi, & multa hujuscemodi. Diximus & in hortis arborem coli, magnarum cucurbitarum altricem. Ex cucurbitis igitur illis per vadoſa projiciunt pleraſque benè clauſas, nè admiſſa per rimulam aut foramen aqua trahat illas in profundum. Perpetuò vagantes cucurbitæ tutas reddunt volucres. It ergo auceps magnâ cucurbitâ, uti galeâ, juxta oculos pertusâ contectus faciem, larvatus; & tenus mento ſtagnum ingreditur: fluminibus enim aſſueti à cunabulis, minimè recuſant in aquis verſari. E cucurbitis natantibus putant volucres unam eſſe eam, quæ inſidiantem incolam cooperit. Paſſim ad volucrum natantium agmen proficiſcitur auceps; cucurbita-* Anatum facetum aucupium.

Digitized by Google

rum palpitationem capite imitando, undulata vento agitatas ſectando, proximè ad volucres tendit. Exertâ ſenſim dexterâ, volucrem incautam cœco raptu prehendit pedibus, & demerſam ſubtrahit in manticam ad id paratam. Cætera volucres, ſuâ ſponte ſubnataſſe comitem arbitrata, quærendi victum causâ, uti ſolent omnes, nil ſollicita ſuum iter proſequuntur, in aucupis & ipſa inſidias cadunt. Hæc Martyr.

CAPUT XIX.

De Avibus alle alle dictis.

Aves alle alle.

IN lacu albo inter Scricfinniam, Biarmiam, ac Moſcoviam ſito, aliisque in Sinibus maris Bothnici ac Suecici, nec non in ſcopulis Sueciæ & Gothiæ ſuperioris, eſt avium quoddam genus valde frequens, quod tempore æſtivo nunquam intermiſſâ voce clamitat, Alle, alle; quod ſignificat, omnes, omnes; unde ubique ab incolis aves illæ Alle alle appellantur.

CAPUT XX.

De Anſere fero, & Vulpanſere.

Anſer ferus.

ANſeris feri ſeu ſilveſtris plures ſunt ſpecies. Migratorii ſunt. In Æthiopia adeo frequentes exiſtunt, ut morſu & ſtercoribus omnia ferè demoliantur. In Septentrione cubationis tempore, quo à Meridionalibus plagis redeunt, copioſiſſimi quoque ſunt, maximè circa Aprilis initium. Migrationis tempore frequentes viſuntur in Batavia, Hannonia, & Arteſia. Novam Hiſpaniam in America prætervolant menſe Decembri. Migraturi vociferantur altè volando; fortè ne quis eorum remaneat. Ordo ut gruum litteratus; nec clangunt niſi rupto ordine. Nec ducibus, nec ſomni tempore cuſtodibus deſtituuntur. Montem Taurum dum transvolant, aquilarum timore lapillos roſtris ad coërcendam linguam ferunt.

Vulpanſer.

Vulpanſer, ſeu Chenalopex quibusdam, eſt avis pectore rufeſcens, aquatica; in cuniculorum foveis, interdum & rupium cavernis nidificans. Angli vocant Bergandram. Ova hypenemia ſeu ſubventanea quandoque parit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De Ardea in genere.

ARdeam avem Græci ἐρῳδιὸν, Germani ein Reiger appellant. Ejus multæ ſunt ſpecies. Ardea.

Corporis mole ad accipitris quantitatem accedunt. Eſt id leve, & macilentum; roſtrum longum, craſſiuſculum, robuſtum, intus cavum, in extremo acutum, & capiendis piſcibus aptum. Digiti pedum terni longi, membranis modicè juncti; quartus retrò pro calce ſimiliter longus. Crura etiam longa. Degunt numeroſæ circa paludes & ſtagna in Bononienſi, Ferrarienſi, Mantuano, & Ravennati agro. In Anglia capitale eſt illas occidere. In Inſulis novi Orbis tantam Hiſpani copiam invenerunt, ut currus onerârint.

Veſcuntur piſcibus, & oſtreis. Anguillas quoque integras deglutiunt. Piſces dum capiunt, Solis radios ita excipiunt, ut ne viſâ ipſarum umbrâ illi aufugiant. Oſtreas cum teſtis devorant. Ingrediuntur aquas piſcandi gratiâ. Si aquæ majores ſint, ſtantes in littore exſpectant piſces accedentes; qui creduntur accurrere nidore pedum illecti. Hinc piſcatores ardeæ pinguedine alliciunt piſces; & ſunt qui putent, piſces manibus comprehendi, ſi ardeæ oleo inungantur. Volant altiſſimè, etiam ſupra nubes, maximè quando futuram pluviam præſagiunt, ut ab illa ſint ſecuræ; volant autem collo contracto, & pedibus retrò extenſis; non tamen gregatim. Nidificant in ſilvis, locis paludoſis, alnis & ſalicibus conſitis, ac ferè inacceſſis, idque gregatim, ut immunes ſint ab aucupibus, & avibus rapacibus, quibus plures ſimul reſiſtunt. Ardea quomodo aperiat clauſas oſtreas.

Ardeæ amant cornices, odio habent aquilas, accipitres, falcones, alaudas, vulpes; ab his enim omnibus aut ipſæ, aut ipſarum ova devorantur. A falcone depreſſæ, roſtro ſub alis condito, ac ſurſum elato, irruentem excipiunt; & ſubinde ambo interaneis eliſis decidunt enecti. Accipitrem excrementis ſuis, quæ pennas ejus & pedes inficiunt, atque exurunt, repellunt. Ventum vel pluviam quatuor ſignis præmonſtrant, caput pectori imponendo, deſertis paludibus altùm volando, plùs ſolito clangendo, mediis in arvis aut arenis triſtes ſedendo.

CAPUT

CAPUT XXII.

De Britannicis avibus, quas Brandas, Berniclas, Bernichias, aliisq; nominibus appellant.

DISSERTATIO HISTORICO-PHYSICA.

Britannicæ aves Berniclæ.

AVis eſt in Britannicis Inſulis, anſeris feri figurâ, quam alii Brantam, Berniclam, aut Barnaclam, alii Bernichiam, alii Barliathem, alii Barbatem, alii Clakis, Clakuſe, Claiks, Claikgees, alii Rodgans, alii aliter nominant. De harum avium ortu mira eſt inter Auctores diſcrepantia: nam quidam ex arboribus, alii ex lignis putridis, alii ex coitu & ovis naſci tradunt. Ego, ut in veritatis cognitionem devenirem, legi quotquot reperire potui ea de re Scriptores, in copioſa Bibliotheca noſtra, nimirum Albertum Magnum, Hectorem Boëthium, Æneam Sylvium, Vincentium Belluacenſem, Majolum, Olaum Magnum, Sebaſtianum Munſterum, Abrahamum Ortelium, Hieronymum Cardanum, Julium Scaligerum, Alexandrum ab Alexandro, Joannem Baptiſtam Portam, Athanaſium Kircherum, Martinum Delrium, Euſebium Nierembergium, Conradum Geſnerum, Ulyſſem Aldrovandum, Joannem Jonſtonum, Antonium Deuſingium, & alios nonnullos Philoſophos, ac Phyſiologos. Ab his citantur, qui de eadem materia ſcripſerunt, Jacobus Aconenſis Epiſcopus, Fulgoſus, Fortunius Licetus, Turnerus, Odoricus, Michaël Mayerus, Lobelius, Cornelius Scribonius, Antonius Torquemada, Carolus Cluſius, Gerhardus de Vera, Harveus, & alii.

Referam primò nonnullorum ſententiam; deinde quid ſentiam, declarabo. Ex his prudens Lector, quod veriſimilius judicaverit, ſtatuet.

PARS

Digitized by Google

PARS I.

REFERUNTUR ALIORUM SENTENTIÆ, PUTANTIUM AVES ILLAS SINE COITU NASCI.

§. I. Hectoris Boëthii ſententia.

H*Ector Boëthius* in deſcriptione regni Scotorum, quam præmittit Scotorum Hiſtoriæ, ita ſcribit. *Reſtat jam de anſeribus, quos Clakis appellant* (Scoti) *quosq́; vulgò perperam in arboribus naſci in his Inſulis* (Hebridibus) *credunt, ea quæ hujus rei cognoſcendæ multo jam tempore ſtudioſi re diligenter exploratâ perſpectâq; cognovimus, diſſerere. Mari enim illis interjecto mihi magis eorum procreandi vis quædam ineſſe videtur, quàm alicui alii rei. Variis enim modis, verùm in mari ſemper, provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id mare projicias, temporis tractu primùm in eo vermes excavato ligno naſcuntur, qui ſenſim enatis capite, pedibusque, atq; alis, plumas poſtremò edunt; demum anſeribus magnitudine æquales, cùm ad juſtam pervenerint quantitatem, cœlum petunt, avium reliquarum more, remigio alarum per aëra delati. Id quod luce clarius anno à partu virgineo milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, plurimis ſpectantibus, in Buthquhania viſum eſt. Nam cùm in eam ad Pethslege caſtellum fluctibus hujusmodi lignum quoddam ingens delatum eſſet; rei novitatem qui primi conſpexerant admirantibus, ad loci illius dominum accurrentes rem novam annuntiant. Is adveniens, trabem ſerrâ dividi jubet. Quo facto, ingens confeſtim apparet multitudo partim vermium (aliis adhuc rudibus, aliis membra quædam formata habentibus) partim etiam jam formatarum perfectè avium: inter quas quædam plumas habebant, aliæ inplumes erant. Itaq; rei miraculo ſtupentes, jubente domino, in templum Divi Andreæ Tyræ (pago cuidam nomen eſt) lignum comportant; ubi & hodie manet, undiq; ſicut à vermibus perforatum. Hujus ſimile duobus ſubinde annis in Taum æſtu appulſum ad Bruthe caſtellum multis accurrentium oſtenſum eſt. Nec diverſum eſt quod exinde duobus rurſum annis Lethi portu Edinburgenſi univerſum populum ſpectare contigit. Ingens enim navis, cui inſigne ac nomen Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos ad unam Hebridum in anchoris ſtetiſſet, huc reducta, atque in terram ſubducta, plena omnia, exeſis trabibus, quà mari ſemper merſa fuerat, vermium hujuscemodi rudium partim, aut perfectam nondum avis formam habentium, partim*

Britannicarum avium ortus ex ſententia Boëthii.

Digitized by Google

tim jam abſolutorum, oſtendit. Cæterùm cavillari id quiſpiam poſſit, arborum truncis ac ramis illis in Inſulis natarum virtutem hanc ineſſe; Chriſtophorum quoq; illum ex trabibus Hebridianis contextum aſſerens. Itaque quod ipſe quoq; ab hinc ſeptem annis vidi, haud gravabor in medium adducere.

Alexander Gallovidianus Kilkendenſis Eccleſiæ Paſtor, vir præter inſignem probitatem, rerum admirandarum ſtudio incomparabili. Is cùm extractâ algâ marinâ inter caulem & ramos, à radice ſtatim pariter & usque ad cacumen enatos, quà conjunguntur, conchas adnatas videret; rei novitate attonitus, mox cognoſcendi ſtudio eas aperit; ubi magis multò quàm antea obſtupefactus conſtitit. Non enim piſcem in teſtis concluſum comperit, ſed (dictu mirabile) avem, ac pro illius magnitudine teſtas quoque inauctas: quibus enim parvæ inerant, & ipſæ quoque apertæ eas pro quantitate amplectebantur. Itaque ad me extemplo, quem ejusmodi rerum cognoſcendarum jam olim magnâ cupiditate detentum noverat, celeriter accurrit, remque omnem monſtrat, non magis rei miraculo obſtupefacto, quàm re tantâ ac tam inauditâ conſpectâ læto.

Hac enim re ſatis conſtare arbitror, non hæc procreandarum avium ſemina aut truncis, aut arborum ineſſe fructibus, ſed ipſi Oceano, quem Maro & Homerus patrem rerum haud temerè appellavit. Verùm quoniam id fieri videbant cadentibus in aquam arborum ad littus poſitarum pomis, ut temporis tractu ex illis eæ apparerent volucres alites; in eam ſententiam adducti ſunt, ut poma illa in ipſas commutari opinarentur; ſed falsò: nam tempore adnatis ex vi maris primùm vermibus, atque iis ſenſim excreſcentibus, viciſſimque pomis illis ex humiditate corruptis, diſparentibusque, non ſatis accuratè perſpicientibus, ex illis in has tranſmutari formas viſa ſunt.

§. II. Vincentii Belluacenſis, Jacobi Aconenſis, & Majoli opinio.

Britanniearum avium ortus ex ſententia Vincentii Belluacenſis, VIncentius *Belluacenſis* Præſul tomo 2. Bibliothecæ Mundi, ſeu Speculi majoris, lib. 15. cap. 150. *Barliathes ſunt aves de ligno creſcentes, quas vulgus Berneſtas appellat. Fertur enim quòd lignum de abiete marinis aquis incidens, quando ſucceſſu temporis putreſcere cœperit, humorem ex ſe craſſum emittit; ex quo denſato formantur parvæ ſpecies ad magnitudinem Alaudarum. Primùm quidem nuda ſunt; deinde matureſcentes plumeſcunt, ac roſtris ad lignum pendentes per mare fluitant usque ad maturitatem, donec ſe commoventes abrumpant; ſicq; creſcunt, & roborantur usque ad debitam formam. Harum multas & ipſi vidimus, viroſq; fide dignos, qui eas adhuc in ligno pendentes ſe vidiſſe teſtati ſunt. Anſeribus minores ſunt; colorem habent cinereum ac nigrum; pedes ut anates, ſed nigros.*

& Jacobi Aconenſis, *De his autem Jacobus Aconenſis loquens dicit, quòd arbores ſunt ſuper ripas maris, de quibus hæ procreantur, roſtris infixis arboribus dependentes: tempore*

pore verò maturitatis ex arboribus decidunt; ac per incrementa proficientes, ſicut aves cætera volare incipiunt: Veruntamen niſi citò aquas invenerint, vivere non poſſunt, quoniam in aquis eſt nutrimentum earum, & vita.

Notandum autem, quòd non ramorum ſummitatibus, ſed in arborum corticibus ac ſtipitibus pendent. Creſcunt autem arboris humore, & infuſione, donec habentes plumas ac robur, inde cortibus abrumpantur. De his itaque certum eſt, quòd in orbe noſtro circa Germaniam exiſtant, nec per coitum generentur. Sed nec earum coitum apud nos ullus hominum vidit. Unde carnibus earum in Quadrageſima nonnulli etiam Chriſtiani in noſtra ætate, in locis ubi avium copia eſt, uti ſolebant; ſed Innocentius Papa in Lateranenſi Concilio hoc ultra fieri vetuit. Hæ volucres herbis & graminibus, ut anſeres, vivunt; potum verò differre, ſicca comedentes, nullatenus poſſunt.

Eadem ex citato Auctore refert *Simon Majolus*, Epiſcopus Vulturarienſis, in Diebus Canicul. Colloq.6. loquens de Barliathe; additque ſibi videri hoc animal valde perſimili origine naſci cum eo, de quo *Pigafetta* tradit, in India Orientali ſeſe vidiſſe arborem, cujus folia etiam à trunco abrupta, eſſent animata, moverenturque, ac viverent ſed non diu, nempe non ultra octavum diem, deficiente proprii humoris alimoniâ, quam ex arbore trahit; idque ſe experimento didiciſſe affirmat. & Majoli.

§. III. Olai Magni, Münſteri, Æneæ Sylvii, & Ortelii opinio.

OLaus Magnus lib. 19. Hiſtor. Septentr. cap. 9. refert ex quodam Scotorum Scriptore, qui diligenter rerum ſecreta pertractat, *in Orcadibus ex quodam fructu arboris, cadente in mare, generari anates; quæ paululùm ſusceptis alis evolant ad domeſticas, vel ſilveſtres.* Britannicarum avium ortus ex Olaio Magno,

Sebaſtianus Münſterus lib. 2. Coſmographiæ cap. *De eximia fertilitate Angliæ & Scotiæ*, ita ſcribit. *In Scotia reperiuntur arbores, quæ producunt fructum foliis conglomeratum: & is cùm opportuno tempore decidit in ſubjectam aquam, reviviſcit, convertiturque in avem vivam, quam vocant anſerem arboreum. Creſcit & hæc arbor in Inſula Pomonia, quæ haud procul abeſt à Scotia verſus Aquilonem. Veteres quoque Coſmographi, præſertim* Saxo Grammaticus, *mentionem faciunt hujus arboris, nè putes eſſe figmentum à novis Scriptoribus excogitatum.* His ſubjungit teſtimonium ſequens Æneæ Sylvii. & Münſtero.

Æneas Sylvius Piccolomineus, qui poſt adeptum Pontificatum ſummum appellatus fuit Pius Secundus, in Hiſtoria de Europa cap.46. *Audiveramus nos olim, arborem eſſe in Scotia, quæ ſupra ripam fluminis enata, fructus produceret anatum formam habentes: & eos quidem cùm maturitati proximi eſſent, ſponte ſuâ decidere in terram, alios in aquam; & in terram dejectos putreſcere;* & Ænea Sylvio,

in aquam verò demerſos, mox animatos enatare ſub aquis, & in aëre plumis penniſque evolare. De qua re cùm avidiùs inveſtigaremus, didicimus, miracula ſemper remotiùs fugere, famoſamq; arborem non in Scotia; ſed apud Orcades Inſulas inveniri.

& Ortelio. *Abrahamus Ortelius* in Theatro Orbis terrarum in Scotiæ deſcriptione, loquens de Hebridibus Scotiæ ad Occidentem adjacentibus, ait: *In his Inſulis ſunt anſeres, illis Clakis dicti (Bernacas eas vocat Sil. Gyraldus) quas Boëthius ex mari & lignis putrefactis provenire affirmat; & non ex arboribus naſci, ut vulgus Scriptorum prodit. Etenim, inquit, ſi lignum in id mare projicias, temporis tractu primùm in eo vermes excavato ligno naſcuntur, qui ſenſim enatis capite, & pedibus, atque alis, plumas poſtremò edunt; demum anſeribus magnitudine æquales, cùm ad juſtam pervenerint quantitatem, cœlum petunt, avium reliquarum more, remigio alarum per aëra delati. Poſt Hebrides proximæ ſunt Orcades, quarum præſtantiſſima Pomonia, Epiſcopali ſede, ac templo auguſtiſſimo, cum duobus munitiſſimis caſtellis inſignis.* Similia habent alii Coſmographi ac Geographi.

§. IV. Turneri Angli opinio.

Britannicarum avium ortus ex opinione Turneri.

T*Urnerus Anglus* in libro de Avibus, apud Geſnerum lib. 3. de Avibus pag. mihi 107. cùm dixiſſet, ſe præter duo anſerum genera ab Ariſtotele aſſignata, domitum ſcilicet, & ferum, adhuc duo noviſſe in Britannia; ſubjungit: *Prior anſer à noſtris hodie Branta & Bernicla vocatur, & fere anſere minor eſt, pectore aliquò uſque nigro, cætero cinereo; anſerum more volat, ſtrepit, paludes frequentat, & ſegetem depopulatur. Caro hujus paulò inſuavior eſt, & divitibus minùs appetita. Nidum Berniclæ, aut ovum, nemo vidit: nec mirum, cùm ſine parentis opera Perniclæ ad hunc modū ſpontaneam habeant generationem. Cùm ad certum tempus malus navis in mari computruit, aut tabulæ, aut antennæ abiegnæ; inde in principio velati fungi erumpunt: in quibus temporis progreſſu manifeſtas avium figuras cernere licebit, deinde plumà veſtitas, poſtremò vivas & volantes. Hoc, ne cui fabuloſum eſſe videatur, præter communem omnium gentium littoralium Angliæ, Hybernie, & Scotiæ teſtimonium,* Gyraldus *ille præclarus Hiſtoriographus, qui multò feliciùs quàm pro ſuo tempore Hyberniæ hiſtoriam conſcripſit, non aliam eſſe Berniclarum generationem teſtatur. Sed cùm vulgo non ſatis tutum videretur fidere, & Gyraldo ob rei raritatem non ſatis crederem; dum hæc, quæ nunc ſcribo, meditarer, virum quendam, cujus mihi perſpectiſſima integritas fidem merebatur, profeſſione Theologum, natione Hybernum, nomine Octavianum, conſului, num Gyraldum hac in re fide dignum cenſeret. Qui per ipſum jurans, quod profitebatur, Evangelium, reſpondit, veriſſimum eſſe, quod de generatione hujus avis Gyraldus tradidit; ſeque rudes adhuc aves oculis vidiſſe, & manibus contrectaſſe; brevique, ſi Londini menſem unum aut alterum*

manc-

Digitized by Google

manerem, aliquot rudes aviculas mihi advectas curaturum. Porrò hæc Berniclæ generatio non uſque adeò prodigioſa illis videbatur, qui, quod Ariſtoteles de volucre ephemero ſcripſit, legerint, quòd in Hypani fluvio ex folliculis quibuſdam erumpat &c.

Idem *Turnerus* poſt librum ſuum de Avibus editum, in Epiſtola ad Geſnerum ita ſcribit: *Berniclas, ſive Brantas ex putridis navis malis fungorum more naſci, minimè fabuloſum eſſe, doctorum & honeſtorum virorum oculata fides mihi perſuaſit. Branta anſerem paluſtrem valde refert. His tamen notis ab eo differt. Branta brevior eſt, à collo, quod rubeſcit nonnihil, ad medium uſque ventrem, qui candicat, nigra eſt. Anſerum more ſegetes populatur. In Wallia (quæ pars eſt Angliæ) in Hybernia, & Scotia aves iſtæ adhuc rudes & inplumes, in littore, ſed non ſine forma certa & propria avis, paſſim inveniuntur.*

Et rurſus: *Præter Brantam, aut Berniclam, eſt alia avis, quæ originem ſuam arbori refert acceptam. Arbores ſunt in Scotia, ad littus maris creſcentes, è quibus prodeunt veluti fungi parvi, primùm informes; poſtea paulatim integram avis formam acquirunt; perfectæ tandem magnitudinis illæ, roſtro aliquantiſper pendent, paulo pòſt in aquam decidunt, & tum demum vivunt. Hæc tot, tantæque auctoritatis viri affirmaverunt, ut credere audeam, & aliis credere ſuadeam.*

§. V. Alexandri ab Alexandro, Iſidorique ſententia.

ALexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. 4. c. 9. *Junius Dentatus Parthenopeus, ingenio ornatiſſimo vir apprimè nobilis & eruditus, quo cum mihi à primo ætatis gradu vetus & magna amicitia fuit, referre ſolebat pleraque prodigioſa & admirabilia: inter quæ miraculum ingens in penitiſſimis oris Britanniæ & ſinu intimo, ubi æſtus effuſi Oceani ſecundi & reciproci ad Lunæ augmenta & damna, ac frequentes fluxus maris & refluxus, haud ſecus quàm tempeſtas ſtatis vicibus littora infeſtant, ab Auctoribus memorati exiſtunt, ſæpe malos & navium carinas vetuſtate tabeſcentes ad littora expoſitos, & diutinâ aquâ madefactos, quoſdam veluti fungos brevi pediculo juxta aquas gignere, paulatimq; adoleſcere inter fluctus, lapſisq; diebus etiam moveri, ſed tamen à trunco minimè divelli: interjecto deinde tempore, velut ad juſtam magnitudinem pervenerint, mirum dictu tradit, quod omnem ſuperat fidem, fungos ejuſmodi ita genitos, à trunco ſponte evelli; mox alis emiſſis, & penniculis enatis evolare, & marinas aves exiſtere, veſciq; piſcibus littoralibus, perque maria paſſim enatare, paritérq; apud incolas mirum non haberi, ſed quia paſſim id evenire ſoleat, quotidiano uſu miraculum eſſe deſinere.* Britannicarum avium ortus ex ſententia Alexandri ab Alexandro.

S. Iſidorus apud Geſnerum lib. 3. de Avibus. *Barliatæ dictæ aves è ligno creſcunt. Fertur enim, abiegnum lignum in aqua marina relictum, cùm paulatim putruerit, humorem craſſum emittere; quo denſato, parva ſpecies avium formentur ad magnitudinem alaudarum; quæ nudæ primùm, paulatim deinde plumis* & Iſidori.

 veſtiantur,

Digitized by Google

veſtiantur, & roſtro interim à ligno ſuſpenſa per mare fluitent uſq; ad maturitatem, donec ſe commoventes abrumpantur, & ita demum ad juſtum incrementum perveniant, & (ut Jacobus Athonenſis Epiſcopus in Orientali Hiſtoria ſcribit) ſicut aves cætera avolare incipiant. Ex Iſidoro utique accepit ſua Vincentius loco citato §. 2. Locum tamen hunc Iſidori invenire non potui inter ejus opera.

Pro eadem ſententia adducit Geſnerus *Bartholomæum Anglicum*, & *obſcurum Auctorem*, ſed nullo indicato loco. In priori Auctore, poſt longam & iteratam lectitationem, nihil reperire potui.

§. VI. Odorici, & Fulgoſi opinio.

Britannicarum avium ortus ex ſententia Odorici,

ODoricus Utinenſis, in Itinere quo perrexit ad Magnum Cham, referente Ramuſio, narrationem ſuam de Agno Vegetabili Tartarico intra pepones reperiri ſolito confirmans, ait: *Et ſi hoc videatur incredibile, tamen ut in Hybernia ſunt arbores quæ producunt aves, ita poſſunt verè ibi tales reperiri pepones.* Et alio in loco aſſerit ex aliorum relatione, *in regno Scotiæ & Angliæ arbores eſſe, quæ producunt poma violacea, & rotunda ad inſtar cucurbitæ, à quibus maturis exit avis. Hoc magis credo, quia id audivi à Magnatibus, & fide dignis, quàm ſi propriis meis oculis vidiſſem.*

& Fulgoſi.

Fulgoſus Genuenſium Dux, referente Nierembergio lib. 3. Hiſt. Natur. cap. 5. aſſerit, in Inſulis Hyberniæ, quas Orcadas vocant, & in ea ſpeciatim quam nunc appellant Irlandam, in locis quæ mari alluuntur, arbores ſalicibus perſimiles naſci, *in quibus orta parva quædam pila, paulatim creſcendo in aves anatum formas habentes effigiantur, roſtro ab arboribus pendentes; & cùm ad maturitatem pervenerint, ſuipſarum niſu arboribus excuſſæ in mare decidunt, atque evolant. Britanni vulgò Bernetas appellant. Et quia ex avium genere non oriuntur, iis Quadrageſimali jejunio ſale conditis homines veſcuntur, ut ab his, qui viderunt, certiores facti ſumus; & res tam multorum, graviumque virorum teſtimonio, qui hoc viderunt, probata eſt, ut minimè dubia duci debeat.*

§. VII. Scaligeri, & Cardani ſententia.

Britannicarum avium ortus ex Scaligeri ſententia,

JUlius Cæſar Scaliger Exercit. 59. in Cardan. *In Oceano Britannico magis mireris ignotam vobis avem, anatis facie, roſtro pendere de reliquiis putridis naufragiorum, quoad abſolvatur, atque abeat quæſitum ſibi piſces unde alatur. Hanc quoque vidimus nos. Vaſcones Oceani accolæ Crabans* (Cragans fortaſſis) *vocant illas; à Britonibus Bernachiæ appellantur: recepto etiam in proverbium vocabulo, cùm ignaviam cuipiam exprobrare volunt; quaſi neque piſcis, neque caro ſit.*

Avicula ex oſtracio.

Ut credibilem reddat eam rem Scaliger, hanc allam attexit hiſtoriam, *Allata eſt*, inquiens, *Franciſco Regi optimo maximo concha non admodum magna, cum avicula intus penè perfecta, alarum faſtigiis, roſtro, pedibus, hærente extremis*

tremis oris oſtracii. Viri docti, quorum ille pius parens fuit ſimul, & munificentiſſimus obſervator, atque etiam conſervator, mutatum in aviculam oſtreum ipſum exiſtimârunt. Idem præmiſerat hanc aliam narrationem. *De Juverna verò fluvio non ſilebo. In eum quæ arboris unius imminentis collapſæ frondes fuerint, piſcium formam induunt. Piſces vivunt deinceps. Quanquam ſubtiliùs conſideranti non tam eſſe videtur hæc fluvii vis, quàm arboris ipſius: nam quæ frondes in terram cadunt, animalia volucria effecta avolant. Quid mirum? Nempe ut in terra mutantur plantæ, aliæ in alias; ita ſupra terram gignunt è ſe ipſis animalia. Idque non è putrefactione, ſed quadam quaſi ſemina foventes ad generationem.*

Piſces ex frondibus arboris in fluvium lapſis. Volucres ex frondibus arboris.

Hieronymus Cardanus lib.7.de Variet.rerum cap.36. *In Hebridibus Clakis, anſeris genus naſcitur; quod vulgò ex arboribus naſci creditum eſt.* His ſubjicit quæ ſcribit Hector Boëthius, relata à nobis ſuprà §.I. Quibus finitis, ait, nimis magno ſupercilio Polydorum Virgilium pronuntiaſſe, hanc videri ſibi fabulam, cùm Hectoris ſcripta videre potuerit; & ſi vidit, aut refellere debuiſſe, aut non tam ſecurè de his pronuntiare. Ipſe verò Cardanus ſubjungit ſequentia. *Nam quòd Clakis avis ſit, quódq; Boëthius ſciens non fallat, nemini dubium eſſe debet: quòd verò poſſit tanta avis è putredine gigni, quodq; gignatur; quòd etiam in conchis aves vi maris inter Hebrides interjecti naſcantur; hæc dubitatione prorſus digna ſunt: neque obiter tractanda hæc dubitatio, cùm magnarum quæſtionum ſit origo. Si enim aves hæ ex putredine generantur, quid prohibet quin cuncta ſimiliter gigni non potuerint? Audivi autem de hoc, & recens adhuc fama eſt, cùm eſſem Edimburgi: nam Lethi portus ab indigenis vocatur Pitili: abeſt paulo plùs ab Edimburgo mille paſſibus; portus quidem pulcherrimus, oppidum verò Anglorum incendiis fœdatum, in quo ego bis fui. Itaque videtur res hæc, quæ ibi pro conſtanti habetur, à veritate non abhorrere. Neque mirum videri debet, ſi mures (teſte Ariſtotele) è terra generantur, qui tamen inter animalia perfecta numerantur; poſſe glebam Ægyptiam lepores & capreolos, Hebridicumq; Oceanum aves gignere. Natura verò gignit ea, quæ loco conveniunt, ut ali poſſint, velut in mari anſerum hoc genus &c.*

& Cardani.

§. VIII. Portæ, Kircheri, Delrii, & Lobelii opinio.

Joannes Baptiſta Porta lib. 2. Magiæ Natural. cap. 3. poſtquàm retuliſſet ſententiam Olai Magni, & Münſteri, addit: *Sed recentiores non ſolùm in Scotia, ſed ad Tameſim amnem, quà Londinum præterfluit, bivalvas conchas eſſe rugoſo pediculo craſſiore, & navis annoſæ carinæ infixas, puſillas, circinati ferè ambitus, foris albidas, lucidas, leves, fragiles, nuci amygdalæ compreſſæ pares, ex imo ventricoſas, veluti è muſco & limo ſemiputridæ naſcuntur, & quaſi fungi pedi-*

Britannicarum avium origo ex ſententia Portæ,

Digitized by Google

gi pedicelli unico cohæſu pendent, quaſi alimentum inde ſugant. Has alii dicunt è vermicellis creari; alii ex ſurculis arborum,& ramis, quà maris æſtus alluit, temerè projectarum ſobolem eſſe; quæ verò in ſicco labantur,emori; quæ ab alluvionibus rapiantur,concha excludi,& in anatem,vel in congenerem avem adoleſcere. Poſt hæc ſubjungit opinionem illorum,qui putant, aves prædictas è lignorum putrefactione oriri; de ſuo verò nihil addit.

& Athanaſii Kircheri. Serpentes ex arborum foliis,

P. Athanaſius Kircherus in Arte Magnetica lib. 3. par. 5. cap. 1. can. 2. Conſect. 3. cùm narraſſet, *in Chili Americæ Meridionalis Provincia arborem, cujus in foliis vermes primò naſcantur, qui dum in terram concidunt, in ſerpentes tandem mutentur, qualium tota terra plena eſt*; & hujus rei hanc rationem adſignaſſet, *quòd arbor per radices in vermes, ac inde in ſerpentes tandem animatos degeneret*; addit: *Hac ratione credo naſci anates iſtas Scotici maris, ſive Inſularum Hebridum. Cùm enim tractus Septentrionalis infinitis ferè anatibus plenus ſit; fit, ut innumeram ovorum multitudinem fruſtis iſtis glacialibus exponant: quæ cùm glacialium undarum agitatione fracta,vitellisq; diffuſis,ventorum ope in Hebrides primùm obvias Inſulas adferantur; materia ſemine anatum productivo fœta arbuſtis quibusdam, putridarumq; navium fragmentis allapſa, ibi tandem ſive terræ lociq;,ſive inſitâ quadam arbuſtorum ſucco virtute,in vermes primùm, deinde in alatas volucres animantur.*

& Delrii,

P. Martinus Delrius lib. 2. Disquiſit. Magicar. quæſt. 13. cùm dixiſſet, poſſe Magos animalia quædam imperfecta producere,ſubjungit: *Sic poſſent Magi etiam producere quosdam anſeres imperfectiores, qui ſoliti gigni ex deciduis fructibus arborum in mari putreſcentibus, vel ſanè ex lignis navigiorum putridorum,ut nôrunt contingere Scoti, & Hebridum incolæ, quibus vocantur Klakis, & Bernicles.*

& Lobelii,

Matthias Lobelius in Obſerv. ſtirpium, ſub finem, apud *Antonium Deuſingium* in Diſſertat. de Anſeribus Scoticis,num. 44. ſcribit ea, quæ Porta, ut vidimus, refert ſub nomine Recentiorum, his verbis: *Non ſolùm ex Scotia, ſed etiam ad Tameſim amnem,quæ Londinum præterfluit,conchas pediculo rugoſo craſſiore è navis annoſæ carina avulſas habemus.* Eas verò valde puſillas, circinatæ ferè rotunditatis,foris albidas,lucidas,leves,eſſe teſtatur; tenuitatem teſtæ ovaceæ fragilem, biforē, mituli more præferentes, nuci amygdalæ compreſſæ pares. Pendulas fuiſſe ad imum ventricoſæ navium carinæ,muſco & limo ſemiputridæ,ſingulas mediante quodam quaſi fungi pedicello, parte alterâ carinæ innato, alterâ latiuſculè conchæ baſi inſerto, quaſi vitam alimoniamque inde ſugerent aviculæ, quarum rudimenta è ſumma parte conchæ hiulcæ conſpicerentur. Pediculos autem illos è vermiculis prognatos eſse,quod alii volunt,ſe non potuiſſe ſcire,quin imò nè credere quidem teſtatur. Ex ejusmodi autem conchulis aviculas excludi aſſerit,quæ in anatem, aut congenerem avem adoleſcant. Hæc omnia ex dicto Autore refert Deuſingius.

§. IX. Mi-

§. IX. Michaëlis Mayeri opinio.

Michaël Mayerus, Medicinæ Doctor, in Tractatu de Volucri arborea, Et Mayeri.
cap. 3. quem magna ex parte refert Jonſtonus in Thaumatologia Claſſe 6. in fine, poſt longum diſcurſum,& poſt multas aliorum ſententias relatas, aſſerit, aves illas,de quibus diſputat, & anſerinum fœtum appellat, oriri ex conchulis, non tantùm in Oceano inter Scotiam & Orcades, & inter Hyberniam & Hebrides, ſed in toto illo tractu maritimo ad extrema Scotiæ & Hyberniæ extenſo. Quas quidem conchulas accuratè, ex autopſia ſeu oculari inſpectione & conſideratione deſcribit. Quo ſtatuto, inquirit,cui vis productiva illarum ſit adſcribenda; an ligno ejus regionis, an arboribus, an vermibus ex ligno generatis in conchas transeuntibus, ut aliqui exiſtimant: aitque ſe nulli ex his opinionibus aſſentiri poſſe, (ſi ſingulæ per ſe, & ſeparatim ſumantur) propter rationes quas ibi adducit. Deinde hæc de conchis, earumque ortu ſubjungit.

Quia verò hanc rem non ex auditione cognoverimus, ſed oculis teſtibus ſupra quinquaginta (ferè centenas) viderimus ejuſmodi conchulas, iiſque apertis fœtus avium exiguos velut ex ovo mox prodituros, cum omnibus membris avi ad volandum neceſſariis notaverimus, & in manibus habuerimus; non erit omittendum hoc loco exactiſſimam earum deſcriptionem ponere; quæ ſic ſe habet.

*Si quando malorum nauticarum (*ita loquitur Auctor*) pice illitarum portio in aquas eas Oceani, in extremis partibus Scotiæ, non procul ab Orcadibus aut Hebridibus, deciderit, ibique aliquamdiu jacuerit; cariem non ſolùm ſentit à vermibus intus generatis, ſed quoque ab alga ſeu gramine marino undiquaq; tegitur. Ejus enim graminis ibi eſt magna copia, quod omni ligno facilè adnaſcitur, præſertim ſi piceam reſudet pinguedinem, veluti mali nauticæ, quæ ſunt abiegnæ, vel piceæ, reſinâ picis ſuâ naturâ abundantes, ac deinde in uſu navium eâdem imbutæ, ut nimirum carbaſa veloci motu ſurſum vel deorſum duci trahiq; poſſint, nè alicubi firmiùs adhæreſcant. Fert autem mare in fundo littorali hanc algam majoris vel minoris longitudinis, unde certo tempore emergit, ſurſumque fertur in ſuperficiem aquæ, fluctibus eam quaſi evellentibus, aut demetentibus. Hæc, ut in aqua nata, non facilè putreſcit, ſalinæ naturæ multùm apud ſe habens &c. Lignis itaque dictis malorum hac algâ circumtectis, quæ ſe inſinuat in foraminula à carie relicta, ſucceſſu temporis ab altera parte cujuſque graminis creſcunt conchulæ exiguæ, quæ ſunt ſubalbæ, vel onychini ſive unguis manuum coloris, & in forma, cavitate, & oblonga figura ungui minoris digiti valde ſimiles: quarum duæ ſi conjungantur invicem, ita ut probè cohæreant ſupremis partibus magis acuminatis; accipiunt algæ extremitatem, & ſunt firmiter clauſæ latioribus: quæ poſtea aperiuntur, ut fructus maturatus ſuâ ſponte excidat ad volatum. Hac ratione*

Digitized by Google

tione mille plures, vel pauciores conchulæ adhærent ſingulæ ſingulis graminibus ad extremitates; quæ, ut dictum, alterâ extremitate alligantur lignis picatis tantâ copiâ, ut lignum vix videri poſſit &c. Intus verò, ſi conchæ aperiantur, apparent illi fœtus exigui, veluti pulli avium in ſuis ovis, qui habent roſtrum, oculos, pedes, alas, etiam piloſitatem incipientium pennarum, & reliqua omnia embryonis volucris membra. Prout fœtus creſcit, ita & conchæ ſeu tegumenta eorum, quemadmodum in aliis omnibus oſtreis, conchis, cochleis, teſtudinibus, & his ſimilibus domi-portis contigit. Agit deinde de nutrimento dictarum concharum, & fœtuum incluſorum: tum de cauſa efficiente, materiali, formali, & finali, & finit diſcurſum.

§. X. Gesneri, Aldrovandi, Nierembergii, & Jonſtoni opinio.

Britannicarum avium ortus ex ſententia Gesneri, Vide Icon. LII.

Conradus Geſnerus lib. 3. de Avibus, tit. de Branta vel Bernicla, pag. mihi 107. & ſeq. refert ſolùm aliorum ſententias, nullumque de ſuo verbum addit. Tantùm apponit binas dictarum avium figuras, maſculi & fœminæ, miſſas ſibi à doctiſſimo Joanne Ferrerio Pedemontano, præſtantiſſimi apud Scotos viri Henrici à S. Claro liberalitate. Maſculus habet roſtrum acutius, fœmella obtuſius. Vocat autem anſeres. En iconem unius.

& Aldrovandi,

Ulyſſes Aldrovandus lib. 19. Ornithologiæ cap. 23. poſtquàm dediſſet formam, deſcriptionem & locum Brantarum, ſive Berniclarum, inquirens eorundem originem & ortum, refert varias aliorum ſententias, quas partim jam retulimus, partim adhuc referemus; tandemque ſic concludit. *Eſt itaque profectò affirmantium ejusmodi monſtroſam generationem Auctorum, eorumque magni nominis, ingens multitudo, adeò ut contra ſentire nefas eſſe videatur. Veruntamen cùm alii aliter de hoc ortu ſcribant, & in multis invicem adverſentur, dum alii ex putredine lignorum, alii ex fructibus in mare decidentibus, alii ex conchis naſci malint, alii aquæ marinæ illius regionis eam facultatem tribuant; adhuc judicium meum cohibeo. Malim tamen cum pluribus errare, quàm tot Scriptoribus clariſſimis oblatrare: quibus præter id, quod de ephemero dictum eſt, favet etiam quod eſt ab Ariſtotele proditum, genus ſcilicet teſtarum quoddam navigiis putreſcente fæce ſpumoſâ adnaſci. Ova interim harum avium viſa eſſe, non inficias iverim: nam animantia ex putri genita, poſtmodum ex coitu generari, murium vulgatiſſimo exemplo ſatis clarum eſt.*

& Nierembergii,

P. Euſebius Nierembergius lib. 3. Hiſtor. Natur. cap. 5. ut probet, plantas aliquas generare animalia, multa adducit exempla, interque alia hoc de ortu Berniclarum ex arboribus, aut lignis putridis; quod cùm multorum auctoritate ſtabiliviſſet, tandem concludit: *Ita ergo ex plantis viventibus plurima naſcuntur animalia.* Credit ergo ortum Berniclarum ex arboribus.

Joan-

Digitized by Google

Icomiſmus LII. *Ponatur e regione pag.* 970.



Digitized by Google

Digitized by Google

Joannes Jonſtonus in Thaumatologia Claſſe 6. cap. 7. ait, evidentiſſimum videri quod de dictis avibus longo orationis tractu prodidit Boëthius loco citato à nobis §. 1. In fine tamen capitis relinquit judicium Lectori, & DEI potentiam veneratur. Idem in Hiſtoria Naturali de Avibus pag. 49. de iiſdem breviſſimè agens, tantùm inſinuat aliorum ſententias, de ſuo verò nihil addit. & Jonſtoni.

PARS II.

REFERUNTUR ALIORUM SENTENTIÆ, PUTANTIUM AVES ILLAS PER COITUM NASCI.

§. XI. Alberti Magni opinio.

Britannicarum avium ortus ex Alberto Magno.

A*Lbertus Magnus* lib. 23. de Hiſtor. Animal. apud Geſnerum hæc ſcribit de prædictis anſeribus, quos Barbates vocant. *Barbatas aves falsò quidam dicunt nominari vulgò* Baumgäns/ *(id eſt, anſeres arborum) eò quòd ex arboribus naſcantur à cortice & ramis dependentes; & ſucco, qui inter corticem eſt, nutriantur. Dicunt etiam, aliquando ex putridis lignis hæc animalia in mari generari, præcipuè ex abietum putredine; aſſerentes, à nemine unquam has aves viſas coire, vel ova parere. Sed hoc omnino abſurdum eſt: ego enim, & alii complures mecum vidimus eas coire, & ova fovere, & pullos alere. Avis hæc aliquantò minor eſt anſere, & roſtrum anſeris habet; caput quaſi pavonis* (alias, colorem capitis ut pavo, ſed nullam è pennis criſtam) *pedes nigros ut cygnus, digitos membranâ conjunctos ad natandum, color in dorſo cinereus ad nigredinem declinat, ſtruma (collum parte ſupinâ) nigra eſt, venter cinereus, vel ſubalbidus.* Ita Albertus apud Geſnerum. In Antiquo tamen exemplari impreſſo Venetiis anno 1495. quo ego utor, ita loquitur Albertus *Barbates mētiendo quidā dicunt aves quas vulgus Bonugas* (Baumgäns debet eſſe) *vocat, eò quòd ex arboribus naſci dicuntur, à quibus ſtipite & ramis depēdent, & ſucco qui inter corticē eſt, nutritæ. Dicunt etiā, aliquando ex putridis lignis hæc animalia in mari generari, & præcipuè ex abietū putredine; aſſerentes quòd nemo unquàm vidit has aves coire, vel ovare. Et hoc omnino abſurdū eſt, quia ego, & multi mecū de ſociis vidimus eas & coire, & ovare, & pullos nutrire, ſicut in antehabitis diximus. Hæc avis caput habet quaſi pavonis, pedes antē nigros ut cygnus, & ſunt membranâ conjuncti digiti ad natandum; & ſunt in dorſo cinereæ nigredinis, & in ventre*

ſubalbida; aliquantùm minores anſeribus. De his iisdem Barbatibus ſeu Berniclis in antecedentibus, capite de Anſeribus, hæc dixerat: *Et eſt quartum genus* anſerum, *illo* tertio genere *minus, habens roſtrum anſeris, ſed colorem capitis pavonis, præter hoc, quòd criſtam de pennis non habet: & in dorſo quidem eſt cinereum declinans ad nigredinem; in ſtruma autem nigrum, & in ventre cinereum; quod vulgus dicit naſci de arbore.* Et poſt aliqua, in eodem capite, de iisdem ita ſcribit: *Genera etiam inducta commiſcentur ſibi invicem. Apud nos enim anſer, qui eſt ſicut pavo, cum anſere domeſtico concubuit, & pullificavit: ſed omnes pulli patrē in colore ſecuti ſunt, ſed in quantitate erant majores.*

§. XII. Caroli Cluſii opinio.

Et Caroli Cluſii.

CArolus Cluſius in Auctario Exoticorum, apud Deuſingium Diſſertat. de Anſeribus Scoticis num. 48. ita de illo avium genere ex Hoiero ſcribit. *Claiks, ſive Claikgees Scotis, Bernacles Anglis, Rotgees Hietlandis, avis eſt per autumnum hyememque duntaxat conſpicua, formâ anati vicinâ. Hujus natalitia cùm ignorarentur, factum eſt, ut vulgus primum ejus protoplaſma ſive rudimentum cenſuerit eſſe teſtas quaſdam albicantes, adnatas truncis ſive fragmentis ligneis, quæ maris fluctibus in arenam littusvè propelli hìc ſolent, ubi ligna aliàs non creſcunt, & formam aviculæ iſtius quodammodò æmulantur. Unicam tamen, & omnibus modis abſolutam avem ex maſſa illa teſtacea evaſiſſe, aut prodiiſſe, nemo eſt inventus qui ſe vidiſſe aſſerere fuerit auſus.* Ita Cluſius apud Deuſingium; apud quem ulteriùs hæc addit: *Aviculæ porrò non ſunt, quas in Orcadum arboribus mari vicinis naſci vulgò putant, & Bernacles ſive* Rotgäns *appellant; ſed aves, anate ferâ non minores, ut ego aliquoties vidi, imò ipſarum carnem etiam guſtavi. Meras autem fabulas eſſe, quæcunq; de earum natalibus hactenus fuêre tradita, à Batavis, qui ante paucos annos ad novam Zemblam navigârunt, & fretum Naſſovicum, vulgò Weygas appellatum, ſuperârunt, eſt deprehenſum. Eas etenim aves in aliquot ſcopulis incubantes ſuis ovis obſervârunt; quarum nonnullas, & multa illarum ova, in navim retulerunt.* Hæc Cluſius apud citatū Deuſingium; nec dubito quin integrè & ſincerè.

§. XIII. Gerhardi de Vera opinio.

Et Gerhardi de Vera.

GErhardus de Vera, Amſtelrodamenſis, in ſua navigatione ad Sinas, apud Deuſingium anteà citatum, & apud Aldrovandum lib. 19. Ornithologiæ cap. 23. §. *Origo & Ortus.* Batavi, qui elapſis annis navigationem ad Arcton inſtituêre, ex propria inſpectione in Groënlandia Berniclas, quæ ovis incubarent, pulloſque educarent, ſeſe inveniſſe aſſerunt, in Navigat. ad Arcton part. 3. his verbis. *Tum remigantes ad Inſulam, quæ media erat, in ea multa ova Berniclarum (quas Hollandi* Rotganſen *appellant) & ipſas nidis incubantes invenimus; quæ fugatæ clamabant, Rot, Rot, Rot,*

(unde

(unde illis nomen) & lapide jacto unam occidimus, quam coctam edimus, cum circa ſexaginta ovis, quæ in navem detuleramus. Iſti anſeres, ſive Bernicla, fuerunt veri anſeres, Rotganſen dicti, quales magnâ quantitate ſingulis annis circa Wieringen in Hollandia veniunt, & capiuntur; quæ hactenus ignoratum fuit ubi ova ponerent, & pullos educarent. Hinc factum, ut nonnulli Auctores non veriti ſint ſcribere, quòd in Scotia in arboribus naſcantur, è quarum ramis ſupra aquam expanſis, ſi fructus in aquam decidant, anſerum pullos gigni, qui ſtatim natant; qui verò in terram, corrumpi, nec ad frugem pervenire. Quod falſum eſſe, nunc apparet. Nec mirum hactenus ignoratum eſſe, ubi hæ aves ova ponerent, cùm nullus (quod compertum ſit) unquam ad octuageſimum gradum pervenerit; nec ea regio illo loco unquam fuerit cognita; multò minùs illi anſeres ovis incubantes. Hæc Gerhardus, & Batavi. Albertus tamen, ut vidimus, diu antè viderat anſeres illos coëuntes, & ova excludentes, & incubantes pullis, quamvis non in remotis illis regionibus, ſed in inferiori Germania, ut apparet.

§. XIV. Antonii Deuſingii opinio.

Et Antonii Deuſingii.

A*Ntonius Deuſingius*, in Diſſertat. de Anſeribus Scoticis, cùm varias aliorum de iis opiniones propoſuiſſet, num.46. his verbis ſuam exponit ſententiam. *Equidem ex ligno putreſcente vermes naſci, ipſosque vermiculos in alati animalculi genus transformari poſſe, mirum utique non eſt; velut nec præter rationem videtur, in conchulis quibusdam volatilia animalcula ſubnaſci: At illa ipſa animalcula adoleſcere in anſeres vel anates, velut à ratione alienum eſt, ita nemo eſt qui idipſum ſe vidiſſe aſſerat, ut & conchas ipſas, & animalcula volatilia in conchis imperfecta etiamnum, aut in ligno vermes tum rudes, tum pennatos, atque ſenſim ad volatilium genus tendentes, obſervârit. Fabuloſa perſuaſio hinc orta videtur, quòd cùm nautæ paſſim circa Scotiæ Inſulas Hebrides atque Orcades maris Caledonii Arctici, totumque illius plagæ tractum, obſervarent innumerabilem atque ſtupendam copiam anatum atque anſerum, aliarumque varii generis alitum; illarum verò natalem locum ignorarent, nec primum earundem proventum cernerent; interea verò uberrimam animalculorum, etiam alatorum, ex lignis atque conchis geneſin iisdem in locis obſervarent; diverſiſſima pro uno eodemque ſumſerunt; atque animalcula illa ſpontaneo ortu genita, in grandiora illa volatilia ſuccreſcere exiſtimârunt.*

PARS III.

NOSTRA SENTENTIA DE AVIBUS BRITANNICIS APERITUR.

§. XV. An ſint Aves Britannicæ, de quibus hactenus diſſeruerunt Auctores.

Britannicæ aves an ſint.

TAnta eſt Auctorum, ut vidimus hactenus, diſcrepantia circa aves, de quibus in præſenti Diſſertatione eſt ſermo, ut meritò ſuſpicari quis poſſet, aut conficta omnia eſſe, aut fabuloſis ac falſis nixa fundamentis, quæcunque hactenus ſunt relata. Nam *primò* diſcrepant in ipſa avium ſubſtantia, quoniam alii anates, alii anſeres illas appellitant. *Secundò* in nomine, quoniam alii vocitant Brantas, alii Berniclas, alii Bernichias, alii Bernaclas, alii Barliatas, alii Berneſtas, alii Barbatas, alii Clakis, alii Clacuſe, alii Claiks, alii Claikgees, alii Baumgens, alii Rotgens, alii aliter. *Tertiò* in loco natalium, quem alii ſtatuunt Scotiam, alii Hyberniam, alii Hebrides Inſulas, alii Orcades, alii totum Oceanum circa Scotiam, alii Tameſim fluvium Angliæ. *Quartò* in modo ortus ſeu originis, cùm alii velint eas oriri ex coitu & incubatione ovorum, alii ſine coitu per ortum ſpontaneum. Et hunc alii tribuunt arboribus, alii lignis putridis, alii mari; rurſus alii conchulis, alii fungulis, alii algæ, alii arborum fructibus, alii earundem foliis, alii aliis rebus. Omitto alias diſcrepantias, quas quilibet ex citatis teſtibus deprehendere poteſt.

Ajo nihilominùs, viſas olim, & etiamnum videri aves illas, quas tam diverſis nominibus appellitant Auctores, idque variis in locis, maximè circa Britannicas Inſulas (quo nomine ego complector Angliam, Scotiam, Hyberniam, Hebrides, Orcades, & quidquid Inſularum in Caledonio mari circa jam dictas eſt ſparſum) Et hac de cauſa voco Aves illas, Britannicas. Ratio, quæ me movet, eſt tot ac tam præſtantium Scriptorum antiquorum ac recentium auctoritas, quorum multi oculis ſuis eas inſpexerunt. Nefas autem eſt, omnibus derogare fidem.

Britannicæ aves ſunt anſeres.

Nec obſtat diſcrepantia inter illos quoad ſubſtantiam, nomen, locum, & modum originis. Nam oculati teſtes vocant illas anſeres, quales revera ſunt, ut videbimus. Reliqui ergo, qui anates appellant, errant. Diverſitas nominum anſeribus illis impoſitorum, orta eſt partim ex diverſitate lingua-

Digitized by Google

linguarum, quibus Britannicarum Inſularum incolæ utuntur; partim ex amanuenſium aut typographorum inſcitia, qui vera ac genuina nomina corruperunt. Locorum diverſitas nil officit veritati, quoniam tam diverſa loca non ipſis avibus, ſed putatæ origini ipſarum tribuuntur; quæ revera non uno tantùm in loco viſitur. Ortûs ſeu originis modum paulò pòſt examinabimus.

§. XVI. Quæ & cujusmodi ſint Britannicæ Aves, de quibus hîc eſt diſceptatio.

QUærimus num ſint anates, aut anſeres; & ſi anſeres, cujus ſint formæ ac figuræ.

Ajo I. Britannicas aves, de quibus hîc diſceptatur, eſſe Anſeres, non Anates. Moveor auctoritate Scriptorum plurimorum, quorum multi oculis ſuis illas viderunt, & ad vivum delinearunt, graphicèque deſcripſerunt, ut paulò pòſt videbimus. Anſeres porrò vocat Boëthius, Münſterus, Bellonius (ut mox videbimus) Ortelius, Turnerus, Cardanus, Delrius, Mayerus, Aldrovandus, Jonſtonus, Albertus, Cluſius, Gerhardus de Vera, Deuſingius. Alexander ab Alexandro vocat Aves marinas, Odoricus Aves ſimpliciter, B. Iſidorus & Belluacenſis aves alaudarum magnitudine. Reliqui, ut Olaus, Sylvius, Geſnerus, Scaliger, Porta, Kircherus, & Lobelius, appellant Anates. Britannicæ aves ſunt anſeres.

Ajo II. Deſcriptionem nonnihil variare inter Auctores, maximè quoad colorum varietatem, uti ex dictis conſtat, & ſequentibus iterum patebit. Nam *Albertus Magnus*, ut vidimus §. XI. aſſerit, eſſe aliquantò minorem anſere, & tribuit ipſi caput quaſi pavonis (nempe quoad colorem, ut antea jam dixerat) pedes nigros, digitos membranis conjunctos ad natandum, in dorſo nigredinem cineream, in ventre ſubalbidam, roſtrum anſeris. Britannicarum avium forma, magnitudo, color &c.

Turnerus Anglus ait, eſſe anſere fero minorem, pectore aliquò usque nigro, cætero cinereo; anſerum more volare, ſtrepere, paludes frequentare, & ſegetem depopulari. In Epiſtola ad Geſnerum addit, collum nonnihil rubeſcere; at in iconibus nullus apparuit color.

Bellonius deſcribens eam avem ſub nomine *Gravant* (hoc eſt, Grawendt, vel Grauendt, ut ego interpretor) ſeu ſub *Oye Nonnette* nomine, ait eſſe habitu corporis anſeri ſimilem, eo tamen minorem, at anate majorem; in ſummo capite, cervice, & pectore habere plumas atras; mentum ad collum medium usque, & ſub oculis, colore eſſe candido; ſimilem eſſe Monialium ornatui, quæ colorem album atro ſuperimponunt, & idcirco à Gallis *Oye Nonnette* appellari; caudam habere brevem, & nigram; alas, & dorſum coloris plumbei; in femoribus utrimque easdem

maculas

Digitized by Google

maculas habere,quas anſer, & anas marina; crura procera; pedes planos, latos, ac fuſcos, ſicut & crura, oculos, ac roſtrum; & hoc rotundum eſſe, breviusque quàm anſeris, ac in rotunditate obtuſum in extremo; inceſſu, victu, clangore, & voce, anſerem referre. Inſpice Iconem ſuprà poſitam.

§. XVII. De ortu & generatione Avium Britannicarum.

Britannicarum aviũ ortus ex noſtra ſententia.

BReviſſimè me expedio; ſentio enim prorſus cum doctiſſimo Deuſingio loco ſuprà §. 14. citato. Itaque

Ajo I. Aves Britannicas non oriri ex arborum fructibus aut foliis, aut ex lignis navium in mare decidentibus,atque in fungos aut conchulas degenerantibus. Fundamentum habeo, quòd nec ratio, nec experientia, nec auctoritas id perſuadet. Concedo equidem, ex lignis putreſcentibus in mari naſci vermes, non circa Scotiam tantùm, ſed alibi etiam: hanc enim unam ob cauſam portus Meſſanenſis in Sicilia, qui omnium toto Orbe pulcherrimus ac ſecuriſſimus alioquin foret, cedit aliis, quòd naves diutiùs in eo hærentes à vermibus ibidem natis exedantur. Concedo etiam, in conchulis ſupradictis reperiri vermes aviformes, qui paulatim creſcant & avolent, cùm id tam multi & oculati teſtes aſſerant. Nego tamen,aves Britannicas,de quibus hîc ſermo eſt,inde habere ortum ſuum; quoniam nullus ſuprà citatorum Scriptorum id vidit, nec ullius alterius oculati teſtis atteſtatio adeſt, ſed omnes meris conjecturis agunt, vulgi opinione adducti, ut ex verbis ipſorum conſtat. Nullum etiam experimentum hactenus docuit, animalcula exigua ex putrida materia generata, excreſcere in animalia tam grandia ac perfecta, qualia ſunt Britannicæ aves de quibus agitur.

Ajo II. Aves Britannicas oriri ex ovis per incubatum, more aliorum anſerum. Probatur teſtimonio Alberti Magni, Gerhardi à Vera, & Batavorum, qui id oculis ſuis viderunt; itemque auctoritate aliorum Auctorum præcedenti §. 12. & 13. citatorum, qui idem aſſerunt. Quibus accedit *Ferdinandus à Corduba* in Didaſcal. cap. 7. ubi ait; Multa talia pro veris vendi, vel illud argumento eſſe, quòd licèt plurimi ſcribant, aves Berneſtas nomine in Hebridibus inſulis & Hybernia ex fructibus aut foliis arborum in mare deciduis generari, nihilominùs id figmentum eſſe; cùm Hollandi 1569. ſcripto teſtati ſint, ſe circa novam Zemblam in has aviculas ova ſua foventes incidiſſe.

Ajo III. Perſuaſionem vulgi, & Auctorum contrariæ ſententiæ, inde ortam, quòd annis ſingulis innumerabilem penè multitudinem ejusmodi

Avium

Avium circa Britannicas Inſulas deprehenderint, nec tamen ſciverint ubi orirentur, aut unde venirent; putaverintque proinde, animalcula illa alata, conchulis aut materiis putreſcentibus incluſa, excreſcere in anſeres, ut optimè notavit Cluſius, & Deuſingius.

Ut porrò videat Lector, quanta quotannis tum hujus, tum aliorum generum anſerum, ac avium aliarum circa Britannicas Inſulas multitudo compareat, placet addere quod ſcribit *Harveus* de Generat. Animal. Exerçit. XI. aqud Deuſingium in fine Differt. de Anſeribus Scoticis. *In Scotia Inſulis Orientalibus deſertis*, inquit, *tanta omnis ferè generis avium marinarum copia reperitur, ut ſi qua à fide dignis accepi, retulero, verear nè fabulas majores narrare videar, quàm quas Auctores varii de Anſeribus Scoticis ex arborum quarundam fructibus (quos nunquam viderunt) in mare delabentibus prognatis tradiderunt. Quæ ipſemet vidi, bonâ fide ediſſeram. Eſt Inſula parva, Scoti Baſſe nominant (ex hac una, Lector, noſce omnes) non procul à littore in alto mari ſita, abrupto & confragoſo clivo editiſſima (veriùs ſaxum ingens aut ſcopulum dixeris) haud ampliùs mille paſſuum circuitu amplitudo ejus clauditur. Hujus Inſulæ ſuperficies, menſibus Majo & Junio, nidis, ovis, pulliſque propemodum tota inſtrata eſt, adeo ut vix uſpiam, præ eorum copia, pedem liberè ponere liceat: tantaque ſupervolantium turba, ut nubium inſtar Solem, cœlumq; auferant: tantuſque vociferantium clangor, & ſtrepitus, ut propè alloquentes vix audias. Si ſubjectum mare inde, tanquam ex edita turri, & altiſſimo præcipitio, deſpexeris; idem quoquoverſum infinitis diverſorum generum avibus natantibus, prædaq; inhiantibus opertum videas &c. Si circumnavigando imminentem clivum ſuſpicere libuerit; videas in ſingulis prærupti loci crepidinibus, & receſſibus, avium cujuslibet generis & magnitudinis ordines innumerabiles: plures ſanè, quàm illuni nocte, ſereno cœlo, ſtellæ conſpiciuntur. Si advolantes, avolanteſq; eminùs adſpexeris, apum profectò ingens examen credas. Haud facilè dixerim, quantus reditus quotannis ex plumis, ovorumque coctorum commercio poſſeſſori accedat; adeo quod ipſe mihi narravit, fidem exſuperat.* Hæc Harveus.

Aves innumerabiles circa Britannicas Inſulas.

Ex dictis conſtat, quàm graviter hallucinati fuerint, quotquot prodigioſum Britannicarum avium ortum hactenus crediderunt. Conſtat præterea, quàm inanis ſit quorundam conatus & ſtudium, inquirentium cauſas exoticorum effectuum, antequàm de rei veritate conſtet. Conſtat tandem, mereri optimè de tota Republica Litteraria illos, qui ſimilium exoticarum narrationum veritatem ſtudioſiùs indagant; quod de his Avibus, ac præterea de Phœnice, Pelicano, Unicornu, Lapide Bezoar, Behemoth, Baſiliſco, Dracone, aliiſque fecit *Deuſingius, Kirchmayerus*, & alii.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De Bubone.

Bubo. BUbo avis eſt nocturna, ab imitatione vocis *Bu*, quam noctu clamando edit, ſic dicta. Omnium nocturnarum avium eſt maximus, adeo ut nec Aquilæ alicubi in magnitudine cedat. Corpus pro vaſtitate membrorum breve habet, & propter caudæ brevitatem veluti decurtatum: Plumeum corporis tegumentum ferrugineum ſeu obſcuro quodam æris colore infectum, maculis nigris ſparſim & incerto ordine ſparſum: caput adeo grande, ut pullorum caudæ priùs ex ovo prodeant, Plinio teſte; quia videlicet caput præ pondere deorſum pendet, ut ſuſpicatur *Albertus Magnus* lib. 23. de Animal. cap. de Bubone. Frontem orbiculatam ſeu teretem habet, plumis veluti auribus inſignitam; quibus cavernas ad auditum patulas tegit. Oculos maximos, & qui igneo ſplendore, ingenti magnitudine, & truci obtutu, terrorem inſpicientibus incutiunt. Roſtrum aduncum; collum pro ſua magnitudine perbreve; ungues aquilinas; crura brevia.

Incolit loca deſerta, antra tenebroſa, arborum concava, ædium latibula. In iisdem locis nidulatur, aut in altiſſimis rupibus. Veſcitur animalculis noctu ambulantibus, ut ſunt mures; & aliquando cuniculis, ac leporibus. Templa noctu frequentare dicitur, ut lampadum oleum exſugat. Victum quærit noctu. Si quandoque interdiu comparet, ab aliis aviculis deplumatur: ideo ab aucupibus exponitur juxta retia, ut aves advolent. Roboris eſt eximii: viſus quippe qui feroces canes abegerit, & cum aquila depugnârit. Si in pugna viribus ſe imparem ſentit, in dorſum ſupinus procumbit, unguesque ac roſtrum erigit, ut hoſtis acceſſum impediat.

CAPUT XXIV.

De Butorio, ſeu Butauro.

Butorius, ſeu Butaurus. BUtorius, ſeu Butaurus, avis eſt ſimilis Ardeæ in figura, & quantitate, ſed colore diſſimilis. Collum habet longum, & valde plumoſum; caput nigrum; corpus reliquum fuſcum, maculis nigris reſperſum; pedes longiſſimos, uti & ungues; caudam breviſſimam; ſtomachum capaciſſimum. Arteria aſpera in eo tota continua eſt, larynx nulla. Damnum hoc compenſare voluiſſe Natura videtur canalium duorum hinc inde in pulmones utrosque abeuntium ſtructurâ: ita enim fabricati ſunt, ut annuli

Digitized by Google

annuli cartilaginei minimè totum abſolvant circulum,ſed exteriori duntaxat parte medium; interiori, ubi aliis avibus hi circuli fiſſurâ tantummodò in longum diſſecantur, membrana quædam tenuiſſima, alteram canalis divaricati medietatem exactè abſolvens, plana & æquabilis obtenditur.

Victitat venatione piſcium, & ranarum. Dum piſcatur,adeo quieta & immobilis ſtat, ut mortua videatur: collum præterea contrahit, nè longitudine ſe prodat. Illaqueata à venatoribus, ſtat immobilis, & venatorem accedentem, ac eam capere volentem, incautum vulnerat roſtro.

Tempore veris, quando proli dat operam, horridè ſtrepit voce contentiſſimâ, inſtar tauri, aut cornu inflantis, adeo ut ad dimidium milliare Germanicum, id eſt, unius horæ itinere exaudiatur, inquit *Geſnerus* lib. 3. de Avibus, cap. de Ardea ſtellata. Tantam autem vocem editurus roſtrum aquis, aut limo paluſtri immittit, & duos canales, quos diximus, inflat. Hanc ob cauſam dicitur aliquibus Botaurus, quaſi Bootaurus, quòd tauri boatum imitetur. Germani vocant Ror-reiger/ Moßkuhe/ vel Moßochs/ quæ vocabula ſignificant Ardeam arundinum, vaccam ſeu bovem paluſtrem.

CAPUT XXV.

De Caprimulgo.

Caprimulgus, ſic dictus, quòd capras mulgeat, nocturna eſt avis, magnitudine paulò major quàm Merula, minor quàm Cuculus. Caput habet vertice longo & compreſſo; oculos grandes; roſtrum vix paſſerino majus modicè aduncum. Degunt in montibus circa mare, inprimis in Creta, propter viciniam ſtabulorum, quibus capræ includuntur; quæ intrant noctu, & caprarum uberibus advolantes tantum lactis exſugunt, ut ubera emoriantur, & capræ excæcentur. Adeo terribilem clamorem habent, ut audientibus pavorem incutiant. Germani vocant Geißmelcker. Caprimulgus.

CAPUT XXVI.

De Ciconia.

Ciconia, Græcis πελαργὸς, Germanis ein Storch / avis eſt apud nos notiſſima, non item apud Italos, hoc ſaltē tempore, ut Aldrovandus quoq; fatetur; quanquam ſi Plinio credimus, olim inibi habitabant. Ego certè Ciconia.

Hhhhhh 2 vigin-

viginti duorum annorum ſpatio, quibus continuò, partim in Sicilia, partim in Italia habitavi, nullam unquam me vidiſſe memini. Crura, collum, & roſtrum habet longa; pennas, albas & nigras; caudam brevem.

Ciconia avis migratoria.

Migratoria eſt avis: ſed quonam è loco veniant ad nos, aut quò ſe à nobis recipiant, non certè conſtat. Ex longinquo tamen venire, communiter aſſerunt, ſub æſtatis initium. *Albertus Magnus* lib. 23. de Animal. cap. de Ciconia, putat, quòd cùm avis ſit frigida, frigido utens cibo, & viſcoſo, neceſſe ſit ut lateat tempore generationis phlegmatis; quòd autem non eſt compertum ubi lateat, cauſam eſſe, quòd ſe valde occultet in deſertis paludum & cavernarum, ſicut & cætera latentia. Extractum aliquando ex quodam prope Metim in Lotharingia lacu ſimul junctarum globum, Campeſulgoſus teſtatur lib. 1. Memorabil. quæ thermis excalefactæ revixerint. Ex Lario lacu eductas alias, ſimul roſtra in ano inſerta habentes, & eodem modo reviviſcentes, Auctor eſt *Gaudentius Merula*. In Ægyptum & Æthiopiam volare, ſcribit *Bellonius*; additque, Septembri & Octobri menſe totam Ægypti planitiem occupare. Idem cùm circa Abydum eſſet, viceſimo quarto die Auguſti, ingentem earum copiam conſpexit, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbantur. Volabant illæ è Ruſſia & Tartaria, & Helleſpontum agmine decuſſato transverſum trajiciebant: & cùm ſupra Tenedum Inſulam eſſent, longo per anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur: inde priusquàm longiùs à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant, & ſe invicē verſus Meridiem ſequebantur. Abituræ è regione aliqua, congregantur in loco certo, comitatæque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva, aut ſerva, ceu lege edictâ recedunt ad dictam diem. Neminem vidiſſe unquam agmen diſcedentium, aut advenientium in regionem, ubi fuerunt æſtate, aut hyeme futuræ ſunt, teſtatur *Plinius* lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. quòd utrumque noctu fiat. In quodam Aſiæ campo olim congregatas inter ſe commurmuraſſe, cùm abitum pararent, eamque quæ noviſſimè adveniſſet, laceraſſe, itaque ita abiiſſe, teſtis eſt idem. Vidi ego quodam in prato patentiſſimo prope paludem totâ hyeme inambulantem unam, ad volandum impotentem: fama erat, à diſcedentibus confractas alas, ac relictam.

Ciconiarū victus, & nidificatio, & amor in pullos.

Veſcuntur ranis, ſerpentibus, piſcibus, aviculis etiam. Bufonem non niſi ſummâ fame guſtant. Serpentes deglutiunt integros & vivos. Viſa in horto Tyrocinii noſtri Trevirenſis, à contubernali meo, quæ, ut ſerpentem deglutitum retineret, qui jam bis per poſticum elapſus fuerat, orificium

orificium muro applicaret, & exitum prohiberet. Apud nos in ſummis ædium tectis, ac ipſis etiam fumariis nidulantur. Aliquando etiam in arborum aridarum ſummitatibus. Primo adventu veteres nidos repetunt, ſalvos adhuc ſordibus repurgant, tempeſtate læſos reſtaurant, ab injuriis defendunt. Viſæ in patria mea, quæ in urbis incendio aquam è vicina foſſa hauſtam identidem ore magnâ copiâ inſpergerent nido, ut flammam averterent. Caſtæ ſunt, & Veneri non indulgent niſi in nido. Ovis fœminæ & mares incumbunt. Menſis ſpatio incubatus abſolvitur. Tam impensè nidos fovent, ut incubationis aſſiduitate plumas exuant. Tam flagranti amore fœtus proſequuntur, ut in incendio Delfenſi, cùm ſubtrahere non poſſent, alis contegerent, & cum iisdem perirent. Nido tamen ſubinde ova aut pullos ejiciunt, famem metuentes. Cùm adoleſcunt pulli, educuntur à parentibus, ut victum ipſi ſibi quærant.

Vocem edituræ, glotterant, duas roſtri partes inſtar crotali vel crepitaculi invicem collidentes. Dum volant, collum in anteriora, pedes in poſteriora porrigunt, hisque curſum moderantur. Dormientes uni tantùm pedi innituntur, & caput humero imponunt. Cùm tempeſtas ingruit, utroque pede innixæ pennas diffundunt, roſtrum in pectus condunt, & vultum eò, unde tempeſtas venit, obvertunt. Vulnera origano ſanant; roſtro, cùm alvus obduruit, excrementa ejiciunt; lapidem lychnitem ad arcendos ſerpentes nidis imponunt. Proſunt omnibus. Columbas non dilaniant, nec gallinas rapiunt, nec veſcuntur cadaveribus. Parentes ſenio confectos alunt, & humeris geſtant. *Ciconiarũ vox, volatus, ſomnus, gratitudo &c.*

Gratæ ſunt hoſpitibus. Valedicebat quædam ſuo Veſaliæ in abitu, ſalutabat in reditu, & viridis inſuper Zingiberis radicem afferebat. Alia abſentis hoſtis uxoris ſtupratori oculos effodit. Caſtæ quoque ſunt, & pudicæ. Hinc non congrediuntur extra nidum, ut dixi. Ciconia maſculis ſuæ conjugis adulterium in abſentia commiſſum cùm deprehendiſſet, multis aliis adductis eam dilaniavit.

CAPUT XXVII.

De Cinnamomo ave.

AVem quam Ariſtoteles Cinnamomum vocat, Plinius Cinnamolgum, Albertus Cinnamulgum appellat. Herodotus grandem eſſe ait; Vincentius verò Belluacenſis paſſere aliquantò majorem, coloris partim flavi, partim cærulei, roſtro longo, ad flavum vergente colorem. Antiqui in Arabia collocant; Albertus in Æthiopia. Nidum ſtruit in ſummis excelſiſſimarum arborum ramis, ex cinnamomi præſtantiſſimi *Cinnamomus avis.*

Hhhhhh 3 ſurculis:

ſurculis: ad quem cùm incolæ ſcandere nequeant, propter arborum altitudinem, & ramorum fragilitatem; ſagittis plumbatis nidum dejiciunt, & cinnamomum colligunt. Alii etiam boum ac aſinorum mortuorum membra minutim conciſa ponunt juxta arbores, ubi nidi ſunt, & abſcedunt; aves fruſta in nidos comportant; hi pondere preſſi decidunt, & incolis cedunt in prædam.

CAPUT XXVIII.

De Columbis.

Columbæ, earumque fœcunditas &c.

OMnibus columbis proprium eſt, utrâque palpebrâ connivere. Coituræ, mutuò ſe exoſculantur; & ſenior quidem primum congreſſum ab oſculo exordiri dicitur, ſequentes ſine illo; junior autem omnem coitum ab oſculo inchoare. Si mares deſunt, ruunt in mutuos amplexus fœmellæ. Ita ſingulis diebus ad octiduum & ultra hypenemium ovum ponitur. Ovum quinto à coitu die perficitur. Bina ferè ponunt; ex quorum priori marem, ex poſteriori fœminam edi, falsò Veteribus creditum: viſæ enim aliquando binas fœminas, aut binos mares uno excluſiſſe partu. Fœcundiſſimæ ſunt, & ſingulis quadragenis aut tricenis diebus concipiunt, pariunt, incubant, & pullos enutriunt. Continuatur toto anno fœcunditas, ſi locum habent apricum, & cibum aptum: ſin minùs, à bruma ad æquinoctium vernum quieſcunt. Sic uno anno duodecim, & aliquando tredecim ac quatuordecim paria ex eis haberi poſſunt: æſtate enim binis interdum menſibus terna edunt paria, & ſæpe inter ova reperiuntur pulli; & dum hi provolant, alii erumpunt: hi rurſus ſimul ac creverunt, & robur habent, cum matribus pariunt; quinquemeſtres enim fœtificare incipiunt. Mirum ergo non eſt, Marci Varronis tempore quinque millia columbarum quandoque in uno periſterotrophio reperta.

Incubatio maris & fœminæ operâ perficitur: hæc enim noctu, ille interdiu incubat. Intra viceſimum diem excludunt. Pertundunt ovum pridiè quàm excludatur pullus. Vitam ad viginti & plures annos produxiſſe repertæ ſunt. Vox earum eſt gemitus. Longè domo avolant, & redeunt. Hircius & Brutus in Mutinenſi obſidione, & Leydenſes in ſua, pro tabellionibus uſi ſunt columbis. Romani in circum vel theatrum euntes, quæ vellent, earum operâ domum renuntiabant.

Cùm bibunt, collum non reſupinant, ſed quia breve & amplum, multarumque aquarum capax habent, jumentorum more largè bibunt. Corpus primò humectant, dein pulvere ſeſe conſpergunt, ſicque à pulicibus

Digitized by Google

pulicibus & omni ſorde mundantur. Mares vagantes manè fœminas in nidum compellunt, & incubare cogunt. Conjugii fidem ſervant, & communem domum. Niſi cælebs aut vidua nidum non relinquit. Maritis defunctis appetunt novas nuptias. Aquilam ſublimipetam ab humipeta diſcernunt: unde ſi hæc invadit, in ſublime feruntur; ſi illa, deorſum ruunt. Munditiei ſtudio, nidos à fimo repurgant. Helxine herbâ ad evacuationem utuntur. Laurinos ramulos tenues primùm pro amuleto colligunt, deinde ad pullorum cuſtodiam nidis imponunt. Ita cicurantur, ut cibum ex auribus hominum ſumant; quod Mahumetis exemplum teſtatur. Plura vide apud Ornithologos; apud quos & plurimas columbarum ſpecies invenies.

CAPUT XXIX.

De Cornice.

Cornix, ſive Cornicula, avis eſt generis corvini. Verſantur circa urbes, domos, maris ripas, fluminum littora, ſterquilinia. Victitant frugibus, nucibus, olivarum baccis, vermibus & carnibus. Nidulantur in ſummis arborum frondibus. Non temerè, nec impudenter, inter ſe miſcentur; & conjugii fidem ſervant ut corvi. Incubant ovis fœminæ tam impensè, ut ob aſſiduum incubatum plumas exuant. Pullos non priùs paſci, quàm plumis veſtiri incipiant, vulgò creditur. Parentes amore pullorum volandi potentes diu proſequuntur, & avolantes ſubinde comitantur. Senio confectæ, à pullis ſuis aluntur. Ætates humanas ter tres ipſis tribuunt Auctores. *Cornix, ejusque natura, & proprietates.*

Amicitias colunt cum Ciconiis, quibus maria transvolantibus duces ſe præbent; cum Ardeola, cum qua contra vulpem pugnant. Inimicitias exercent cum Noctuis, quarum ova meridie abſumunt; & cum Muſtelis, quarum nidos diripiunt; & cum Tympano ave, quam occidunt. Si nucem perfringere nequeunt, in altum ſublatam ad ſaxa & tegulas præcipitant. Verbenacam ſupinam nidis imponunt, ut ab iisdem blattas aliasque beſtiolas abigant. Una apud Menthem Ægyptiorum Regem educata, litteras ferebat quò jubebatur; cui & ſepulchrum ad lacum Myridis prope urbem Crocodilorum erectum. Occiſa, & donec puteat relicta, elicit mures, poſita in loco ubi ſunt, ut occidi poſſint, Gesnero teſte. Varias cornicum ſpecies vide apud Ornithologos.

CAPUT

CAPUT XXX.

De Corvo.

Corvus.

CORvus magnitudine Cornicem ſuperat. Roſtrum habet nonnihil aduncum, utriſque marginibus incidens; oculos lucidos; linguam in apice latam, ad radicem rotundam. Viſi ſunt in Septentrionalibus regionibus, Anglia, Neapoli apud Alphonſum Regem, & tempore Ariſtotelis, albi. Ubique ferè reperiuntur, maximè tamen in locis humidis, & celſis ædificiis. In agris ſi gregatim ferantur, bonitatis; ſi bini tantùm, ſterilitatis loci ſignum eſt. Victitant frumento, pomis, ceraſis, vermibus, piſcibus. Alaudam & paſſerem vivum devoraſſe eſt viſus unus. Pulli alimoniâ deſtituti, parentes invadere ac devorare ajunt. In Bothnia lepores, cuniculos, agnos interimunt. Viſum ſcribunt corvum, qui ſitibundus lapides congereret in ſitulam monumenti, in qua pluviæ aqua durabat, ſed quæ attingi ab eo non poterat.

Corvorum pulli à parentibus initio relinquuntur.

Ore coire corvus, fabula eſt; nam more aliarum avium coiviſſe ſunt viſi. Roſtrum tamen ante coitum conjungunt. Poſt viginti dierum incubatum, pulli excluduntur. Excluſi negliguntur à parentibus usque ad diem ſeptimum, quo atrorem induunt; cœleſti interim rore, aut à muſcis prætervolantibus aluntur. Agniti recipiuntur in curam, donec firmiores evadant; poſtea expelluntur. Longævi ſunt. Vocem ingratam ita mutant, ut ſexaginta quatuor diverſas voces efformare credantur. Magnam toto hoc anno, quo unum in horto domeſtico cicurem aluimus, varietatem notavi. Hic ſæpius de die, elato capite, & tumeſcente gutture, latratum canum imitabatur, adeò exactè, ut ignari juraſſent, canem è longinquo latrare. An vox communis ſit omnibus, an noſtro peculiaris, quòd canes domeſticos quos audiebat, imitaretur, ignoro.

Corvi furaces ſunt.

Ad trigeſimum & quadrageſimum annum unà viventes, jura conjugii ſervant. Uno defuncto, alter per vitæ reliquum viduus permanet. Furaces ſunt. Nummos quidam Erfordiæ furabatur & ſub lapide abſcondebat. Noſter prandii ſui reliquias in horto terrâ operiebat; & cùm eſuriret, refodiebat. Felem id obſervantem, ac poſtea clàm accedentem, clamore & roſtro abigebat. In quodam Collegio noſtro in Sicilia piſtor domeſticus alebat unum, adeo cicurem, ut per domum inambularet, & Patrum noſtrorum cubicula intraret: quidquid tamen auferre poterat, furabatur. Contigit, ut die quodam apertum unius abſentis cubiculum ingreſſus, ſpongiam ex atramentario extraheret, eâque antequam abiret, ex ore cadente, librum magni pretii ſupra menſam apertum inſigniter commacularet. Redit Pater, & damnum illatum deprehendens,

graviter

graviter objurgat piſtorem, commonitum ut corvum ſuum contineret, nec per cubicula evagari permitteret. Piſtor irâ commotus in corvum, roſtrum vivo abſcindit, ac dimittit. Abſcondit ſe illicò corvus, & dies aliquot latet, ſeu dolore, ſeu pudore. Tandem fame ſtimulante prodit, nec tamen furandi conſuetudinem, etiam roſtro abſciſſo, dimittit.

Articulatè loqui condiſcunt. Exempla dedimus in 2. part. Magiæ lib. 1. Syntagm. 5. c. 3. ex Macrobio, Scaligero, Majolo, & Petro Gregorio Toloſano. Tempeſtatem præſagiunt, ſi cum ſingultu quodam diu multumque, veſpertino præſertim crepuſculo, latrant; & ſi de arbore pendentes, alas ſæpe motitant. Serenitatem, ſi contra ſolem hiantes manè per arborum ramos plumas & alas expandunt; ſi privatim primò crocitantes, mox turmatim congreſſi liberiùs vociferantur, & dum ſeparantur, ſummè crocitando ad nidos advolant. Corvi articulatè loqui diſcunt.

CAPUT XXXI.

De Cuculo.

Cuculus neque aduncis eſt unguibus, ut accipiter, neque capite accipitri ſimilis, ſed eâ utrâque parte columbas potiùs quàm accipitres imitatur, nec eos alio quàm colore repræſentat, niſi quòd iſti maculis ſeu lineis diſtinguantur, cuculus verò punctis. Non omnes tamen unius ſunt coloris. In alienis parit nidis: quos ſi vacuos reperit, non eò divertit; ſi cum ovis, quædam deſtruit & abſorbet, ac ſua reponit. Alii tamen omnia deſtruere dicunt. Hyeme abdit ſe in terræ, lapidum, & arborum cava, in iisque toto latet tempore; quo etiam tempore pennas mutat, ac deplumeſcit. Vivere tunc eò antea congeſtis cibis, omnino falſum putat Albertus. More ergo hirundinum & urſorum vitam tunc ſuſtentat. Ajunt, ſi quis verno tempore audiens primâ vice cuculi vocem, dextri pedis veſtigium circumſcribat, & terram effodiat, non gigni pulices, ubicunque ea ſpargatur. Sed fabuloſum eſt. Cuculus in alienis parit nidis.

CAPUT XXXII.

De Cuntur.

Cuntur avis eſt mole vaſtâ, inquit *Jonſtonus* ex Indiæ Occid. Hiſtoricis. Viſæ quæ expanſis alis occuparent quindecim aut ſexdecim pedes. Habet pedes gallinis ſimiles, & caret aduncis unguibus. Roſtro eſt tam valido, ut eo vaccinum tergus perforet. Plumis albis nigrisq; mixtis ornatur. Criſtam parilem inſtar novaculæ, & non ſerratam inſtar gallina- Cuntur avis vaſta.

gallinacei. Inter carnivoras cenſeri debet. Duæ illarum vaccam occidere & comedere valent. Nec ab hominibus abſtinent. Pauciores ſunt. Plures ſi reperirentur, pecus univerſum in Peruvia deſtruerent.

In Inſula Maragnana quatuor occurrunt ſpecies. *Prima*, quam vocant *Ouyra Ovaſſou*. aquilâ eſt penè duplo major. Plumis veſtitur elegantiſſimis. Roſtro eſt valido, unguibusque inprimis acutis. Viſa penna ex alis hujus, quæ ulnam noſtratem longè ſuperabat, elegantiſſimo colore, & rotundis maculis diſtincta. Tanti eſt roboris, ut ovem integram abripiat, atque dilaniet, homines facilè proſternat, nec à cervis abſtineat. Reliquæ ſpecies ſunt hac minores, quas ſtudio brevitatis omitto.

CAPUT XXXIII.

De Curicaca.

Curicaca: avis.

CUricaca, Braſilienſibus à clamore dicta, magnitudine eſt mediocris anſeris, capite anatis non majore, collo ſex digitos longo, roſtro totidem, ſed planè incurvo inſtar enſis Hungarici. Corporis longitudo à collo ad podicem undecim digitorum, caudæ novem. Crura octo digitis longa, pedes duobus & ſemis, rubei inſtar anatis, ſed non plani, quatuor digitis & unguibus nigris; tribus anteriùs, uno poſteriùs verſo. Caput & collum habet plumas albas flavo mixtas, & in ſuperiore parte paulùm oblongas. Oculi ſunt nigri, circulo ruſo. Circa oculos & ſub origine gutturis cutis nigra. Totum corpus nigris pennis veſtitum, excepto dorſo, capite, & ventre; ubi cinereæ obſcuræ, & in medio alarum albæ, cano mixtæ, ut in ciconiis. Reliquæ pennæ corporis, initii & finis alarum, & totius caudæ, nigræ. Tibiæ ſuperiores ad medietatem usque carent pennis. Aquatica eſt avis, & bonam habet carnem.

CAPUT XXXIV.

De Cygno.

Cygnus.

CYgnus, ſeu Olor, germanicè ein Schwan / avis eſt amphibia quidem, magis tamen aquis gaudet. Major eſt anſere; tota candida. Roſtrum habet parvum turbinatum, in extremitate obtuſum, ſerratum inſtar falcis, colore ruſo. Collum longiſſimum, viginti octo vertebris conſtans; unde lineæ velut piſcatoriæ uſum in aqua porrectum præbet. Pedes nigros, notis partim cæruleis, partim rubicundis & albis diſtinctos. Membranas digitis interjectas ſquamulis minimis rotundis inæquales. Inter natandum uno pede pro remo, altero pro corporis ſui gubernaculo utitur. Veſcitur herbis,

Digitized by Google

herbis, ſegetum granis; piſcibus, ac pane, ſi porrigatur. Ante coitum blandientes inter ſe mas & fœmina, alternatim capita cum ſuis collis inflectunt, velut amplexandi gratiâ. Poſt coitum, aquis ſe immergunt, & lavant. Semel tantùm in anno initio veris pariunt. Ova ponunt oblonga, magna, & teſtâ durâ obtecta. Probè natant, tardè volant. In volatu liburnicarum more roſtrato impetu feruntur, faciliùs ita findentes aëra, quàm ſi rectâ fronte incederent. A tergo ſenſim dilatante ſe cuneo, porrigitur agmen, largèq; impellenti præbetur auræ. Quæ ſequuntur, colla imponunt præcedentibus, feſſos duces ad terga recipiunt. Cum aquilis pugnant, ſi provocentur. Cygni quomodo volent.

De ſuavi cygnorum cantu multi multa ac varia. Eum concedunt Socrates apud Platonem, Ariſtoteles, Cicero, Pauſanias, Callimachus, Æſchylus, Theocritus, Antipater, Euripedes, Lucretius, Virgilius, Ovidius, Martialis, Seneca, & Poëtæ alii. Morte quoque inſtante canere ſuaviùs, aſſerunt multi; quod tamen fabuloſum cenſet Lucianus, Plinius, Scaliger, & alii. Ælianus vacillat. Qui dulciter cantantes obſervaverit, ſeu in vita, ſeu in exitu vitæ, vix eſt ullus. Multis in locis fui, ubi cygni alebantur in rivulis aut piſcinis hortorum domeſticorum; cantantem nullum audivi unquam; nec quemquam qui audiſſe ſe teſtaretur deprehendi. Ariſtoteles tamen lib. 9. Hiſt. Animal. cap. 12. ait: *canere ſoliti ſunt, & præcipuè jam jam morituri.* Cygni an canant, incertum.

CAPUT XXXV.

De Ave Daie.

DAie, avis Americana, columbam non excedit magnitudine. Nidum quatuor ſpithamas altum in locis ſabuloſis roſtro ac pedibus excavat. In eo ova anſerinis majora, & pugnum ferè lata, quinquagena, pluravè, citra ullum albumen, craſſæ & pinguis ſubſtantiæ, ponit. Excluduntur hæc citra incubantis parentis opem atque teporem. Excluſi pulli, ſtatim avolant. Avis eſt commodè edulis, ut & ova aſſa, coctaque; non item frixa. Mirum eſt, avem tam parvam, tantæ magnitudinis ova, tamque numeroſa edere, eadem tam profundâ ſcrobe collocare; collocata citra incubantis parentis opem excludi; excluſos pullos ſtatim avolare. *Nierembergius* lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 5. & ex ipſo Jonſtonus de Avibus. Nierembergius vocat avem Ovimagnam. Daie avis.

CAPUT XXXVI.

De Diomedeis Avibus.

Diomedeæ aves.

DIomedearum avium, ſic dictarum à Diomedis Inſula in mari Adriatico è regione Apuliæ, in qua ſola olim reperiebantur, mentionem faciunt, præter alios, Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Albertus Magnus, & D. Auguſtinus. Singulorum verba appono ex quibus intelliget Lector, quæ qualesque fuerint. Incipio à Solino, qui fuſiùs atque exactiùs, tametſi ex Plinio, illas deſcribit. Igitur.

Earum deſcriptio & mores ex Solino.

Solinus in Polyhiſt. c. 8. agens de Italia, ita ſcribit. *Inſula, quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt, & Diomedeas aves ſola nutrit. Nam hoc genus alitis præterquàm ibi nuſquam gentium eſt, idq; ſolum poterat memorabile judicari, niſi accederent non omittenda. Forma illis penè quæ Fulicis, color candidus, ignei oculi, ora dentata. Congregata volitant, nec ſine ratione pergidi. Duces duæ ſunt, quæ regunt curſum; altera agmen anteit, altera inſequitur; illa, ut ductu certum iter dirigat; hæc, ut inſtantiâ urgeat tarditatem. Hæc in meantibus diſciplina eſt. Cùm fœtificum adeſt tempus, roſtro ſcrobes excavant, deinde ſurculis inverſim ſuperpoſitis texta cratium imitantur, & ſic contegunt ſubtercavata. Et nè operimenta deſint, ſi fortè lignorũ caſus venti auferant, hanc ſtruem comprimunt terrâ, quam egeſſerant, cùm puteos excavarent. Sic nidos moliuntur bifori acceſſu, nec fortuitò, adeo ut ad plagas cœli metentur exitus, vel ingreſſus. Aditus, qui dimittit ad paſtus, in Ortum deſtinatur; qui excipit revertentes, Occaſum verſus eſt, ut lux & morantes excitet, & receptui non denegetur. Levatura alvum adverſis flatibus ſubvolant, quibus proluvies longiùs auferatur. Judicant inter advenas. Si Græcus eſt, propiùs accedunt, & quantum intelligi datur, velut civi blandiùs adulantur. Si quis erit gentis alterius, involant, & impugnant. Ædem ſacram omnì die celebrant ſtudio hujuſmodi: aquis imbuunt plumas, aliſque impendiò madefactis confluunt rorulenta; ita adẽ excuſſo humore purificant, tunc pennulis ſuperplaudunt, inde diſcedunt quaſi peractâ religione. Ob hoc ferunt Diomedis ſocios aves factas. Sanè ante adventum Ætoli ducis nomen Diomedeæ non habebant. Inde ſic dictæ.* Hæc Solinus deſumpſit ex Plinio, qui

Ex Plinio.

Plinius lib. 10. Natur. Hiſt. cap. 44. ait: *Nec Diomedeas præteribo aves. Juba Cataractas vocat, eis eſſe dentes, oculoſq; igneo colore, cætero candidas, tradens. Duos ſemper iis duces; alterum ducere agmen, alterum cogere. Scrobes excavare roſtro, inde crate conſternere, & operire terrâ, quæ antè fuerit egeſta; in his fœtificare. Fores binas omnium ſcrobibus: Orientem ſpectare, quibus exeant ad paſcua; Occaſum, quibus redeant. Alvum exoneraturas ſubvolare ſemper, & contrario flatu. Uno hæ in loco totius Orbis viſuntur, in Inſula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo atq; delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum ſimiles. Advenas*

Digitized by Google

venas Barbaros clangore infeſtant, Græcis tantùm adulantur, miro diſcrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes: ademq; eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atq; purificant: unde origo fabulæ, Diomedis ſocios in earum effigies mutatos.

Ex Ariſtotele.

Ariſtoteles lib. de Mirabil. Auſcultat. *In Diomedea Inſula maris Adriatici, ferunt templum quoddam & admirandum, & religione ſacrum, ab avibus in circulum obſideri, magnitudine vaſtis, roſtris & prælongis, & turgidis. Quæ Græcis quidem accedentibus quietem agant; cæterùm Barbaris, qui accolunt, venientibus ſubvolent, ac pedibus roſtriſq; capita eorum lacerent, inflictiſq; multis vulneribus interimant. Fabulantur, has quondam ex ſociis Diomedis extitiſſe, circaq; eam Inſulam facto naufragio, ducem amiſiſſe, ab Ænea gentium illarum rege dolo necatum.*

Ex Alberto Magno.

Albertus Magnus lib. 23. de Animal. in Littera D: *Diomeditæ aves ſunt, quas ad augurium vocavit rex Diomedes. Albæ ſunt, igneis oculis, quantitate cygnorum, roſtris acutis. Cavant molliora rupium, in quibus nidificent, & tecta deſuper ex tegulis & pulvere componunt ad modum magni ciphi. Exitum dirigunt ad Orientem, procedunt & revertuntur ad oſtium nidi diſpoſitum ad Occidentem, per aliam viam redeuntes ad caſas. Sed quando querulas emittunt voces, ſignificare dicunt augures aut ipſarum; aut regis, patriæ, aut utrorumq; excidium. Hæ aves, ut quidam dicunt, Græcis accedentibus blandiuntur, & omnes alias impugnant nationes ad ſuos nidos venientes.*

Ex S. Auguſtino.

S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. c. 16. *Nam & Diomedem fecerunt Deum, quem pœnâ divinitùs irrogatâ perhibent ad ſuos non revertiſſe, ejuſq; ſocios in volucres fuiſſe converſos, non fabuloſo poëticoq; mendacio, ſed hiſtoricâ atteſtatione confirmant &c. Quin etiam templum ejus eſſe ajunt in Inſula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia; & hoc templum circumvolare, atq; incolere has alites; tam mirabili obſequio, ut roſtrum aquâ impleant, & aſpergant: & eò ſi Græci venerint; vel Græcorum ſtirpe progeniti, non ſolùm quietas eſſe, verùm & adulari: ſi autem alienigenas viderint, ſubvolare ad capita, tamq; gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare; nam duris & grandibus roſtris ſatis ad hæc prælia perhibentur armata.* De his avibus quid ſentiat idem D. Auguſtinus, patet ex ſequenti cap. 18. ubi inter alia ſic ſcribit: *Diomedeas autem volucres, quandoquidem genus earum per ſucceſſionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractis credo fuiſſe ſuppoſitas, ſicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus judicio DEI permiſſis hujuſmodi præſtigia difficiles eſſe potuerunt: Sed quia illa virgo poſtea viva reperta eſt, ſuppoſitam pro illa cervam eſſe facilè cognitum eſt. Socii verò Diomedis, quia nuſquam ſubitò comparuerunt, & poſtea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus Angelis malis; in eas aves, quæ pro illis occultè ex aliis locis, ubi eſt hoc genus avium, ad ea loca perducta ſunt, ac repentè ſuppoſita, creduntur eſſe converſi. Quod*

autem Diomedis in templum aquam roſtris afferunt, & aſpergunt; quod blandiuntur Græcigenis, alienigenas perſequuntur; mirandum non eſt, fieri dæmonum inſtinctu: quorum intereſt, perſuadere Deum eſſe factum Diomedem, ad decipiendos homines, ut falſos Deos cum veri DEI injuria multos colant &c.

Diomedeæ aves quales fuerint.

Ex his ſtatuet Lector, quæ & quales fuerint Diomedeæ aves. *Servius* in lib. 2. Georgic. Virgilii dicit, à Græcis vocari ἐρωδιούς. *Suidas* putat fuiſſe Ciconias, aut ciconiis ſimiles; *Gaza* Ariſtotelis Interpres ἐρωδιὸν vertit Ardeam; *Plinius* ſtatuit ſimiles fuiſſe fulicis; Ovidius & Albertus cygnos vocat, aut cygnis ſimiles. Sed ſi verum eſt, quod in ſola Diomedea illa Inſula fuerint tunc inventæ (quantum quidem temporum illorum Scriptoribus conſtabat) nec ciconiæ fuerunt, nec ardeæ, nec fulicæ, nec cygni, quoniam hæ omnes notæ erant aves. Æſtimo tamen, fuiſſe ciconiis aut ardeis ſimiles.

Diomedes, à quo nomen accepêre dictæ aves, fuit Tydei & Deiphiles filius, & Ætoliæ rex, qui ad Trojam militavit, & multa præclara geſſit, quæ Homerus enarrat. At finito bello, propter adulterium uxoris Ægiales cum Cylleboro Steneli filio, redire in patriam noluit, conceſſitque in Apuliam, ibi Adriam condidit, aliasque urbes. Ibi Venus irata dicitur ſocios Diomedis vertiſſe in aves, de quibus egimus.

CAPUT XXXVII.

De Emeu ave.

Emeu avis, ejusque deſcriptio, & mores.

REperitur hæc avis in Inſulis Moluccis, præſertim in Branda; eamque deſcribit accuratiſſimè *Cluſius*, atque ex ipſo *Nierembergius* lib. 10. Hiſt. Natur. cap. 33. ac poſt hunc Jonſtonus. Hæc avis dum ſurrecto capite incedit, quatuor pedum & aliquot unciarum altitudinem excedit. Pennæ ſeu potiùs plumæ totum corpus, cum infima parte colli dorſo & pectori proxima, atque femora tegentes, perpetuò ſunt geminæ, ex eodem parvo brevique tubulo prodeuntes, & ſibi invicem incumbentes, ſuperna quidem pauló craſſior, inferna verò tenuior & delicatior, illæque variæ longitudinis. Omnes duræ ſunt, aut rigidæ, anguſtæ, & rarioribus lateralibus pilis ex adverſo ſitis præditæ, nigri coloris; quæ tamen circa femora, ad cinereum ferè tendunt, nigro permanente nervo, ut in reliquis. Eam verò formam & ſitum habent plumæ illæ, ut à procul aſpicientibus non plumis, ſed villis duntaxat tectum ejus avis corium exiſtimari poſſit, quale urſinum eſt, & alis carere, tametſi alas habeat, ſed ſub plumis latera tegentibus latentes, & quatuor majoribus pennis nigris præditas. Crura in ambitu quinque unciarum craſſitudinem ſuperant, crebrisque corticibus ſeu ſquamis latis tecta. Pedes habet craſſos & duros tribus craſſis digitis præditos, pronâ parte velut ſquamis tectos ſupinâ proſſus

Digitized by Google

prorſus calloſos: quorum medius, qui reliquis longior, tribus articulis conſtat, interior uno, exterior binis. Omnium digitorum ungues valde magni, binas ferè uncias longi, craſſi, duri, cornei. Caput exiguum eſt pro corporis magnitudine, & ferè glabrum, coloris ex atro cærulei, cum colli ſuprema parte, in quo apparent rari pili nigri. Oculi paulò ſupra roſtri fiſſuram magni, ardentes, & truces, leonis oculis penè ſimiles; quos cingunt nigri pili, quemadmodum & meatus illos aurium parvos & detectos, quos penes oculos habet. Roſtri prona pars atq; ſupina eſt arcuata, paulòque ſupra mucronem binis foraminibus, narium uſum præbentibus, prædita; à cujus medio ad capitis usque verticem porrectum diadema aſſurgit corneæ ſubſtantiæ, tres ferè uncias altum, coloris ex flavo fuſci; quod cum plumario defluvio cadit; & cùm plumæ renaſcuntur, novum creſcit. Anterior colli pars quatuor penè uncias infra roſtrum, bina velut membranacea palearia, ſeu barbulas, propendentia habet, duas uncias longa, coloris rubri miniati. Poſtica colli pars ſimiliter deplumis, à capite ſecundùm longitudinem rubri miniati coloris, infima ejus pars aliquot rubris plumulis, quibus nigræ intermixtæ, tecta. Omnivora ferè eſt avis hæc; nam quidquid objicitur, comedit.

Roſtro non antrorſum, ſed obliquè ſe convertens, averſis retrorſum pedibus, eos cum quibus pugnat, impetit. Libenter recentia gallinarum ova comedit, quæ integra cum ipſa teſta deglutit. Si autem parum firmâ valetudine eſt, illa ipſa integra per anum rejicit, & rurſus vorans retinet, ac concoquit. Ova maxima excludit, quindecim unciarum per longitudinem ambitus, duodecim per transverſum. Teſtæ tamen ovorum non ſunt denſæ, ut ſtruthiocamelorum; nec albæ, ſed extrema parte vireſcentis ex cinereo coloris, & creberrimis quaſi tuberculis ſaturatâ viriditate præditis ornata. Aves non in Moluccis tantùm reperiuntur, ſed etiam in Sumatra, & vicinis Inſulis. Hæc fortaſſis eſt avis illa, de qua ſuprà cap. 8. ex Marco Veneto.

CAPUT XXXVIII.

De Falconibus.

FAlco avis, ſi nominis ratio habeatur, omne rapacium genus complectitur: à falcato enim unguium hamo nomen accepit; ſi rei ipſius, illas tantùm aves, quas propriè falcones nominamus. Variæ eorum ſunt ſpecies, nempe falco Peregrinus, Sacer, Gyrfalco, Montanus, Gentilis, Tunetanus, Gibboſus, Albus, Lanarius, Lapidarius, Arborarius, Rubeus, Cyanopus, & alii, quos fuſè Gesnerus & Aldrovandus, breviter Jonſtonus deſcribit. *Bellonius* omnes ad tres ſpecies redigit, Migratores, Campeſtres, & Riparios. *Albertus Magnus* lib. 23. de Animal. cap. 5. de Falcone, ad Nobiles, Ignobiles, & Mixtos reducit omnes. Falco, ejusq; deſcriptio & mores.

Actus

Actus præcipuus & quaſi proprius falconis eſt, aucupari. In quo mirâ quadam volandi ratione utitur, ut notavit *Albertus Magnus* loc. cit. cap. 3. Nam cùm prædari vult, celeri volatu in ſublime aſcendit: deinde compoſitis ad pectus unguibus, quibus icturus eſt prædam, tanto impetu in avem, non recto, ſed obliquato volatu deſcendit; ut ſtrepitum concitati aëris deſcenſu ſuo excitet; & tali deſcenſu avem percutiens, adeo luculentum & longum vulnus infligit, ut à capite ad caudam usque quandoque diſciſſa, aut toto capite truncata, in humum decidat.

Falconis cum Ardea certamen.

Cum Ardea periculoſum ipſi certamen. Hæc enim ubi infrà poſitam ſe videt, roſtro ſuo prælongo & acuto, quod priùs abſconderat, ſurſum elato, irruentem ita excipit, ut eo ſæpe falco medium pectus induat, & ambo interdum illiſis intraneis humo affligantur.

Alauda, & Drepanis avicula, adeo horrent falconem, ut illa malit in hominis manus, quàm in falconis ungues incidere; hæc verò auditis falconis tintinnabulis tantoperè conſternatur, ut malit lapidibus ab homine obrui, quàm volatu ſe in aëra attollere.

De variis ſpeciebus initio enumeratis; fusè tractant Scriptores citati, cum aliis.

CAPUT XXXIX.

De Gallo, & Gallina.

Gallus & gallina.

GAllus gallinaceus, Græcis ἀλέκτωρ, Latinis etiam avis cohortalis, & avis lucis dicitur. Gallinam verò ἀλεκτρύαιναν, & Cortis avem, & Mylagridam appellant. Utrorumque variæ ſunt ſpecies, à locis, voce, integumento, incubatione & partu deſumpta. De his pauca, quæ ſequuntur, dicam.

§. I. De Gallis & Gallinis varia.

Galli gallinacei naturâ ſuâ vigiles, pugnaces &c.

A*Riſtoteles* lib. 6. Hiſtor. Animal cap. 1. ait, gallinas toto anno, præterquàm duobus menſibus brumalibus, parere; aliquas etiam ſexaginta ova edere ante incubatum. Meminit ibidem Hadrianarum parvo corpore, quæ quotidie pariant, ferociant tamen, & pullos ſæpe interimant. In regno Senegæ ſunt gallinæ, Pharaonis dictæ, mirè punctis albis & nigris toto corpore diſtinctæ. In regno Tarnaſſani ſunt noſtris triplo majores. In Jamaica Inſula pavonibus magnitudine non cedunt.

Herberſteinius in Itinere Moſchovitico narrat, cùm cuidam gallo gallinaceo ibi frigore penè enecto, abſciſſa fuiſſet criſta, ſibi reſtitutum, & erecto ſtatim collo cantaſſe. Salaciſſimi ſunt galli, & multoties uno die uxores ſuas ineunt: hæ ſi deſint, nè à maſculino quidem genere ſibi temperant, aut fœminas non ſui generis quærunt, ut phaſianos & perdices.

Gallos

Digitized by Google

Gallos Natura fecit vigiles, ad excitandos in opera mortales, & rumpendum ſomnum. Cum ſole eunt cubitum, & noctem cantu interrumpunt. Pugnaciſſimi ſunt cum aliis ſui generis, & in certamine pertinaces. Pugnam fortiter ineunt, acriter urgent, feliciter finiunt. Antequàm hoſtem adgrediantur, terram feriunt, plumas circa collum erigunt, pennas caudæ ſurſum deorſumque vibrant; hinc inſiliunt, & nunc acuto roſtro, nunc calcaribus iterum iterumque feriunt. Hujusmodi pugnâ Milthiades Græcos animavit in Perſas feliciſſimo ſucceſſu, Socrates Iphicrati Duci animos, Themiſtocles exercitum contra Perſas ducens, inſtituit. Qui ex certamine victoriam referunt, oculorum eminentiâ, cervice erectâ, cantus contentione inſolenter efferuntur, & triumphantibus ſimiles incedunt.

Gallum leo metuit, quem ex cantu à longè, ex criſta propè agnoſcit. Baſiliſcum, cùm cucurientem gallum audit, adeo tremere dicunt, ut emoriatur. Gallinæ voce muſtelæ ferè exanimantur. Florem vitis ſi comederint, matureſcentium uvarum eſu abſtinere dicuntur. Si, cùm incubant, tonuerit, ova pereunt, & ſemiformes pulli interimuntur. Auro liqueſcenti ſi gallinarum membra miſceantur, conſumere id in ſe, quidam aſſerunt. Novi Romæ vagabundum, qui aurum potabile ſe hoc modo facturum pollicebatur; ſed accepto auro aufugit. *Galli gallinacei cum quibꝰ rebus ſympathiâ & antipathiam habeant.*

Gallus ſingulari amore familiam ſuam proſequitur. Simul atque nactus eſt aliquid eſcæ, gallinas & pullos ad veſcendum invitat. Eosdem contra milvos defendit. Parientibus fœminis condolet, & mœrorem exili teſtatur voce. Lunâ exoriente lætatur. Cùm ſentit ſe ſanguinis copiâ adgravari, unguibus ſanguinem ex criſta prolicit. Helxine herbâ ſe purgat. Si tempore pluvio canit, ſerenitatem prædicit; ſi noctu citiùs quàm ſolet, aëris mutationem & ventum; ſi paulò poſt Solis occaſum, vel à veſpertino crepuſculo in rauciſonum cucuritum cum alarum motu prorumpit, tempeſtatem. Gallinæ ſi vel manè exire recuſant, vel pediculos quærunt, vel paludes more anatum alis verberant, vel pectora roſtro purgant, vel in arena ultra ſolitum ſeſe concutiunt, vel in principio pluviæ locum opertum quærunt; imminentes imbres maximos præſagire creduntur. Tempeſtivè ſerendum eſſe monent, ſi pennas, cùm deplumantur ante hyemem, à capite amittere cœperint; ſerotinè, ſi à poſterioribus.

§. II. De Gallinarum ovis.

Gallinarum ova.

GAllinas dupliciter concipere ova, per ſe nempe, & ex congreſſu, conſtans ferè veterum & recentiorum eſt ſententia, ut inſinuavimus lib. 7. cap. 7. §. 3.

Ova hypenemia gallinarum.

De ovis ſponte natis ſic ſcribit *Jonſtonus* Hiſtoria Natur. de Avibus pag. 53. ex Ariſtotele, & aliis. *Priori concipiuntur modo* (ova Gallinarum) *quando mare abſente, deſiderio ipſius projiciunt intra ſeſe ſemen gallinæ: ſic tanquam maris initum paſſæ eſſent, prægnantes fiunt. Excitat ingentem in partibus genitalibus pruritum ſeminantis materiæ abundantia; quam mutua inter ſe libidinis imaginatio auget. Sed etſi tempore certo ſuaviter attrectentur, idem motis attrectatione humoribus faciunt; ut haud falsò etiam pulvere Plinius dixerit. Accedit ventorum Auſtrinorum autumno & vere auxilium. His flantibus, aves multiparæ loca ani, per quæ concipiunt, obvertunt: iis ad libidinem concitantur &c. Hinc à vento concipi aliquando creditum. Hæc ova ὑπηνέμια, ſeu ſubventanea & Zephyrina dicta ſunt &c. Neque tamen omnino inania credas: omnes enim partes habent, minora γονίμοις, liquidiora, minùs ſuavia, & infœcunda per ſe, à ſuperveniente gallo fœcundantur &c. Reliquias eorum, quæ è ſemine generata ſunt, eſſe, falſum compertum eſt: nam in gallinarum & anſerum genere à novellis ſine coitu edita fuêre.*

Ova gallinarum ex congreſſu nata.

De ovis quæ ex congreſſu, ſic ferè idem *Jonſtonus* citato loco ex aliis ſcribit. Poſtquàm gallina ſuperiore loco, qui præcinctură ſeu ſepto transverſo ſubeſt, ſemen galli excepit, formantur ex eo à facultate formatrice ibidem ova; quæ ſpinæ pedunculis adhærent. Exiguum primò quiddam & candidum videtur, ac venulis diſtinctum; rubeum dein, & ſanguineum; luteum demum increſcens, & flavum totum. Mox de ſpina in inteſtini uterini principium decidunt, & ad primos uteri loculos transmiſſa, confirmato congreſſu eò citiùs, quò iſte frequentior, augeſcunt, & albugo in croceo ſecernitur. Tum in ſecundos loculos detruſa, juſtam molem acquirunt, & luteum albumine involvitur. Deveniunt tandem in tertiam cellulam, in qua teſtæ Natura duritiem largitur, eam tamen, ut mollia adhuc exeant, nec nutritio, quæ per eandem fit, impediatur. Decimo à coitu die perfecta, tribus tunicis, quarum una vitellum ambit; altera albumen complectitur, velut pia mater cerebrum; tertia, inter quam & illam humor crudus naſcitur, & dum formatur fœtus, excernitur, teſtæ adhærens, duræ meningis locum implet. Intus inſtructa, egrediuntur mollia, ne dolorem pariant; & quidem latiore parte primùm, ut molliùs deponantur; deinde acutiore, quâ adhærent. Refrigerata, evaporato humore, qui exiguus, relictâque portione terreâ, juſtam duritiem acquirunt.

An

An galli gallinacei aliquando ova ponant, controverſia eſt inter doctos. Nonnulli decrepitum, & ad coitum ineptum, ſeptimo, nono, aut ad ſummum decimoquarto ætatis anno, pro virium vel imbecillitate, vel robore, ponere dicunt; idque vel ex putrefacto intus ſemine, vel ex humorum colluvie ortum habere: edi ſub exortum caniculæ, quòd tunc maximè ab ambiente calore expultrix languida in alite decrepita juvetur. Viſa ajunt oblonga, & rotunda. *Levinus Lemnius* aſſerit, Zirizææ duos annoſos gallos non tantùm ovis incubuiſſe, ſed & ægrè fuſtibus ab illo opere abigi potuiſſe: Confracta tandem ova, & ſtrangulatum à civibus gallum, quòd ne baſiliſcus excluderetur, timerent. Alii non ovum, ſed ovo ſimile aliquid ex conglobata intus putri concretione, in ultimo ſenio, cùm non ampliùs coit, concipere ajunt. Sed de hac re fortaſſis alibi, cùm de baſiliſco. Galli gallinacei an aliquando ova ponant.

§. III. De pullorum gallinaceorum generatione.

HOrum principium veteres Græci in vitellum, nutrimentum in albumen conjecerunt. Recentiores contrarium ſentiunt, & album liquorem ovi pullo, vitellum nutrimento deſtinant. Probant inde, quòd pullo jam conſtituto in ovo, ſæpè vitelli pars extet. Gallinaceorum pullorum generatio.

Excluduntur incubatu, & ſine eo. Nam in Ægypto vel defodiuntur in fimo terrâ obruto, vel fornacibus Cairinis induntur. Syracuſis potatorum quendam ovis ſub ſtorea humo ſtratis tamdiu potare, nunquam intermiſsâ operâ, ſolitum fuiſſe ſcribunt, dum excluderentur. Liviam ovum in ſinu excluſiſſe, apud Plinium legitur. Vas in quo absque gallinæ operâ excludantur, deſcribit Porta. Formationem pulli in ovo diligentisſimè deſcribit Ariſtoteles, & hunc ſecutus Aldrovandus; quem ultimum contraxit in brevem ſummam Jonſtonus.

Ajunt, fœminam naſci, ſi ova in plenilunio nata ſupponantur. Eo colore naſci, quo tincta ova fuerint. Pulcherrimos pullos excludi, ſi cum palumbo mare gallina creverit.

CAPUT XL.

De Graculis.

GRaculus amicitiam colit cum Gavia, hoſpitalitatem cum Accipitre. Avem congregem eſſe, docet paræmia vulgaris, qua graculum ſemper aſſidere graculo dicitur. Mas mortem potiùs ſubit, quàm conjugem derelinquat. Altero mortuo, alter dolorem perpetuâ viduitate teſtatur. In vini potu mira ipſis laſcivia. Manibus retenti, oculos impetere Graculus.

maximè ſolent retinentis, ſeu quòd effigiem in illis viſam appetant, ſeu quòd à rebus fulgentibus facilè alliciantur. Cicures loqui articulatè diſcunt. Adeo cicurantur, ut è caveis emiſſi redeant. Ani faſtidium purgant lauri folio.

Monedula frumentum abſcondit. Graculorum aliquot ſunt ſpecies. Inter illas Monedula eſt. Hæc frumenti, aliorumque granorum, ubi ſatiata eſt, reliquias terrâ condit, & ſpicas ſubſequenti anno ex iis colligit. Auri & argenti furacitas in ea mira; unde Monedula à moneta dicta creditur. Gaudet in capite fricari, quaſi pruriret.

CAPUT XLI.

De Gruibus.

Grues, & miræ earũ actiones. GRuem Poëtæ vocant avem Palamedis, quòd is Trojano bello quatuor litteras, φ, ξ, χ, ϑ, ordinem aciei, & teſſeras à gruibus didiciſſe dicatur. De migratione & volatu mira traduntur. Ex Græcia in æquinoctio diſcedere notavit Plutarchus, ex Helvetia in Septembri Geſnerus. Volant altè. Servant ſecundum ventum; & rarò contra impetum, niſi fugiendo, nituntur. In tergo prævolantium capita & colla ponunt ſequentes. In volatu trianguli formam efficiunt: cuſpis præcedit, baſis ſequitur: cuſpide aërem ſecant, baſi tanquam puppi ventum ſequentem excipiunt. Ducem ſequuntur. In eum eligunt robuſtiſſimam. Hæc fatigata, quia non habet cui caput imponat inter volandum, ultimum agmen petit, & ut cæteræ quieſcit, proximâ interim ſuccedente: hæc viciſſitudo perpetua eſt. In extremo quoque agmine, per vices quæ acclament, diſpoſitas habent, & quæ gregem voce contineant.

Dum ex volatu defatigatæ quieſcunt humi, excubitores habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes; qui laxatus ſomno, & decidens, indiligentiam excubitorum coarguit. Cæteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes.

Lapidem deceſſuras deglutire, ſeu ut ita faciliùs ventorum turbini pondere reſiſtant, ſeu ut de via feſſæ, & quietem parantes, jactu terram & aquas explorent, quidam prodiderunt. Roſtro eum ſuſcipere, ne in volatu navis inſtar fluitent, aut ut vocem in tranſitu montis Tauri aquilis inſeſſi cohibeant, aliqui ſcribunt. *Albertus Magnus* ait, non omnes, ſed quaſdam tantùm ſe onerare lapidibus in pedibus, aut arenâ in gutture, ne velociores & leviores aliis exiſtentes, ab aliis celeriùs volando recedant, & ſic aciem deſerant. Addit, laſſatas aliquando lapides projicere: & hoc deprehenſum à nautis, in quorum naves aliquando deciderunt.

Plinius

Plinius ait, certum eſſe, Pontum transvolaturas primùm omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Criumetopon, & Carambin: mox ſaburrâ ſtabiliri (lapillis nimirum in pedibus, & arenâ in guttute) cùm medium tranſierunt, abjici lapillos è pedibus; cùm attigerint continentem, etiam è gutture arenam.

Infeſtantur ab aquilis. Ita inter ſe interdum exardeſcunt irâ, ut dimicantes capiantur. Viſus aliquando mas fœminæ ad internecionem usque undecim vulnera inflixiſſe, quòd pullos, quò minùs ſe ſequerentur, abſtraxiſſet. Quid de pugna Gruum cum Pygmæis ſentiendum, conſtare poteſt ex dictis lib. 3. cap. 7.

CAPUT XLII.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA.

De Gryphibus.

DE Gryphibus tam variè loquuntur Auctores varii, tam veteres, quàm recentiores, ut an ſint, aut unquam fuerint, meritò quilibet dubitare queat. Magnitudinem eis attribuunt leonis (licèt alii minorem, alii verò majorem, ut videbimus) quæ anticâ parte, nimirum capite, roſtro, alis, pedibus, & unguibus referat aquilam; poſticâ verò, hoc eſt, reliquo corpore, & caudâ, leonem. Videndum igitur, an ſint alicubi tales aves, aut alicubi aliquando fuerint. Quod ut faciam, adducam in medium fideliſſimè, quidquid invenire apud varios Scriptores potui. Ac primò affirmantium, deinde negantium afferam teſtimonia; tandem quid ego ſentiam, enuntiabo. Gryphes an ſint, aut fuerint.

§. I. Teſtimonia illorum qui Gryphes admittunt.

ÆLianus lib. 4. de Animal. cap. 27. *Gryphem Indicum animal audio ſimiliter quadrupedem ut leonem eſſe: robuſtiſſimis item exiſtere unguibus leonum ſimilibus: tum dorſum ejus pennis indui nigris, anteriorem corporis partem rubris, alas verò candidis. Cteſias eas ait cervicis pennas cæruleas & floridas habere; aquilino ore eſſe, & capite cujusmodi pictores fingunt, oculis autem igneis; nidosque in montibus facere; utque ætatis proceſſu grandes non capi, ita tenuem pullos comprehendi poſſe. Bactri autem Indis finitimi, eos illic auri cuſtodes eſſe, aurumque effodere ajunt, & ſimul eo ipſo nidos conſtruere; quod verò auri in terram deciderit, Indos homines auferre. Contrà Indi, eos auri, quòd veri quidem ſimile videtur, cuſtodes eſſe negant: neque enim gryphes auri egere; ſed* Gryphes admittentium teſtimonia.

cùm ad colligendum aurum homines acceſſerunt, hos de pullis ſuis majorem in modum timentes, pro eis pugnare: atque cum aliis etiam animalibus certare, eaque facillimè vincere; contra autem leones & elephantos non ſtare. Indigenæ, quòd ab hujusmodi animalium robore timeant, non interdiu, ſed ad collectionem auri noctu proficiſcuntur, quòd ſe tum meliùs latere arbitrentur. Locus ubi Gryphes verſantur, ac ubi aurum effoditur, deſertiſſimus eſt. Quocirca aurum venari ſtudentes, mille aut bis mille armati eò perveniunt, ſimulq; ligones & ſaccos afferunt, ſilentem Lunam obſervantes. Quòd ſi Gryphes fallant, duplicem commoditatem aſſequuntur, quòd & eorum vita ab illorum atrocitate ſervatur, & ſimul aurum domum avehunt; ubi auro purgato ab iis, qui hanc artem callent, ingentes ſibi pro periculis opes comparant. Sin in furto deprehendantur, perierunt. Cùm ſemel eò profecti ſunt, non niſi triennii aut quadriennii intervallo revertuntur. Hactenus Ælianus.

Cteſiæ verba in Indicis apud Photium in Bibliotheca, hæc ſunt: *Quin & aurum habere Indiam* ſcribit, *non quòd in fluminibus reperiatur, laveturque ut fit in Pactolo flumine; ſed quod multi vaſtique montes ſuppeditent: in quibus quòd Gryphes habitent (aves quadrupedes, lupi magnitudine, leonis cruribus atque unguibus, pennis toto corpore nigris, at in pectore rubris) hinc ſcilicet, quòd ibi tantâ copiâ ſit aurum, difficulter adeò obtineri.* Hæc Cteſias Gnidius.

Philoſtratus lib. 3. Vitæ Apollonii, circa finem, *Aurum verò*, inquit, *quod Gryphes effodere dicuntur, petræ ſunt aureis guttis minutiſſimis conſperſæ, quas hæc fera roſtro diſcindit. Sunt enim hujusmodi aves in India, & Soli ſacræ eſſe perhibentur; eaſdemque quadrigæ jungunt, qui Solis maginem apud Indos pingunt. Magnitudine autem ac viribus leonibus pares illos eſſe tradunt: & ob petrarum cupiditatem ſibi invicem inſidiari. Elephantos quoque & dracones ſuperare. Volant autem non multùm, ſed quantùm parvulæ aves: non enim plumata ſunt, ſed rubrâ pelliculâ alarum coſtæ, tanquam digiti connectuntur. Itaque in gyrum delatæ aliquantùm volare, & è ſublimi pugnare poſſunt. Solam ergo tigrim inſuperabilem illis eſſe dicunt, quoniam fugiendi celeritate, quâ ventos æquare dicitur, è conſpectu aufugit.* Hæc Philoſtratus.

Herodotus lib. 3. *Ad Septentrionem Europæ quàm plurimam auri vim eſſe conſtat: ſed quomodo fiat, pro comperto dicere non queo. Dicuntur tamen id à gryphibus auferre Arimaſpi, viri unoculi. Quod quidem non crediderim, ut viri naſcantur unoculi, cæterùm naturam habentes aliis hominibus parem.* Idem aſſerit *Ariſtæus Proconneſius* apud Plinium lib. 7. Natur. Hiſtor. cap. 2. & *Apulejus* in Aſino aureo.

Solinus in Polyhiſtore cap. 25. non procul à fine. *In Aſiatica Scythia terræ ſunt locupletes, inhabitales tamen. Nam cùm auro & gemmis affluant, Gryphes tenent univerſa. Alites ferociſſimæ, & ultra omnem rabiem ſævientes; quarum immanitate obſiſtente advenis acceſſus difficilis ac rarus eſt: quippe viſos diſcer-*

Digitized by Google

diſcerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant, ut intercipiant lapides; quorũ non aſpernabimur proſequi qualitatem.

His ſimilia habet *Pomponius Mela* initio libri 2. de ſitu Orbis, ubi de Scythia Europæa loquens, ait: *Deinde eſt regio ditis admodum ſoli, inhabitabilis tamen: quia Gryphi, ſævum & pertinax ferarum genus, aurum terrâ penitùs egeſtum mirè amant, mirèq; cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus. Hominum primi ſunt Scythæ, Scytharumque, queis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpi.*

Pauſanias in Atticis, ſive lib. 1. *Utramque galeæ partem Gryphes tenent. Hos cum Arimaſpis, qui ſuprà Iſſedones ſunt, auri causâ aſſiduè bellare, Ariſtæas Proconneſius carminibus teſtatus eſt. Et aurum quidem quod cuſtodiunt, è terra naſci; Arimaſpos ipſos unicum habere oculum; & Gryphes belluas ajunt, alis, & roſtro aquilis perſimiles. Hæc ille de Gryphibus.* Hactenus Pauſanias.

Servius Comment. in Eclogam octavam Virgilii de gryphibus loquens: *Hoc genus ferarũ*, inquit, *omni parte leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſta, Apollini conſecrata.* Ob hanc inimicitiá cum equis, proverbiali figura à Virgilio dictâ Eclogâ dictum fuit: *Jungentur jam equis gryphes.*

D. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Ruſticum Monachum de aureis Indiæ montibus loquens, aſſerit, illos *adire, propter Gryphes & dracones, & immenſorum corporum monſtra, impoſſibile eſſe.*

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. 12. Origin. ſeu Etymolog. cap. 2. *Gryphes vocantur, quòd ſit animal pennatum & quadrupes. Hoc genus ferarum in Hyperboreis montibus naſcitur. Omni parte corporis leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti: nam & homines vivos diſcerpunt.*

Vincentius Belluacenſis lib. 15. Speculi, cap. 161. hæc habet. *Gryps eſt avis quadrupes, capite & alis aquilæ ſimilis, ſed multò major. In nido ſuo lapidem achatem ponit, nec dubium quin ad aliquod remedium. Hi equis & hominibus maximè infenſi ſunt, & homines armatos præliando ſuperant, & occidunt.*

Quos hi, aliique Auctores vocant Gryphes, aliqui Latinorum antiquorum appellârunt picos, ut placet *Nonnio.* Hinc apud *Plautum* in Aulul. *Picos divitiis, qui aureos montes colunt, eos ſolos ſupero*, inquit Strophilus invento theſauro. Vide quæ §. 2. dicemus ex Perotto. **Gryphes aliqui Picos vocant.**

Bartholomæus Anglicus lib. 19. de Propriet. rerum, Gryphes agnoſcens, de eorum ovis ſic loquitur. *Ova Gryphis aquilæ ſunt majora, duriora, ſapore & odore graviora, qualitate ſunt calidiora, & ſicciora, & etiam numero pauciora, quia ultra duo nunquam parit, quia valde difficilis eſt cubationis, ut dicit Ariſtoteles.* De his tamen ovis nihil in Ariſtotele invenio; nec Aldrovandus quidquam invenit.

Gryphes agnoſcit etiam *Volaterranus*, dicens, vultu non multùm ab humano differre. *Iſidorus*, ut vidimus, vocat *animal pennatum & quadrupes: Author* libri de Propriet. rerũ, ut etiam vidimus, avem quadrupedẽ, capite

& alis

& alis aquilæ ſimilem, ſed multò majorem; & in nido ſuo lapidem achatem ponere adſtruit. *Olaus Magnus* lib. 19. cap. 27. refert aliorum ſententias, & non contradicit. *Joannes de Montevilla* ſcribit apud Geſnerum, & Aldrovandum, corpus magni Gryphis majus eſſe octo leonibus regionum noſtrarum. Nam poſtquàm bovem, equum, vel hominem etiam armatum occiderit, pleno volatu eum auferre; ungues ejus tanquam cornua bovis eſſe, è quibus magni pretii pocula fiant; ut de pennis alarum ejus arcus rigidi, & miſſilia, & ſagittæ ad jaculandum aptæ. Has aves ait Montevilla reperiri in regione Bacharia, cujus incolæ truces admodum ſint. Verba ejus, ex Italico in Latinum translata, apud Aldrovandum loco poſtea citando, hæc ſunt. *Qui gryphibus anteriorem corporis formam aquilinam tribuunt, & poſteriorem leoninam, vera memorant, cùm revera talis eorum forma ſit. Veruntamen unicus duntaxat gryps & magnitudine, & corporis robore octo etiam leones, centumque aquilas ſuperat, utpote qui vel equum unà cum inſidente etiam equite, vel binos, etiam conjunctos boves, unguibus ſuis, qui boum cornibus multò longiores ſunt, & ex quibus incolæ cyathos conficiunt, abripiens, è via in nidum ſuum importet.*

Albertus Magnus lib. 23. de Animal. ita ſcribit, ſtylo barbaro, qualis ævo ſuo in uſu erat: *Griſes aves eſſe, magis tradunt hiſtoriæ, quàm experientia Philoſophorum, vel rationes philoſophicæ. Dicunt enim, has aves antè effigurare aquilas in capite, & roſtro, & alis, & anterioribus pedibus; licèt multò ſint majores: in poſteriori verò parte, & cauda, & poſterioribus cruribus imitari leonem. Et in aquilinis quidē unguibus longos habent ungues, ex quibus ciſi* (ſcyphi) *fiunt ad bibendum: & ideo quidam longi, quidam autem breves griſonis ungues dicunt inveniri. Habitant autem in Hyperboreis montibus, infeſti maximè equis, & hominibus; & tam fortes ſunt, ut equum ducant & aſſeſſorem. Dicunt autem, in montibus illis eſſe aurum, & gemmas, & maximè ſmaragdos. Dicunt etiam, quòd ſi gryphes in nidis ſunt, propter ſpeciale juvamentum ponunt achates lapides.* Hæc Albertus.

S. Euſtathius Antiochenus in Hexaëm. ita ſcribit apud Euſebium Nierembergium lib. 5. Hiſtor. Natur. cap. 22. *Gryphem magnitudinis immenſæ ferunt, ita ut umbra illius prædium opacet. Et veluti apud nos aquila leporem, ſic ille leonem facillimo negotio raptum prædatur.*

S. Hildegardis in ſua Phyſica ponit gryphonem primum inter volucres, aitque quiddam naturæ volucrum & etiam beſtiarum in ſe habere.

Gryphes dari, videtur ſupponere Sacra Scriptura.

Accedit his omnibus auctoritas Sacræ Scripturæ, quæ Gryphem eſſe in rerum natura ſupponit in libro Levitici cap. 11. verſ. 13. ubi in vulgata noſtra editione ſic legitur: *Hæc ſunt, quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis, aquilam, & gryphem, & haliaetum.* Idem ſupponunt multi ac nobiles in eum locum Commentatores, ut ſunt *Liranus,*

Digitized by Google

Liranus, Rikelius, Hugo Cardinalis, & doctiſſimus Abulenſis Epiſcopus *Toſtatus*, ac alii.

§. II. Teſtimonia negantium Gryphes.

OMitto Poëtas veteres & modernos, qui gryphes graphicè deſcribunt; & plurimos recentioresScriptores,qui in veterum ſententiam pedibus eunt. Venio ad alterius negantis ſententiæ Auctores. Itaque Gryphes negantium teſtimonia.

Plinius lib. 10. Natur.Hiſtor. cap.49. brevibus ſe expedit, & ait: *Pegaſos equino capite volucres, & Gryphes auritâ aduncitate roſtri, fabuloſos reor: illos in Scythia, hos in Æthiopia.*

Herodotus loco ſuprà citato, ſive in Thalia, non plenam fidem adhibere videtur narrationi aliorum de gryphibus, ut apparet ex verbis citatis.

Matthias à Michou, Canonicus. Cracovienſis, & Medicinæ Doctor, lib. 1. de Sarmatia Aſiatica & Europæa, cap. 14. in fine, ait: *Accipe ſeptimò; quòd in Jubra & locis Septentrionis non effoditur aurum, argentum, nec aliæ minera. Nec correſpondent fabulæ, quòd illic eſſent griffi, & magnæ aves, prohibentes fodere, & efferre aurum. Unde ſecundùm hoc dico, contrarium Auctoribus antiquis, quòd griffi non ſunt in rei veritate in illa parte Septentrionis, nec in aliis partibus Orbis. Affertur autem ad nos avis quædam rapinâ vivens, quantitatis aquilæ, ſed alis & caudâ prolixioribus quàm aquila, in ſimilitudinem accipitris, & vocant eam Moſchovitæ Kiczoth, noſtri verò homines vocant ipſam Byalozer, quaſi albicans ſplendor, quia ſubalba eſt ſecundùm ventrem.* His ſubjungit, *quòd in Septentrione poſt Gothiam, Sueciam, Finlandiam, Jubram, & poſt mare Caſpium, non ſunt monſtroſi homines, ſcilicet monoculi, bicipites, canina capita habentes &c. ſunt nobis ſimiles, rarè, ſparſim, & ab invicem diſtantes, pauci numero habitantes, colore ut frequenter lividi, propter frigus lividitatem corporibus eorum imprimens. Hæc vera ſunt; & qui ſcripſit, verum ſcripſit, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus.*

Angelus Decembrius lib. 6. de Polic. litter. cap. vel parte 68. apud Aldrovandum lib. 10. Ornithologiæ cap. 1. ait, ſe de gryphibus interdum dubitare ſolere, eò quòd à Virgilio & aliis quidem Auctoribus admittantur, à Plinio verò & aliis rejiciantur.

Albertus Magnus loco antea citato ait, tradi quidem ab Hiſtoricis Gryphes eſſe in rerum natura, at nullâ id experientiâ, nullâ Philoſophicâ ratione comprobari.

Arrianus lib. 5. de Rebus Alexandri Magni, non procul ab initio: *Ea regio Indorum eſt,* inquit, *de quibus non eſt conſilium hoc loco dicere, quibus moribus, quibusvè legibus utantur, quæ monſtra ea plaga gignat, quæ piſcium genera quantàvè magnitudine Indus, Hydaſpes, & Ganges, aliique Indorum*

amnes ferant: neque quales formicæ aurum effodiant, neque rurſus Gryphes auro defoſſo incubent, aliavè quæ ad voluptatem magis, quàm ad veritatem inventa. Quæ utcunque quis mentiatur, non omnia tamen refelli poſſunt: licèt Alexander, & qui cum eò militavêre, iſta redarguerint, præter ea quæ ſuorum quidam ementiti ſunt. Nam eſſe Indos ſine auro deprehenſum eſt, eos videlicet, per quos Alexander profectus eſt.

Negantis ſententiæ Auctoribus accenſet Aldrovandus loc. cit. *Originem* lib. 4. Περὶ Archon. ſeu de Principiis, ubi in cap. 2. circa medium ita ſcribit: *Si verò etiam de impoſſibilibus legibus inquirendum eſt, invenimus Tragelaphum dici animal, quod ſubſiſtere omnino non poteſt, quòd inter munda animalia etiam coli jubet Moyſes: & Gryphum, quem nullus unquam meminit vel audivit humanis manibus ſuccumbere, manducari prohibet legislator.* Ex hoc loco (quem tamen fœdè, more ſuo corrumpit ac detruncat) Aldrovandus colligit, *quòd Origines ita pertinaciter Gryphem extare negat, ut etiam Moſen non ſatis reverenter reprehendere auſus ſit, dum, ut ipſe opinatur, inter immunda animalia eum collocat.* Verùm ex hoc eodem loco ego colligo, Originem in contraria fuiſſe opinione, & cum communiori ſententia ſenſiſſe, Gryphem eſſe animal ferum & immane, quod ob feritatem ac robur nullius unquam hominis manibus ſuccubuerit, ſeu occiſum fuerit, ideoq; periculum nullum fuiſſe ut à Judæis trucidaretur, ac manducaretur, etiamſi eſus illius non fuiſſet prohibitus.

Cardanus lib. 7. de Rerum Variet. cap. 27. ex eo demonſtrat, non eſſe Gryphes, quòd *aves tantùm duos pedes habeant, quoniam* alioquin *pluribus quàm quatuor ſignis moverentur: non ſunt igitur Gryphes, ut aliqui dicunt; non enim ſanguinea eſſent animalia.*

Nicolaus Perottus Comment. in Martial. paginâ mihi 660. editionis Mediolan. Anni 1506. *Equidem quæ de Harpyis ac Stymphalidibus ſcribuntur, ficta eſſe arbitror, ut de pleriſque aliis avibus. Quis enim vera eſſe putet, quæ de Pegaſo, equino capite volucre ſcribuntur? quis Gryphes auritos, & tantam roſtri aduncitatem habentes in Aſiatica Scythia, in qua aurum ac gemmæ affluunt, habitare, tantumq; rabie deſævire in homines, ut terram ipſam inhabitabilem faciant, quaſi geniti eſſe videantur ad plectendam avaritiæ temeritatem, cum quibus Arimaſpi dimicare dicuntur, ut lapillos intercipiant? Hos veteres Romani Picos vocitabant. Plautus: Picos divites, qui aureos montes colunt, eos ſolos ſupero. Cùm propriè Picus ſit, qui cognomento Martius dicitur, parva quidem avis, ſed in auſpiciis magna, uncorum unguium, arborum cavatrix, & ſcandens in ſubrectum felium modo &c.* Alios multos pro hac ſententia citabimus §. ſequenti Aſſertione 2.

§. III. No-

§. III. Noſtra ſententia de Gryphibus.

EX dictis hactenus patet, quàm incerta ſint quæ de Gryphibus, prout ab Auctoribus §. I. relatis deſcribuntur, à doctis æquè ac indoctis paſſim creduntur, ac dicuntur. Neque enim in forma conveniunt inter ſe Auctores, neque in magnitudine, neque in loco, neque in aliis circumſtantiis, imò ne in ſubſtantia quidem; Nam Gryphes exiſtere, docent è Græcis Herodotus, (tametſi dubiè) Pauſanias, Cteſias, Ælianus: è Latinis Mela, Solinus, Apulejus, Servius, D. Hieronymus, Iſidorus, Vincentius, aliique §. 1. enumerati. E contrario Gryphes non exiſtere, ſed omnino fabuloſos eſſe, contendit Plinius, Albertus Magnus, Michovius, Arrianus, Perottus, cum aliis §. 2. recenſitis. Quantum in forma, magnitudine, loco, aliisque diſcrepent adjunctis, prudens Lector ex allatis fideliſſimè teſtimoniis intelligit.

Ego breviſſimè ſequentia ſtatuo, ſalvo ſemper aliorum meliori judicio.

Aſſertio. I.

GRyphes in rerum natura exiſtere, & aves eſſe, negari non poteſt. Nam Sacra Scriptura eorum mentionem facit in Libro *Levitici* cap. 11. verſ. 13. ut vidimus §. I. ubi tametſi in Hebraico textu ſit verbum *Peres*, quod aliqui accipitrem vel aquilæ ſpeciem illam, quam ſuprà Oſſifragam appellavimus, interpretantur; Oleaſter verò putet denotare in genere avem rapacem magnarum ungularum, à verbo *Parſah*, quod ungulam ſignificat; tamen Interpres Vulgatæ editionis, & Septuaginta Interpretes, verterunt illud γρύπα, Gryphem. Eodem modo interpretantur idem vocabulum *Peres* in Libro *Deuteronomii* cap. 14. verſ. 12. Quæ autem hæc avis ſit, quam Gryphem appellat citatis locis Scriptura, ex Septuaginta & Auctoris Vulgatæ interpretatione, mox dicemus.

Gryphes ſunt in rerum natura, & ſunt aves.

Aſſertio II.

GRyphes ut ab Auctoribus §. 1. allatis deſcribuntur, fabuloſi ſunt, & nullibi ſunt aut fuerunt unquam. Ita Auctores §. 2. allati; ac præterea *Conradus Geſnerus* lib. 3. de Avibus cap. de Gryphe, titulo, ex Recentioribus. *Ulyſſes Aldrovandus* lib. 10. Ornithol. cap. 1. *Goropius Becanus* in Origin. Antverp. *Joannes Lorinus* in Comment. ad cap. 11. Levit. verſ. 13. *Cornelius à Lapide, Jacobus Bonfrerius*, *Jacobus Tirinus*, & alii Interpretes ibidem, *Oleaſter* & *Eugubinus* apud Lorinum, *Lalius Biſciola* lib. 14. Horar. Subciſiv. cap. 21. *Euſebius Nierembergius* lib. 5. Hiſtor. Natur. cap 22. aliique multi. Moveor præcipuè *primò*, quia Auctores contrariæ

Gryphes ut deſcribuntur ab Auctoribus variis, fabuloſi ſunt.

Digitized by Google

ſententiæ non conveniunt in formâ, magnitudine, loco, & aliis circumſtantiis, ut initio hujus §. dixi. *Secundò*, quia qui à centum jam & ampliùs annis peragrârunt Orbem univerſum,& curioſiſſimè in res peregrinas indagârunt, nullibi invenerunt, ac nè famâ quidem audiverunt, aves reperiri, quæ partim ſint leo, partim aquila. *Tertiò*, quia Veteres pingendo aut ſculpendo gryphes, ſphingibus eos adjunxerunt, hoc ipſo ſignificare volentes, ut ſphinges, ita & gryphes eſſe fabuloſos. Atque hæc fortaſſis cauſa eſt, ut *Geſnerus* loc. cit. notat, quòd nullum gryphis peculiare nomen in diverſis linguis, Græcâ exceptâ, reperiatur, ſed omnes nationes uſitato Græcis nomine gryphem appellent. Cur enim nomen rei nunquam viſæ, aut nusquam extanti, indere homines voluiſſent? Quòd autem Græci, qui id monſtrum finxerunt, nomen indiderint, mirum non eſt, cùm & Centauris & Sphingibus, aliisque ſimilibus à ſe fictis monſtris nomina impoſuerint.

Aſſertio III.

Gryphes quænam ſint aves, certò non ſcitur.

QUi ſint Gryphes, quorum Scriptura Sacra meminit locis citatis, & qui antiquis Græcis fabulæ, & Auctoribus §. 1. recenſitis erroris occaſionem dederunt, certò definiri non poteſt. Quidam enim Hebræum nomen, *Peres*, interpretantur, ut *Vatablus* notat, accipitrem, (quod & *Eugubinus* facit, ac *Paulus Fagius*) vel aquilæ ſpeciem, quam nominat Oſſifragam, ut dixi Aſſert. I. aut vulturem. *Oleaſter* putat in genere denotari avem rapacem magnarum ungularum, quoniam *Parſah*, ut ibidem dixi, ungulam ſignificat. Rabbi *Kimhi* apud Oleaſtrum accepit pro ave magna, quæ deſertum incolat: Rabbi verò *Jonah* pro illa, quam Arabes vocant Achab.

Aldrovandus lib. 10. Ornithol. cap. 1. ait, ſi avis ulla in rerum natura, quæ Gryphis nomine venire debeat, ponenda ſit, eam ſe *aquilæ aut vulturis maximum quoddam & rarum genus eſſe* judicare, quæ *ob inuſitatam magnitudinem, ob inauditum robur, vana multa & abſurda de ſe fabulanda vera naturalis hiſtoriæ ignaris occaſionem dederit. Gryphes enim* (ſubjungit idem) *quadrupes, ut Albertus quoque advertit, ab Hiſtoricis potiùs, & Poëtis, quàm Philoſophis & rerum Naturæ peritis, memorantur. Aves verò bipedes, aquilis ſimiles, immenſæ molis ac roboris, non unâ Orbis plagâ reperiri, jam jam oſtendemus.*

Hanc Aldrovandi ſententiam amplectitur *Lorinus* locò ſuprà citat. dummodò per avem rapacem magni roboris non intelligatur haliæetus, vultur, accipiter; quoniam harum avium ſeparatim, præter gryphem, fit mentio in dicto cap. 11. Levitici.

Corne-

Digitized by Google

Cornelius à Lapide loco item citato, approbat quidem Aldrovandi ſententiam, intelligit tamen per avem rapacem & magni roboris, *Aquilæ genus maximum, quod maximè aduncum habet roſtrum & ungues, eſtque fortiſsimum, & rapaciſsimum.* Probat id *primò*, tum quia id ſignificat Hebræum *Peres*, ut vidimus; tum quia gryps in cit. cap. 11. Levit. ponitur poſt aquilam, & ante haliæetum, utique ad denotandum, quòd ſicut haliæetus, ita & gryps, eſt ſpecies aquilæ. *Secundò*, quia *Ariſtophanes* in Ranis apud Aldrovandum habet vocabulum γρυπαιέτυς, quaſi dicas, Grypaquilas, ſive Gryphaquilas; ad eum videlicet modum, quo alias aquilarum ſpecies vocant Græci ἁλιαιέτυς, μελαναιέτυς &c. ut vidimus ſuprà in cap. de Aquila. Gryps ergo eſt Grypaëtus, hoc eſt, aquila rapaciſſima, quæ grypho, id eſt, maximè adunco eſt roſtro & ungue. *Tertiò*, quia fide digniſſimi Scriptores, qui ipſimet Septentrionales regiones, quas Gryphum ſedes eſſe volunt Auctores §.I. allati, inter quos eſt *Matthias Michovius*, *Sigiſmundus Herberſteinius Baro*, & *Joannes Laurentius Ananias*, teſtatur, apud Moſcovitas naſci aves Aquilis ſimiles, ſed majores, dictas ab illis Kreutzet, à Polonis verò Bialozar, quæ omnibus reliquis avibus corporis vaſtitate, audaciâ, feritate terrorem incutiant. *Quartò*, quia aquilæ quædam in maximam quantitatem excreſcunt, ut conſtat ex tribus illis aquilarum pullis, qui in nido maximo inter Miſenam & Dresdam inventi ſunt anno 1550, ut diximus ſuprà cap. 8. ubi & alia quædam exempla aquilarum miræ magnitudinis retulimus.

Aſſertio IV.

Veriſimilius mihi videtur, Gryphes, quarum Scriptura Sacra mentionem facit, & quos antiquitas agnovit, & deinde ad fabulas detorſit, eſſe ſpeciem aquilæ rapaciſſimæ, ac vaſtiſſimæ omnium, quæ reperiuntur, maximè in Septentrionalibus regionibus, tam Europæ, quàm Aſiæ, in quibus tam aves, quàm animantia cætera, ſolent eſſe corpulentiora & grandiora. Moveor rationibus à Cornelio allatis. Non ergo ſunt vultures, nec accipitres, quoniam horum fit peculiaris mentio in Sacra Scriptura. Hæc ſufficiant.

Gryphes videntur eſſe aquilæ maximæ & rapaciſſimæ.

CAPUT XLIII.

De Guitguit, ſeu Ave Corvipeta.

Minima eſt avicula, quam *Guitguit* appellant Indi, regulo ſimilis, viridi colore, & ſuavi nutrimento. Magnam tamen audaciam in tantillo monſtrat

Guitguit avicula audax.

LIIIII 3

monſtrat corpuſculo: nam tantula avis, ac penè nulla, audet inſequi integra corvorum examina, eosque cogit ubilibet latitare, & ſe adverſus illam in arundinetis tueri. Hac de cauſa *Nierembergius* lib.10. Hiſtor. cap. 6. eam vocat *Corvipetam* avem.

CAPUT XLIV.

De Halcyone.

Halcyon, ſive Alcedo.

HAlcyon ſive Alcyon, aut Alcedo, avis eſt paſſere non multò major, colore cæruleo & luteo ſubpurpureoque mixto inſignis. Roſtrum habet longum, tenue, ſubluteum. Mari adeo delectatur, ut pectus aquis aſpergat, caudâ in terra ſicca poſitâ. Non ſpernit tamen aquas dulces.

Fœtificant brumâ, pariuntque ova quinque; quo tempore ſternitur ac placatur mare diebus aliquot ante & poſt brumã, qui ob id dies Alcyonides appellantur. Alii tamen & in tempore, & in numero dierum diſcrepant. Nidi locum alii arenam, alii littus maris, alii ipſum mare ſtatuunt. Credibilius eſt, ſaxo cuidam proximè aquam figi. Nidi figura pineali aſſimulatur, aut ventoſæ cui collum longum, Alberto Magno teſte. Roſtro nidum componunt tali arte ac firmitate, ut nec everti à fluctibus queat, nec penetrari. Conſerunt invicem piſciculorum ſpinas, ac rectis aliis ceu ſtamini transverſas alias veluti ſubtegmen implicant; mox conſertum recurvant, & in orbem reducunt; ſic coaptant denique, ut pineali figurâ turbinatum evadat. Perfectum, littori, quo fluctus extremi pertingunt, applicant. Hic unda molliter feriens, nondum firma ſatis hiantiaque, procellarum verbere deprehenſa, ſarcire docet, ſolida verò, & jam cohærentia conſtringit, figitque adeo, ut nec ſaxo, nec ferro diſſolvi diffringique facilè queant. Magnâ cumprimis oſtiolum nidi admiratione dignum eſt, ſic modificatum ac figuratum, ut unam Halcyonem ſubeuntem recipiat, cæcum cæteris & abditum avibus, imò & ipſis fluctibus. Hi enim nè intrent, oſtiolum ex intumeſcente materia inſtar ſpongiæ faciunt; quod ab undis ſupervenientibus intumeſcens clauditur, ab ingreſſuris verò egreſſurisvè avibus preſſa aperitur.

Tantus eſt fœminarum erga maritos amor, ut ſemper iis adſint, humeris ſuis in ætate gravi portent, ac nutriant. Hi ſenio confecti, tandem in coitu obeunt.

CAPUT

CAPUT XLV.

De Harpyis.

HArpyis nomen à rapacitate inditum; ἁρπάζειν enim Græcis rapere ſignificat. Quidquid de iis apud varios Scriptores reperitur, manifeſtè fabuloſum eſt; ideo plura addere ſuperſedeo. Harpyiæ.

CAPUT XLVI.

De Hirundine.

HIrundo, Græcis χελιδὼν, aut χελιδὼ, notiſſima ubivis terrarum avis, deſcriptione non indiget. Sunt domeſticæ, ripariæ, apodes, aliorum nominum. Dantur & albæ, ſeu naturâ, ſeu arte. Aldrovandus ait, albas naſci, ſi ova earum, dum incubant, olivâ illinantur. Eruti oculi, renaſci dicuntur. In pullorum primo partu excluſorum ventriculis Lunâ creſcente diſſectis reperiuntur lapilli, chelidonii dicti, coloris nigri, albi, rubentis, varii. Hirundo.

In Ægypto perennant. Apud nos menſe Septembri aut Octobri vel conduntur, vel in tepidiora loca abeunt. Probabilius eſt condi. Inventæ multæ in apricis montium receſſibus nudæ atque deplumes. In quadam Germaniæ noſtræ ſuperioris ſilva, inciſa quercus putrida, plena hirundinibus inventa fuit. In Septentrionalibus locis inter cannas ſeſe colligunt, & ſæpe in modum conglomeratæ maſſæ à piſcatoribus extrahuntur, & in æſtuaria deportatæ, caloris acceſſu reſolutæ, volare incipiunt, ſed exiguo tempore durant. Redeunt, aut iterum comparent ſub veris initium. Easdem redire, indicio obſervatum: migraturæ enim cum rubro filo pedi alligato dimiſſæ ſunt, & cum eodem redierunt. Hirundines hyeme aut abeunt aut conduntur.

Victitant muſcis, culicibus, papilionibus, apibus, cicadis, aliisque ſimilibus. Bis in anno pariunt. Primi partus injuriâ frigoris corrumpuntur; poſteriore pullos, ſed cæcos proferunt. Fœtus educatio ſummâ peragitur æquitate à mare & fœmina. Rariſſimè, propter pedum debilitatem ac brevitatem, incedunt.

Cicurari nequeunt. Pullis chelidoniâ applicatâ viſum reſtituunt. Blattas ovis infeſtas apio fugant. Poſtquàm pullos à ſerpente laniatos adverterunt, circa ejus maxillas tam diu ſe volvunt, donec conficiantur. Nidos luto conſtruunt, & ſtramento roborant. Si quando inopia eſt luti, made-

Digitized by Google

madefactis multâ aquâ pennis, pulverem ſpargunt. Ipſum nidum mollibus plumis floccisque conſternunt, tepeſaciendis ovis, & pullis fovendis.

Pluvias præſagire dicuntur, cùm circa lacus ita proximè volitant, ut ventre aquam contingant: vel cùm hac & illac volantes, parietibus ſubinde hærent: vel cùm usque adeo humiles feruntur, ut pedibus humum verrere videantur. Cum paſſeribus, qui initio veris earum nidos præoccupare conantur, pugnant. Obſervatum Coloniæ, hirundinem, cùm paſſerem ejicere non poſſet, ſtridore ſuo multas convocaſſe; has cum impetu volantes, luto, quod ſingulæ ore gerebant, nidi foramen obſtruxiſſe, & paſſerem intus concluſum ſuffocaſſe.

CAPUT XLVII.

De Ibide.

Ibis. IBis Ægypto peculiaris eſt avis, & è qua exportata, mortem ſibi fame conſciſcit. In multis cum ciconia conveniunt. Sunt candidæ, & nigræ: illæ in tota Ægypto, præter Peluſium; hæ circa Peluſium tantùm, capite corvi aquatici, roſtro mucronato, incurvo, fornicato, rubente, & quà capiti jungitur, pollicis craſſitiem ſuperante. Omnes veſcuntur ſerpentibus, bruchis, & locuſtis. Ægyptii ore coire & parere nugabantur. Nidificant in palmis metu felium. Vita ipſis longa. Cubile petituræ ſe purgant. Cor majus habent quàm pro corporis proportione. Inteſtina nonaginta ſex cubitorum, quod in Lunæ defectu comprimitur, donec aucto ſplendore augetur.

CAPUT XLVIII.

De Lagopode.

Lagopus. LAgopus, aliàs perdix alba (Schneehun Germanis) à pedibus leporinis & villoſis ſic dicta avis, duorum eſt generum. Prius eſt columbarum magnitudine, tanti candoris, ut à venatoribus hoc ſolo, quòd nives ſuperat, viſu deprehendatur. Pedes tamen & roſtrum nigricant; ſupercilia, in mare inprimis, rubent; collum maculis quibusdam nigricantibus perſpergitur, & radices pennarum nigreſcunt. Alterum genus eſt coturnicum magnitudine; & colli colore gallinaginem æmulatur. Alæ quæ corpori junguntur, albas, fuſcas, & fulvas pennas habent; decem remiges cincreæ ſunt; pars anterior & venter albent, & torquem in pectore, rubro, fulvo, flavoque coloribus conſtantem habent.

Repe-

Digitized by Google

Reperiuntur Lagopodes in Alpibus, & Pyrenæis montibus, & in ſummis jugis. Ita frigore, nive, & glacie delectantur, ut ubi locis inferioribus liquantur nives, altiora & Soli averſa petant loca, in quibus nix perennat. Latent homine conſpecto, & cavent motu ſe prodere. Tantæ ſimplicitatis ſunt, ut à venatoribus diſpoſitam lapidum ſeriem transire non audeant, ſed ſecundùm illam, quaſi ſecus murum inſuperabilem decurrentes, in decipulas incidant.

CAPUT XLIX.

De Laro.

LArus, quem alii Fulicam, alii Mergum, alii Herodium, quidam etiam Gaviam appellant, avis eſt palmipes piſcivora, à roſtri acie ad alarum ferè finem duas ſpithamas longa, capite maximo & craſſo, ex albo & cinereo variegato; pectore ejusdem ferè coloris; roſtro craſſo luteſcente, in extremo nigricante, & inſigniter acuto; alis ex albo, cinereo, & ad caſtanearum colorem ſimul commiſtis tendente; caudâ cincreâ totâ; pedibus luteis; corpore leviſſimo multisque ac denſis plumis veſtito. Frequentes ſunt in locis maritimis, ſtagnis, & fluminibus, maximè cùm tempeſtas eſt. Præter piſces veſcuntur lumbricis, cochleis (quas ſurſum raptas ad ſaxa demittunt, atque confringunt) locuſtis, & phalangiis, à quibus Tarentinos agros purgant. Delphinos etiam in littora ejectos devorant. Olivis denique in Liguria perniciem adferunt. Nidulantur in ſaxis maritimis, à quibus potabilis aqua manat, & bina ternavè ova æſtate pariunt. Volant præcipites, & faciles, utpote leves. Pennæ aliarum avium leviores creduntur. Eædem, ſimulatque mare intumeſcit, in pulvinaribus erigi, & decumbentem ſublevare dicuntur. Varias Lari ſpecies vide apud alios Ornithologos, ſi voles. Larus.

CAPUT L.

De Loxia.

LOxia, ſeu Corvi-roſtrà, roſtrum habet contra omnium avium morem ab utroque parte recurvum, craſſum, & admodum robuſtum; unde & nomen eſt ſortita. Colorem ſingulis annis, hyeme præſertim, mutat, ita ut nunc ad viridem, nunc ad flavum, nunc ad rubrum & cinereum vergat. In Germania frequens, rara in Italia. Victitat ſeminibus cannabis, nucleisque abietum. Voràciſſima eſt. Nidificat in abietibus, Loxia.

Veriſimile eſt, caudâ de ovo exire, fortaſſis quòd ſi reliquarum more capite exiret, exitus à roſtri curvitate impediretur. Hyemali tempore cantat, & quidem ſuaviter; in æſtate ſilet. Caveis incluſa, pſittacorum more ſurſum ac deorſum reptitat. A potu pocillum roſtro abjicit, ſi poteſt; fortè ſuam in aqua imaginem conſpicata.

CAPUT LI.

De Luſcinia.

Luſcinia. LUſcinia, Græcis ἀηδὼν, vel ἀηδὼ, notiſſima avis, diverſis in locis ac regionibus reperitur, non tamen in Hybernia, ſi Botero credimus. Dum incubat, à cantu abſtinere ait Ariſtoteles; at Albertus prodidit, inſomnem tunc longæ noctis laborem cantu ſolari, quò poſſit non minùs dulcibus modulis, quàm fœtu corporis, ova animare. Cantus dulcedo & varietas omnibus nota. Vocis inſtrumenta veſtigat P. Kircherus in Muſurgia lib. 1. Cicuratarum ſingularis eſt in herum fides; adeo ut emiſſæ, aut venditæ aliis, vel dono datæ, redeant, aut prioris domini deſiderio contabeſcant. Cantus, dum in ſolitudine degunt, ſimplicior, quàm quando ab hominibus obſervantur. Matres ad cantandum inſtruunt pullos. Dociles ſunt, diſcuntque articulatè loqui. Exempla dedi ſuprà lib. 7. cap. 19. in Diſſertatione Hiſtorico-Phyſica, & in Magia 2. part. lib. 1. Syntagm. 5.

CAPUT LII.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

De Manucodiatis, ſeu Avibus paradiſi.

Manucodiatæ, ſeu Aves paradiſi. MAnucodiatæ, hoc eſt, Aves DEI, aut Aves paradiſi, ſeu paradiſiacæ ob eximiam pulchritudinem dictæ, non unius magnitudinis. Species ipſarum quinque obſervavit ac deſcripſit *Aldrovandus*, incredibili diligentiâ, lib. 12. Ornithol. cap. 21. & ſeqq. quarum nulla major erat hirundine (intellige quoad corpus, non quoad pennarum longitudinem & amplitudinem) colore tamen & roſtri magnitudine diſſimiles. Alii columbæ magnitudine eſſe in Java aſſerunt. *Scaliger* Exercit. 228. unam vidit picâ non minorem.

§. I. For-

§. I. Forma Manucodiatarum.

CAput omnibus non rotundum, ſed preſſum, quale hirundinis, nucis juglandis ferè magnitudine. Roſtrum non omnibus æquè magnum, neque ejusdem coloris. Alæ & caudæ expanſæ, fermè accipitrinis milvinisque magnitudine reſpondent. Pennæ omnibus tenuiſſimæ, & exceptâ tenuitate pennis pavonum ex toto perſimiles, niſi quòd oculatæ non ſunt. Omnes, tam quæ à ventre, quàm quæ à dorſo enaſcuntur, caudam conſtituunt, cùm ſint longiſſimæ; aliam autem caudam non habent. Alæ, ut in aliis avibus, in arctum contrahi, vel in latum diffundi pro libitu earum non poſſunt, ſed naturaliter uno tantùm eodemque modo perpetuò conſiſtunt. Dorſo gemina veluti fila annectuntur, tres & ampliùs palmos longa, neque exactè rotunda, neque perfectè anguloſa, ſed figurâ inter quadratum & rotundum mediâ, nec craſſa valde, nec ſummè tenuia, verùm ſutoris filo non planè diſſimilia. Quæ quidem fila ſolis maſculis attribuunt Auctores omnes, excepto Aldrovando, qui putat omnibus eſſe annexa. Hæc omnibus ſunt communia. An apodes ſint, poſtea diſcutiemus. Earum forma.

§. II. Locus, habitatio, generatio, victus Manucodiatarum.

OMnes Manucodiatæ, quæ è Moluccis Inſulis, è Java majore, aliisque regionibus longinquis ad nos in Europam deferuntur, apodes ſunt, & exenteratæ. Quò factum, ut plerique exiſtimârint, eas carere omninò pedibus, & perpetuum volatum exercere, nec niſi alis in ſublimi expanſis quieſcere, imò & ibidem incubare, ac generare. Unde in maſculorum dorſo quandam cavitatem dari exiſtimant, in qua fœmellæ, quibus venter etiam cavus ſit, ova ſua deponant, atque ita utriusque cavitatis auxilio illa incubari. Alii putant, fœmellas quoddam receptaculum ſub alis habere, in quo ova reponant. Earundem locus, generatio, victus.

Victum quod attinet, ajunt iidem, cœleſti rore Manucodiatas vivere, qui cibus illarum ſit ac potus.

Hæc omnia diſcutit, ac multis rationibus rejicit Aldrovandus. Nos litem dirimere non poſſumus, niſi priùs, an revera apodes ſint hujusce-modi aves, diſquiramus.

§. III. An apodes ſint Manucodiatæ.

PEdibus carere, communis eſt opinio, quam amplectitur *Cardanus* lib. 10. de Subtilit. *Scaliger* Exercit. 228. num. 2. *Geſnerus* lib. 3. de Avibus pag. mihi 611. *Aldrovandus* lib. 12. Ornithol. cap. 21. *Majolus* in Manucodiatæ an ſint apodes.

Mmmmmm 2 Cani-

Digitized by Google

Canicul. Colloq. 6. & apud ipſum *Maximilianus Tranſilv. Franciſcus Lopez,* & pleniſſimè *Melchior Guillardinus.* Præterea *Nierembergius* lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 13. (& apud ipſum *Franciſcus Hernandus* in Manuſcriptis) *Jonſtonus* in Hiſtor. Natur. de Avibus, & alii. Rationes, quibus hi Auctores moventur, has ex eorum libris collegi. 1. Quòd omnes, quæ hactenus ex Indiis in Europam fuerunt allatæ, pedibus caruerint. 2. Quòd nunquam vivæ videantur in terra, aut arboribus, ſed mortuæ tantùm ſecus vias, aut in mari reperiantur. 3. Quòd nemo unquam nidum ipſarum deprehenderit. 4. Quòd ideo fila illa dederit illis Natura, ut quietis captandæ, & multarum aliarum actionum obeundarum causâ poſſint ſe innectere arborum ramis, iisque pedum quaſi vice uti. 5. Quòd difficile iis non ſit, perpetuò in aëre hærere, ob corporis parvitatem, & pennarum levitatem ac magnitudinem; imò difficilius, deorſum ſe demittere, quàm in aëre ſuſpendere. 6. Quòd Nierembergius audivit à teſte oculato, qui paradiſiacam avem recèns mortuam collegerat, eam pedibus caruiſſe. 7. Quòd ſi terræ, aut arboribus inſiderent, magnum incommodum acciperent in pennis, nec ſine periculo hærendi, ornatu ipſo intricatæ.

Pedibus inſtructas affirmat *Antonius Pigafetta*, qui cum Magellano nave Victoriâ vectus, totum circuivit orbem, & è longinqua illa navigatione redux, harum avium primus notitiam Europæ intulit. Is in navigationis ſuæ Diario pedes (crura dicere voluit) palmum longos, ſed tenues, eis tribuit. Hunc ſequitur àtque defendit diligentiſſimus *Cluſius*, qui tametſi antea etiam cum aliis eaſdem apodes credidiſſet, quòd nullam unquam niſi pedibus carentem, & eviſceratam vidiſſet; poſtremæ tamen Batavorum navigationes in Indiam, (ipſomet fatente apud Nierembergium loc. cit.) effecerunt, ut ſine difficultate ſententiam mutârit, *cùm Amſtelredamum quaſdam integras, cruraque cum pedibus retinentes, allatas eſſe certum ſit, ut ipſe ſcribit. Quæ quidem crura, ut intellexit ab iis qui viderant, ſunt picæ variæ cruribus admodum ſimilia, infirmiora tamen, nec adeo craſſa; coloremque habent atrum, ſed ad caſtaneum tendentem.* Addit, nautas, qui has aves Amſtelredamum attulerant, licèt Inſulas, in quibus eæ naſcuntur & vivunt, non adierint, ab illis tamen, à quibus emerant, intellexiſſe, *omnes pedibus eſſe præditas, incedereq; & volare aliarum avium inſtar; ſed incolas, ſimul atque eas ceperunt, inteſtina pedeſque adimere, & abjicere; deinde Soli exponere, ut faciliùs areſcant; aridas adſervare, ut venundent, aut ſuis caſſidibus pennarum loco aptent. Addebant præterea, eas aves in ſilvis verſari, & triginta quadragintaque ſimul per turmas volare ſolitas, ipſarum rege vel duce comite, qui ſupra reliquas perpetuò ſublimis volat; atque (quod fabulæ proximum) ſi ſitis moleſta eſt, aliquam è caterva primùm ad aquam*

mit.

Digitized by Google

emitti explorandi gratiâ: quaſi à potu nullam noxam ſenſerit, tum demum totam catervam advolare, & bibere; ſin autem morbida redierit, eam aquam à reliquis vitari, eaſque avolare aliam inquiſituras. Addebant inſuper, Inſulanos aquam hac ratione ſolere inficere ad aves captandas. Conſpicientes harum avium aliquam turmam prætervolantem; quò ſeſe conferant, obſervant: atque ubi avem miſſam bibiſſe, & revolare vident; illicò venenum in illam aquam injiciunt: quam cùm tota turma guſtatum venit, inficitur, & ſic præda fit. Sed etiam illas aves interim ſagittis peti ſolere: atque ſi contingat, illarum regem interfici; illo cadente, reliquas quæ in ea turma, ſimul cadere, & ſeſe comprehendendas præbere, tanquam amiſſo rege vitam retinere nolentes. Hæc, & alia multa Cluſius, ex fide aliorum.

§. IV. Noſtra ſententia de Manucodiatæ pedibus.

SI auctoritati eſt ſtandum, utique prima ſententia prævalet: Nam Pigafetta fortaſſis avem novam, & antehac apud Europæos nunquam viſam, aut prorſus non viderat, ſed auditione tantùm cognoverat; aut certè non benè inſpexerat: nautæ verò Batavi apud Cluſium omnia ex fide aliorum retulerunt, ac fortaſſis etiam novitatis ſtudio confinxerunt. Si verò rationibus & argumentis tranſigenda res foret, ſecunda ſententia, meo judicio, prævaleret. Nam *Primò*, pro ea ſtat teſtimonium *Ariſtotelis*, magni Naturæ Secretarii, qui lib. 1. Hiſtor. Anim. cap. 1. omnibus volucribus tribuit pedes, his verbis: *Animal quod volucre tantùm ſit, ut piſcis natatile ſolummodò eſt, nullum novimus. Nam & quæ pennis cuteis volant, ingredi poſſunt. Unde veſpertilioni etiam pedes ſunt, & vitulus marinus pedes habet minutos. Sic nonnullæ aves depedes ſunt, quæ ob eam rem apodes, à parvitate pedum, nuncupantur, &c.* Hæc & alia Ariſtoteles.

Manucodiatæ videntur habere pedes.

Secundò. Si rore cœli victitant hæ aves, ut primæ ſententiæ Auctores tradunt? ubi eum captant? an in ſublimi aëris regione? at ibi ros nullus eſt, ſed prope terram generatur? nec toto anno generatur, ſed certis tantùm anni temporibus, ut ex Meteorologia conſtat; neque tunc toto die reperitur, ſed matutino tantùm tempore, & ſerenis diebus. Si prope terram captant rorem, fieri non poteſt, quin vivæ aliquando in terris videantur; quod tamen ſententiæ illius Auctores negant. Hiſce rationibus à ſe ipſo convictus Aldrovandus, ſolidiorem ipſis cibum concedit, quem putat cùm aërem ipſum, tum maximè arbores, aliaque eminentiora loca ſuppeditare, inſecta nempe, eaque tam volucria, quàm aptera; ob idque putat, Naturam ipſis dediſſe roſtrum grandiuſculum, ſatisque robuſtum, & quodammodò aduncum. Majolus putat, ſolo puriore aëre dictas aves victitare: ſed quàm parum probabiliter, nemo non videt.

Digitized by Google

Tertiò. Omnia animalia quæ cerebrum habent (ut habent Manucodiatæ) ſomno indigent, poſt diuturnas præſertim vigilias, & longas corporis exercitationes. Si ergo dictæ aves nunquam in terram deſcendunt, ubi, & quâ ratione dormiunt? Ajunt *primò* aliqui, ſuſpenſas in aëre dormire, nec tamen delabi in terram, ob levitatem, & plumarum expanſionem perpetuam. At ſi mortuæ decidunt, cur non & dormientes, quando ſenſus omnes ſunt ligati? aut ſi vivæ ac dormientes manent ſuſpenſæ ob levitatem, & alarum expanſionem, cur non & mortuæ, quando ſunt æquè leves, & non minùs extenſas retinent alas ac pennas? Ait *ſecundò* Guillardinus apud Majolum, Naturam providam atque ſolertem, *aviculam hanc præ cæteris admirabili & prorſum ſuſpiciendâ dote exornaſſe; quippe mas fœminam dormientem dorſo excipit ſuſtinetq́, nè in ſolum prolapſa concidat, ſibi interim à ſomno temperans: feſſus mas, excutit fœminam, atque tunc vice verſâ fœmina ſe mari ſubjicit, ſomnoque labentem, & propè cadentem fulcit, & quàm fideliſſimè ſuſtentat.* Sed hoc ſplendidum figmentum eſſe, patebit ex alio ejusdem Auctoris figmento, paulò pòſt afferendo, quæ ſe mutuò prorſus elidunt. Quæro deinde, ſi aves ejusmodi nunquam terram, aut arbores, aut rupes petunt, ſed ſemper in ſublimi aëre volitant, aut ſuſpenſæ hærent; quis adeo lynceus eſt, qui dictam quieſcendi rationem, & ſe mutuo ſuſtentandi viciſſitudinem notavit? Ait *tertiò* Aldrovandus, dictas aves quietem capturas, implicare ſe filis illis binis, quæ ſingulis adhæreſcere diximus, arborum ramis, ſicque ſuſpenſas dormire: Naturam enim *ideo in cauda fila illa ad quemlibet flexum perquàm idonea ſubminiſtraſſe, quibus cùm quietis capiendæ tempore, tum multarum aliarum actionum ſuarum causâ arborum ramis ſeſe annecterent, & pedum vice quodammodo uterentur.* At ſi ita eſt, fieri non poteſt, quin aliquando ab hominibus inibi deprehendantur, quod tamen conſtanter negant Auctores primæ ſententiæ, dicentes, eas nunquam in terris videri vivas. Adde quòd fila non omnibus, ſed ſolis maſculis conceſſa ſunt, ex aliorum unanimi conſenſu. Præterea ſi ramis adhærerent dictis filis, fieri non poſſet quin ſæpe ita implicarentur, ut extricare ſe ampliùs non poſſent, ſicque aut vivæ, aut mortuæ inibi deprehenderentur: qua tamen de re altum apud omnes ſilentium.

Quartò. Si apodes ſunt, & terram nunquam contingunt, nec arboribus inſident; ubi ergo ova deponunt? ubi illis incubant, & excludunt pullos? *Guillardinus* apud Majolum loco ſuprà citato ait, *maſculi hujus aviculæ dorſum omni ex parte depreſſum, inflexumque eſt, adeo ut ſinum quendam, foveamque efformet. In eam cavitatem ova fœminam deponere, ratio ipſa clara eſt argumento, cùm & fœmina cavum ventrem obtineat, ut hoc pacto ova faciliùs poſſit*

Digitized by Google

poſſit incubare, ac tandem pullos excludere. Addit, exiſtimare ſe cum viris eruditiſſimis, uſum dictorum paulò antè filorum maſculorum dorſis hunc eſſe, ut *nimirum fœmina, dum ova incubat, mari firmiùs alligetur, copuleturque.* Idem prorſus ſentit Cardanus lib. 10. Subtilit. in deſcriptione Manucodiatæ, & plerique alii ex citatis pro prima ſententia Auctoribus. Sed contra eſt *primò*, quòd Aldrovandus, teſtis oculatus, in quinque diverſis Manucodiatis, quas obſervavit, depinxit, deſcripſit, manibus propriis contrectavit, nihil tale videre potuerit. *Secundò*, ſi maſculus ova cavitate illâ excipit, ac ſuſtentat; quis ſuſtentat, & quis incubat, dum hic fœminæ ſuperincumbens quieſcit, ac dormit? Quis deinde pullos grandiores per dies aliquot continuos portat? præſertim cùm fœmina mari incumbit. Reſponderi quidem utcunque aliquid poteſt; ſolidi verò dici nil poteſt.

Aldrovandus non requieſcere tantummodò in arboribus geminorum illorum, quæ dixit, filorum ope exiſtimat, *verùm nidulari etiam & in propriis nidis incubare.* Verùm ſi nidulantur in arboribus, ergo ſaltem in arbores deſcendunt, & materiam pro conſtruendis nidis colligunt. Cur ergo, tametſi apodes forent, nunquam in inferiora deſcendunt? Deinde ſi nidos in arboribus conſtruunt, & in iis incubant ovis; neceſſitas nulla eſt, ut dictorum filorum ope arboribus ſe alligent, ſive dum nidos conſtruunt, ſive dum in nidis incubant ovis; poſſent enim utrumque commodiùs à ſuſpendio illo liberæ præſtare.

Alias rationes afferre poſſem; ſed non libet diutiùs immorari. Mihi probabilius videtur, Manucodiatas non eſſe apodes: ſed cùm ſint tam leves, & tam in volando veloces, ut nulla navis tam celeriter in mari provehatur, quam non volatu ſuo comitentur; cùmque præterea tam egregiè à Natura ad volandum facillimè ac ſine defatigatione ſint inſtructæ; exiſtimo, illas rarò admodum in terris deprehendi, ideoque exiſtimare etiam locorum illorum incolas, in quibus reperiuntur, pedibus eas carere: præſertim cùm perſuaſum habeant, DEI aves eſſe, & è paradiſo prodire, ut ex variis Scriptoribus conſtat. Tempus tamen & Curioſorum induſtria ac diligentia certiora, ut ſpero, dabit; ac fortaſſis etiam jam dedit, at me latent.

CAPUT LIII.

De Mergis.

Mergus.

MErgus non tam ſpecies avis eſt, quàm genus multas habens ſpecies, inquit *Albertus Magnus* lib. 23. de Animal. cap. de Mergo. Hinc Mergus Rhenanus, Glacialis, Longiroſtrus, Raucedulus, Ruber, Albus, Ciratus, Merganſer, & neſcio qui alii. Verſantur plerumque in mari, fluminibus, ſtagnis, & paludibus. Amant tamen & aprica loca, ut ſiccescant. Ideo amphibii ſunt. Aquis ſe immergunt, dum piſcantur. Diu infra aquam morantur. Summâ pollent natandi peritiâ: nam, ut Pighius notavit, alam alteram ſæpiùs ad ventum erigunt, & ejusdem tanquam veli adminiculo navigant. Nidificant in maritimis ſaxis, & in arboribus interdum. Pullos ab ovis excluſos, ſi matrem perdiderint, adeo validos eſſe ait Albertus loc. cit. ut ipſi ſibi comparent cibum.

Mergi cicures ad piſcandum adhibentur.

Cicurantur, & ad piſcandum heris inſtruuntur. Odericus teſtatur, ſe in Orientis civitate quadam comitatum hoſpitem piſcaturum ad magnum fluvium, vidiſſeque in naviculis ejus Mergos ſuper pertica alligatos, quibus ille guttur filo ligaverat, nè piſces deglutire poſſent. Hoſpitem poſuiſſe ad ſingulas maniculas tres ciſtas; tum Mergos ſolutos dimiſiſſe: hos mox piſces quàm plurimos cepiſſe, & ciſtis impoſuiſſe, ita ut brevi tempore implerentur. Demum hoſpitem filis à gutture ſolutis, eos jam ſibi ipſis piſcari, & piſcibus paſci permiſiſſe, iterumq; perticis alligatos domum revexiſſe. Alium vidit Scaliger Venetiis ab hero è cymba emiſſum, non ſine ſpectatorum admiratione ac voluptate, ſub aquis ſibi cibum quærentem, ac ſaturum ad herum revertentem in cymbam.

CAPUT LIV.

De Merope.

Merops.

MErops, Germanis Immenfraß / magnitudine ſturnum ſuperat, & Merulis par eſt. Pennæ ejus inferiores pallidæ ſunt, ſuperiores cæruleæ, ut halcyonis, poſtremæ rubræ, teſte etiam Ariſtotele lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 13. Aldrovandus dicit, mari roſtrum eſſe longum, durum, ad inſtar falcis meſſoriæ arcuatum, & quaſi triangulum. Victitat Merops apibus, & cicadis. Nidificat in cavernis, interdum ad ſex pedum altitudinem defoſſis. Volat gregatim; & cùm reliquæ aves quaſi ſurſum ad oculos verſus volitent, ille retrorſum caudam verſus volatum exercet.

Avis

Digitized by Google

Avis eſt migratoria. Pullos, nè facilè capiantur, de loco in locum transfert. Meropes non ſolùm ſeneſcentes parentes, ſed etiam ſtatim, cùm datur facultas, alunt; nec matrem aut patrem exire permittunt, ſed in cubili manentes paſcunt, Ariſtotele teſte loc. cit. Meropes alunt parentes.

CAPUT LV.

De Merula, & Paſſere ſolitario.

MErulæ, Germanis Amſel/duo ſunt genera Ariſtoteli, vulgare ſeu nigrum, & album. Alii tertium addunt fuſco colore, & paſſere ſolitario ſeu Merulâ montanâ minus. Mutant plumarum colorem pro temporis varietate. Verſantur in locis denſis arboribus conſitis, ſpinetis, anguſtis montium angulis, & lapidum fiſſuris. Mutant locum, & hyeme in aprica migrant vicina. Nidos figurâ ſemiſphærica oblongiuſcula, ad modum ſcutellæ cavos, ex ſurculis ramuliſque exilibus, & fibroſis radiculis, luto inter ſe contextis, ſubſtratâ molliore materiâ, conſtruunt. Omnium avium primæ ante exactam hyemem pariunt. Humanum ſermonem imitantur. Lauri folio anuum faſtidium purgant. Merula.

Paſſer ſolitarius, avis eſt Merulâ vulgari paulò minor, tota nigra, roſtro longiuſculo, parumper arcuato, capite pro corporis proportione parvo, ſuperiùs plano, nigroque ad latera, & in collo inferiore cæruleo. In ſaxis & tectis diverſorium habet, unde & ſaxatilis ab aliquibus dicitur. Solitaria degit, neque cum aliis etiam ſui generis avibus unquam, niſi generationis tempore, verſatur; & ideo *Paſſer Solitarius* dicitur. Albertus tamen ait, in parietibus jungi aliis paſſeribus, & cum eis ad paſtum volare. Alias ſpecies vide apud alios. Paſſer ſolitarius.

CAPUT LVI.

De Milvo.

MIlvus ex Accipitrum genere eſt, *Plinio* Auctore lib. 10. Hiſtor. cap. 10. ideoque rapax, & carnivorus, ignavior tamen quàm accipiter. Tria Milvorum genera conſtituit *Aldrovandus* lib. 5. Ornithol. cap. 15., nigrum, album & regale. Clamoſa eſt avis, & perpetuò obſtrepera. Volat adeo ſublime, ut oculis humanis penè ſe eripiat, & intra nubila recondat; præſertim falconem inſequentem fugiens. Inde tamen prædam ſpeculatur, atque in eam ſe demittit. Tonicum ſæpe in ſublimi Milvus.

Digitized by Google

caudam huc atque illuc movendo volatum dirigit velut temone, unde clavum navis à Milvo originem duxiſſe credunt. Dum prædam ex alto ſpeculatur, in orbem circumvolitat; dum in prædam irruit, rectà & unico impetu ſe demittit, tantâ velocitate, ut Bellonius ſcribat, obſervatos à ſe Conſtantinopoli, qui projecta à Turcis animi relaxandi gratiâ in altum pulmonum bubulorum ſegmina devolantes unguibus arripuerint, antequàm in terram delaberentur.

Milvi migrant hyeme, aut ſe abſcondunt.

Ubique ferè gentium ſunt Milvi: ſed loca tamen mutant, modò frigus, modò æſtum nimium evitaturi. Hybernis enim menſibus latent, commigrantes vel ad loca tepidiora, ſi vicina ſint; vel in locis prioribus ſe condentes, ſine loci ſeu regionis mutatione. Viſi ſunt enim de anguſtiis avolaſſe, cùm primùm apparuerunt, ut hirundines. Viſi quoque in Germania noſtra in quercubus, aliiſque arboribus intus cavis, dum cæderentur, per hyemem ſe occuluiſſe. Dicuntur & ſubinde, ſæviente frigore, in nidis manere, ac denſo plumarum ſuarum vellere ſe contra frigus defendere. Qui migrant è Thracia, aliiſque vicinis regionibus, Pontum transvolare, & in Ægyptum volare, indeque ad noſtras regiones remeare notati ſunt à Bellonio: qui cùm aliquando in littore Ponti Euxini, eâ parte, quâ Thracia eſt, verſaretur ultimo ferè Aprili, in colle quodam eminentiſſimo, columnæ illi, quæ ad oſtium Boſphori eſt, proximo, ubi rete tendebat auceps capiendis Niſis, qui à dextra maris plaga advolabant; obſervavit Milvos gregatim eò adventantes recto tractu, frequenti adeò numero, ac denſo agmine, ut obſtupeſceret. Et hæc res per multos duravit dies. Redeuntes ad nos, cuculum adducere ſecum dicuntur, ſcapulis ſuſceptum, propter breves ejus & parvos volatus, nè per longa aëris ſpatia fatigatus deficiat in via: inſigni ſanè beneficio in hoſpitem, ut qui ſecum in hybernis egerat, ſecum quoque æſtatem transigat. In noſtris porrò regionibus cùm degunt, æſtate calidiſſimâ circa meridiem altiſſimam regionem aëris petunt, ibique ad veſperam ferè usque hærent, ut ab æſtu ibidem, ob caloris ſolaris reflexos radios eò non penetrantes, ſeſe tueantur. In Anglia tamen toto anno perſeverare tradit *Cluſius*, quòd vetitum ibi quenquam interficere, ut plateas ac fluvium Tameſin prope Londinum, à ſordibus purgent: unde & per confertos homines prædam ex alto conſpectam corripere non verentur, immunitatis conſcii. In Libya quoque, & in Inſula Cuba perennare dicuntur, propter hyemis temperiem. Carnes etiam à macello auferunt, panem è manibus puerorum, pileos de capitibus, præſertim nidulandi tempore.

Milvi reduces cuculum adducunt.

CAPUT

CAPUT LVII.

De Noctua.

NOcturnarum avium rapacium multæ ſunt ſpecies, interque illas Noctua, Italis *Civetta*, Germanis Kautz / dicta. Aliqui etiam Eul vel Stockeul appellant. Vulgaris noctua columbæ eſt magnitudine; capite majuſculo, ſupernè depreſſo; oculis magnis, pupillâ nigrâ, reliquo flavo; roſtro adunco, longiuſculo, dilutè flavo; toto corpore plumis partim bætico, partim albo colore diſtincto; cruribus plumoſis & hirſutis ad pedes uſque unguibus aduncis, acutis, nigris. Altera noctua, quam Germani Steinkautz / id eſt, Noctuam ſaxatilem nominant, habet crura & digitos pedum hirſuta, excepto imo digitorum. Colore quoq; plumarum à vulgari differt. Noctua

Noctuæ noctu vident, & noctu venantur, præſertim tempore crepuſculi veſpertini & matutini; interdiu non vident, ideoq; latent. Cauſam quòd interdiu non vident, dicunt eſſe nimis ſiccam & tenuem humoris ſubſtantiam, quæ vim luminis igneam non ferat, & facilè diſſipet. Ut autem lumen evocando ſpiritus diſgregat atque conſumit, ita tenebræ intrò cogunt, uniunt, & acuunt. Falſum ergo, noctuarum oculis inſitam vim igneam, tenebras nocturnas diſſipantem: vident enim tantùm matutino & veſpertino tempore, non nocturno; cujus ſignum, quòd tunc accedentes ſilentio non fugitant.

Noctuam de die comparentem circumvolant aves minores, & alis ac roſtris percutiunt. Ariſtoteles rejicit cauſam in admirationem, ob inſolitam & antea inviſam figuram avis. Alii in contemptum referunt. Illa reſupina pedibus repugnat, collectaque in arctum roſtro & unguibus ſe tegit. Diſſidet tamen præcipuè à cornice: hæc enim Noctuæ ova meridie ſurripiens, abſumit, quando illa clarè non videt; Noctua contra cornicis ova noctu exedit. Imò tanta harum duarum avium antipathia eſſe dicitur, ut ſanguis earum confuſus coire nequeat. Aucupes, ut aves alliciant, ac retibus aut viſco capiant, Noctuam interdiu exponunt, ut ſuprà etiam dixi. Qui Noctuâ deſtituuntur, felis caput exponunt, ob ſimilitudinem cum capite illius. Noctuam de die comparentem, aves circumvolitant.

CAPUT LVIII.

De Nycticorace.

Nycticorax.

INgens eſt inter ſacros prophanoſque Scriptores controverſia, quæ avis ſit, quam Latinus Scripturæ Sacræ Interpres Pſalmo 101. verſ. 7. vocat *Nycticoracem*, Græcè Νυκτικόρακα, quaſi dicas Nocturnum corvum. Alii enim volunt eſſe *Bubonem*, alii *Noctuam*, aut *Ululam*, aut *Cicumam*, aut *Aſionem*, aut *Otum*, aut *Veſpertilionem*, aut *Aſteridem*, aut *Scopem*, aut *Ibidem*, aut *Cuculum*. Eſt qui ponat *Pelicanum*, & qui *Upupam*. *S. Hieronymus* Epiſt. 135. ait, pleroſque contentioſè putare vertendum eſſe Bubonem; ſibi verò magis placere Noctuam. In Hebraico textu habetur כוס *chos* vel *kos*, quod R. Kimhi ait eſſe nomen avis immundæ ignotæ; R. Salomon interpretatur *falconem*, quo aliæ capiuntur aves; alii *ſtrigem*. Sed ex Hebræo vocabulo nihil certi erui poteſt, quoniam ipſimet etiam Hebræi docti eorum, quæ aves, aliaque animalia ſignificant, ſignificationem ignorare ſe fatentur. *Lorinus* Comment. in Pſalm. 101. verſ. 7. ait, Nycticoracem vix differre à nycteride & veſpertilione, dicique ſic, quaſi Nocturnum corvum.

Aſio ſeu Otus.

Aldrovandus lib. 8. Ornithol. cap. 3. mordicùs tenet, Nycticoracem eſſe eundem cum Aſione ſeu Oto. Eſt autem Aſio, ſeu Otus, ex ipſius deſcriptione, capite rotundo, auribus velut cornibus plumeis inſignito, vario colore, oculis amplis, roſtro adunco, cruribus & pedum digitis ad ungues propemodum usque villoſis, pedibus magnis ac robuſtis. Montes plerumque inhabitat, locaque edita. Nidificat in arborum cavernis ac foraminibus. Noctu vocem horrificam emittit ei ſimilem, quâ homo frigore afflictus ac rigens exclamare ſolet *hu hu*. Mimicus eſt, & hominum geſticulationibus ac ſaltationibus gaudet. Addit Aldrov. ex Euſtathio & Suida, Otos olim vocatos, qui fraudibus expoſiti ob ſimplicitatem erant; vel potiùs qui ſolo auditu, quòd facilè crederet, quæ dicta erant, decipiebātur.

Otus.

Nycticoracem porrò eandem eſſe avem cum Oto & Aſione, probat Aldrovandus *primò* ex Ariſtotele lib. 8. Hiſt. Animal c. 12. ubi ait, Theodoro Gaza Interprete: *Otus noctuæ ſimilis eſt, pennulis circiter aures eminentibus præditus, unde nomen accepit, quaſi auritum dicas. Nonnulli ululam eum appellant, alii aſionem.* Aldrovandus ait, Gazam non ad verbum hîc expreſſiſſe Ariſtotelem, & de ſuo addidiſſe. Græcum autem Ariſtotelis textum ſic ipſe vertit. *Otus noctuis ſimilis eſt, & ad aures alas ſeu pinnulas habet. Hunc aliqui Nycticoracem vocant.* Probat *ſecundò*, quia Ariſtoteles lib. cit. cap. 3. enumerans aliquot nocturnarum avium ſpecies, ponit inter illas Νυκτικόρακα, Nycticoracem, nullam autem facit Oti mentionem: ſignum ergo eſt, Nycticoracem & Otum eſſe eundem, alioquin præcipuam dictarum ſpecierum omiſiſſet.

Ego

Digitized by Google

Iconiſmus LIII. Ponatur è regione pag. 1021.



Digitized by Google

Ego cum Aldrovando ſentio, Nycticoracem eſſe Otum, aut Aſionem. Adverto tamen, Nycticoracem non eſſe avem illam, quam Germani Nachtraben / Nocturnum corvum (quod & νυκτικόραξ ſignificat, ſi vim nominis ſpectemus) appellant: quia non eſt avis nocturna, nec rapax, ſed aquatica. Nycticorax idem cum Oto aut Aſione.

CAPUT LIX.

De Onocrotalo.

Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent (inquit Plinius lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 47.) *nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius uteri genus.* Onocrotalus.

§. I. Onocrotali deſcriptio.

EſT enim, ex deſcriptione oculatorum teſtium, *Geſneri* pag. 605. de Avibus, *Aldrovandi* lib. 19. Ornithol cap. 2. aliorumque apud ipſos, Onocrotalus cruribus, pedibus, & collo ſimilis cygno; roſtrum habens longum, largum, rubrum, acutum & recurvum in fine, inſtar hami. Sub roſtro habet veluti ſacculum protuberantem; quem ingluviem appellant. Vide Icon. LIII.

Quem *Geſnerus* vidit, captum in lacu ad Tugium, duobus Tiguro milliaribus Helveticis diſtante, habebat roſtrum ad oculos usque duos dodrantes longum, & circiter tres digitos latum. Roſtro divaricato, ab una extremitate ad alteram duo pedes ſpatii intererant. Margines roſtri utrimque admodum acuti. Longitudo avis ab initio roſtri ad pedes ultimos extenſæ, æquabat hominis proceritatem: latitudo inter extrema alarum circiter decem pedes. Color crurum & pedum fuſcus, ut in Cygnis. Totus erat albus, præter majores alarum pennas fuſcas. Pondus totius avis librarum duodecim, computando pro libris ſingulis uncias viginti quatuor. Magnitudo & latitudo ſupra cygnum. Ingluvies (ſeu ſacculus ſub roſtro) rubicunda ad croceum inclinans; dodrantis longitudine à poſteriore roſtri parte rectà deorſum: tam ampla, ut brachium cum pugno facillimè inſereretur. Lingua nulla. Arteria aſpera ingluviem ad ſex digitos pertingebat. Ingluvies ipſa toti roſtro adhærebat, & anguſtior ad extremum roſtrum ac paulatim profundior, ad trianguli ferè figuram.

Idem *Geſnerus* mentionem facit alterius cicuris, qui Mechliæ alebatur à multis annis: de quo Joannes Culmannus in hæc verba ſcripſit ad dictum Auctorem. *Avis quam Mechliniæ mihi conſpectam Vogelheim appellant, cygno vel anſeri ſimillima eſt, ſed magnitudine ſuperat, colore* Onocrotalus Mechlinienſis.

 albo

Digitized by Google

albo omnino, præter pennas quas in alis ſubtus gerit, niſi quòd præ ſenectute jam rubeſcere paulatim incipit. Roſtrum habet oblongum, & latum aliquatenus: ſub roſtro ſtrumam amplam, quæ interdum inflatur. De ea dicunt hujus regionis homines fide digni, octogenariam eſſe, & Cæſaris Maximiliani caſtra aliquot annis præceſſiſſe, & quaſi caſtris locum deſignâſſe. Idem etiam temporibus Philippi, hujus Imperatoris parentis, factum autumant. Poſtea in aula Reginæ aliquamdiu, dum per ætatem volare potuit, ſemper ex præparatu aulicorum profectionem adornari cognoviſſe dicitur. Itaq; quamdiu per ætatem licuit, Reginam quaſi avis cicurata ſecuta eſſe fertur. Nunc, quod ego vidi, impenſis regiis à quadam vetula illic alitur, quatuor nummis, quos ſtipheros vocant, in ſingulos dies ei decretis. Paſcitur nunc piſcibus, & cibis liquidioribus, ut pane ex jure &c. Hæc avis ab anu quam dixi, ejusq; patre, annis quinquaginta ſex nutrita eſt. De ætate ipſius, & unde advenerit, non conſtat. Alarum extenſarum ſpatium quatuor ulnas Brabanticas æquat, hoc eſt, quinque Helveticas ferè. Ante viginti annos tam ſublimi in aërem volatu quandoque evehebatur, ut hirundine nihil major appareret. Ab illo tempore non niſi rarò ex ædibus, ubi aſſervatur, in aulam Cæſaris, quæ ferè contigua eſt, volavit. Jam roſtrum, & pedes colore cæruleo & ſubflavo videntur (cùm olim ruberent) propter ſenectutem.

§. II. Onocrotali vox, locus, cibus, voracitas.

Onocrotali vox, cibus, voracitas &c.

VOcem terribilem, & inſtar ruditus aſini, edit Onocrotalus; unde & nomen ſortitus eſt; quem ut edat, roſtrum, teſte Alberto, in aquam vel terræ limum infigit. Quod & de Ardea ſuprà eſt dictum. Reperitur in aquis ſalſis, & dulcibus; ſed non niſi diffuſioribus, & piſce abundantibus. Bellonius vidit volantes in Ægypto, à Septentrione verſus Meridiem tendentes. Viſi ſunt & circa Nilum, & Strymonem fluvium, & aliis in locis. Item circa Ferrariam, & in Hetruriæ maritimis; & aliquando, ſed rariùs, circa Lauſannam Sabaudiæ in lacu Lemanno. Quem Geſnerus deſcripſit, fuit captus in Helvetia: quem Aldrovandus, circa Ferrariam.

Comedit piſces, ut vidimus; quos Mergis aliquando extorquet. Vorax eſt, & obvium quemque piſcem, etiam quinque librarum, abſorbet. Quidquid deglutit, citò digerit, quoniam venter ejus nullum habet diverticulum, quo cibum retineat: ſolum enim viſceris ductum habet, qui ab introitu oris uſque ad ſecreta naturæ pertingit. Devorat & conchas teſte Bellonio, easque interno calore apertas revomit, & carnem ab oſtreis ſeligit. Ingluviei ſub roſtro dependentis tanta eſt capacitas, ut *Perottus* ſcribat ſe obſervaſſe, ingentis ſtaturæ hominem ocreatum, pedem usque ad genu in fauces immittentem eximentemque ſine læſione.

In

Digitized by Google

In receptaculum illud *omnia inexplebile animal digerit; mox perfecta rapinâ, ſenſim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis modo refert*, inquit *Plinius* loco ſuprà citato. *Franciſcus Sanctius* refert apud Aldrovandum, in Onocrotalo quodam, cùm præ gravedine decidiſſet, & captus eſſet, parvulum puerum Æthiopem inventum fuiſſe. Turnerus apud Geſnerum & Aldrovandum teſtatur, bis tantùm in anno bibere. Sed hoc incredibile videtur in aquaticâ ave.

§. III. Onocrotali mores, & partus.

BEllonius ait, eſſe avem alacrem, & animoſam, capite erecto & ſublimi. Facilè cicuratur, & ferinos mores exuit. Ramulos congerit ad ripam fluminum, ſtagnorum, lacuum, aut maris, ubi degere ſolet; ibique tot ova ponit, quot ſolet cygnus edere, fœtusque eodem, quo ille, modo enutrire. Bartholomæus Anglicus tradit ex D. Iſidoro, Onocrotalum, cùm in littore quieſcit, roſtro dormire ad cœlum erecto, ejusque acie contra inopinatum accipitris inſultum ſe munire, ut ſecuriùs dormiat. Onocrotali mores, & partus.

Cardanus lib. 7. de Variet. Rerum cap. 36. ait, ſe vidiſſe Onocrotali reliquias Tiguri in palatio affixas, occiſi in lacu Tigurino. Addit, conſtare *avem eſſe aquaticam, & quæ multos devoret piſces, & magnos, inde evomat, & colligat quod utile eſt, relictis oſſibus. Nihil enim Natura fruſtra facit. Sed nomen oſtendit, vocem aſini illam referre, imò potiùs ſtrepitum. Exiſtimant Mari familiarem eſſe, & quandoque ad lacus redire. Nec absque ratione.*

CAPUT LX.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

De Pelecano.

IN tota Ornithologia vix ulla eſt avis, meâ quidem opinione, quæ Scriptores varios, profanos & ſacros, in plures diſtraxerit ſententias, quàm quæ Pelecanus aut Pelicanus dicitur. Seu enim nomen ſpectes, ſeu rem ipſam. cùm diu ac multa legeris, ægrè ſtatuas, quid tandem ſentiendum. Ego. ut quid probabilius mihi videatur, enuntiem, primò quid Ariſtoteles, aliique antiqui, deinde quid recentiores ſentiant, in medium afferam. Vocabo autem Avem hanc, de qua agitur, promiſcuè Pelecanum, & Pelicanum, quoniam id viros doctos facere invenio. Alii vocant Peſlicanum, & Pelecanem, à græco πελικὰν. Pelecanus quænam avis, anceps eſt.

§. I. De

§ I. De Pelecano quid Ariſtoteles, Cicero, Plinius, & Ælianus ſentiant.

Pelecanus ex antiquorum ſententia.

ARiſtoteles lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 10. hæc ſcribit. *Οἱ δὲ πελεκᾶνες, οἱ ἐν τοῖς ποταμοῖς γινόμενοι, καταπίνουσι τὰς μεγάλας κόγχας καὶ λείας, ὅταν δ' ἐν τῷ πρὸ τῆς κοιλίας τόπῳ πέψωσιν, ἐξεμοῦσιν, ἵνα χασκουσῶν τὰ κρέα ἐξαιροῦντες ἐσθίωσι.* Quæ verba Theodorus Gaza, Ariſtotelis Interpres, ita reddit latinè: *Platea fluviatiles conchas majuſculas leveſque devorat: quas ubi ſuâ ingluvie coxerit, evomit, ut biantibus jam, legat, teſtas exuens, atque edat.* Meliùs eadem verba Ariſtotelis latina facit recentiſſimus Tullii Commentator, *P. Petrus Leſcaluperius Pariſinus* è Societate JESU, in lib. 2. de Natura Deorum Sect. 124.

Plateæ aves.

Plateæ fluviatiles conchas majuſculas leveſque devorant; quas ubi ſuâ ingluvie coxerint, evomunt, ut biantibus illis, carnes ſeligentes, epulentur. Itaque quas Aves Ariſtoteles vocat *πελεκᾶνες*, hoc eſt, Pelecanes ſeu Pelecanos, Interpres vocat Plateas.

Hoc poſterius, quod Ariſtoteles de Pelecano ſeu Platea narrat, repetit etiam Auctor libri de Mirabilibus Auſcultationibus, ſive is ſit Ariſtoteles ſive Theophraſtus, ſive quis alius, ubi cap. 13. ſic habetur: *Pelecanos ajunt conchas fluviatiles vorare, multitudinemque ingeſtam mox vomere, at eo quod eſui eſt veſci, cæterùm à teſta abſtinere.* Idem Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. Animal. cap. 12. Plateas facit migratorias; *Plateæ*, inquiens, *etiam migrant, & de Strymone amne ad Iſtrum advolant, prolemque ibi faciunt.*

Poſt Ariſtotelem, & ſine dubio ex Ariſtotele, ſcribit *Cicero* lib. 2. de Natura Deor. ſect. 124. hæc verba: *Legi etiam ſcriptum, eſſe avem quandam, quæ Platalea nominetur: eam ſibi cibum quærere advolantem ad eas aves, quæ ſe in mari mergerent: quæ cùm emerſiſſent, piſcemque cepiſſent, uſque eò premere earum capita mordicùs, dum illæ captum amitterent id quod ipſa invaderet. Eademque hæc avis ſcribitur conchis ſe ſolere complere, eaſque cùm ſtomachi calore concoxerit, evomere; atque ita eligere ex iis, quæ ſunt eſculenta.* Exiſtimant nonnulli, in Ciceronis textum irrepſiſſe mendum: & pro *platalea* legendum *platea*; quoniam Plinius etiam, qui Tullii locum haud dubiè non ſolùm reſpexit, ſed etiam propè totidem verbis exſcripſit, plateæ vocabulo utitur.

Plinius igitur, qui poſt Ciceronem ſcripſit, lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 40. eadem quæ Cicero narrat breviter his verbis: *Platea nominatur, advolans ad eas, quæ ſe in mari mergunt, & capita illarum morſu corripiens, donec capturam extorqueat. Eadem cùm devoratis ſe implevit conchis, calore ventris coctas evomit, atque ex iis eſculenta legit, teſtas excernens.*

Pelecanus & Platea ſunt eadem avis.

Ex his conſtat, eadem quæ Ariſtoteles Pelecano, Tullium & Plinium attribuere Plateæ: ut proinde dubitandum non ſit, Pelecanum, ſeu ut alii

ut alii enuntiant, Pelicanum eandem cum Platea avem eſſe ex trium di-ctorum Auctorum mente; cùm præſertim Tullius Ariſtotelem, Plinius utrumque exſcripſiſſe videatur. Ex quo ulteriùs ſequi videtur, Pelicanum ſeu Plateam non differre ab Onocrotalo (quod poſtea examinabimus) ob cujus planum ſeu latum roſtrum fortaſſis Interpres Ariſtotelis, Tulliusque ac Plinius, eum vocârunt Plateam, ἀπὸ τοῦ πλάτους, à latitudine ſcilicet roſtri ipſius.

De Pelecanis ſeu Pelecanibus *Ælianus* lib. 3. Hiſt. Animal. cap. 20. ita ſcribit: Οἱ πελεκᾶνες ἐν τοῖς ποταμοῖς κόγχας &c. *Pelecanes fluviatilibus conchis ſe complent; easque cùm ſtomachi calore concoxerint, evomunt; atque teſtis jam alvi calore diductis, eligunt ex his quæ ſunt eſculenta.* Et eodem libro cap. 23. cùm narraſſet, ciconias juniores alere parentes ætate provectos, addit; *Ardeas & Pelecanos ſimiliter facere audio.* In græco textu eſt: καὶ τοὺς ἐρωδιοὺς ἀκούω ποιεῖν ταυτὸν: καὶ τοὺς πελεκᾶνας μέντοι. Et lib. 5. cap 35. ait: *Ardea conchas maximè appetit, easque, ut & Pelecani, clauſas devorat, & in gutturis ſinu, quem ingluviem vocant, tam diu condit, donec vi caloris dehiſcant. Quod cùm jam factum ſenſerit, teſtis ore rejectis, pulpas retinet, iisque vi ventriculi percoctis alitur.*

Oppianus in Aucupio, de Pelicino (ſic ipſe vocat, & utique idem cum Pelicano eſt) apud Geſnerum & Aldrovandum ita ſcribit: *Pelicini non minùs quàm Lares voraces: non toto tamen corpore merguntur: piſcem obvium quemque ampliſſimis faucibus exceptum devorant. Sinus quidam ante pectus dependet, in quem cibum omnem tubercinantes aliquantiſper recondunt, & nè teſtâ quidem intectis abſtinent, ſed unà cum teſtis primum quod ſe obtulerit, deglutiunt; deinde mortua in os revocant, & rejectis teſtis pulpam vorant: nam quæ dum viverent, occluſa erant, & vitâ ſpoliata aperiuntur, & dehiſcunt.*

§. II. De Pelicano quid ſenſerit Horus Apollo, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, aliique Patres, & Interpretes Scripturæ Sacræ.

H*Orus Apollo* in Hieroglyphicis lib. 1. cap. 51. ſymbolicam Pelecani ſignificationem apud Ægyptios explicans, ita ſcribit: Πελεκᾶνα δὲ γράφοντες &c. *Pelecanum autem pingentes, amentem ſimul ac imprudentem ſignificant. Cùm enim cæterarum volucrum more poſſit in locis editioribus ova reponere, id non facit: quin potiùs defoſsâ terrâ, illic pullos collocat. Quod ubi deprehenderint homines, locum illum arido bovis ſtercore circumlinunt, cui & ignem ſubjiciunt. Pelecanus autem conſpecto fumo, dum pennis ſuis ignem vult extinguere, contrà potiùs earum agitatione accendit. Quo cùm conflagrent ejus alæ, facilè ab aucupibus capitur &c.* Pelecanus ex Horo, & S S. Patribus.

S. *Epiphanius* in Expoſitionibus ſeu Phyſiol. cap. 8. *Præ omnibus volu-*

 cribus,

Digitized by Google

cribus, inquit, *Pelecanus prolis eſt amans. Fœmina nido incubat, pullos ſuos cuſtodiens, ipſosque ſovet, complectiturque, & nimiis oſculis ſauciat. Perforat itaque illorum latera, & illi moriuntur. Poſt tres verò dies accedit mas Pelecanus, & mortuos invenit pullos, & valde angitur; doloreque perculſus, proprium latus percutit, ac terebrat; emanatque ſanguis, quem ſuper mortuorum pullorum vulnera inſtillat, qui ſic vitæ reſtituuntur.* Hiſce apponit apodoſin, dicens, ſic Chriſtum Dominum latus ſuum aperuiſſe, & ſanguinem cum aqua ſuper mortuos filios, hoc eſt, homines effudiſſe, eosque ad vitam reduxiſſe.

S. *Hieronymus* Comment. in Pſalm. 101. verſ. 7. explicans verba illa: Similis factus ſum Pellicano ſolitudinis: ſic ſcribit: *Duo genera dicuntur eſſe horum volatilium: unum in aquis eſt, & eſca ejus piſces ſunt: & unum in ſolitudine, & eſca ejus venenata animalia, hoc eſt, ſerpentes, & crocodili, & lacertæ. Dicuntur autem iſta volatilia latinè Onocrotali. Illi ergo ſimilis factus ſum, qui eſt in ſolitudine, qui comedit venenata animalia, hoc eſt, eſca mea quaſi venenum erat mihi.* Idem dicunt de duplici genere Pelicani *Haimo*, & *Rickelius*; adduntque, eum qui ſolitudinem incolit, macie ſemper eſſe confectum. Hoc idem dixit *Innocentius*, & conſentit *Bruno*; addens, cauſam maciei naturalis eſſe, quòd tenſo inteſtino per viſcera, quidquid eſcarum accipit, ſine aliqua concoctione tranſmittit. *Arnobius* agnoſcit ſolum in deſertis habitantem; ſed venenatis eſcis veſci aſſerit. *Caſſiodorus* vocat avem Ægyptiam, non gregalem, ſed ſolitariam, ciconiæ corporis granditate ſimilem. *Remigius* quoque & *Hugo* aſſerunt, in ſolitudine verſari.

S. *Auguſtinus* Enarratione in eundem Pſalm. 101. ait, Pelecanum naſci in ſolitudine, maximè Nili fluminis in Ægypto; ac deinde addit: *Dicuntur hæ aves tanquam colaphis roſtrorum occidere parvulos filios ſuos, eosdemque in nido occiſos à ſe lugere per triduum. Poſtremò dicunt, matrem ſe ipſam graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere: quo illi ſuperfuſi reviviſcunt. Fortaſſe hoc verum; fortaſſe falſum ſit: tamen ſi verum eſt; quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit ſanguine ſuo, videte.* Et cætera quæ ſequuntur.

Eadem habet *D. Gregorius Magnus* in dictum Pſalmum. Quòd verò alii dicunt, eundem aſſerere, quòd Pelicanus pullos ſuos ſtatim ut nati ſunt, interficiat, ac deinde reviviſcere faciat modo dicto paulò antè ex S. Auguſtino; ego nullibi in Operibus S. Gregorii reperio.

D. Hieronymus, aut quisquis eſt Auctor Epiſtolæ ad Præſidium, paulò aliter ſcribit de cauſa mortis pullorum Pelicani; ait enim: *Pelicani cùm ſuos à ſerpente filios occiſos, & mortuos inveniunt, lugent, & ſe & ſua latera percutiunt, & ſanguine excuſſo ad corpora mortuorum, ſic reviviſcunt.*

Omitto

Omitto quæ ſcribit elegantiſſimè Georgius Piſidas Græco carmine (quod habetur in tom. 14. Bibliothecæ magnæ Patrum) de Pelicani ingluvie, & devoratione ac revomitione concharum; ut & alios plurimos Scripturæ Sacræ Interpretes quos adducere poſſem; & transeo ad recentiores Phyſiologos.

§. III. De Pelicano quid ſentiant B. Iſidorus, Albertus Magnus, Vincentius Belluacenſis, aliique recentiores Phyſiologi.

B. *Iſidorus* lib. 12. Originum: *Pellicanus*, inquit, *Ægyptia avis, habitans in ſolitudine Nili fluminis, unde & nomen ſumpſit: nam Canopus Ægyptus dicitur. Fertur, ſi verum eſt, eam occidere natos ſuos, eosque per triduum lugere: deinde ſeipſam vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis vivificare filios.* Pelecanus ex recentioribus Phyſiologis.

Albertus Magnus lib. 23. de Animal. *Pellicanus avis eſt, à pelle cana ſic vocatus, eò quòd canas habeat pennas. Habitare dicitur in Ægypto juxta Nilum. Et duo dicuntur eſſe Pellicanorum genera: unum aquaticum, quod piſcibus; alterum terreſtre, quod ſerpentibus & vermibus vivit. Et dicitur delectari lacte Crocodilorum, quod Crocodilus ſpargit ſuper lutum paludum; unde & Pellicanus ſequitur Crocodilum. De hac ave dicunt, quòd pullos ſibi infeſtos interficit; & deplanctos aliquamdiu, ſanguine quem de pectore morſu elicit, revocat ad vitam. Et eodem modo vivificat eos, dum à ſerpentis morſu, qui pullis inſidiatur, intereunt. Et de vulnere & ſanguine virium debilitatur tantum, quòd in nido remanet, & pulli pro ſua & matris cibatione extra compelluntur. Et ſi qui ſunt, qui aut propter inertiam, aut propter impietatem, quam in matrem habent, cibare matrem nolunt; hos cùm valuerit, abjicit; & providentes ſibi, ſe ſequi permittit. Hæc autem potiùs in Hiſtoriis leguntur, quàm ſint experimento per Philoſophiam probata.*

Ibidem de Platea, quam à Pelicano diſtinguit, ait ex Plinio eſſe avem, quæ avibus illis, quæ in mari piſcibus vivunt, advolat, & capita earum mordens compellit, ut prædam captam ſibi tradant. Eandem aliquando conchilibus ſe replere, easque revomere deinde, ac rejectis teſtis oſtrea, quæ intus latent, comedere.

Vincentius Belluacenſis in Speculo lib. 15. cap. 166. in unum conjungit, quæcunque hactenus ex variis Auctoribus attulimus in medium; ait enim: *Pellicanus dicitur quaſi pellem canam habens, id eſt, plumas albas. In Ægypto circa Nilum habitat, & lacte crocodili vivit; quod utique beſtia præ nimia mammillarum abundantia, in aliquo paluſtri loco, in magna quantitate ejicit: unde & crocodilum libenter Pellicanus ſequitur. Hæc avis macie ſemper afficitur; & quidquid glutit, citò digerit, quia venter ejus nullum habet diverticulum, quo teneat cibum, ſolum enim viſceris habet ductum, qui ab*

Digitized by Google

introitu oris uſque ad ſecreta naturæ pertingit. Pullos ſuos ſanguine lateris ſui vivificat, cùm eos propter importunitatem ſuam occiderit; vel à ſerpente, qui eis inſidiatur, interemptos invenerit. Poſt ſanguinis autem effuſionem adeo debilitatur, ut exire de nido non valeat, ſed ejus pulli pro cibatione ejus, & ſua, exire compelluntur. Quidam tamen eorum ſegnes exire nolunt, & pereunt: quidam autem & ſe ipſos quidem paſcunt, ſed matrem penitus negligunt. Quod cùm illa poſt convaleſcentiam viderit, pios filios nutrit, impios autem abjicit, & contemnit. Idem Auctor Albertum imitatus, diſtinguit Plateam à Pelicano, & ait: *Platea eſt avis, quæ ad aves in mari pro præda ſe mergentes advolat, earumq; capita corripit, donec extorqueat.*

Bartholomæus Anglicus lib. 12. de Proprietatibus rerum cap. 29. cùm dixiſſet, Pelicanum eſſe avem Ægyptiam, habitantem in ſolitudine juxta Nilum: ſimiliterque duo aſſignaſſet genera; unum in aquis habitans, ac piſcibus veſcens; alterum in terra, ſolitudinem diligens, ac veſcens animalibus venenoſis; addit ſequentia: *Omnia, quæ Pelicanus comedit, primò pede in aqua tingit, & intinctum quaſi cum manu pede ori applicat, & apponit. Solus Pelicanus inter aves prædæ præter Pſitticam, pede utitur loco manus.* His ſubjungit ex Plinio (ut ipſe ait) quæ ſequuntur; quæ tamen apud Plinium non inveniuntur.

Pelicanus, inquit, *eſt avis amator filiorum ſuorum. Cùm enim gignit natos, & incipiunt creſcere, parentes ſuos in faciem percutiunt: propter quod ipſos mater repercutit & occidit: tertio verò die mater ſe in coſta uſque ad effuſionem ſanguinis percutit, & calidum ſanguinem ſuper corpora mortuorum filiorum poſt effundit; ex cujus virtute pullus priùs mortuus reviviſcit.* Hæc verba, ut dixi, nullibi in Plinio, quod ſciam, reperiuntur. Pergit, additque alia ex Gloſſa ſuper illum locum Pſalmi 101. verſ. 7. Factus ſum ſicut Pelicanus &c. aliaque ex Jacobo de Vitriaco, dicens: *Pelicanus dicitur roſtro occidere pullos, & in triduo lugere, & tunc ſanguinem ſuum ſuper eos fundere, & ſic illos vivificare. Aliam cauſam mortis pullorum Pelicani adſignat Magiſter Jacobus de Vitriaco in libro de Mirabilibus Orientalium regionum. Eſt, inquit, in Ægypto avis, quæ vocatur Pelicanus, magnarum alarum, & maximæ maciei, quia quidquid deglutit, citò emittit per ſeceſſum: lubricum enim habet inteſtinum, & ideo uſque ad plenam incorporationem neque tenet cibum.* Hæc ex Vitriaco. Pergit adhuc, & addit de ſuo: *Hanc autem* avem *naturaliter edit ſerpens; propter quod ſerpens, dum pro paſtu mater exit, nidum repens per arborem pungit & interficit pullos ſuos: ſuper quos mater rediens, lugere per triduum fertur; deinde in pectore ſe vulnerat, & ſanguinem ſuper eos reſpergens, eos à morte ſuſcitat. Ex ſanguine verò copioſius ſic effuſo debilitatur mater, unde & pulli coguntur exire pro cibo. Quorum quidam naturali affectu matrem debilitatam paſcunt; quidam verò degeneres ſunt, & de matre penitus* nullam

Digitized by Google

Iconiſmus LIV. Ponatur è regione pag. 1029.



Digitized by Google

nullam curam gerunt. Quod diligentiùs advertens mater, receptis viribus filios ſe paſcentes refovet, & diligit; alios verò tanquam ignobiles & ingratos à ſe rejicit, & ſecum commanere aut vivere non permittit. Hactenus Bartholomæus Anglicus.

§. IV. De Pelecano quid ſentiant Gesnerus, Aldrovandus, Deuſingius.

Gesnerus lib. 3. de Avibus in litt. P. agnoſcit quidém Pelicanum & Plateam eſſe eandem avem, at neutram ab illa Ave diſtinguit, cujus iconem hîc poſitam apponit, & à ſe viſam ita deſcribit: *Capta apud nos Platea prope urbem in ripa lacus, circa finem Septembris, ad me allata eſt; candida pennis omnibus, præterquàm ultimis & maximis alarum, quæ ex parte inferiore nigricant. Pedes & crura nigra ſunt: magnitudo parum infra anſerem: lingua breviſſima, vel ſignum potiùs & initium linguæ: collum digitos longum circiter decem: oculi glauci: cauda brevis, quinque aut ſex digitos longa: crurum altitudo paulò infra duos dodrantes: inter digitos pedum aliquid membranæ eſt, idque ampliùs inter duos majores: ungues breves, nigri, acuti. Obeſa admodum erat, multâ circa cutim pinguedine undequaque. Inteſtina admodum involuta, prapinguia. Fel viride. In ventriculo herbas quaſdam aquaticas virides reperiebam, & ramenta quædam radicum geniculata, arundinum puto. In aquam immiſſa natabat, & quærebat aliquid immerſo roſtro in fundo. Iraſcens adeuntibus roſtro aperto colliſoque ſonitum edebat. Pediculis quibusdam latis infeſtabatur.* Hæc Gesnerus. Addit rarò apud nos capi, frequentiùs in Bohemia, & apud Anglos in littore maris. Addit ulteriùs, Italos quosdam avem illam, cujus iconem poſuimus, hodie appellare *becquaroveglia*; Gallos *pale*, à palæ vel cochlearis figura, quam roſtri latitudine refert; Germanos Löffler/vel Löffelgans/hoc eſt, cochleariam, vel anſerem cochlearium. Hunc ſuum Pelicanum Gesnerus Ardearum generi adnumerat, nec alio inſigni ab iis differre exiſtimat quàm roſtri latitudine. Et tametſi *Ariſtoteles* lib. 8. Hiſtor. Animal. cap. 3. Ardeæ albæ ſeu Albardeolæ tribuat etiam roſtrum latum ac porrectum; ipſe tamen Gesnerus vidiſſe ſe ait Albardeolas in Italia roſtro non lato, ſed cæteris ſimili. Pelecanus ex aliis recentioribus. Vide Icon. LIV.

Aldrovandus lib. 19. Ornitholog. cap. 2. cujus epigraphe eſt, *De Onocrotalo ſeu Pelicano*, mordicùs tenet, Pelicanum eſſe Onocrotalum; capite præcedenti à nobis deſcriptum; monetque ſeriò lectorem Ornithologi (Gesnerum intelligit) nè unà cum illo Onocrotalum diverſum à Pelicano Ariſtotelis exiſtimet. Gesneri autem ſententiam refellit ex eo præcipuè, quòd Pelicanus ab ipſo deſcriptus atque depictus, ſit Ardea, quam Leucherodium ſeu Albardeolam vocant Ariſtoteles & Plinius; & quòd Ælianus expreſsè diſtinguit Pelicanum ab Ardea, ut ſuprà §. 1. vidimus.

 Claris-

Digitized by Google

Clariſſimus *Deuſingius* in Diſſertatione erudita de Pelecano, ut in ejus cognitionem deveniat, excutit atque expendit voces Hebraicas, Chaldaicas, Arabicas, & Perſicas, quibus ſignificantur variæ aves, quæ pro Pelicano ab aliquibus obtruduntur; & poſt longam atque accuratam diſcuſſionem concludit in fine Num. 69. *Eſſe tamen interim in rerum natura Avem πελικᾶνα dictum Ariſtoteli, ac aliis, non admodum eſt dubium; quamvis ſit incertum, quâ voce Hebrais propriè deſignetur.*

Omitto innumeros penè alios, qui de Pelecano mentionem faciunt, & citantur à Geſnero, Aldrovando, & Deuſingio. *P. Laurentii Foreri* ſententia in Viridario Diſput. de Animal. Num. 29. non diſcrepat à ſententia Aldrovandi. *Sperlingius* valde confusè de ea ſcribit, miſcetque plurima incerta.

§. V. De Pelecano noſtra ſententia.

Pelecanus quæ ſit avis ex noſtra ſententia.

IN re ancipiti ut quid, ſalvo meliori aliorum judicio, ſentiendum arbitrer, enuntiem; præmitto, Pelicani naturam, proprietates ac mores, ex antiquis Phyſiologis qui extant, Ariſtotele, Plinio, Æliano, Oppiano & ſi qui ſunt alii, rimandos eſſe: hi enim, ut ſcripta monumenta loquuntur, & tota teſtatur antiquitas, omne adhibuerunt ſtudium, ut in naturalium rerum cognitionem exactiſſimam devenirent; reliqui verò in toto hoc capite citati Auctores, ſeu ſacri, ſeu profani, ſua ex prædictis hauſerunt, & (ſi paucos excipias) non proprio experimento, ſed aliorum relatione auxerunt. Hoc poſito.

Pelecanus eadem avis cum Ardea eſt.

Exiſtimo *Primò*, Pelecanum ſeu Pelicanum eandem eſſe avem cum Platea. Primò, quia, ut vidimus §. 1. quem Ariſtoteles vocat Pelecanem, aut Pelecanum; Cicero, Plinius, & Ariſtotelis Interpres Gaza, Plateam appellant; Oppianus verò Pelicinum. Secundò, quia proprietates [illegible]as Ariſtoteles & Ælianus Pelecano, Oppianusq; Pelicino ſuo attribuunt, citatus Cicero ac Plinius tribuunt Plateæ. Et in hac ſententia eſt etiam *Aldrovandus* lib. 19. Ornithol. cap. 2. & *Geſnerus* lib. 3. de Avibus, cap. de Onocrotalo, pag. 605. & ſeqq.

Pelecanus diſtinguitur ab Ardeis ordinariis.

Exiſtimo *Secundò*, Pelecanum ſeu Plateam diſtingui ab Ardeis ordinariis. Ratio eſt, quia *Ælianus* lib. 3. Hiſt. Animal. c. 23. & lib. 5. c. 25. expreſsè diſtinguit Ardeas, & Pelicanos, ut patet ex verbis §. 1. adductis. Ariſtoteles quoque & Plinius aliis locis de Ardeolis, aliis de Pelicano ſeu Platea agunt. Aldrovandus addit, Ardeas nullam habere ingluviem roſtro ante pectus adhærentem; Ariſtotelem verò Pelecano ſuo attribuere ingluviem, illis verbis §. I. allatis: *ὅταν δ' ἐν τῷ πρὸ τῆς κοιλίας τόπῳ πέψωσιν, cùm conchas in loco ante ventrem coxerit.* Oppianus quoq; Pelecino ſuo, hoc eſt, Pelicano Ariſtotelis, ſinum quendam ante pectus dependere, in quem cibum aliquantiſper recondat, ſcribit, ut vidimus eodem §. I. Sed nè quid diſſi-

Digitized by Google

diſſimulem, invenio *Ælianum* lib. 5. cap. 25. etiam Ardeæ attribuere gutturis ſinum, quem ingluviem vocant. Verba recitavi §. I. Itaque Aldrovandi argumentum nihil convincit.

Exiſtimo *Tertiò*, Pelicanum ſeu Plateam non eſſe Avem illam, quam Geſnerus pro Pelecano obtrudit; ſive ex Ardearum genere ea ſit, ſive non. Ita ſentit etiam Aldrovandus. Ratio præcipua, quæ me movet, eſt, quia Ariſtoteles, Ælianus, & Oppianus tribuunt Pelicano ſinum ſeu receptaculum ante pectus; quo caret Avis illa Geſneri. Pelecanus non eſt Avis illa, quā Gesnerus eſſe putat Pelecanum.

Exiſtimo *Quartò*, Pelicanum ſeu Plateam non diſtingui ab Onocrotalo. Ita ſentit *Aldrovandus* lib. 19. Ornithol. cap. 2. & apud ipſum *Bellonium*; qui tamen Onocrotalum (& conſequenter Pelicanum ſeu Plateam) ab Ave Diomedea non diſtinguit; cùm tamen diverſa omnino ſit, uti ex dictis hoc & præcedenti capite, & ſuprà cap. 36. patet. Ratio, quæ me movet, eſt, *primò*, quia præcipua ſigna Pelicani, quæ ſunt ingluvies illa ante pectus, & concharum devoratio ac revomitio, conveniunt etiam Onocrotalo. *Secundò*, quia Onocrotali ſunt aves palmipedes, amantes ſtagna, fluvios, & maria. Tales ſunt & Pelicani, cùm piſcibus & oſtreis veſcantur, ut ex dictis conſtat. *Tertiò*, quia ex Antiquis Oppianus expreſsè Onocrotalum cum ſuo Pelicino eundem facit, & ex Recentioribus quidam Pelicanum ſeu Plateam ab eodem Onocrotalo non diſcernunt, ut agnoſcit etiam *Geſnerus* lib. 3. de Avibus cap. de Onocrotalo, pag. 606. *Quartò*, quia Bellonius auctor eſt, Onocrotalos circa Strymonem fluvium abundare: & Ariſtoteles, ut §. I. vidimus, ait, Pelicanos ſeu Plateas à Strymone ad Iſtrum migrare. *Quintò*, quia nec Ariſtoteles, nec Ælianus, nec Oppianus quidquam ſcribunt de Onocrotalo; ſolus Plinius unico loco lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 47. initio, Onocrotali meminit; quòd ſolùm fecit, ut ab Olore ſeu Cygno eum diſtingueret. Signum ergo eſt, quòd nomine Pelecani & Plateæ, intelligant etiam Onocrotalum, quia non eſt credibile, voluiſſe illos avem alioquin ſatis notam relinquere intactam. Argumentum aliud à vocabulo Hebraico, quo in Scriptura Sacra tam Onocrotalus, quàm Pelicanus interdum exprimitur, vide apud Aldrovandum; quod tamen non urgeo, quia ex Hebraicis vocabulis animalium nihil certi poteſt erui, ipſis etiam Rabbinis fatentibus. Pelicanus non diſtinguitur ab Onocrotalo.

Exiſtimo *Quintò*, Præter actiones & mores Pelicano ab Ariſtotele, Cicerone, Plinio, Ælianoque attributas, reliquas à diverſis aliis Scriptoribus antiquis ac recentioribus, ſacris atque profanis, eidem attributas, eſſe incertas; quod vel ipſi Auctores plerique fatentur, ut vidimus §. 2. & 3. An verò, & quale fundamentum habuerunt ii, qui dictas actiones Pelicano attribuerunt, non vacat nunc diſcutere. Atque hæc mea eſt de Pelecano ſententia.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXI.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA.

De Phœnice.

Phœnix.

NOn minor de Phœnice, longæva, & unica in Orbe Ave, ut putant, quàm de Pelecano, inter Scriptores antiquos ac modernos controverſia eſt, non qualis ea ſit avis, ſed num ſit, aut ullo unquam tempore fuerit, acriter diſceptantes. Phœnicem enim dari, ex Antiquioribus aſſerunt plurimi, ex Recentioribus credunt non pauci; non pauciores tamen inter fabulas & Poëtarum commenta numerant, quæcunque de Ave ejuſcemodi referuntur. Alii mediam quaſi viam ineuntes, dari quidem probabiliter avem putant, quæ Phœnix vocitetur; admodum tamen improbabile putant, unicam eſſe, & tot ſæcula vivere, ac tandem eâ ratione mori ac reſuſcitari, quâ ab aliis fingitur. Nos quid ſentiamus, tunc aperiemus, cùm priùs quid varii de illa ſcripſerint, viderimus: nemo enim rectè de eo diſcernit, quod ignorat. Sed ad prolixitatem fugiendam, antiquorum ferè tantùm teſtimonia adducemus; ex his enim recentiores ſua deſumpſerunt.

§. I. Antiquorum teſtimonia de Phœnice.

Phœnix an & qualis ſit, ex antiquis.

HErodotus in Euterpe, ſive lib. 2. Hiſtor. *Eſt & alia volucris ſacra, nomine Phœnix; quam equidem nunquam vidi niſi in pictura; etenim perrarà ad eos commeat, quingenteſimo quoque (ut ajunt Heliopolitani) anno, & tunc demum, cùm pater ejus diſceſſit. Is ſi picturæ aſſimilis eſt, talis tantuſque eſt: Penna coloris partim aurei, partim rubei; maxima ex parte cùm habitu, tum magnitudine ſimillimus aquilæ. Eum ajunt (quod mihi non ſit veriſimile) hoc excogitare: Ex Arabia proficiſcentem in templum Solis, geſtare patrem myrrhâ obvolutum, & in eo templo humare. Sic autem geſtare. Primùm ex myrrha ovum componere quantum ipſe ferre poſſit: deinde ferendo illud experiri: hoc expertum, ita demum ovum exenterare, atque in illud parentem inferre: & qua parte ovum exinanivit, patremq; intulit, eam partem aliâ myrrhâ inducere: & cùm tantundem ponderis impoſito parente effectum ſit, obſtructo rurſus foramine, bajulare illud in Ægyptum in templum Solis. Hæc facere hanc avem commemorant.* Hæc Herodotus.

Plinius lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 2. ex aliorum tamen ſententia, & ſuſpenſo judicio ſuo, ita ſcribit. *Æthiopes atque Indi diſcolores maximè & inenarrabiles ferunt aves, & ante omnes nobilem Arabiæ Phœnicem (haud ſcio an fabuloſè)*

Digitized by Google

fabuloſè) unum in toto Orbe, nec viſum magnopere. Aquila narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem, caputq; plumeo apice cohoneſtante. Primus atque diligentiſſimus togatorum de eo prodidit Man..ius, Senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo, neminem extitiſſe qui viderit veſcentem, ſacrum in Arabia Soli eſſe, vivere annis ſexcentis ſexaginta, ſeneſcentem caſiâ thurisque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuperemori. Ex oſſibus deinde & medullis ejus naſci primò ceu vermiculum, inde fieri pullum, principioque juſta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, & in ara ibi deponere. Cum hujus alitis vita magni converſionem anni fieri, idem Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eaſdem reverti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis Sol intraverit. Et fuiſſe eum converſionis annum prodente ſe P. Licinio, M. Cornelio Conſulibus. Cornelius Valerianus Phœnicem devolaſſe in Ægyptum tradit, Q. Plantio, Sex. Papinio Conſulibus. Allatus eſt & in urbem, Claudii Principis Cenſurâ, anno Urbis octingenteſimo, & in Comitio propoſitus; quod actis teſtatum eſt; ſed quem falſum eſſe nemo dubitaret. Hæc Plinius. Idem lib. 13. cap. 4. loquens de palmæ cujusdam ſpecie, ait, eam *cum Phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, emori, ac renaſci ex ſeipſa.*

Eadem habet *Solinus* in Polyhiſt. cap. 46. ſed ſine hæſitatione. Discrepat tamen in annis vitæ Phœnicis, & converſionis magni anni. Verba ejus ſunt: *Apud eosdem* Arabes *naſcitur avis Phœnix, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis extantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſterâ parte purpureus, abſque* (id eſt, exceptâ) *caudâ, in qua roſeis pennis cæruleus inſcribitur nitor. Probatum eſt, quadraginta & quingentis eum durare annis. Rogos ſuos ſtruit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat in Solis urbem, ſtrue altaribus ſuperpoſitâ. Cum hujus vita magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter Auctores; quamvis plurimi eorum magnum annum non quingentis & XL. ſed duodecim millibus noningentis quinquaginta quatuor annis conſtare dicant. Q. itaque Plantio, Sex. Papinio Conſulibus, Ægyptum Phœnix involavit; captusq; anno octingenteſimo urbis conditæ, juſſu Claudii Principis in Comitio publicatus. Quod geſtum, præter Cenſuram, quæ manet, actis etiam urbis continetur.*

Ælianus lib. 6. de Animal. cap. 58. ſupponens tanquam certiſſima, quæ de Phœnicis renovatione quingenteſimo quolibet anno, deque ejuſdem Heliopolim adventu, aliiſque circumferuntur; admirans hujuſce avis peritiam numerandi, ita ſcribit. *Phœnices alites abſque ulla calculandi arte, numerum quingentorum annorum veluti ſapientiſſimæ Naturæ diſcipuli, computare nôrunt; neque vel digitis vel aliâ re, ad hanc cognitionem opus habent. Cujus autem rei gratiâ hunc numerum eos tenere oporteat, vulgatum eſt &c.* &

Pppppp pau-

Digitized by Google

paulò pòſt: *Jam porrò quòd nôrunt eadem aves, ubi ſit Ægyptus ſita, & ubi in ea Heliopolis, ad quam ceu fatalem ipſis civitatem advolant; & ubinam pater ſit deponendus, & quibus in thecis; quis quæſo, non admirabilis ſapientiæ argumenta ſecerit?* His ultimis verbis quid innuat Ælianus, ex ſequentibus intelligetur.

Philoſtratus lib. 3. Vitæ Apollonii refert, Jarcham Indiæ Regem hæc de Phœnice Apollonio retuliſſe: *Avem quoque Phœnicem eſſe percredimus, quæ quingenteſimo quoque anno in Ægyptum veniens, hanc ipſam Indiam ſupervolat. Ajunt autem, unicam tantùm hanc avem eſſe, & ex ſe radios emittere, atque auri colore fulgere; magnitudine verò, formâque aquilæ; in nido conſidere, quem prope Nili fontes ex aromatibus ipſamet ſibi conſtruit. Hæc verò quæ de ipſa decantant Ægyptii, quo pacto in Ægyptum deferatur, ipſi etiam Indi teſtificantur ſermoni conſentientes, quo dicunt, Phœnici liqueſcenti lugubres hymnos decantari oportet.*

Cornelius Tacitus Hiſtor. lib. 6. *Paulo Fabio,* inquit, *L. Vitellio Conſulibus, poſt longum ſæculorum ambitum avis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctiſſimis indigenarum, & Græcorum, multa ſuper eo miracula diſſerendi. De quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore ac diſtinctu pennarum à cæteris avibus diverſum, conſentiunt qui formam ejus definiêre. De numero annorum varia traduntur. Maximè vulgatum, quingentorum ſpatium. Sunt qui aſſeverent, mille quadringentos ſexaginta unum interjici; prioresq; alites Seſoſtride primùm, pòſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolaviſſe, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obſcura. Inter Ptolemæum ac Tiberium minùs ducenti quinquaginta anni fuerunt. Unde nonnulli falſum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre, nihilque uſurpaviſſe ex his quæ vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere; ex quo fœtum oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris. Neque id temerè, ſed ſublato myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium corpus, inque Solis aram perferre, atque adolere. Hæc incerta, & fabuloſis aucta. Cæterùm aſpici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur.*

Horus Apollo in Hieroglyphicis lib. 1. cap. 33. docens, quomodo Ægyptii eum, qui ſerò tandem è regione peregrina ad ſuos redit, exprimant, ait: *Quia & eum innuentes, qui longo tempore peregrinatus, tandem in ſolum natale remeat, rurſum Phœnicem avem pingunt. Hæc enim in Ægyptum, cùm tempus mortis inſtat, quingenteſimo demum annô regreditur: ubi ſi naturæ debitum perſolverit, magnâ ſolemnitate ac ritu funeratur.* Idem lib. 2. cap.

cap. 54. *Inſtaurationem autem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſæcula, volentes indicare, Phœnicem avem pingunt. Hic enim dum naſcitur, rerum viciſſitudo fit, & innovatio. Gignitur autem hunc in modum. Jam jam moriturus Phœnix, in terram ſeſe ſummo impetu projicit, unde & vulnus accipit. Ex ſanie verò* vulneris *defluente alius gignitur; qui ſimul ac pennæ ei natæ ſunt, cùm patre Heliopolim, quæ in Ægypto eſt, proficiſcitur. Quò cùm pervenerit, pater illic, ſimul ac Sol ortus eſt, moritur: poſt cujus mortem pullus in ſuam redit patriam. At Phœnicem hunc vitâ functum Ægyptii Sacerdotes ſepulturæ mandant.*

Pomponius Mela lib. 3. de Situ Orbis cap. 9. *De volucribus præcipuè referenda. Phœnix ſemper unica: non enim coitu concipitur, partuvè generatur, ſed ubi quingentorum annorum ævo perpetua duravit, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat, ſolviturque: deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur: cùm adolevit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrhâ Ægyptum exportat, atque in urbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo buſtis inferens, memorando funere conſecrat.*

Omitto multos alios, qui de Phœnice aut ſcripſerunt, aut ejus meminerunt, quos inter eſt Oppianus, Ovidius lib. 15. Metamorph. Claudianus ſingulari poëmate, Lucanus, Statius, Seneca, Dio Caſſius, Daldianus de Interpret. Somnior. lib. 4. cap. 49. & alii.

§. II. Teſtimonia Sanctorum Patrum, & aliorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, de Phœnice.

NOn minùs frequentes ſunt Sancti Patres, aliiq; Eccleſiaſtici Scriptores, in prædicanda Phœnicis mirabili origine, morte, ac palingeneſia, vitæ longævitate, aliiſque hactenus recenſitis proprietatibus, & actionibus. Præcipui ſunt Clemens Romanus, S. Cyrillus, S. Epiphanius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, antiquiſſimus Tertullianus, Euſebius Cæſarienſis, Lactantius, & alii. Nonnullorum verba apponere lubet; reliquorum loca tantùm indicabo. Phœnix an, & qualis, ex SS. Patribus.

Clemens Romanus lib. 5. Apoſtolicar. Conſtitut. cap. 6. hæc habet. *Narrant autem, quandam eſſe unigenam, quæ reſurrectionem affatim demonſtret. Hanc dicunt non maritari, & unicè atque ſolitariè gigni; Phœnicem vocant. Qui etiam narrant, quingenteſimo quoque anno in Ægyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo cinnamomo, & caſſia, ac xilobalſamo volare; & ſtantem ad orientem Solem, ut ajunt, precari, & ſponte incendi, atq; in cinerem redigi; ex cinere autem vermem renaſci, atq; ex eo tepefacto formari novum Phœnicem; & cùm facta eſt volucris, ferri in Arabiam.* Eadem clariùs atq; expreſſiùs habentur in Epiſtola quadam ad Corinthios ejuſdem *Clementis*, edita primùm à Patricio Junio. Verba Epiſtolæ refert *Kirchmaierus* Diſput. de Phœnice §. 12. *Cùm autem animadvertit ſuum finem inſtare, ipſa ſibi loculum*

 facit

facit ex thure, & myrrha, aliiſque aromatibus; revolutoque tempore ingreditur in eum, & moritur. Solutâ deinceps in putrefactionem carne, vermis inde generatur; qui ex humore defuncti animalis nutritur, & plumeſcit; robuſtiorque factus tollit illum loculum, ubi oſſa parentis ſunt, & portans ea in Ægyptum, in civitatem Heliopolim pervolat, claro die in conſpectu omnium advolans, ſuper aram Solis illa ponit &c.

Eadem ſcribit *Cyrillus Jeroſolymitanus* Catecheſi 18. dicens, ſe illa mutuatum ex Clemente.

S. Epiphanius in Phyſiolog. cap.9. *Phœnix avis*, ait, *pavone pulchrior eſt: pavo enim aureas argenteaſque habet alas; Phœnix verò hyacinthinas, & ſmaragdinas, precioſorumque lapidum coloribus diſtinctas. Coronam autem habet in capite, & in pedibus malleolos. Prope Indiam degit. Vivit autem annos quingentos, & in cedris Libani absque cibo & potu, vento paſcitur. At poſt quingentos annos alas aromatibus implet; & cùm Heliopoleos ſacerdos ſacrificia inchoat, è proprio egreditur nido, ad ſacerdotem pergit, unàq; templum ingreditur uſq; ad ſacrarium, & in cinerem tota conſumitur. Sequenti autem die alis renatus reperitur. Tertiâ verò die jam integra, ſacerdotem ſalutat; reſtaurataq; iterum ad proprium locum redit.*

S. Ambroſius lib.5. Hexaëm. cap.23. *Phœnix quoque avis in locis Arabiæ perhibetur degere, atq; ea uſque ad annos quingentos longævitate procedere. Quæ cùm ſibi finem vitæ adeſſe advertit, facit ſibi thecam de thure, & myrrha, & cæteris odoribus; in quam impleto vitæ ſuæ tempore intrat, & moritur. De cujus humore carnis vermis exurgit, paulatimque adoleſcit, ac proceſſu ſtatuti temporis induit alarum remigia, atque in ſuperioris avis ſpeciem formamq; reparatur.* Idem Sanctus libro de fide Reſurrectionis ita ſcribit. *Avis in regione Arabia, cui nomen eſt Phœnix, redivivo ſuæ carnis humore reviviſcit: ſolos non credimus homines reſuſcitari? Atqui hoc relatione crebrâ, & Scriptorum auctoritate cognovimus, memoratam avem quingentorum annorum ſpatia vitali uſui habere præſcripta; eamque cùm ſibi finem vitæ adeſſe præſagâ quadam naturæ ſuæ æſtimatione cognoverit, thecam ſibi de thure, myrrha, & cæteris odoribus adornare, completoque opere pariter, ac tempore intrare illam, atque emori; ex cujus humore oriri vermem, paulatimq; eum in avis ejusdem figuram concreſcere, uſumque formari: ſubnixam quoque remigio pennarum, renovatæ vitæ officia muneris pietatis ordiri. Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum reſurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens reſurgit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit; atque ita reſurrectione avis hujus, locorum incolæ completum quingentorum annorum tempus intelligunt.*

Lactantius in peculiari carmine de Phœnice ave ita cecinit.

Paret, & obſequitur Phœbo memoranda ſatelles,
Exſpectat radios, & jubar exoriens.

Digitized by Google

Illa ter alarum repetito verbere plaudit,
Igniferumq; caput ter venerata, ſilet.
Tum legit aëreo ſublimem vertice palmam,
Vitaliq; toro membra quieta locat.
Conſtruit illa ſibi ſeu nidum, ſive ſepulchrum,
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.

Et iterum eodem loco:

Fœmina, vel mas hac, vel neutrum ſit mage, felix,
Felix quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus eſt; ſola eſt in morte voluptas.
Ut poſſit naſci hac, appetit antè mori.
Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Omitto alios, inter quos ſunt *Tertullianus* lib. de Reſurrect. cap. 13. *S. Auguſtinus* Serm. 18. ad Fratres in Eremo, *S.Cyprianus* (ſeu potiùs Ruffinus) in Expoſit. Symboli, *S.Hieronymus*, (ſeu quisquis eſt Auctor) Epiſtola ad Præſidium, & alii multi.

§. III. Semipriſcorum ac Recentiorum de Phœnice teſtimonia.

B. *Iſidorus* lib. 12. Originum cap. 7. *Phœnix avis Arabia, dicta quòd colorem Phœniceum habeat, vel quòd ſit in toto Orbe ſingularis & unica: nam Arabes ſingularem & unicam, Phœnicem vocant. Hac quingentis ultra annis vivens, dum ſe viderit ſenuiſſe, collectis aromatum virgultis, rogum ſibi inſtruit, & converſa ad radium Solis, alarum plauſu voluntarium ſibi incendium nutrit, ſicq; iterum de cineribus ſuis reſurgit.* Phœnix an, & qualis, ex ſemipriſcis, & recentioribus.

Albertus Magnus lib. 23. de Animal. cap. de Phœnice (Fœnicem ille ſcribit) ait. *Phœnicem avem eſſe Arabia, in Orientis partibus, ſcribunt hi, qui magis Theologica myſtica, quàm naturalia perſcrutantur. Dicunt autem, hanc avem ſine maſculi & ſexus commixtione ſolam in ſua eſſe ſpecie, & convenire in orbem, & trecentis quadraginta annis vivere ſolitariam. Eſt autem, ut dicunt, aquila magnitudinis, caput habens ut pavo; fauces etiam habet criſtatas; circa collum fulgore aureo purpureus eſt; caudam habet longam purpurei coloris, pennis quibusdam roſeis, & interſcriptam, ſicut interſcribitur cauda pavonis quibusdam orbibus ad modum oculorum formatis; & eſt hac varietas mira pulchritudinis. Cùmq; ſentit ſe ætate gravari, conſtruit nidum in alta & abdita, ſuper limpidum fontem ſita arbore, ex thure, & myrrha, & cinnamomo, & aliis aromatibus pretioſis, & ruit in nidum, & ſe radiis ferventibus objicit Soli, & illos reſplendentiâ pennarum multiplicat, donec ignis elicitur: & ſic ſe cum nido incendit, & incinerat; dieq; altero dicunt vermem in cineribus naſci, qui alio die tertiâ*

Digitized by Google

aſſumptis infra paucos dies in avem priſtina figura commutatur: & tunc avolat. Referunt etiam, hoc jam ſemel in Heliopoli Ægypti civitate accidiſſe, quòd ſuper compoſitionem lignorum ſacrificiorum avis hæc aromata comportans ſe incendit, & ad viſum ſacerdotis priùs dicto modo duabus generationibus vermis & avis formata eſt, & avolavit. Et ſicut dicit Plato, non ſunt à nobis calumnianda, quæ libris ſacrorum delubrorum conſcripta referuntur.

Eadem penè, paucis mutatis, aut omiſſis, habet *Vincentius Belluacenſis* lib. 15. Speculi cap. 158. De eâdem ſcribit *Bartholomæus Anglicus* lib. 12. de Propriet. Rerum cap. 14. *Joannes Tzetzes* Variar. lib. 5. & 6. *Conimbricenſes* lib. 2. de Cœlo cap. 3. q. 6. a. 4. *Rubius* lib. eodem de Cœlo cap. 3. q. 3. aliique multi Philoſophi, *Forerus* in Viridario Diſp. de Animalibus Num. 18. *Stengelius* lib. de Monſtris cap. 2. §. 2. ſeqq. *Kirchmaierus* in Diſputationibus Zoologicis, ac noviſſimè *Deuſingius* in Diſſertatione de Phœnice. Item ante horum multos *Geſnerus* lib. 3. de Avibus, & *Aldrovandus* lib. 12. Ornithologiæ cap. 28.

§. IV. Argumenta quibus Phœnicem eſſe in rerum natura probatur.

Phœnicem eſſe in rerum natura, quibus argumentis probetur.

Vidimus hactenus quam varii Scriptores Phœnici tribuant formam, quam magnitudinem, pulchritudinem, ætatem ſeu longævitatem, quod natale ſolum, quem ortum & interitum, quem victum, aliaque ſimilia. Videndum nunc, an fuerit unquam in cenſu naturæ, ac etiamnum ſit talis avis. Variæ ſunt omnino ſententiæ. Aſſerunt multi; negant non pauci; diſtinguunt aliqui, ut initio etiam diximus. Hîc affirmantis ſententiæ argumenta proponimus.

I. Argumentum deſumitur ab auctoritate Scriptorum antiquorum ac recentiorum, quorum teſtimonia ex parte jam adduximus: quod autem tam multi, tam graves, tam in aliis aſſertionibus veraces teſtes adſtruunt, nefas eſt exiſtimare falſum, ex toto ſaltem, exiſtere; ergo &c.

Semenda avis Indiæ.

II. Argumentum deſumitur ab alia ſimili ave. Refert enim *Nicolaus de Comitibus*, apud Aldrovandum, Forerum, & Stengelium, in ulteriore India avem eſſe, Semendam nomine, trifido ſeu potiùs trifiſtulari roſtro, quo muſicum ſonum, ad cujus imitationem paſtores haud inſuave inſtrumentum compoſuerint, edat. Hanc ajunt præſentire mortem ſuam, eâque propinquante ligna deferre in nidum, cantillare, & alarum percuſſione ligna incendere, atque comburi; inde vermiculum gigni ex cineribus, qui poſtea in avem ejuſdem ſpeciei excreſcat. Vide quantam ſimilitudinem hæc avis cum Phœnice gerat? Imò à Phœnice non differre, exiſtimat *Scaliger* Exercit. 233. in fine; his verbis: *Phœnicem haud eſſe penitus fabuloſum, legimus in Commentariis Navigationum in Mediterraneis Indiæ reperiri.*

Digitized by Google

periri. Semenda vocatur ab incolis. Ceterùm hujus hiſtoria fidem levat additum mendacium. Ajunt enim, ei roſtrum trifiſtulare, unde muſicum edat ſonum, cujus ad imitationem paſtores inſtrumentum compoſuerint haud inſuave.

III. Argumentum deſumitur ex avicula quadam Americana, minima quidem in mole, maximi tamen miraculi in ortu, in morte, in reviviſcentia, in ſe tota. Indi eam *Hoitzitziltototl* vocant. *Franciſcus Hernandez* apud *Nierembergium* lib. 10 Hiſtor. Natur. cap. 1. ait, eam eſſe minimam; plumis variorum pictam colorum; non diutiùs vivere, quàm flores herbarum, quarum alitur melligine, durent ſuperſtites; poſtquàm verò emarcuêre, ad pinus aliasvè arbores ſeſe quâdam Naturæ providentiâ conferre, eique ſe roſtro affigere, ſicq; appenſam hærere, donec ſex plùs minùs transactis menſibus, ac decidentibus jam pluviis, verhantibus agris, ac amicis herbis rurſus ortis atque florentibus, denuò reviviſcat, ſimiles vices pluries ſubitura. Addit *Hernandez* (qui Philippi II. Hiſpaniarum Regis juſſu in Americam profectus, novi Orbis miracula teſtis oculatus vidit, ac ſcriptis mandavit) rem hanc eſſe veriſſimam, & fide digniſſimorum hominum teſtimonio compertam: ſervatam quippe eſſe non ſemel avem affixam ſtipiti intra cubiculum; & cùm ſex menſes exanimis jacuiſſet, tempore à Natura ſibi præſcripto revixiſſe, ac dimiſſam in agros avolaſſe. Ejusdem aviculæ meminit *Gomara* in Hiſtoria de Mexicanæ urbis expugnatione, & in Hiſtoria Generali Indicar. cap. 194. eamque vocat *Vicicilin*. Æquè incredibilis videtur hæc hiſtoria, ac illa de Phœnice, & tamen creditur, quia fides ſenſuum auctoritatem dedit, & rationem; cur ergo illam discredamus. Hoitzitziltototl avicula Americana.

IV. Argumentum ſumitur ex teſtimonio Regis cujusdam Æthiopiæ in Epiſtola ad ſummum Pontificem, cujus meminit Kirchmaierus ex Sebaſtiano Münſtero, aitque, contenta Epiſtolæ hæc eſſe: *In terra mea eſt Phœnix avis, cujus anni vitæ ſunt trecenti. Hæc prope finem vitæ tam altè verſus cœlum evolat, ut accendatur à Sole &c.* Epiſtola eſt in fine Operis Münſteri de Cosmographia, ſcripta Hebraicâ linguâ, excerpta ab ipſo ex libello quodam Conſtantinopoli impreſſo, & ad ſe ex Cairo Baſileam miſſo, ut ipſe ait.

V. Argumentum ſumi poteſt ex ortu mirabili Berniclarum in mari circa Britannicas Inſulas. Item ex volucri Ephemero circa Hyparim fluvium ex folliculo, teſte *Ariſtotele* lib. 1. Hiſtor. Animal. cap. 1. & lib. 5. cap. 19. erumpente.

Hanc ſententiam de Phœnicis exiſtentia defendit *Bellonius*, ſed confundit illum cum Rhyntace, Manucodiata, & Cinnamomo. Item noviſſimè *Patritius Junius*, inductus præcipuè auctoritate Epiſtolæ Clementinæ, ſuprà §. 2. adductæ,

§. V. Ar-

Digitized by Google

§. V. Argumenta quibus probatur, Phœnicem fabuloſam eſſe.

Phœnicem fabuloſam eſſe, quibus argumentis probetur.

FAbuloſam prorſus ac fictitiam Phœnicem eſſe, nec ullo unquam tempore aut loco extitiſſe, exiſtimant inter alios *Geſnerus* lib. 3. de Avibus, *Aldrovandus* lib. 12. Ornitholog. cap. 28. *Kirchmaierus* Diſput. de Phœnice, *Deuſingius* Diſſertat. de eadem, & alii. Argumenta, quibus id probatur, aut probari poteſt, hæc ſunt,

I. Argumentum eſt, quia *Ariſtoteles*, tam accuratus animalium inveſtigator, in tot de animalium natura libris, nullum de illa verbum habet; uti neque *Diodorus Siculus*, neque *Strabo*, qui tot & tanta de varii Ægypti & Arabiæ animalibus ſcribunt. Exiſtimârunt ergo, fabuloſa eſſe, quæ de illa circumferebantur, nec digna quæ ſcriptis conſignarentur.

II. Argumentum eſt, quia illi ipſi, qui de Phœnice multùm ſcribunt, multùm quoque de eadem dubitant, & omnibus ferè teſtimoniis ſuis addunt verba, *dicunt, inquiunt, narrant, referunt, ſcribunt &c.* *Herodotus* eam ſolùm in pictura vidit, & ex pictura deſcripſit; additque, ſibi non videri veriſimile, quod Ægyptii de ea narrant. *Plinius* ait, ſe haud ſcire an fabuloſa ſint, quæ de eadem refert ex aliis. *Philoſtratus* vocabulo, *ajunt*, utitur. *Tacitus* fatetur ſe plura ambigua promere; & poſt longam enarrationem ex aliorum ſententia, addit, cuncta eſſe incerta, & fabuloſa. Similia invenies apud alios Auctores §. 1. 2. ac 3. allatos.

III. Argumentum eſt, quia mira eſt inter citatos, & alios quoscunque Auctores, diſſenſio circa Phœnicis formam, magnitudinem, colores, longævitatem vitæ, ſingularitatem, ſexum, natale ſolum, ortum, interitum, reſuſcitationem, aliaque ſimilia, ut clariſſimè patet ex citatis teſtimoniis. Lege cum curâ citata fideliſſimè à nobis loca, & deprehendes quod dixi.

Alia argumenta afferunt *Franzius* Hiſtor. Sacr. part. 2. cap. 3. & *Kirchmaierus* Diſput. de Phœnice, putantque, quæ de Phœnicis ortu, interitu, ſingularitate in Mundo, aliiſque ſimilibus dicuntur, repugnare Scripturæ Sacræ, & rationi; quæ qui volet, videat apud ipſos.

§. VI. Quid tandem de Phœnice ſentiendum.

Phœnicem eſſe hieroglyphicũ, putant aliqui.

DOctiſſimus *Deuſingius* & *Kirchmaierus*, locis ſæpè citatis, & apud poſteriorem *Laurenbergius* in Acerra Philol. Cent. 2. Hiſt. 17. putant, veriſimile eſſe (verba Deuſingii do) *Phœnicem fuiſſe characterem Hieroglyphicum antiquorum Ægyptiorum, quo voluerint denotare, Cœli ſeu Mundi & Aſtrorum contemplationem & cognitionem in Phœnicia primùm eſſe ortam. Ut adeò ipſa illa avis ſuis coloribus depicta, Mundum univerſum ſignificet. Quippe auri*

coloris

Digitized by Google

coloris Caput *illi tribuunt, quo cœlum ſtellatum, ſeu ſuprema Mundi adumbrant:* Corpus *variegatum rubro, viridi, ac flavo colore, in Mundi medio Terram ipſam denotat: Cyaneum* Pectus, *ſubjectam terris aquam: purpuraſcens* Cauda, *expanſum, ſeu circumfluum terris aërem & æthera. Hanc autem* Phœnicem, *ſeu Mundum, vivere & ſuperſtitem eſſe ajunt; donec revertatur in nidum ſuum, ſeu illam ſtationem ſitumvè cœleſtium corporum conſequatur, quem obtinebat, cùm primùm à DEO conderetur. Eo autem tempore peracto, per ſe ipſum comburi Phœnicem, hoc eſt, Mundum ſui conflagratione mutatum iri &c. E* cinere *autem ſui tradunt* reviveſcere *ac* reviviſcere *Phœnicem, hoc eſt, renovatum iri Mundum ex ſuperſtite ab incendio materia. Illa autem duratio Mundi, ſeu revolutio cœleſtium corporum, donec omnia recuperare credantur priſtinum ſitum,* Annus ſidereus magnus *dictus eſt &c.* ſive annus Platonicus, cujus periodus à variis varia adſignatur, ut in Curſu Mathematico diximus lib. 7. par. 3. cap. 8.

P. Laurentius Forerus loco ſuprà citato ait cum Conimbricenſibus, & Rubio, locis etiam citatis, *probabiliter dari aliquam avem, quæ Phœnix vocetur; admodum tamen videri improbabile, eſſe unicam tantùm*, quoniam contrarium conſtat ex Horo Apolline, qui ait, novum Phœnicem unà cum patre volare in Ægyptum, & patrem Heliopoli mori, ac ſepeliri magnâ pompâ à ſacerdotibus. Illud verò omnino pernegant, *Phœnicem cineribus ſuis repullulaſcere: perfectius enim animal eſt, quàm ut ſimili ratione poſſit generari, quemadmodum ea quæ ex putri materia ſine virtute ſeminali gignuntur. Quando verò Sancti Patres reſuſcitati ex cineribus Phœnicis meminerunt, neutiquam ſe id credere ſignificarunt, ſed tantùm velut ex ultrò conceſſis contra hominem, id eſt, contra Gentiles, qui hanc generationem admittebant, argumentabantur.* Phœnicem dari, ſed non unicam eſſe, aliqui putant.

P. Georgius Stengelius loco ſuprà citato ſtatuit, *vel Phœnicem omnino non eſſe; vel ſi eſt, non talem eſſe, qualis deſcribitur, & paſſim putatur.* Probat *primò*, quia poſt diluvium vix ullus vixit quingentis annis, ut Phœnicis annos numeraret: qui verò ante diluvium diutiùs vixêre, aut ſi qui etiam poſtea ultra quingentos annos vitam protraxêre, nihil certi de Phœnicis longævitate ſtatuere potuerunt; quoniam ſi quem poſt tot annorum ſpatium conſpexerunt, ſcire non potuerunt eundem eſſe, quem antea viderant. Adde quòd alii ultra quingentos annos vitam Phœnicis protrahant, ut ex dictis §. 1. conſtat: imò Joannes Tzetzes ex Chæremone Ægyptio Sacrarum litterarum ſcriba conſtanter affirmat, ſex & ſeptem annorum millia vitæ ejus tribui; quo quid fabuloſius eſſe queat, cùm à primis Mundi incunabulis tot anni tunc necdum effluxiſſent? Probat *ſecundò*, quoniam nec ſemper fuit Heliopolis, & jam diu nulla ejus extant veſtigia; ubi ergo & antea fuit mortuus & ortus, & ubi nunc? Probat *tertiò*, Phœnicem eſſe, ſed non talem qualis deſcribitur, aliqui putant.

Digitized by Google

quoniam omnia quæ de ipſo narrantur ab Ægyptiis, & ab aliis ſcribuntur, incerta & minimè inter ſe cohærentia ſunt, ut ex dictis conſtat. Probat *quartò*, auctoritate B. Maximi Monachi & Martyris, cujus pulcherrimum teſtimonium adducit. Hæc & alia Stengelius.

Phœnix non eſt in rerum natura.

Ego exiſtimo *Primò*, nec Phœnicem prout ſuprà deſcriptus fuit, nec ullam omnino avem Phœnicis nomine appellatam, atque à cæteris avibus diſtinctam, in rerum natura unquam fuiſſe; ſed quidquid de ea creditum ac dictum fuit, fictitium ac fabuloſum eſſe. Moveor argumentis §.5. allatis.

Ad argumenta §.4. allata reſpondeo breviter in hunc modum. *Primum* nihil probat, quia Auctores inter ſe ſummoperè diſcrepant, & non ſolùm repugnantia inter ſe, ſed omnino incredibilia aſſerunt, ut vel ipſimet agnoſcunt. *Secundum* continet manifeſtum mendacium de trifiſtulari roſtro Semendæ, ut Scaliger etiam agnoſcit, & Aldrovandus accuratâ inſpectione cranii pro Semendæ cranio ad ſe miſſi, deprehendit. Parem ergo fidem tota narratio meretur; quæ non alium in finem conficta eſſe videtur, quàm ut Phœnicis fabulæ patrocinaretur. *Tertium* nihil incredibile continet, cùm multæ aliæ etiam aves, multique vermes, totâ hyeme ſopiti, & quaſi mortui jaceant, & Sole redeunte velut reviviſcant. Ab hoc autem exemplo nimium quantum diſtat Phœnicis figmentum. *Quartum* nihil magis convincit quàm primum; imò & primum, ac ſeipſum elidit, quoniam aliam patriam, aliamque ætatem Phœnici attribuit. *Quinti* inſufficientia conſtat ex dictis ſuprà cap. 22. in Diſſertatione de Britannicis avibus.

Semenda avis fabuloſa eſt.

Phœnix quale hieroglyphicum fuerit.

Exiſtimo *Secundò*, Ægyptios ſacerdotes ac doctos aſſumpſiſſe quidem Phœnicem, vel à ſe, vel ab aliis jam antea confictum, pro hieroglyphico ſigno, ad denotanda illa, quorum *Horus Apollo* §.1. citatus, & *Pierius* lib.20. Hieroglyphicorum, meminêre; an verò etiam ad Mundanam fabricam, annique Platonici periodum, aliaque, de quibus Auctores initio hujus §. citati, mihi non conſtat. Certè Athanaſius Kircherus in toto ſuo Oedipo non meminit hujus hieroglyphici; nec ego quidquam de eodem ab illo intellexi unquam, toto triennio quo operam meam in edendo Oedipo ipſi impendi; nec apud ullum Auctorem antiquum quippiam de re illa legi. Atque hæc ſufficiant de Phœnice.

CAPUT LXII.

De Pica.

Pica.

PIcæ ubique ſunt obviæ. Pamphagæ ſunt, & ſuum quandoque alveos cibi causâ petunt. Viſa quæ paſſerem devoravit: & alia, quæ cancrum è fluvio

è fluvio abreptum in vicinam arborem deportavit ut devoraret; ſed miſerè ab eo interempta; collo ſub forcipibus compreſſo.

Ova circiter novem pariunt. Multos, ſed imperfectos, imò & cæcos excludunt pullos. In nidis conſtruendis ſingulari utuntur artificio: nam eum in locis ſpinoſis figunt; terrâ intus oblinunt: foris in circuitu, infrà, & ſuprà, ſpinis diligentiſſimè muniunt; foramen arctiſſimum pro introitu relinquunt. Ova interdum aliò transferunt. Binos frequenter exſtruere nidos prodidêre nonnulli, ut qui pullis inſidiantur, dubii reddantur.

Volatus ipſis humilis,& brevis. Saliunt, & caudam more motacillæ perpetuò movent. Frequenter vocem mutant. Animalium aliorum voces imitantur. Unam aliquando puerilem vagitum expreſſiſſe; alteram hædi primùm veluti à matre ſeparati querulam vocem ediſſe, mox vituli inſtar mugiiſſe, ovis more balaſſe, inſtar paſtoris oves poſt paſcua ad potum deducentis ſibilaſſe, diximus in *2. parte Magiæ Syntagm. 2.* ex fide dignis Auctoribus. Ibidem alia exempla de picarum loquacitate adduximus. Infeſtantur ab Alucone, & Ulula. Calveſcunt. De variis picarum ſpeciebus multa habent Ornithologi.

CAPUT LXIII.

De Pico.

Picus.

PIci quoque in quavis ferè regione reperiuntur. Omnes roſtrum habent rectum, durum, rotundum,& ad pertundendas arbores percommodum. Linguam acutiſſimam, & in extremitate quodammodò cartilagineam. Crura breviſſima, ſed admodum robuſta. Digitos pedum antè binos,totidem retrò,eosque valde conjunctos, ut inter ſcandendum arborem firmiùs apprehendant. Caudam rigidam, & duriuſculam,cujus pennæ in extremitatibus fermè nudæ, quibus haud aliter quàm pedibus inter rependum innituntur.

Victitant vermibus,ut ſunt culices, formicæ (quas exporrectâ linguâ velut in veru infigunt) & vermiculi ſub arborum corticibus & medullis latitantes. Ideo arbores roſtro percutiunt,& quarum corticibus ſubeſſe vermes ex ſono conjiciunt, perforant, ac tam vehementer excavant, ut aliquando ſternant. Quidam apud Ariſtotelem amygdalum tertio ictu pertudit, & vel nucleum, vel latitantem in nucleo vermiculum comedit. Simile quid narrat Albertus Magnus.

Nidificant in cavis arborum, olearum inprimis. Tanto artificio nidum exſtruunt,& excavant, ut admoto circino rotundius reddi foramen

Digitized by Google

non poſſet; & ligna quibus inter ſe conſertis conſtat, faciliùs manibus ſeparantur, quàm ferro diſſecentur. Pullos ſeptem vel octo educant; quos exire ex ovo à cauda tradunt.

Nunquam humi conſiſtunt, vel in ſaxis conſident, ne aciem unguium obtundant. Scandunt per arbores tanquam ſtelliones, aut feles, non modò ſurſum reptando, ſed deorſum etiam, & ſub ipſis ramis, pedibus & ventre ſurſum, tergore deorſum terram verſus converſo. Humano ſermoni aſſueſcunt, ſed minùs aptè quàm picæ. De variis Pici ſpeciebus multa habent Ornithologi.

CAPUT LXIV.

De Pſittaco.

Pſittacus. NUllum avium genus tam ſpecioſum eſt, ac varium, ut Pſittaci; qui ſeptem vel octo nonnunquam colorum diverſitate pinguntur. Ingenio inſuper & moribus inter omnes maximè hominem æmulantur. Veteribus unum tantùm genus fuit cognitum. Nunc poſt novum Orbem (in quo magna eſt eorum copia) detectum, ſupra centenas colore & magnitudine inter ſe differentes ſpecies ſunt repertæ. Pſittaci ſunt variæ magnitudinis. *Veſputius* ſcribit, in regione ſupra promontorium Bonæ ſpei, à Pſittacis cognominata, & Regio Pſittacorum dicta, in tantam eos excreſcere proceritatem, ut brachium cum dimidio in longitudine expleant. *Scaliger* Exercit. 236. unum tantæ magnitudinis ſe vidiſſe affirmat, ut clathratæ feneſtræ ſpacium ferè impleret. Quidam phaſianis nihilo ſunt minores; quidam gallis æquales; alii columbis, alii turdis, hirundini, paſſeri. Variæ magnitudinis ipſemet Romæ vidi non paucos. Color quoque tam multiplex eſt, ut deſcribi diſtinctè ac ſufficienter nequeat. In Æthiopia & ultima India ſunt albi; in Braſilia rubri; in Calecut praſini, ſcutulati, purpurei. Apud veteres ſolo virore inſignes erant. Legatur *Aldrovandus* lib. XI. Ornitholog. cap. 1.

Pſittacus omnis capite & roſtro eſt duro, unde cùm loqui docetur, niſi radio ferreo ictus, non ſentire perhibetur. Hinc ligneis clathris ſi coërceatur, perfringit. Hinc amygdalas non tantùm diſcindit, ſed volutando etiam intra roſtri cavitatem, & linguâ ſubigendo, ac terendo, comminuit, & quaſi mandit, ac tandem deglutit. Pſittaci quomodo arbores ſubeant, & nidificent. Hamatum & ferè in hemicycli formam aduncum Natura dedit, quòd ſit ſcanſilis avis, nec obtineat caudæ pennas, quibus in arborem defixis veſtigium figat: roſtrum igitur primùm injicit, mox ſublevat corpus, tum etiam pedes firmat. Eodem cùm devolat, ſe excipit, illique innititur. Pedibus eſcam ori admovet.

In

In utraque India, multis in regionibus, magno numero reperiuntur; & ad nos in Europam exportantur.

Victus, cùm feri adhuc, frumenta, legumina, fructus omnis generis, nux etiam myriſtica: Cùm cicures facti; quidquid porrigitur, caro, panis, ſaccharum præcipuè, aliaque dulciaria. Bibunt aquam, & vinum; & hoc epoto, redduntur laſcivi, & ſolito loquaciores, ac humano modo inebriantur. Nidos in ſylvis ex ſurculis ad tenellos procerarum arborum ramos penſilibus, pilæ modo rotundos, perquàm exiguo foramine relicto, conſtruunt, ut ſerpentum inſidiis viam præcludant.

Vocem articulatam nullam naturaliter habent: quidam etiam ferè muti ſunt. Ingenio inter aves alias maximè ad hominem accedunt, ut initio dicebam. Accipiunt namque verba, & pronuntiant articulatè: faciliùs tamen, ſi intra ſecundum ætatis annum doceantur. Segniores percutiunt ferreo radio in capite, quoniam aliter, ut ſuprà inſinuavi, non ſentiunt. Multa exempla Pſittacorum articulatè loquentium adduximus in *2. parte Magiæ*. Quosdam circa Javam intelligere humanum ſermonem, & ad interrogata reſpondere, fabuloſum eſſe conſtat ex iis, quæ ſuprà lib. 7. de Animantium ratione & loquela diſſeruimus. Pueros tamen ſpecioſos amare; alios odio proſequi, & in eorum capita de ſublimi loco impetum facere; inter lugentes & lamentantes lamentari, ſaltantes capitis geſtu, depreſſisque & agitatis alis imitari, exemplis comprobatum eſt. Plura qui volet, legat Aldrovandum, Geſnerum, Jonſtonum, & alios. *Pſittaci articulatè loqui diſcunt.*

CAPUT LXV.

De Querquedulis.

Querquedulæ Anatum ferarum ſpecies ſunt. Dividuntur in majores, & minores. *Minores*, quæ Querquedulæ propriè dicuntur, Anatibus ſunt minores, roſtro, pedibus, & cæteris ſimiles. Gula ipſis alba, atris notata punctis; venter candidus; alæ in cæſio viridantes; pedes cum membranis nigris cinerei. Vivas ventre deplumato in colica malum ad ſe trahere, abdomini appoſitas, experientia docuit, teſte Schwenckelio apud Jonſtonum. De aliis videatur Aldrovandus, Jonſtonus, & alii Ornithologi. *Querquedulæ.*

Digitized by Google

CAPUT LXVI.

De Quirapanga.

Quirapanga.

QUirapanga eſt avis Braſiliæ, tota alba,& modicæ magnitudinis; ſtentoriam tamen habet vocem,quæ inſtar tintinnabuli ad dimidiam penè leucam exauditur.

CAPUT LXVII.

De Regulo.

Regulus.

REgulo, qui Græcis Trochilus, Orchilus, Tyrannus dicitur, Ariſtoteles non majorem corporis molem quàm locuſtæ tribuit, & criſtam è pluma elatiuſcula rutilam. Hyeme degunt in urbibus, & foraminibus; reliquo tempore in ſylvis inter fruteta & juniperos. Veſcuntur vermiculis. Muſcis adeo ingurgitari dicuntur, ut aliquando de vita periclitentur. Tametſi tantillo corpore, auſu tamen magno contra Aquilam pugnare conantur. Cùm ſe proximè quaſi manu capiendos obtulerint, caſſo hominis conatu profugiunt. Multi uno ſpecu in hyeme conduntur, ut parvus in tam minutis corporibus calor ſocietate augeatur. Cùm in veruculo igni apponuntur aſſandi, ſponte convertuntur cum veru; quod meis ipſe oculis vidi Romæ,cùm ſimul cum P. Athanaſio Kirchero experimentum ſumerem in uno,ab Eminentiſſimo quodam Cardinali in hunc finem ſubmiſſo, ſimul cum virga corylacea,quâ verû loco uti fueramus juſſi. Deplumatam enim aviculam,at non exenteratam, dictæ virgæ infiximus, virgam ſupra duo fulcra ferrea libravimus,carbones ſubjecimus. Erat jam deſiccata penitus avicula,& virga,nec tamen motum ullum in alterutra notabamus. Abit ergo, moræ impatiens, Kircherus. At vix quatuor aut quinque paſſibus aberat, cùm verti primò lentè,mox celeriùs incipit. Revocatus itaque, experimentum videt, & cauſam indagat; quam & in Arte Magnetica litteris conſignavit. Eandem alio loco indagabimus iterum. Quam Jonſtonus in Hiſtoria Naturali cap. de Regulo adſignat,non placet. Ait, verti per ſe avem, quòd pars nondum aſſata gravior eſt, quàm aſſata, ideoque deſcendit. Non cohæret cum experimento noſtro, ut alibi monſtrabimus.

Regulus contra aquilam pugnare conatur.

Regulus veru infixus, dum aſſatur, ſponte cum veru vertitur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

De Rhinocerote.

RHinoceros avis à cornu quod in fronte geſtat, ita dicitur. Occiſa una in ipſo volatu tum eſſe dicitur, cùm Turcas Chriſtiani ad Naupactum ſuperarent navali prælio. Caput erat duorum propemodum dodrantum, cirris nigris & altis deorſum ſpectantibus ornatum; roſtrum quatuor ferè dodrantes longum, inſtar arcus recurvum. Inferior pars tota ex luteo albicabat, ſupina verſus caput colore miniaceo, reliquum ex luteo albeſcebat. Cornu è fronte enaſcebatur, & ſupinæ roſtri parti adhærebat, prope frontem palmum unum latum, in fine recurvum, colore ſuperâ & inferâ parte miniaceo, mediâ luteo. Ita Jonſtonus ex Aldrovando. Rhinoceros avis.

CAPUT LXIX.

De Scolopace ſeu Perdice ruſtica.

SColopax avis, à figura roſtri, quod inſtar pali longum & rectum habet, nomen habet: Græci enim palum dicunt σκόλοπα. Herodiano dicitur ſylveſtris Perdix, Martiali Perdix ruſtica, Germanis Schnapfun. Magnitudine eſt gallinæ, colore attaginis. Multis in locis reperitur. Cibus illi vermes; quos ſpiritu in cava immiſſo extrahere dicitur. Volatus debilitatem curſus velocitate compenſat. Cùm proximum ſibi aucupes exiſtimant, longè receſſiſſe inveniunt. Habetur inter ciborum delicias. Scolopax.

CAPUT LXX.

De Struthocamelo, ſeu Struthiocamelo.

AVem maximam, partim anſeri & partim camelo ſimilem, στρουθὸν Ariſtoteles & Philoſtratus, στρουθοκάμηλον Heſychius, στρουθοιοκάμηλον Oppianus appellat. Roſtrum habet exiguum, ſed acutum. Caput parvum, exiguis pilis præditum; qui in fœmina pallidè luteſcunt, in mare flaveſcunt, collo ad rubrum colorem vergente. Palpebras utrimque habet, ut homo; & pilos in ſuperiori palpebra. Collum longiſſimum, adeo ut ſi quantum poteſt, erigat, equitis equo inſidentis altitudinem vincat. Dorſum, cujus pennæ in mare nigerrimæ, in fœmina fuſcæ, lanæ quandam ſubſtantiam ſuâ mollitie efficiunt, tam habet latum, ut puerum infantem inſidentem ferre poſſit. Alarum pennæ ejusdem ſunt coloris cum dorſo, Struthocamelus.

ſed

Digitized by Google

ſed in ſuperiori parte candidiſſimæ. Caudæ pennæ in mare ſubalbidæ, in fœmina ſubfuſcæ ſunt. Coxæ prægrandes. Femur humano non abſimile. Crura camelorum cruribus ſimilia, frequentibus firmata ſquamis ad geminos usque duros poplites. Pedes more boum bifidi, in binas ungulas dividuntur. Reperiuntur in Africa, Libya, Æthiopia, Arabia, & Syria. Amant deſerta, & ferè aquoſa. Vorant fructus, oſſa, lapides, ferrum, & quidquid ferè attingunt. Sed an ferrum digerant, incertum adhuc. Romæ vidi ſæpe, oſtenſâ clave ferreâ à longè, velociſſimè accurrere. Multa ponunt ova, grandia, lapideâ quaſi cruſtâ munita. Hæc in arena condita, & neglecta, Solis calore foventur. Solo viſu pullos ex ovis excludere quidam crediderunt, quòd intueri ea avem viderent, nec incubare iis propter gravitatem poſſe ſcirent. Non excluduntur ſimul, ſed pars in lucem prodit, pars intus adhuc formatur. Non elevantur à terra propter molem corporis: velociſſimè tamen incedunt, maximè irruente in alas extenſas vento. Collum frutice occultant, quòd ſe ita latere exiſtimant.

Struthiocamelus non excludit ova viſu.

CAPUT LXXI.

De Tinnunculo.

Tinnunculus.

TInnunculus, Accipitris ſpecies, nidulatur in altis ædificiis, muris, turribus, & cavis quercubus. Fœminas mas ſemper ſectatur; de abſentibus dolet. Illæ ova edunt rubentia, & pullos tam diu alunt, donec proprio volatu victum quærere poſſint. Victitant papilionibus, locuſtis, veſpis, muribus. Inventus aliquando in nido ſerpens; unde colligitur Tinnunculum ſerpenti amicum eſſe. Singularem quoque amicitiam cum columbis colit, cum Accipitribus verò aliis capitalem inimicitiam, quos arcet à columbariis. Dicunt ſi in quatuor angulis columbarii defodiantur Tinnunculorum pulli in ollis novis luto oblitis, non mutare ſedem columbas.

CAPUT LXXII.

De Turture.

Turtur.

TUrtur columbacei eſt generis; & tum volatu, tum pedibus plurimùm valet. Amicitiam colit cum Pſittaco, Merula, & Pavone: inimicitiam cum Corvo, & Chloreo. Helleboro impunè veſcuntur. Malo punico

trito

Digitized by Google

trito interimuntur. Conjugii fidem ſervant. Si mori alterutrum contingat, dicunt alterum à nuptiis abſtinere, ſolum volare, ramis frondentibus non inſidere, nec limpidam aquam bibere. Nidis ſuis contra lupi incurſus ſquillæ folia, quæ iſti fugere conſueverunt, imponunt.

CAPUT LXXIII.

De Veſpertilione.

VEſpertilionem Victorinus vocat Avem ſoricem, Valla Semimurem. Caput quibuſdam murium, aliis canum. Roſtrum à cæteris avibus diverſum. Nares vituli inſtar. Dentes plurimi in ſuperiori & inferiori mandibula, iique ſerrati, teretes, & longiuſculi. Maxillas intus & foris pilus oblongus niger obveſtit. Auriculas interdum binas, interdum quaternas habet, aſininis ſimiles. Mammillæ ſoli veſpertilioni ex avibus datæ; ſolaque hæc avis pullos uberibus admovet, & lacte nutrit. Alas habet pellitas, & plicatiles, quas dilatat & contrahit. In ſupremis alis rudimenta quædam brachiorum nervoſa apparent, quæ in uncum deſinunt. Pedes illi bini. Digiti ſinguli unguibus hamatis inſtructi. *Veſpertilio.*

Magnitudo varia eſt. In novo Orbe columbas adæquant; in Braſilia Monedulas; circa Urabum turtures; in Orientali India transeuntes alarum verbere proſternunt, atque etiam nonnullos occidunt. Amant loca obſcura, & cavernas. Delectantur culicibus & muſcis, lardo, candelis, & aliis pinguibus. Volant manè & veſperi. Volando feſſi, hamis digitulorum parietibus, arboribus, ſaxis, cavernarum fornicibus ſe ſuſpendunt. Pulli nati ita hærent tenaciter matris uberibus, ut & mortui avelli difficulter queant.

CAPUT LXXIV.

De Urogallo.

URogallus ex gallinaceorum eſt genere. Caput habet nigrum, roſtrum breve, ſupercilia & pelliculam circa oculos, pectus & ventrem nigrum, alarum pennas longas nigricantes, poplites & femora plumis albis, crura ad digitos uſque fuſcis veſtita. Ore coire dicunt; gallum ſperma ex ore tempore coitus evomere: gallinas id deglutire, & concipere, mox à gallo comprimi. Alia his mirabiliora quidam fabulantur. *Olaus Magnus* ſcribit, in Septentrionalibus regionibus Urogallos minores latitare ſub nivibus, duobus aut tribus menſibus. *Urogallus.*

Hæc ſufficiant de Volatilibus, nunc ad Aquatilia transimus, & Zoologiam ad exitum perducimus.

Digitized by Google

LIBER DECIMUS

De MIRABILIBUS ANIMALIUM AQUATILIUM.

PROOEMIUM.

TErram & Aërem pervagati ſumus; Aquam nunc, & Neptuni regna ſubimus. Majorem hæc, quàm illa, dicendi atque obſtupeſcendi materiam præbent. Non minùs enim Mare, quàm Terra & Aër (ait eleganter Sperlingius) ſuos nutrit vitulos, canes, urſos, apros, lepores, vulpes, aſellos, pavones, phaſiones, perdices, coturnices, milvos, corvos, alaudas, hirundines, paſſeres. Majorem tamen cum Volucribus, quàm cum Greſſilibus agnationem habent Aquatilia: eandem enim productionis materiam habent, aquam; eundem diem natalem, Mundi quintum; eundem ferè incedendi modum, & ſuppellectilem. Quod enim volatus eſt avibus, hoc natatus eſt piſcibus; quod in illis plumæ, hoc in his ſquamæ; quod pennæ in avibus, pinnæ ſunt in piſcibus. Non malè ergo piſces vocaveris aves aquatiles, & aves aëreos piſces, ut poſt Nierembergium notavit pauló antè citatus Sperlingius.

Aquatilia. Aquatilium porrò animalium alia ſunt ſanguinea, alia exanguia. De prioribus ſolùm hîc agemus, de reliquis alibi fortaſſis. De verè aquatilibus agemus, non de amphybiis: Sunt enim nonnulla, quæ licèt in aquis degant, victumque inde quærant; in ſiccum tamen exeunt, & in terra terreſtrium more pariunt; ideoque amphybia meritò dicuntur, quòd utrobique vitam degunt, in terra dico & aqua. [Amphybia.]

Horum

Digitized by Google

Horum è numero ſunt lutra, fiber, crocodilus, & alia. De nonnullis in libro octavo egimus; de reliquis alibi fortaſſis ſermo erit.

Verè aquatilium duo ſunt genera: unum cui natura branchias tribuit; alterum cui dedit pulmones. Branchiatis, ob ſanguinis paucitatem frigidiuſculis, ſola aqua ad refrigerationem ſufficit: Pulmone præditis, ob ſanguinis ubertatem calidioribus, aërem trahere, aliorumque ſanguineorum more ſpirare neceſſe eſt. Hinc illa diutiſſimas ſub aqua moras trahunt, ſine ſuffocationis periculo; hæc diutiùs ſub aquis vi detenta ſuffocantur: nec aliam ob cauſam fluitant ſubinde, & erecto capite dormiunt, quàm ob reſpirationis neceſſitatem. Primi generis aquatilia vocat Ariſtoteles Cete; ſecundi piſces. De utriſque ſeparatim Aldrovandus & alii tractant; nos promiſcuè Alphabeti ordine ſervato, rariora trademus; Albertum Magnum imitati, qui librum vigeſimum quartum de Animalibus, piſcium tractationi deputavit, juxta Alphabeti litterarum ſeriem.

Aquatilium duo genera.

CAPUT I.

De Aquatilibus in genere.

Libet paucula præmittere omnibus verè Aquatilibus communia. Præivere Albertus, & Aldrovandus, quos ſequimur.

Aquatilia in genere.

§. I. Differentiæ Aquatilium.

Aquatilium verè, prout & Cete & Piſces comprehendunt, plurimæ ſunt differentiæ. Duæ tamen præcipuæ: una à corporis tegumento; altera à loco in quo degunt. Teguntur vel ſquamis, vel cute; & hac vel aſperâ, vel levi. Locus eorum aqua eſt, & hæc vel ſalſa, ut marina; vel dulcis, ut fluviatilis, lacuſtris. Ab illa Græci nuncupârunt quoſdam piſces θαλαττίους id eſt, marinos; ab hac, quoſdam ποταμίους, id eſt, fluviatiles; quoſdam λιμναίους, id eſt, lacuſtres. Addi poterant, qui vitam vivunt quodammodò ambiguam, nunc in ſalſa, nunc in dulci aqua: quorum rurſus alios vocare liceret ποταμοθαλαττίους, quòd flumina æquè ac maria incolant; alios λιμνοποταμίους; quòd ſimul & lacus frequentent. Priorum horum rurſus duo ſunt genera: unum Græcis ἀνάδρομον dictum, quòd relicto mari dulces fluviorum aquas ſubit; alterum κατάδρομον, quòd ex dulcibus aquis ad mare deſcendit.

Aquatilium differentiæ.

Marinorum Græci alios nominant πελαγίους, quòd in alto mari degant; alios πετραίους, ſive ſaxatiles, quòd circa ſaxa verſentur; alios αἰγιαλώδεις,

id eſt, littoreos, ſive littorales. Hos ultimos Ariſtoteles aliquando προσγείους nominat, quaſi terræ proximos.

§. II. Aliæ Aquatilium differentiæ.

Aquatiliũ aliæ differentiæ.

OMnia Aquatilia humidi ſunt temperamenti. Hoc & naturalis locus oſtendit, & eſca: conſervatur enim unumquodque in loco ſibi connaturali; & nutritur ejuſdem complexionis cibo, cum principiis, ex quibus per generationem conſtituitur. Frigida etiam ſunt. Hujus ſignum eſt, quòd aut ſanguine carent penitùs, aut pauco ſunt ſanguine prædita.

§. III. Piſcium qui ſalubriores.

Piſcium qui magis aut minùs ſalubres.

MArini piſces ſalubriores ſunt reliquis, vel ideo, quòd marinæ aquæ ſalſedine frigiditatem & humiditatem, omnibus piſcibus communem, quodammodo obtundant. His fluviatiles & ſapore & carnis ſalubritate proximi ſunt, tum quòd fluminum curſu, adverſo præcipuè, ſeſe exercentes defatigentur; tum verò maximè, quòd cibum ex limpidis amnium aquis, aut fontanis fluviorum minimè ſtagnantibus, fontiumque ſubter erumpentium ſcaturigine temperatis capiant. Illorum peſſima eſt conditio, qui aut in ſtagnis, aut in lacunis degunt: nam & motus exercitiivè, & cibi ratione à marinis & fluviatilibus quàm maximè degenerant, frigidi quippe ac humidiſſimi remanent, ac ob id etiam palato ingrati, cœni limique odorem ac ſaporem præ ſe ferentes.

§. IV. Aquatilium generatio.

Aquatilium generatio.

NUllum aquatilium movetur ad coitum (inquit *Albertus* lib. 24. in Procœmio) cum alio, quàm cum ſui generis animali. Dum ovant, confricant ſe ventribus, aut fœmina præcedit ſpargens ova, & mas ſequitur fundens lac ſuper ea. Propter quod & plurima pereunt, quæ vel in contactu confricationis non exeunt, aut à lacte maſculi non tanguntur. Et hæc eſt cauſa, cur non ſit immodica piſcium multitudo, cùm tamen ova piſcium videantur eſſe innumerabilia.

Majores piſces ova ponunt in petris, vel in limo; minores in radicibus plantarum aquaticarum. Omnes marini hoc habent, ut in introitu aquarum dulcium libentiùs ova ponant, propter paſtum affluentem, & aquæ dulcedinem.

Multa etiam Aquaticorum genera cuſtodiunt ova ſua, nè ab aliis devorentur. Et licèt omnia Aquatilia comedant ſe invicem, & præcipuè marina, præter faſtaleonem, qui carnes non comedit, ſed tantùm herbis veſcitur; parcunt tamen omnia pullis, donec compleantur, ex naturali amore propagandi ſpeciem.

Piſces

Piſces variis modis generantur: quidam videlicet per coitum, quidam per ſe, quidam ex ſpuma, quidam ex limo putreſcente, quidam aliter, ut ex ſequentibus patebit.

§. V. Somnus, viſus, & odoratus piſcium.

Piſcium ſomnus modicus.

FErè omnibus piſcibus convenit modicum dormire, idque apertis oculis, *Alberto* teſte loc. cit. eò quòd palpebras non habent, ſed duros oculos. In ſomno non niſi parumper caudam movent. Parum dormiunt, quia propter frigiditatem vaporibus, ad conciliandum ſomnum neceſſariis, deſtituuntur.

Piſcium viſus debilis.

Propter oculorum duritiem parum vident. Ideo ex coloribus aut non niſi extremos diſcernunt, aut de mediis non niſi clariſſimos, præcipuè rubicundum, flammeum, & croceum ſplendentem. Hac de cauſa piſcatores peritiores, dum piſcantur, veſtes horum colorum non induunt; ac præterea noctu, aut in aurora piſcantur, quia tunc & minùs vident piſces, & ad paſtum moventur. In turbida quoque aqua faciliùs quàm in clara capiuntur, quia retia minùs in illa vident.

Piſces odorantur.

Vetera gurguſtia, piſcium odore perfuſa, & ſimiliter vetera retia, magis abhorrent & fugiunt, quàm nova. E contra ſi odore eſcæ, quâ delectantur, inſtrumenta quibus capiuntur, ſint imbuta; iis faciliùs capiuntur. Oleo & ſulphure omnia ferè piſcium genera moriuntur, & eſt iis odor ac ſapor talis venenoſus. Hæc, & alia multa Albertus Magnus initio libri 24. de Animalibus.

CAPUT II.

De Acu, ejusq; ſpeciebus.

Acus piſcis eſt duplex.

ACus, qui Græcis Βελόνη, Germanis Meernadel appellatur, duplex eſt, Ariſtotelis unus, alter vulgaris. Uterque ab acu ſutoria nomen eſt ſortitus, ob corporis totius longitudinem ac tenuitatem, roſtrique proceri aciem.

Acus Ariſtotelis.

Acus Ariſtotelis eſt longus ac tenuis, cubiti longitudine, & digiti craſſitudine, colore per totum ſubflavo. Teſtâ tegitur durâ. Natura dedit ei utrimque in lateribus rimam cutilarem, contra aliorum piſcium morem, ut ejus alvus diſtendi poſſit, dum prægnans eſt. Squamis caret; Caput habet exiguum; Roſtrum longum ac durum, non tamen acuminatum ut in acu vulgari: nam extrema ſive anterior ejus pars, latiuſcula exſtat, & tubam figurâ æmulatur; unde à Gallis Trompette nominatur. Pinnam unicam parvam ac tenuiſſimam in medio dorſo habet. Cauda in tenuem

Digitized by Google

& ſimplicem pinnam terminatur. Oculi vix milii magnitudinem æquant. Maris & fœminæ diſcrimen ſuſcipit. Utrique Corpus ſexangulosum, à capite ad meatum excrementorum (quem in medio ferè corpore inter caput & caudam habent) ſemper craſſeſcit; deinceps verò tenuius efficitur, & quadrangularem formam induit. Cor vix milio majus eſt. Vulvam habet bicornem ut cæteri piſces, plenam ovis grani ſeſamis magnitudine, rotundis, rubris, transparentibus, quæ ipſo vere excludit. Dentibus caret, & vix ullam oris ſciſſuram habet, ſed ſolùm foramen velut in extremo tubæ, tam puſillum, ut ne minimus quidem piſciculus ingeri poſſit: unde eo foramine per fiſtulam quandam ex humore alimentum trahit.

Acus piſcis quomodo pariat.

Pariendi tempore utero dehiſcente ova emittit per rimam ſupradictam; quæ poſt partum coaleſcit iterum. Dehiſcit autem uterus propter ovorum multitudinem. Hinc à nonnullis ſerpens marinus appellatur, quòd inſtar viperæ pariat. *Aldrovandus* tamen putat, non uterum dehiſcere, ſed ſolùm rimam aperiri, indeque ova antea repoſita, & fœtus formatos effundi. Movetur *Rondeletii* auctoritate, qui cùm hujusmodi piſcem aliquando ſecaret, in ea rima multa ova reperit. Idem in duobus aliis cùm rimam inſpiceret, ova vidit in eis jam excluſa, multosque fœtus jam perfectos, quorum alii majores erant ac movebantur, alii minores, alii tam exigui & tenues, ut oculi duntaxat & roſtrum cerneretur. Ex quo colligit Aldrovandus, Acum non parere catulos, ſed expellere.

Acus vulgaris.

Acus vulgaris eſt, ut prior, longus & tenuis; roſtrum habet acutum, tenue, longum, & durum; Caput triangulare, viride. Superior maxilla inferiori longior eſt, & in mollem ſubſtantiam degenerans. Dentes utrimque parvi & frequentes. Oculi magni, rotundi, lutei; ante quos meatus eſt ad audiendum, vel odorandum, triangulari figurâ. Branchiæ quaternæ duplices. Pinnæ duæ parvæ ad Branchias, duæ aliæ breves ſub ventre; quas rurſus alia ſequitur, longè à podice ad caudam ſe extendens: è cujus regione in dorſo eſt alia. Cauda brevis eſt, in duas pinnulas terminata. Podex non admodum conſpicuus. Rimam in ventre habet ut prior, teſte Salviano: quamvis Rondeletius dicat, habere ventrem planum, & rimæ non meminerit. Degit in arenoſis & ſaxoſis locis. Frequens etiam eſt circa Siciliam, ubi eam ſæpe vidi, contrectavi, comedi.

Ubi fortè in retia incidit, eisque evaſit; redit irâ percitus, & dentibus ea lacerare conatur, ſicque denuo in laqueos impingit.
Verum ſtultitiæ Symbolum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Aloſa.

ALoſa piſcis varia apud varias nationes ſortitur nomina, putaturque is eſſe, quem Gaza in Ariſtotele θρίσσαν (Thriſſam) interpretatur. Univerſi corporis figura, ſi cum latitudine conferatur, oblongiuſcula eſt, & in latera ita compreſſa, ut imus venter rectâ lineâ peracutis aculeis conſtructa terminetur. Spinis ſive ariſtis ſcatet innumeris. Caput habet in latera valde compreſſum, roſtrum acutum, os admodum patulum cùm hiat, edentulum, atque omnis expers aſperitatis. Branchiæ utrimque quaternæ. Squamis tegitur magnis, tenuibus, & facilè deciduis. In capite ſupra oculos utrimque veluti gemmæ ſmaragdinæ relucent. Lingua nigricat. Superiores mandibulæ deorſum prominent. Ventre & lateribus argumentum æmulatur. Dorſo & vertice capitis ex albo flaveſcit. Aloſa.

Piſcis eſt marinus, & frequens circa Siciliam, ut mihi ipſi conſtat. Ex mari intrant fluvios, ubi poſſunt; non omni tamen tempore, ſed vere ineunte cùm in utero habent; moxque inchoante æſtate ad mare revertuntur, ut pariant, maximè cùm tonitrua audiunt, quibus adeo terrentur in Moſella & Rheno, ut multi reperiantur exanimes in dictorum fluminum ripis.

Ælianus teſtatur, illos qui lacum Maræotim Ægypti incolunt, Thriſſas illuc cantu & pulſibus teſtarum crepitantium conſonantibus piſcari. Etenim tanquam ſaltatrices ſaltantes in piſcatoria inſtrumenta, explicata ad ſe comprehendendas, incidunt, atque cum ſaltatione & luſione Ægyptii ſplendidam prædam conſequuntur. Idem expertum ſe eſſe fatetur *Rondeletius*: nam cùm in Aruerniæ oppido Maringueſio, & in fluvii ripa ſæpe animi gratiâ deambularet, ad teſtudinis ſonos vidit Aloſas advolantes, & ſaltantes: idque noctu manifeſtiùs apparuiſſe ait. Qua verò ratione muſico cantu allecti capiantur, explicat *Iſidorus* dicens, piſcatores tendere retia in longum aquæ, vel in tranſverſum, & ante retia ſuper aquas inſtrumentum inſtar arcus, ita ut fluitet ſuper aquas; in ſuperiori autem ejus parte nolam ſuſpendere; ejus ſonum piſces audientes gregatim advenire, tinnitum nolæ ſequentes, & magnâ copiâ in retia incidentes capi. Aloſæ cantu delectantur.

CA-

CAPUT IV.

De Amia.

Amia.

AMiæ cum Thunnis & Pelamydibus (de quibus ſuo loco infrà) Pontum ſubeunt, paſtus gratiâ, qui melior ibi ob aquas dulces: & ad vitandas belluas magnas, quæ ibi rariores. Thunnis eſt minor corporis magnitudine, roſtro acuto, ventre craſſo, caudâ tenui, in figuram Lunæ in cornua curvatæ pinnis ejus conformatis, dorſo cæruleo atque ſplendente, ventre argenteo. A dorſo ad ventrem lineæ ductæ ſunt obliquæ, nigricantes, certis intervallis inter ſe diſtantes. Oculi parvi ſunt, auri æmuli. Cutis lævis, demptâ eâ parte, quæ circa branchias eſt. Dentes habet ſerratos, acutiſſimos, in os recurvos. Branchias opertas. Ventriculum rugoſum, longum, ferè ad podicem usque demiſſum, cum appendicibus innumeris.

Amiæ ſe mutuò defendunt.

Gregalis eſt piſcis. Magnâ ex parte piſcibus vivit, ſubinde tamen & algâ. Amant ſe mutuò, & opem mutuam ferunt, cùm neceſſe eſt, acerrimè ſeſe defendendo: audaces enim, & celeres ſunt. Pugnam cum belluis aquaticis deſcribit *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 37. his verbis: *Quin etiam Amiæ, cùm belluam viderint aliquam, colligunt ſeſe; & quæ magnitudine præſtant, luſtrantes gregem circumvallant; & ſi qua violatur, defendunt. Dentes his validi: & jam cùm alia bellua, tum lamia aggreſſa, vulnera accepiſſe acriùs viſa eſt.* Hunc locum perperam corrigit Aldrovandus, ſcribendo pro lamia aggreſſa, Amia: ait enim Ariſtoteles, Lamiam aggreſſam fuiſſe ab Amia vulneratam. Earundem Amiarum pugnam cum Delphinis deſcribit *Oppianus*, dicens, magnum & hoſtile certamen cum iis inire Amias, adeo ut cùm ſolum quempiam ab aliis ſegregatum obſervant, undique tanquam ſigno dato frequentes invadant: delphinum ſuo robore nitentem, primum hoſtium impetum negligere, & longè lateque inſequentem eas lacerare ac conficere: poſtremò harum magnâ multitudine circumſeſſum dolere, quòd ſe unum ſolum contra tantam multitudinem videat, revocatisque omnibus viribus ſe fortiſſimè defendere: illas contrà delphini membris circumfuſas, atq; ad eadem pertinaciter adhærentes, dentes defigere, latera convellere, roſtrum, & pinnas, & ventrem mordere, caudam comprehendere, dorſum exedere, alias è vertice, alias è collo pendere: eapropter delphinum multiplici dolore ſtimulatum, inſtar turbinis mare concitare; multoq; furore agitatum, in omnes partes ſe verſare, & ſaltanti ſimilem nunc ſurſum, nunc deorſum ferri, audaciumq; piſcium ſe inſequentium examen rejicere conari; illos contrà magis magisque in eum incumbere, dentesque pertinaciter in illum figere, nec unquam tollere, niſi partem apprehenſam abſtrahant: Cùm autem aliquod ſpatium

Amiarum pugna cum lamiis & delphinis.

ei dant

Digitized by Google

ei dant ad reſpirandum, collectis viribus denuò in eas exardeſcere, in fugam compellere, inſtar fulminis inſequi fugientes, diſcerpere ſimul, & ſimul multo ſanguine purpuraſcere mare. Hæc Oppianus.

Similia prorſus ſcribit *Ælianus* de iisdem Amiis, quas Troctas appellat lib. 1. de Animal. cap. 5. dicens: *Piſcis Trocta, cujus naturam nomen & os declarant, dentes habet frequentes, & continentes, quibus quidquid inciderit, perfringere poteſt. Hamo captus, ſolus ex piſcibus non ſe ab hamo retrahit, ſed impellit ſeſe in ferrum, chordam conſumere cupiens. Piſcatores contra machinantur longas anſas: ille verò quoniam quodam modo valet ſaltu, anſas ſæpe tranſilit, ac lineâ quâ agitur, concisâ, ad piſcium domicilia revertitur. Hic etiam ſui generis grege coacto, Delphinos invadit. Et ii quidem ſi quem ſegregatum circumvenire poſſint, fortiter invadunt; planè enim ſciunt, Delphinum ſuis morſibus verberari aſperè ſolere. Itaque Troctæ ei acerrimè inſtant. Delphinus contrà reſilit, ſubſilit, atque indicat, ut ex dolore torqueatur. Idcirco tenaciter urgent, ſimulque ad ſaltum Delphini tolluntur. Hic eos repellere conatur: illi verò nihil remittentes, vivum lacerant. Poſtea verò quàm pro ſe quisque aliquam partem mordicùs abripuerit, diſcedit. Delphinus verò libenter enatat, cùm convivas (ut ita dicam) non invitatos cum ſuo dolore excepit.*

CAPUT V.

De Anguilla.

§. I. De Anguillis varia.

ANguilla anguis ſpeciem refert; unde & nomen eſt ſortita. Læves & lubricas eſſe, omnibus notum eſt. Os habent ſatis apertum, dentibus & acutis munitum, multiplici ordine. Magnitudo non ubique eadem. Plinio atque Solino teſtibus, in Gange ad tricenos pedes augentur. Ad brachii craſſitudinem alicubi excreſcunt, & ad libras viginti. Anguilla. Anguillæ ingentes.

In Danubio (inquit Albertus Magnus lib. 24. de Animal. cap. de Anguilla) *anguilla non eſt, neque in aquis in eum influentibus. Et dicitur quòd impoſitæ moriuntur. In omnibus autem aliis aquis Germaniæ anguillæ multæ inveniuntur.* Nauclerus apud Aldrovandum addit, experimento compertum eſſe, quòd tametſi amnes ex eodem fonte dimanent, ſi tamen in Danubium fluant, careant anguillis; ſi in Rhenum, anguillas nutriant. Anguillæ nullæ in Danubio.

§. II. De ortu Anguilarum ex Ariſtotelis ſententia.

DE ortu anguillarum magna eſt controverſia inter Scriptores varios, antiquos ac recentiores. *Ariſtoteles* paſſim aſſerit, inter anguillas Anguillarum ortus ex Ariſtotele.

 nec

nec marem eſſe, nec fœminam, neque prolem ex ſe generare. Sic lib.8. Hiſtor. Animal. cap. 30. in fine ait: *In genere anguillarum meliores ſunt, quas fœminas nominant: quæ* tamen *nomen fœminæ temerè acceperunt; non ſunt enim fœminæ, ſed quia aſpectu à cæteris diſcrepant, fœminæ appellantur.* Quibus verbis refutat ſententiam eorum, qui ex capitis figura fœminarum & marium differentiam inter anguillas ſtatuunt, dicentes, quæ caput habent amplius & oblongius, mares eſſe; quæ verò repandius, fœminas. Idem Ariſtoteles lib. 2. de Generat. Animal. cap. 4. ait: *Quòd autem nec mas, nec fœmina ſit, in genere quoque piſcium eſt, ut anguilla, & genus mugilum in fluviis lutulentis.* Et lib.4. Hiſt. Animal. cap. 9. *At verò in genere inſectorum, & piſcium ſunt quæ omnino ſexus hoc diſcrimẽ alterutram in partem non habeant: nam anguilla neque mas, neque fœmina eſt, neque prolem ex ſe aliquam poteſt procreare; ſed qui eam capillamentis, & lumbricis quædam ſimilia interdum adnexa ſibi gerentem vidiſſe ajunt; inconſideratè id aſſerunt, antequam advertant quâ parte illa gerantur. Neque enim aliquid ejuſmodi eſt, quod animal creet, niſi priùs generârit ovum: quod in nulla anguilla viſum eſt. Et quæ animal gignunt, ſuo in utero fœtum continent, non in ventriculo: ita enim non ſecus ac cibus concoquerentur primordia genituræ. Quam autem differentiam maris & fœminæ anguillæ notârunt, ſcilicet alteram habere caput amplius, atque oblongius; alteram, hoc eſt, fœminam, repandius; hæc non maris ac fœminæ differentia eſt, ſed generis.* Et lib. 6. Hiſt. Animal. cap. 14. in fine: *Habent mares omnes ſemen genitale, præter anguillam, quæ neutrum, neque ovum, neque ſemen ſortita eſt.* Eodem lib. 6. cap. 6. *Anguillæ nec per coitum procreantur, nec pariunt ova; nec verò capta unquam aliqua eſt, quæ aut ſemen genitale, aut ova haberet. Meatus quoque vel ſemini, vel vulvæ accommodatos, nulla reſciſſa oſtendit. Sed hoc unum inter ſanguinea genus totum ſine coitu, ſine ovo procreatur. Quod ita eſſe, argumento conſtat, quòd in nonnullis fæculentis ſtagnis aquâ omni exhauſtâ, & limo detracto, anguillæ denuò generantur, ubi aqua acceſſerit pluvia: nam ſiccis temporibus gigni nequeunt, etiam in lacu perenni; quippe quæ imbre & vivant, & alantur. Sed hoc genus non coitu, non ovo creari, apertum eſt. Videntur tamen nonnullæ habere facultatem gignendi, quòd in aliquibus lumbriculi fiant; his enim generari anguillas creditur; quod error eſt. Sed certè ex his prodeunt, quæ terræ inteſtina vocantur, quæ ſponte in luto, humeſcenteque humo proveniunt. Jam aliæ abſolvi ex his viſæ ſunt, aliæ ſcalptis diſcerptiſque intus apparuerunt. Oriuntur hæc inteſtina dicta, tum in mari, tum etiam in fluviis juxta ripas. Calor enim ampliùs eas ſubiens partes, facit ut putreant. Talis generatio anguillarum eſt.* De inteſtinis terræ, ex quibus anguillas generari dixit Ariſtoteles, ſic ſcribit idem lib. 3. de Generat. Animal. cap. 11. circa finem: *Quæ autem inteſtina terræ vocantur, vermis habent naturam, in quibus corpus anguillarum conſiſtit.* Ex his patet, quæ ſit Ariſtotelis de anguillarum ortu ſententia.

§. III. Ali-

Digitized by Google

§. III. Aliorum de ortu anguillarum ſententiæ.

ARiſtoteli ſubſcribit *Plinius*. Nam lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. 68. ait, in anguillis nec genus maſculinum eſſe, nec fœmininum. Idem tamen *lib. 9.* cap. 51. ita ſcribit: *Anguillæ atterunt ſe ſcopulis, ea ſtrigmenta viviſcunt; nec alia eſt earum procreatio.* Plus dicit *Athenæus* lib. 7. Dipnoſoph. 17. *Coëunt anguillæ complexæ, ac quiddam viſcoſum emittunt; quod in limo retentum animalia gignit.* Idem aſſerit *Oppianus*, qui apud Aldrovandum lib. 4. de Piſcibus cap. 14. ita canit, Lippio interprete. Anguillarum ortus ex aliorum ſententia.

Anguillæ ſpiris multoque volumine nexæ
Concumbunt, lentor diſtillat corpore toto,
Qui ſpumæ ſimilis bubulâ celatur arenâ.
Accipit hunc cœnum; quid enim fœcundius illo?
Concipit accepto; naſcuntur lubrica terga,
Flexibus innumeris anguillæ in littore repunt.

Apud eundem Aldrovandum teſtatur *Rondeletius*, ſe vidiſſe anguillas corporum complexu coëuntes. Neque putat partibus ad gignendum neceſſariis prorſus deſtitutas eſſe: inferiore enim ventris parte & vulvam in fœminis, & ſemen in maribus reperiri; ſed multâ pinguedine circumfuſas has partes non apparere, quemadmodum neque ova. Credit itaque, alias ex putredine, alias ex maris & fœminæ commiſtione procreari. *Albertus Magnus* lib. 24. de Animal. ait, de anguilla loquens: *In iſto piſce non dicitur eſſe mas & fœmina. Quanquam jam bis à fide dignis audierim, quòd duæ anguillæ captæ ſunt in Germaniæ partibus, quarum utraque multas habuit filares quantitates in utero; & matribus occiſis, ex ventribus earum multæ egrediebantur.* Et paulò pòſt: *Anguillam quidam de luto, quidam de lumbricis terræ, quidam de ſuperfluitatibus piſcium dicunt generari.*

Cardanus lib. 9. de Subtilit. de anguillis loquens: *Solum hoc animal,* inquit, *inter ſanguinea ex putredine gignitur, cui nullus ſexus eſt, nec etiam generationis initium &c. Generari creditur ex muſtelis, quas terræ inteſtina vocant. Et certè ſimilitudo magna eſt inter eas; & conjectura evidens, quòd neq; origo alia anguillarum, nec finis alius muſtelarum invenitur. Scaliger* Exercit. 15. *Anguillæ in ſe nihil* concipiunt, *extra ſe limum quendam complexu mutuo conficere creduntur, unde proles conformentur foris.*

§. IV. Noſtra opinio de anguillarum ortu.

Anguillarum ortus ex noſtra ſententia.

OMitto aliorum Auctorum opiniones aut ſenſus circa Anguillarum ortum.

Duæ ergo ſunt de earum ortum ſententiæ. Prima *Ariſtotelis*, qui mordicùs tenet, inter anguillas nec marem eſſe, nec fœminam; easque ex limo & putrida materia oriri. Ariſtoteli adhæret *Cardanus*. Secunda eſt reliquorum citatorum, qui volunt, eas & ex putrida oriri materia, ac etiam aliter, nimirum vel ex coitu, vel ex complexu maris ac fœminæ modo explicato. *Aldrovandus* loc.cit. exiſtimat, Plinium in ſecundo loco citato, & Oppianum, non adverſari Ariſtoteli. *Ariſtoteles enim*, inquit, *ex lumbricis eas generari, dicens, ex ſuis poſtmodum ſtrigmentis alias rurſus procreari non inficiatur: nam de primario tantùm ortu loquitur* Ariſtoteles; *illi verò dum ex ſtrigmentis generari dicunt, de ortu ſecundario, utpote copioſiore, loquuntur. Appareatque, anguillarum generationem Berniclarum avium generationi ſimilem eſſe: Nam ut hæ in Scotico Oceano ex verme ortæ, mox ova pariunt; ita & anguillæ ſimiliter natæ, ſtrigmentis ſpeciem conſervant.*

Ego malo Ariſtoteli adhærere, donec aliquid certius affulgeat: fuit enim Ariſtoteles, uti omnibus conſtat, curioſiſſimus, ſi alius, Animalium & Naturæ ſcrutator; & cùm perſpectam haberet aliorum de anguillarum ortu ſententiam, ſuæ tamen mordicùs adhæret, & variis in locis inculcat, ut vidimus. Ex limo itaque, aliavè putreſcente materia, non ex coitu oriuntur anguillæ.

§. V. Varia de Anguillis.

Anguillarum victus, & alia.

VIctitant limo unde natæ, ac etiam herbis, & aliis quæ in limo deprehendunt. Amant aquam puram, & turbidam fugiunt, tametſi ex limo ortæ. Hinc Athenæus ſcribit loco ſuprà cit. Cùm per tempeſtates aquæ turbantur, ſuffocari ſolent. Quin etiam ſi exigua in aqua ſtabulentur, moriuntur, Ariſtotele teſte. Separatim ab aliis piſcibus degunt. *Anguillæ*, teſte Ariſtotele lib. 8. Hiſt. Animal. c. 2. *non ſuperfluitant mortuæ; nec ſurſum, ut cæteri piſces, maximâ parte efferuntur: Sunt enim ventre exiguo; pingue in paucis ineſt; plurimæ eo carent.* Idem ibidem aſſerit, anguillas aquis exemptas vivere poſſe vel ad quintum ac ſextum diem; & Aquilone flante, diutiùs durare, Auſtro minùs. Et ſi æſtate de lacu in piſcinam transferuntur, vivere non poſſe. *Nullam vehementem mutationem tolerant: & quidem æſtate, etiamſi in frigidam aquam transfers, omnes plerumq; intereunt.* Frigoris quoque impatientes ſunt; adeo ut aliquando ob nimium frigus ex vivariis egreſſæ, intra fœni cumulos ſe abdiderint, & ibi nihilominùs mortuæ fuerint, *Geſnero* teſte. Ad tonitru commoventur; & teſte

Digitized by Google

& teſte Alberto tunc de fundo ad aquæ ſuperficiem enatant. Omitto alia.

CAPUT VI.

De Anthia.

ANthias piſcis cujus ſit formæ, ac magnitudinis, non convenit inter Auctores. Ariſtoteles, Plutarchus, Ælianus, & alii, vocant piſcem ſacrum; aſſeruntque nullas in eo loco reperiri belluas, ubi Anthias ſit. *Ariſtoteles* lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 37. *Quo in loco Anthias ſit, nullam ibi belluam eſſe, confeſſum eſt. Quo jam indicio ſecurè ſpongiatores urinantur, & ſacrum hunc piſcem ob eam rem nominant.* Putat tamen Ariſtoteles, id caſu evenire, *quomodo & ubi ſit limax, neq; ſus eſt, neq; perdix: omnes enim limaces ab his eduntur.* Anthias piſcis.

Plutarchus Opuſc. Utra animantium plus &c. *Cum primis verò mirandus Anthias eſt, quem ſacrum piſcem Homerus vocat &c. Anthiam igitur ſi quando piſcatores deprehenderint, coronantur quidem ipſi, coronant autem naviculas, & cum plauſu ac ſtrepitu illas applicantes excipiunt, ac colunt. Plerique verò ſacrum Anthiam eſſe diciq; idcirco volunt, quia quò loci eſt, bellua nulla compareat, tutoq; ſpongiatores urinentur, ac piſces ipſi tuti pariant, hanc immunitatis ceu fidejuſſionem nacti. Cauſam difficile colligere eſt: ſeu horrent Anthiam belluæ, qualiter elephantes ſuem, gallum Leones: ſeu loca non infeſta prudens & memoriâ præditum animalculum agnita notat, aditq; tantùm.* Anthias piſcis cur ſacer dictus.

Ælianus lib. 8. de Animal. cap. 28. *Alii propterea non hunc* (Ellopem, de quo antea) *ſed Anthiam ſacrum exiſtimant, quia locus, quem Anthias incolit, & belluarum expers, & urinatoribus tutus eſt, & cum piſcibus pacem ſervat. Cujus fiduciâ piſces confirmati, ibidem pariunt. Naturæ cauſam penitus retruſam & abditam, non meum eſt explicare &c.*

Quòd belluæ non ſint ubi Anthias moratur, peculiari Antipathiæ adſcribendum putat *Aldrovandus* lib. 1. de Piſcibus cap. 19. Addit tamen, non conſtare, an belluæ Anthiam, ut leo gallum, elephas murem, perhorreſcant; an ille belluas timore perculſus fugiat (in ſaxis enim habitare teſtatur Oppianus) nec eò usque in altum evagetur, ut in illas incidere queat. Magis tamen inclinat in priorem ſententiam. Nec ego abnuo.

Mirum porrò, quod de hoc piſce tradit *Ælianus* lib. 12. de Animal. cap. 47. *Anthiæ,* inquiens, *cùm ſunt capti, miſerabile præbent ſpectaculum. Mortem ſuam lugere, & quodammodò ſupplicare videntur. Ac mirum quemadmodum homines, qui in latrones immiſericordes & cædis avidos incurrerunt, aufugere conantur; ſic ſanè ii retibus inſultantes, inſidias tranſilire conantur. Hoc* Anthiæ capti lugent.

Digitized by Google

dum moliuntur, trucidantur ferro. Qui hoc genus mortis evadunt, in terram antehac eis inimicam exiliunt, atq; ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire. Hæc Ælianus. Iidem hi piſces conantur & ſocios captivos liberare inſigni aſtu: protinus enim, ut vident aliquem hamo teneri, accurrunt, ac dorſorum ſuorum nixu lineam diſſecare. Docet hoc *Plutarchus* Libello cit. *Violentiùs Anthiæ ſuccurrunt contribuli, rejectum in tergum funiculum ſurrectis aculeis reſecare, ſpinæq; aſperitate conſcindere ſoliti.* Idem tradit *Plinius* lib.9. Natur.Hiſt.cap.59. ubi & modum capiendi Anthias tradit. Fuſiùs eundem modum tradit Aldrovandus loc.cit.

Anthiæ ſocios captivos liberare conantur.

CAPUT VII.

De Balænis, aliisq; magnis Piſcibus.

Balæna Cetorum maxima.

AQuatilium animalium ſanguineorum alia piſces, alia cetos ab Ariſtotele & Græcis appellari, diximus initio hujus libri. Cetorum omnium maxima, & veluti cæterorum rex & princeps, eſt Balæna, Græcis φάλαινα dicta. De hac nunc agimus; & ſimul de aliis miræ magnitudinis piſcibus.

§. I. Balænarum forma, & deſcriptio.

Balænarum deſcriptio.

BAlæna, ut ex variis locis Ariſtotelis, aliorumque Auctorum colligitur, Piſcis eſt grandis, viviparus, pulmone præditus, ideoque ſpirans, & branchiis carens; quarum loco prægrandem fiſtulam in fronte gerit (haud exertam tamen, ut vulgò depingitur) per quam humorem, quem ore excepit, magno impetu effundit ac rejicit, ut eo vel onerarias naves ſubmergere dicatur. Pinnas habet utrimque unam, & præterea tertiam in dorſo veluti alam, qua totum corpus dirigit; Caudamque, quâ temonis vice huc atque illuc corpus inflectit. Corio glabro, ſpiſſo, nigro, duro, ſquamis ac villis carente integitur; cui pinguedo nonnunquam pedis altitudine ſubeſt.

Ariſtoteles lib.8.Hiſtor.Animal.cap.2.balænarum *genus nec terreſtre tantùm, neq; aquaticū facilè dixerim (ſiquidem terreſtre, quod aërem recipit; aquatile, quod aquam, ſecundùm naturā eſt) particeps namq; eſt utriusq;, cùm & mare accipiat, reddatq; per fiſtulam, & aërē per pulmonem: habent enim hoc membrum, & ſpirant.* Idem lib.4.de Partibus Animal.cap.13. *Delphini, balænæ, & reliquum cetarium genus branchiis carent, ſed fiſtulam ſui pulmonis causâ continent, quâ humorem, quem in ore acceperint, reſpuant: nam & humorem admitti neceſſe eſt, cùm cibum in aqua ſubmerſum capiant; & admiſſum emitti neceſſe eſt. Branchiæ igitur iis quæ ſpirant, incommodè habentur &c. Haud enim fieri poteſt, ut idem & branchias habeat, & ſpiret. Sed enim iis ad reſpuendam aquam fiſtula data*

data eſt; quæ ante cerebrum ſita eſt, nè poſtpoſita id interciperet à ſpina. Cauſa verò cur pulmonem hæc habeant, & ſpirent, quòd majora animalia plùs caloris ſibi requirunt, ut poſſint moveri: quapropter pulmo iis inditus eſt, plenus caloris ſanguinei. Sunt hæc quodammodò & terreſtria, & aquatilia: ut enim aërem terreſtrium more trahunt, ſic pedibus vacant, & cibum in humore, modo aquatilium, capiunt. Omitto alia Ariſtotelis loca, in quibus tum eadem, tum alia ad Balænas ſpectantia tangit.

Fœmina habet mammas, uterum; fœtus vivos parit, lacte nutrit, pinnis ſuis tegit ac tuetur, teſte Rondeletio.

§. II. Balænarum magnitudo.

Plinius lib. 9. Natur. Hiſt. cap. 3. *Plurima autem & maxima in Indico mari animalia, è quibus Balænæ quaternûm jugerum.* Bellonius apud Aldrovandum lib. 1. de Cetis cap. 2. ait, balænarum oſſa tam eſſe vaſta, ut iis ruſtici apud Britannos, Armoricos, ac Scotos, tanquam palis ſuos hortos & prædia obſepiant. Idem ait, linguam balænarum eſſe multarum librarum pondo. *Geſnerus* (qui genuinam balænam arbitratur Cetum, quem Germani ſuperiores Oceani accolæ nominant Braunfiſch / piſcem fuſcum aut nigrum) ait, ejus generis unum captum eſſe Anno 1545. longum ſupra viginti quatuor pedes: in ejus ventriculo repertam ingentem copiam piſcium nondum concoctorum, & inter alios Salmonem vivum ulnæ longitudine; ita ut tria doliola, quæ tonnos nominant Germani, inde repleta ſint. Balænarum magnitudo.

Paræus refert, in Scaldi fluvio, decem ab Antwerpia milliaribus, Anno 1577. die 2. Julii, captam eſſe balænam colore ex cæruleo nigricante, fiſtulam in vertice habentem: Longitudinem fuiſſe pedum quinquaginta octo, altitudinem ſexdecim, caudam latam quatuordecim; intervallum ab oculo ad extremum roſtrum ſexdecim, maxillam inferiorem ſenum in ſingulis lateribus pedum, dentibus viginti quinque armatam, qui totidem foraminibus, in ſuperiore, dentibus omnino carente, excavatis reconditi erant. Ex hoc ultimo conſtat, balænam hanc fuiſſe monſtroſam, quia balænis Natura dentes negavit. Balænæ dentibus carent.

§. III. De Balæna vulgi.

Gallicum vulgus ingentem illum piſcem, qui in maris Aquitanici littore, & in India ſæpe capitur, Balænam nuncupat; qui tamen revera non eſt Balæna, quia fiſtulâ caret. Prædictus piſcis eſt plurimum triginta ſex cubitos longus, octo altus. Oris ſciſſura ad duodeviginti pedes porrigitur. Dentes in eo nulli, ſed horum loco in utraque maxilla corneæ ſunt laminæ nigræ, ſenſim in pilos ſuillis ſimiles deſinentes; quæ ab anteriore & poſteriore ſive interiore oris parte breviores ſunt, in media longiores. Balæna vulgi.

Ab

Ab interioribus lingua intus continetur, & coërcetur; quæ inde educta, vel abſciſſa, ita diffunditur, ut in eundem locum recipi poſtea non poſſit: maxima enim eſt, & laxa admodum. Sale conditur, & in delitiis habetur. Ex ea implentur viginti tria vaſa ejusmodi, cujus ſunt quibus in Gallia conduntur ſalſamenta, & huc atque illuc convehuntur. Oculi quatuor ulnarum ſpatio à ſe invicem diſtant; qui foris parvi apparent, ſed intus capitis humani magnitudinem ſuperant. Pinnas duas maximas in lateribus habet, quibus natat, & catulos in metu occultat. In dorſo nullam habet pinnam. Cauda ſitu ſimilis eſt Delphinorum caudis, figurâ non multùm abſimilis: quam cùm movet, ita mare agitatur, ut naviculas ſubmergat; vel ſi cymbam attingint, ſubmergat. Roſtro eſt brevi. Fiſtulâ caret, ut dixi. Corio duro, nigroque integitur, ſine pilis; cui lapides & oſtrea hærentia aliquando reperiuntur. Internæ partes, ut pulmo, renes, veſica, teſtes, pudendum, ut in Delphinis. In ventriculo inveniuntur mucus, ſpuma, aqua, alga fœtida, ſine ullis piſcium fruſtis; ut inde appareat, carnivorum non eſſe. Vivos catulos parit. Quia pulmones habet, & tamen fiſtulâ caret; ut reſpiret, habet hujus vice rimas ſeu foramina, per quæ utique ejicit aquam.

Jonſtonus in Thaumatologia Claſſe 9. cap. 3. vidiſſe ſe ait piſcem prægrandem captum ad Schevelingum, pagum Hagæ comitis adjacentem, ſexaginta pedum longitudine. Plura de Piſcibus magnis dicemus infrà in Capite de Cetis.

§. IV. Balænarum mores.

Balænarum natura & mores.

AMant loca maris longè à terra remota. *Editâ per ſumma æquoris fiſtulâ, dormiunt; qua etiam ſpirant, pinnas ſuas movendo leviter.* Inquit Ariſtoteles lib. 4. Hiſtor. Animal. cap. 10. Interdum *Balæna etiam è mari egreſſa, ad Solem ſe calefacit.* Sunt qui comedere negent eo modo quo alii piſces, maſticando videlicet, ſed tantummodò piſces quos venatur, deglutire integros, hosque non niſi parvos, propter internam gutturis membranam, quæ nil magnum ingredi ſinit.

Balænarum amor erga fœtus ſuos.

Auctor obſcurus de Natura rerum, apud Aldrovandum loc. cit. ait, Balænam fœtus ſuos etiamnum invalidos ferre humeris; & in metu ore ſuſcipere, maximè ingruente tempeſtate, & poſtea revomere. Idem aſſerit, quando propter aquæ defectum fœtus natare non poſſunt, terræque affixi hærent, matrem ore ſuo receptam aquam inſtar fluvii ſuper eos jaculari, ſicque inhærentes terræ liberare: denique adultos fœtus longo tempore comitari.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Cane maximo.

VArii piſces Canis nomen ſortiti ſunt. Hic ſermo eſt de maximo omnium, voraciſſimo, & cæteris piſcibus infenſiſſimo. Piſcis eſt cetaceus, & branchiatus, magnitudine Thunnos (de quibus infrà) vincens. In tantum aliquando excreſcit, teſte *Rondeletio* apud *Aldrovandum* lib. 3. de Piſcibus cap. 32. ut currui impoſitus vix à duobus equis vehi poſſit: quare eviſceratus, & in fruſta diſſectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit *Rondeletius*, vidiſſe ſe mediocrem mille librarum pondere. *Gillius* apud Aldrovandum refert, Nicenſes ſibi teſtatos, ſeſe iſtiusmodi piſcem ad quatuor millia librarum accedentem cepiſſe; & in ventre ejus reperiſſe integrum hominem. Simile quid narraſſe ſibi Maſſilienſes, comprehendiſſe nimirum aliquando unum, in quo loricatus fuerit homo. Vidit idem Rondeletius alium in Santonum littore, cujus os & gula tantæ erant vaſtitatis, ut hominem etiam obeſum commodè capere potuiſſet: imò ſi os ita hians conſervetur, reliquo corpore contecto; canes terreſtres piſcis illius reliquias devoraturos, ventriculum per id ſubire poſſe. Quare ſuſpicatur, hunc fuiſſe piſcem illum, qui Jonam Prophetam abſorbuit, ac poſt triduum evomuit. Et quamvis hic piſcis cete non ſit (cùm teſte Ariſtotele illa tantùm ſint cete, quæ abſque ovificatione vivos excludunt fœtus, & verè reſpirant, vero reſpirationis inſtrumento, nempe pulmone; Canis autem de quo agimus, licèt vivos excludat, priùs ova concipit, & branchias habet, non pulmonem) cete tamen à Sacra Scriptura vocari putat ob ingentem vaſtitatem. *Bellonius* quoque apud dictum Aldrovandum tam vaſto & capaci ore eſſe ait hunc piſcem, ut quodlibet ejus latus ſex & triginta dentibus ſit munitum.

Canis piſcis; & ejus magnitudo.

Os autem non in roſtro eſt, ſed ut aliis canibus ſupinâ parte. Ejus ſciſſura maxima eſt, & in eo dentes duriſſimi, acutiſſimi, trianguli figurâ, utrimque ſerrati, ſeno ordine diſpoſiti. Qui in priore ordine ſunt, extrà prominent, & in anteriorem partem vergunt: ſecundi ordinis rari ſunt: reliquorum in os recurvi maxima ex parte, in utraque maxilla carne molli & fungoſâ contecti. Quælibet maxilla duos & ſeptuaginta comprehendit, atque adeo ambæ ſimul centum quadraginta quatuor.

Canis piſcis dentes.

Reliquum corpus, ex Bellonii deſcriptione, ita ſe habet. Dorſum eſt breve, & latum. Laterum & tergoris pinnæ longè quàm in quovis ſui generis majores. Binæ earum haud procul à cauda, una ſuperior, altera inferior: ad branchias & podicem binæ aliæ: alia rurſus in medio

Canis piſcis corpus reliquum.

 ferè

Digitized by Google

ferè dorſo. Cauda minùs craſſa ac ſpiſſa, in lateribus compreſſa, duabus conſtans pinnis, cubitalem longitudinem æquans; cujus ſuperior pars, quæ vertebris communita eſt, altiùs attollitur quàm inferior, quæ creſcentis Lunæ figuram exprimit. Podex inter ſupinas pinnas latet. Cute aſperâ integitur. Oculi maximi, rotundique, quorum muſculi, qui ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum movent, manifeſtè conſpiciuntur. Ventriculum habet vaſtiſſimum, gulamque ampliſſimam.

Canis piſcis ſævities. Canis degit in alto pelago, & aliquando ad littora ſe recipit. Teſtatur etiam *Wottonus* apud Aldrovandum, aliquando & fluvios ſubire; tunc fortè, cùm prædam inſequitur. In ipſis etiam naſſis aliquando piſces adoritur, ac devorat. Circa Siciliam tempore capturæ Thunnorum ſubinde naſſas eorum ingreditur, & præter piſcium ſtragem quam infert, naſſas ipſas fortiſſimas, & fortiſſimè fundo maris depactas (ut infrà dicetur) demolitur. Summè ergo eum perſequuntur piſcatores, & quibus poſſunt modis occidunt. Non ſunt tamen tam vaſtæ ibi molis, ut ſuprà ex Bellonio & Rondeletio vidimus; quæ puto per exaggerationem dicta. In Sicilia non accedunt ad Thunnorum magnitudinem. Centè non excedunt. Carnis humanæ præ cæteris ſunt avidi; unde & ἀνθρωποφάγος (Anthropophagus) apud Athenæum dicitur. Piſcatores Siculi, dum inibi degerem, non procul Panormo unum cepêre inter Thunnos, in cujus ventriculo manus pueri recèns deglutita fuit inventa. Pugnam eorundem cum urinantibus deſcribit *Plinius* lib. 9. cap. 46. A Siculis ſæpe audivi, ni providi ſint piſcatores inter extrahendum hunc piſcem è naſſa in navem, unco ferreo arreptum, caudam adeo vehementer vibrare, ut propè ſtantium nuda brachia aut crura diſſecet.

CAPUT IX.

De Canthāro.

Cantharus piſcis. CAntharus piſcis eſt corporis formâ, branchiis, pinnis, aculeiſque Auratæ vel Sargo ſimilis. Squamis integitur parvis, ex indico ſplendentibus; caput & quæ circa oculos ſunt partes, ex nigro rubeſcunt. Ore eſt minore quàm Aurata, aut Sargus; inferiori maxillâ latâ dentibus parvis, confuſo ordine diſpoſitis. Littoralis eſt, & in cœnoſis littoribus ac portubus verſatur. Veſcitur ſordibus, herbis, carne, pane, caſeo, & rebus omnibus ex navi in mare projectis. *Turgent etiam amore in fœminas Canthari marini &c. Quòd verò in amatores ſuarum conjugum odium acerbum habent, acerrimas pugnas edi videres. Nec tamen illis more Sargorum piſcium de multis certamen inſtituitur, ſed non aliter quàm Menelaus*

nelaus cum Paride pro una uxore decertant , inquit *Ælianus* lib 1. de Animal. cap. 26.

CAPUT X.

De Cetis, aliisq; magnis Piſcibus.

TAmetſi Ceti vocabulum aliquando pro quovis magno piſce ſumatur, propriè tamen ſignificat illos ſolùm, qui habent pulmonem, collum, arteriam, renes, veſicam, teſtes, penem, mammas, aliasque partes cum terrenis quadrupedibus communes; quibus omnibus Piſces propriè dicti carent. Cetos Græci appellant κήτης, Latini aliqui belluas marinas, Vulgus Balænas, ſpecie pro genere accepto; Germani Wallfiſch. *Albertus Magnus* lib. 24. de Animal. Ceti uxorem vocat Balænam. Cete.

§. I. Cetorum forma, & partes corporis.

ALbertus Magnus loc. cit. ait, Cetos eſſe multorum generum: *quidam enim*, inquit, *ſunt hirſuti; & illi ſunt maximi: & quidam ſunt plana pellis; & illi ſunt minores, & in noſtro mari videntur.* Quæ ſunt omnibus communia, hoc loco expediemus. Miſcebimus tamen nonnulla quibusdam peculiaria, quando res ita exiget. Cetorum deſcriptio.

Aldrovandus lib. 1. de Cetis cap. 1. ait, Plinium aſſerere, Cetos omnes corio duntaxat integi. Hoc tamen Plinius de ſolis Delphinis aſſerit, qui ſunt Cetorum ſpecies. Nam lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 12. ait: *Aquatilium tegumenta plura ſunt. Alia corio & pilo teguntur, ut Vituli, & Hippopotami; alia corio tantùm, ut Delphini &c.* Capite verò ſequenti ait: *Quæ pilo veſtiuntur, animal pariunt, ut Priſtis, Balæna, Vitulus.* Videtur tamen ſolùm velle Aldrovandus, quòd Ceti ſolo corio, abſque ſquamis, integantur: ait enim, Cetum illum ingentem cubitorum quinquaginta, corio ſquamoſo craſſiſſimo tectum, quem Alexandri milites ejectum in littus repererunt, dum è Meſambria Tocam navigarent, ut Arrianus narrat, fuiſſe monſtroſum. Corio igitur integuntur quidem omnes Ceti, ſed hirſuto alii, alii plano.

Branchiis carent Ceti, earumque loco pulmonem acceperunt, & pulmonis causâ fiſtulam quâ humorem ore receptum reſpuant. Pulmonem porrò acceperunt à Natura, & fiſtulam, ad reſpirandum, quoniam plùs caloris habent, ob corporis vaſtitatem, adeoque majori reſpiratione indigent; quod per branchias fieri nequit tam commodè. Eſt autem Cetorum fiſtula.

Digitized by Google

fiſtula prædicta meatus quidam ab ima palati parte ad extimam perforatus, & ſepto intermedio in duos diſtinctus, ad narium noſtrarum ſimilitudinem. In extima tamen parte unicum foramen apparet, figuram litteræ C præferens; in qua operculum eſt ex carne pingui fiſtulis impoſitum, quod eas operit & aperit inſtar platiſmatii ſeu ventilis in machinis pneumaticis, & hydraulicis. Non omnes tamen Ceti habent fiſtulas: nam iis caret vitulus marinus, qui loco earum habet rimas.

Dentati ſunt aliqui ceti, alii edentuli, ut *Albertus* quoque aſſerit loc. cit. Dentes in quibusdam ſunt ſerrati, in aliis plani, in aliis longi atque exſerti. Albertus ait, aliquando inveniri dentes longitudinis duorum cubitorum, & aliquando quatuor, ſed plerumque unius. *Et hoc genus Ceti habet os ad maſticandum*, inquit Albertus. *Eſt autem viſum aliud genus Cetorum temporibus noſtris, quod habuit os ad ſugendum absque dentibus, ſicut muræna; & hoc fuit aliquantulùm minus alio genere, & multò melioris carnis.*

Cetorum oculi ingentes. Pergit *Albertus* de oculis & ait: *Utrumque autem genus duorum quæ pellis ſunt plana, ſpiſſum & nigrum habet corium ſuper oculos ſuos; qui ſunt valde magni, ita quòd quindecim homines largè capit fovea unius oculi, & aliquando capit viginti; & ſunt additamenta per modum ciliorum cornea, longitudinis octo pedum, & minùs, & plùs, & ſecundùm quod piſcis eſt major vel minor: & hæc additamenta cornea ſunt in figura magnæ falcis, cum qua ſecantur gramina; & ſunt ducenta quinquaginta ſuper oculum unum, & totidem ſuper alterum: & ex parte latiori radicantur in pelle, & ex parte ſtrictiori ſeparantur, nec eriguntur ita quòd rigeſcant porrecta de corpore, ſed jacent diſpoſita à radice oculi verſus tempora piſcis, ita quòd appareant unum os latum ſicut magnum vannum: & utitur eo piſcis pro coopertorio oculi ſui tempore magnæ tempeſtatis.* Et hoc genus, ait Albertus, *Os habet amplum; & quando ſpirat, evomit ex ipſo multam aquam, quæ aliquando implet naviculas, & ſubmergit.*

Fœminæ Cetorum habent mammas, & lac; aitque *Rondeletius*, in littore Aquitanico duos lactis cados è Balænæ mammis fuiſſe aliquando expreſſos. Audiunt omnes Ceti, tametſi nullum auditus organum manifeſtè in iis appareat.

Pingui abundant plurimo, ut poſtea dicetur; quod tamen non concreſcit, ut reliquorum piſcium, ſed ut oleum manet liquidum. Reliquarum partium cùm externarum, tum internarum deſcriptionem vide apud Aldrovandum loc. cit. & alios.

In ſolo, nec tamen in omni mari reperiuntur: Pontus enim Euxinus nullos habere dicitur. Cibus ipſis piſces, præcipuè harengi; quos quandoque tam avidè perſequuntur, ut in littora vadoſa impingant, & in accolarum prædam cedant, ut mox patebit. Generant intra ſe, & catulos enituntur. Hi teneri matrem ſequuntur, ut ſuprà in Balæna dixi.

Motu,

Digitized by Google

Motu, ob corporis molem, & ventris ingluviem, tardo feruntur, Delphino excepto, de quo poſtea. Viſus ipſis hebetior: hinc piſciculum tanquam ducem eos præeuntem attribuit Natura, ut aliqui credunt. Odore picis adeo delectantur, ut ſeſe navi affricent. Strepitu terreri, prodidit Arrianus.

§. II. De ingenti quorundam Cetorum vaſtitate, ex Plinio, & Alberto Magno.

CEtorum variæ ſunt ſpecies, ut Balæna, Phyſeter, Priſtis, Orca, Delphinus, Phocæna &c. de quibus in ſequentibus. De Balæna jam egimus. Hîc lubet quædam generatim recenſere de mira quorundam magnitudine ac vaſtitate. De mole ſingulis propria dicemus, cùm de iis agemus. Cetorum vaſtitas ex Plinio, & Alberto.

Piſces aliquos ingentis magnitudinis in variis maribus repertos fuiſſe omni ævo, & etiamnum reperiri, aſſerunt Scriptores fide digniſſimi, & frequenti conſtat experientiâ. *Plinius* lib. 9. Nat. Hiſt. cap. 3. loquens de Indici maris belluis, hæc ſcribit: *Plurima autem & maxima in Indico mari animalia, è quibus Balænæ quaternûm jugerum. Priſtes ducenûm cubitorum.* Et poſt pauca: *Cadara appellatur Rubri maris peninſula ingens. Hujus objectu vaſtus efficitur ſinus &c. Hujus loci quiete præcipuâ ad immobilem magnitudinem belluæ adoleſcunt. Gedroſos, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni Claſſium præfecti prodidére, in domibus fores maxillis belluarum facere, oſſibus tecta contignare, ex quibus multa quadrigenûm cubitorum longitudinis reperta.* Idem eodem lib. cap. 4. *maximum animal in Indico mari Priſtis, & Balæna eſt: in Gallico Oceano Phyſeter ingentis columnæ modo ſe attollens, altiorq; navium velis, diluviem quandam eructans.* Orcæ magnitudinem, quæ in portu Oſtienſi vado hæſerat, deſcribit idem cap. 6. ejuſdem libri. Idem lib. 32. cap. 1. ex Juba in voluminibus, quæ ſcripſit ad C. Cæſarem Auguſti filium, ait, *Cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis, in flumen Arabiæ intraſſe,* hoc eſt, in Arabicum Sinum, quem mare rubrum vocant communiter. Ingens profectò machina, & vel ipſa Arcâ Noë, quæ totius mundi ſeminarium erat, major, quippe cujus longitudo non erat niſi cubitorum trecentorum ſeu pedum 450; latitudo cubitorum quinquaginta, ſeu pedum 75; altitudo cubitorum triginta, ſeu pedum 45.

Albertus Magnus lib. 24. cap. de Ceto, quid de Ceti magnitudine ſentiat, colligi poteſt ex dictis §. 1. de fovea ſeu cavitate oculorum, quam tantam eſſe ſcribit, ut quindecim ac etiam viginti homines capiat. Idem de vaſtitate oris, quod ait tam amplum eſſe, ut dum ſpirat, & aquam ex fiſtulis evomit, integras aliquando naviculas impleat, ac ſubmergat. De ejuſdem coſtarum magnitudine ita ſcribit. *Coſtas autem habet curvas, &*

Digitized by Google

longas, ad ſpiſſitudinem piſcis; & ſunt in quantitate lignorum in magnis domibus. Tigna autem voco, ſuper quæ conclavantur laquearia, quibus tegulæ domûs affiguntur. Pergit de magnitudine cetorum, & ait: *Hunc piſcem ſcribunt antiqui, quatuor jugera terræ occupare ventris ſui latitudine. Et hoc nos nunquam experiri potuimus ab aliquo piſcatorum, qui multoties & multos viderunt. Sed hoc quod experti ſumus, majus eſt, quod eſt onus trecentorum curruum tam in carne, quàm in oſſibus, quando diviſus eſt. Et tam magni rarò capiuntur. Sed de ducentis, & centum, & quinquaginta, & plùs parum & minùs, ſunt qui frequenter apud nos capiuntur.* De eorundem pinguedine & ſagimine, ut vocat, ita ſcribit: *Et lardum habet hic piſcis in dorſo ſicut porcus, & eſt multæ pinguedinis, & maximè in capite circa cerebri medullam. Et tempore meo plures capti ſunt: unus quidem in Friſia circa locum, qui Stauria vocatur; cujus cùm caput per oculum cuſpide punctum eſſet, undecim lagenas ſaginminis emiſit, quarum qualibet vix portabatur ab homine uno. Et hoc ſagimen & lagenas ego vidi: & eſt ſagimen valde lucidum & purum, poſtquàm defæcatum eſt. Alter captus fuit ultra Trajectum verſus Hollandiam, cujus caput quadraginta reddidit ſaginminis lagenas.* Sequentia quoque vaſtitatem piſcis declarant. *Frequentiſſimè tamen capitur, quando allec inſequens ex aviditate nimis in littus ſe impingit, quòd ad aquam redire non poteſt. Et taliter parum ante hoc tempus unum impegit in littus Friſiæ: & cùm incolæ hoc reſcirent, timentes nè ſubitò maris exitus rediret, & tunc amitterent piſcem; ligaverunt eum omnibus, quas in tota ſua Inſula poterant habere, funibus, palos profundo terræ infigentes, & ad lapides ligantes funium extremitates, & ad domos vicinas, & ad alia ædificia. Mari autem redeunte, hic piſcis adjutus aquâ, confregit omnia, & cum funibus receſſit ad pelagus, triſtantibus incolis de funium amiſſione. Sed cùm paſtus non eſſet, in die tertio aciem allecis iterum cum funibus inſequendo, jacuit in eodem loco quo priùs: & tunc ab incolis funes ſunt recuperati; & interfectus ac diviſus eſt piſcis. Et cùm ſcinderetur cervix capitis ejus, ex pondere capitis fracta eſt, & fragor ſonum dedit ac ſi domus fracta rueret.* Hactenus Albertus.

Cetus captus in Friſia.

§. III. De Cetorum, aliorumque piſcium magnitudine, ex Olao Magno.

Cetorum, aliorumq; piſcium vaſtitas ex Olao Magno.

OLaus Magnus in Hiſtoria Septentrionalium gentium lib. 21. mira ſcribit de Cetorum, balænarum, aliorumque variorum piſcium vaſtitate ſimul, & crudelitate. Nonnulla excerpere libet.

Capite igitur 11. & 12. dicti libri 21. ex Procopio lib. 3. de bello Gothico, de cujuſdam Ceti prope Byzantium capti magnitudine & crudelitate, inter alia hæc ſcribit. *Per id tempus etiam cetus quidam marinus piſcis (quem Porphyrium Byzantini vocant) mirificè capitur. Hic ſanè circa annum*

jam

jam quinquageſimum , ut Byzantinis ipſis , ita & finitimorum locorum tunc incolis infeſtior fuerat , non continenter , ſed per temporis intervalla. Nam & navigia pleraq; ad ima depreſſerat , multarumq; navium vectores ac nautas turbando , & vim inferendo , longiùs diſturbârat. Cujus belluæ capiendæ magnum Juſtiniano Imperatori ſtudium ; peragere tamen quod ei animo inerat , nullâ hic potuit arte. Sed quemadmodum in capturam hæc bellua venerit , paucis oſtendetur. Erat fortè in ſumma tranquillitate tunc mare , delphinorumq; grex ingens circa oſtium Euxini ponti uno agmine confluebat: qui ſubitò ceto illo conſpecto, quocunque licuit , perfugium habuêre : pars tamen maxima ad Sagaridis fluminis exitum ſeſe ex fuga recepit. Cetus verò in eo tum primùm delphinorum adventu , nonnullos ex his , ſed improvidos , equidem voravit. Sive itaque fame tunc detineretur , ſive id ex certamine ageret , continenter , & tam diu fugientes hos inſectatur, quoad tandem in continentem ex incurſu delatus, nec volens quidem profundiori ſe limo immerſit. Unde quibusvis modis eruere ſe connitendo, nullo potuit pacto limoſo è loco exſolvi, ſed quò magis enitebatur, eò & acriùs limo ſe immergebat. Quæ res ubi ad circumjecti loci incolas paſſim eſt perlata, concurſu undiq; facto , in cetum mox irruunt , ſecuribus undequaque & crebris ictibus præcidendo: neque hoc pacto conficere belluam potuêre. Funibus demum prævalidis colligatam, magnâ vi hominum extrahunt , & planſtris devehendum imponunt. Cujus magnitudinem cum cura emenſi , cubitis in longitudine triginta, in latitudine viginti , hanc eſſe comperiebant.

(Margin: Cetus Byzantii captus.)

Idem *Olaus* cap. 13. dicti libri. 21. deſcribit monſtroſum quendam piſcem, in littore Septentrionali Angliæ repertum Anno 1532. ex nobilis cujusdam Angli relatione ſcripta ad Polydorum his verbis. *Projecit in arenam apud Thinemuthum, mare noſtrum hoc menſe Auguſto M. D. XXXII. mortuã belluam molis & magnitudinis ingentis, quæ jam magna ex parte diſcerpta eſt: remanet adhuc tamen quantum centum fermè ingentia planſtra vix avehere poterunt. Ajunt , qui primùm belluam viderunt, &, uti poterant, diligenter perſcripſerunt, lõgitudinis illam fuiſſe triginta ulnarum, hoc eſt, pedum nonaginta: à ventre ad ſpinam dorſi, arenis immerſam, ſpatium eſſe circiter octo vel novem ulnarũ. Certum non habetur. Nam 27. die Auguſti ipſe ibi adfui, fœtente jam belluã , ut vix ferri poſſet fœtor. Conjectant , dorſum ipſius ad ſpatium trium ulnarum eſſe in arena immerſum , quandoquidem quotidie alluitur , & operitur fluctibus arenoſis. Rictus oris longitudine ſex ulnarum & dimidia : mandibulæ ſeptem ulnas ac mediam continent : circuitus alicubi ulnæ unius & dimidiæ alicubi minùs : omnino ſicut quercus grandis eſt. Triginta coſtas in lateribus habet , magna ex parte longitudinis viginti & unius pedum , circuitu unius pedis & dimidii : tres ventres, veluti vaſtus ſpecus : & triginta guttura , quorum quinq; prægrandia ſunt. Habet duas pinnas ; utraq; quindecim pedum in longitudine ; vix poterant decem boves alteram earum abſtrahere. Palato adhærebant quaſi laminæ*

(Margin: Cetus in Anglia captus.)

cornea,

corneæ, una ex parte piloſa, qualem jam unam vides, ſupra mille (non eſt fabula, Polydore, ſed res veriſſima) quamvis non omnes unius magnitudinis. Longitudo capitis à principio uſq; ad rictum, ſeptem ulnarum. De lingua variatur: major pars cenſet ſeptem ulnarum fuiſſe longitudine. Ajunt, genitale ei fuiſſe prodigioſæ magnitudinis: membrum inquam maſculinum vir quidam cùm dilaniaret, fermè ſubmerſus fuiſſet, in ventrem belluæ cadens, niſi coſtâ arreptâ ſe ſuſtentaſſet. Spatium inter oculos ſex ulnas tenebat. Oculi & nares tanto corpori valde impares, & quales bobus eſſe ſolent. Cauda bifurcata, & ſerrata, latitudine ſeptem ulnarum. In capite duo magna foramina erant, per quæ putatur belluam plurimam aquam, veluti per fiſtulas, ejectaſſe. Nulli denique illi fuêre dentes (unde colligitur, non fuiſſe balænam; nam balænis ajunt maximos eſſe dentes) exceptis laminis aliquot corneis, quæ in ore hujus piſcis erant.

Hæc Olaus ex citata relatione Angli. Idem cap. 20. de pinguedine, carnibus, oſſibus, & coriis Cetorum, ac ſimilium animalium ſcribit ſequentia. *Cetis, ſeu Balænis è mari piſcatorum arte, ingenio, & magno labore extractis, ſive vi ventorum ac tempeſtatum, aut inimicorum piſcium furiâ littoribus impulſis, incolæ prædam ſecuribus & aſciis partiuntur, ita ut ex unius balænæ, ſive cetis carne, pinguedine, & oſſibus, 250. vel 300. plauſtra repleri poſſint. Carnem & lardum in multis & magnis vaſis, inter cæteros immenſos marinos piſces ſale condiunt, eaq; pro commoditate & eſca domeſtica utuntur, aliiſque ad eum uſum vendunt in remotas orbis partes deferenda. Pinguedo vel adeps ceti magna eſt in toto corpore, ſed maxima in capite circa cerebri medullam: unde quandoq; duodecim lagenæ, quarum qualibet vix ab uno homine portari poteſt; quandoque triginta vel quadraginta hujus pinguedinis plenæ (qualibet barile Romanum magnitudine ſuâ ſuperans) per totidem viros fortes vix portatu idoneæ extrahuntur, eliciunturque &c. oſſa præterea ejus minora defectu lignorum domeſtico foco adaptantur &c. Ex corio denique balænæ fiunt balthea, loculi, tractorii funes pro uſu campanarum, diu durantes: imò partitâ pelle unius belluæ, quadraginta homines ex ea veſtiri queunt.*

Cetorum nonnullorum caro, oſſa, coria, & pinguedo.

Capite 22. ſcribit, cetorum ac balænarum oſſa tam vaſta eſſe, ut *ex his integræ habitationes, tum quoad parietes, portas, feneſtras, tecta, ſedilia, tum etiam quoad menſas, confici queant. Hæ enim coſtæ viginti, triginta, aut plurium pedum ſunt. Præterea ſpinæ, ſpondyli, atque vaſti capitis bifurcata oſſa haud parvam in ſe quantitatem habent: quæ omnia artificum induſtriâ ita ferris & limis aptantur, ut faber lignarius adhibitâ ferreâ juncturâ compendioſius nihil extruere poſſet.* Similia narrat cap. 23. ex Plinio, Solino, Volaterrano.

Cetorum ex ſceleto domus integra erecta.

Lepidum eſt quod ſubjungit cap. 24. de domibus ex erectione integrarum coſtarum, his verbis: *Exeſis igitur, ac diſſolutis carnibus & inteſtinis hujus vaſtiſſimæ belluæ, ſola oſſa remanent in modum magnæ carinæ; quæ demum imbribus & aëre purgata, viribus hominum ad hoc vocatorum, inſtar domus erigitur. Tum induſtriâ conſtituentis patroni, feneſtris in culmine tecti, vel lateribus belluæ collocatis,*

collocatis, in plures & commodas habitationes dividitur; januaque fiunt ex corio ejuſdem belluæ, longè priùs ad eum, aliumque uſum extracto, atque ventorum aſperitate indurato. Separatim etiam intra hanc carinam, quaſi domum erectam, diſtinguuntur cameræ pro porcis, & aliis animalibus, more aliarum ædium lignearum; relicto ſemper ſubculmine hujus ſtructuræ loco pro gallis quaſi horologiis, ut homines nocte (quæ ibidem hyeme continuata eſt) ad opus excitentur. Dormientes inter has coſtas non alia inſomnia vident, quàm ſi continuè in fluctibus marinis laborarent, aut in tempeſtatibus ad naufragium uſq; periclitarentur.

Pergit cap. 25. loquens de anchoris dorſo ceti impoſitis; *Habet etiam cetus ſuper corium ſuum ſuperficiem tanquam ſabulum, quod eſt juxta littus maris: undè plerùmq; elevato dorſo ſuo ſuper undas, à navigantibus nihil aliud creditur eſſe, quàm inſula. Itaque nautæ ad illum appellunt, & ſuper eum deſcendunt, inq; ipſum palos figunt, naves alligant; focos pro cibis coquendis accendunt; donec tandem cetus ſentiens ignem, ſeſe in profundum mergat, atq; in ejus dorſo manentes, niſi funibus à navi protenſis ſe liberare queant, ſubmergantur. Hic cetus aliquando fluctus hauſtos ita eructat, quòd alluvie nimboſâ plerùmq; claſſem navigantium deprimat: & cùm in mari tempeſtas oritur, ſe ſuper fluctus attollit, ut in his commotionibus ac turbinibus naves mergat. Arenas aliquando dorſo ſustollit, in quibus ingruente tempeſtate (ut Libro de Nat. rerum habetur) nautæ, terram ſe inveniſſe gaudentes, anchoris dimiſſis falsâ firmitate quieſcunt, ac ignes accenſos bellua ſentiens, ſubitò commota ſe in aquas mergit, hominesq; cum navibus, niſi anchoræ rumpantur, in profundum attrahit.* Confirmat hoc teſtimonio D. Ambroſii, & aliorum, quæ infrà adducemus. Ceti inſtar inſularum.

§. IV. De cetorum, aliorumque piſcium magnitudine teſtimonia variorum Auctorum.

S. *Auguſtinus* lib. 7. Epiſt. 49. q. 46. ut probet vaſtum fuiſſe ventrem ceti, qui Jonam Prophetam vivum deglutivit, ac tribus diebus circumlatum tandem revomuit, ut conſtat ex *Jonæ* cap. 2. hæc ſcribit: *Ut enim omittam commemorare, quanta magnitudo belluarum marinarum ab eis, qui experti ſunt, indicetur; venter, quem coſtæ illæ muniebant, quæ Carthagine in publico populo notæ ſunt, quot homines in ſpatio ſuo capere poſſet? Quisnam conjiciat, quanto patebat in hiatu os illud, quod vel janua ſpeluncæ illius fuit?* Cetorum vaſtitas ex SS. Auguſtino, Baſilio, Ambroſio, Iſidoro, & aliis.

D. Baſilius in Hexaëm. Homil. 7. *Fecit DEUS*, ait, *cete magna. Non quia ſquillâ aut halece majora ſunt cete, ideo magna ſunt dicta; ſed quia maximis mole corporis montibus æquantur cete magna, ſeu grandia. Nam cùm ad ſummam aquæ ſuperficiem enatârint, inſtar inſularum ſæpenumero apparent.*

S. Ambroſius lib. 5. Hexaëm. cap. 11. *Veniamus*, inquit, *ad Atlanticum mare; quàm ingentia illic, & infinitæ magnitudinis cete! Quæ ſi quando ſupernatant fluctibus, innatare inſulas putes, montes altiſſimos ſummis ad cœlum verticibus eminere.*

Uuuuuu *S. Iſido-*

S. Iſidorus lib. 19. Origin. cap. 7. *Sunt enim*, ait, *ingentia genera belluarum, & æqualia montium corpora, qualis qui excepit Jonam, cujus alvus tantæ magnitudinis fuit, ut inſtar obtineret inferni, dicente Propheta: Exaudivit me de ventre inferi.*

Dionyſius Geographus apud Benedictum Pererium lib. 3. in Daniel. ad illa verba Cantici trium puerorum: *Benedicite cete, &c.* affirmat, viſas eſſe in mari Balænas inſtar ſublimium montium, quæ nimirum naves, cum rectoribus abſorbuerint. Puto tamen hoc fabuloſum eſſe, niſi velit fortaſſis, quòd aquarum evomitione eas ſubmerſerit.

Sigebertus Monachus Gemblacenſis, in Vita S. Machovii Epiſcopi & Confeſſoris, cap. 7. apud Surium tomo 6. de vitis Sanctorum, narrat de dicto Sancto, cum in ipſo paſchatis feſto mare enavigaret, cuperetque vehementer Miſſarum ſolemnia celebrare, nec locum ad id idoneum haberet; toto corde converſum ad DEUM, oraſſe obnixè ut locum aptum ad id offerret: cùm ecce, *exaudibilis auris DEI omnipotentis adfuit præſto orationi utilia petentis; & qui olim periclitanti Jonæ cetum ad ſalvationem ejus præparavit, hic etiam modò Balænam præſtò adeſſe fecit. Cui tanta corporis vaſtitas erat, ut rupes eſſe ab hominibus putaretur. Porrò eam tanta ſubſtraverat immobilitas, ut inſula ſtabilis eſſe crederetur. Sacramentorum ergo ordine à ſacerdote ſolemniter celebrato, & viatico Dominicæ Euchariſtiæ omnibus devotè diſtributo, quo unico inter omnes utriuſque hominis adverſitates munirentur ſubſidio; ſoluto alacriter navis retinaculo, reddunt ſe ſuſcepto navigandi propoſito. Porrò in comitatu illo erant homines numero fermè centum octoginta. Cùm ergo jam altum tenerent, veliſicante fide ſecuri; tunc demum reducto viſu intellexêre, de quanto periculo eos eruerit miſericors potentia Domini, qui Balænam pro inſula paraverat eis in medio mari, & eam ſubſtraverat immobilitate tam ſtabili, ut nihil eis periculi incuteret. Cui tum poſſet eſſe dubium, quòd inevitabile omnes incurriſſent mortis periculum, ſi bellua immaniſſima dediſſet corporis ſui motum? Unde omnes lætum cantantes celeuma, voces gratiarum actionis unanimiter jactabant ad ſidera.*

Cete inſtar inſulæ.

§. V. Adhuc aliorum Auctorum teſtimonia de cetorum, & aliorum piſcium magnitudine.

Ceti aliquot ingentes.

SUprà capite de Balæna deſcripſimus vaſtitatem Balænæ Anno 1577. captæ in Scaldi fluvio. Item de alterius piſcis vaſtitate, capti ad Schevelingam. *Surius* Comment. rerum in orbe geſtar. Anno 1531. in fine, ait: *Hoc anno haud procul ab Harlemio, inſigni Hollandiæ oppido, ejectus eſt piſcis ingens ex Oceano, longus ſexaginta octo pedes, craſſus triginta; oris tantâ vaſtitate, ut pateret pedes duodecim.*

Vola-

Digitized by Google

Volaterranus lib. 25. cap. de Piſcibus, *Non præteribo, ait, quod vidi Anno M. CCCC. XCVIII. Apud vada Volaterrana reperta in littore extincta ſive Balæna, ſive Cetus alterius generis, magnitudine pedum centum: cujus dorſi vertebræ LX. fuêre. Septem ex eis allatas Volaterris vidimus, quarum quælibet equi ephippium, quo nunc utuntur, æquabat.*

P. Joan. Petrus Maffeus Hiſtoriar. Indicar. lib. 7. *Per eosdem ferè menſes, novum & multiplex aliud in mari miraculum extitit. Claſſis navium novem duce Georgio Britto dum ex Luſitania in Indiam petit, roſtrata celſior Rhoderici Vaſæi Pereria, in medio curſu, repentè, veluti fræno equus adducto, ita ſubſtitit magno cum aquæ ſonitu ac motu, qualis, ubi in vada & ſyrtes incurritur, edi conſuevit. Eo ipſo tempore perculſi nautæ, demiſsâ utrimque bolide, profundum ſine dubio mare comperiunt: Cùm inflatis vento velis hæreret navigium nihilominùs; diſpiciendi causâ (quòd eſſet nox) admotis ad marginem luminibus, implexam alveo ingentem belluam vident. Carinæ centum & quinque dodrantium longitudine, applicuerat corpus; cauda gubernaculum illigârat; alis immanibus latera ad ſummum usque cingebat: quas jam in alas per imprudentiam nonnulli manus injecerant. Ad ſpectaculum adeo tetrum, ingenti videlicet horrore nautæ militesque perfuſi. Ut verò, dolii magnitudine, vaſto hiatu noviſſimè caput extulit; metu exanimati penè omnes, infernum profecto monſtrum divinitùs immiſſum credere, ad viva tot noxiorum corpora glutienda. Pauci, quibus in tanto diſcrimine mens animusque conſtiterat, conſultandi gratiâ in unam partem ſecedunt. Erant qui contis, & jaculis, balliſtisque depellendum ſuaderent cetum: alii contrà, nihil magis tali tempore vitandum ajebant; ne tantæ molis animal vulneribus irritatum, concuſſu ipſo & agitatione violentâ navem everteret. In ſumma inopia conſilii, cùm nihil explicaretur, & major in ſingula momenta terror inſtaret; ſuppliciter ac demiſſè veniam pacemque DEI & cœleſtium expoſcere, atque ad vota precesque confugere placitum eſt. Neq; ea irrita fuêre. Sacerdos cum linteo, & ſtola, & ſigno Crucis in medium prodiit. Ab eo, ſacris carminibus & exorciſmis delinita bellua (mirum dictu!) nullâ cujusquam noxâ relicto navigio, cùm è portentoſis narium fiſtulis ingentem reflaſſet aquæ vim, ſeſe admodū placido lapſu in mare demiſit. Luſitani, tanquam ex orco præter ſpem erepti, debitas divinæ clementiæ laudes & grates agebant.*

Piſcis ingens navē Luſitanorum in Oceano Indico detinet.

Majolus in diebus Canicul. Colloq. 9. refert ex *Ovetano* Hiſtor. lib. 13. in ſinu Orotigna novi Orbis compertum aliquando piſcem, cujus capitis amplitudo in altum fuerit ad pedes quindecim, latitudine longè majori, reliquo corpore ultra triginta. Ejus pinnas fuiſſe grandes, uti ingens dolium, longas pedes viginti. Addit, viſum in eodem ſinu piſcem è mari rectà exerentem caput, cum duabus anterioribus pinnis; & iis ſolis exertis partibus altitudinem majorum navium ſuperaſſe; frequentiùs ſeſe demerſiſſe, & emerſiſſe, erecto ſemper corpore, & longa maris ſpatia deturbaſſe.

Piſces ingentes in Novo Orbe.

Digitized by Google

Piſces vaſtiſſimi ex Plinio.

Plinius lib. 9. cap. 5. refert, *expulſam belluam in Gaditana littora, cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita ſexdecim fuiſſent, dentes ejusdem centum viginti, maximi dodrantium menſurâ, minimi ſemi pedum.* Præterea *belluæ, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ, apportata ex oppido Judææ Joppe, oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali.* Eadem habet *Solinus* in Polyhiſt. cap. 47.

Omitto multa alia, quę de piſcium quorundam mira vaſtitate apud alios reperiuntur Scriptores. Nonnulla quoque in ſequentibus referemus.

§. VI. De vaſtitate cujusdam Ceti ex Granatenſi.

Ceti vaſtitas ex Granatenſi.

Piſſimus *Ludovicus Granatenſis* lib. 1. Introductionis ad Symbolum fidei, cap. 21. circa finem, de admirabili quodam ſeu Cete (ut ipſe vocat) ſeu alio quopiam piſce ingenti, hanc narrat hiſtoriam. *Attamen his prætermiſſis, hîc mirabilem cujusdam piſcis magnitudinem referam, qui Anno M.D.LXXV. decimo Kal. Maji ad Benicha ſtationem pervenit. Hunc jam mortuum ad littus mare projecit. Hoc nihil admirabilius viſum unquam. Erat enim ejus longitudo quadraginta cubitorum. In dorſo ejus corium erat nigrum, in ventre album. Caudæ verò longitudo ab extremitate pinnæ ad aliam extremitatem, erat quinq; cubitorum; & ejus latitudo quindecim palmorum. Erat tanta corporis craſſitudo, ut duos homines ſatis grandes in utriusq; partibus collocati, vix ſe conſpicerent. Uterq; oculus unius cubiti longitudine erat. Caput in ſublime ferebat altum quatuor cubitos. Os non, ut alii piſces, habebat in capite, ſed in ventre. Majores illius dentes erant ſinguli octo cubitorum. In ore præterea habebat ſexdecim dentes, & quilibet erat in circuitu dimidium cubiti. Spatium inter dentem & dentem erat unius palmi.*

In hujus piſcis fabrica divinæ providentiæ artificium animadvertendum eſt; qui altum fert caput, ut piſces proſpiciat, quibus nutriendus erat: Sed cùm diſtantia inter caput & aquam magna eſſet; ei os in ventre accommodavit, ut vicinius & accommodatius ad piſcandum eſſet, quod oculis jam eſſet aſſecutus. Illud quoq; audivi, hunc piſcem in ventre unguentum ad medendum ſatis accommodatum, & pretioſiſſimum, habuiſſe. Hæc Granatenſis.

Benicha eſt ſinus in Luſitania Occidentem ſpectante; vicinus illi urbi, quæ vulgo *Nova Lisbona* appellatur, circiter ſeptem aut octo milliaribus ab Olyſſipone diſtanti, penè ex adverſo ejus Inſulæ, quas *las* Berlengos vocant.

Granatenſis exhibet iconem piſcis: in qua quia non exprimuntur duo illi octo cubitorum dentes, ſed tantùm reliqui; ſuſpicatur *Cluſius*, per duos illos intelligi debere mandibulas, cùm nullus elephas, quantumvis maximus, tantæ magnitudinis cornua ſeu dentes habeat.

§. VII. De

§. VII. De bellua marina Cluſii.

ANno à Chriſti nativitate nonageſimo octavo ſupra milleſimum & quingenteſimum, referente *Cluſio*, tempeſtate ejecta fuit in littus occiduum Hollandiæ bellua marina, quam ſenes Batavi maris accolæ *Potvvalfiſch* appellabant; videturque eſſe illa eadem, cujus jam bis ſuprà mentionem fecimus ex Jonſtono, quam ipſe vidit ad Schevelingam, pagum Hagæ Comitis adjacentem. Verba Cluſii apud Nierembergium lib. 11. Hiſt Nat. cap 61. hæc ſunt. *Illo quo dixi anno, quarto vel tertio Nonas Februarii, circiter quartam aut quintam pomeridianam, in littus fuit ejecta è regione Berchei vici, quondam, ut fertur, decem aut duodecim tuguriorum, inter Schevelingam & Catvvicum maritimum, cum tanta tempeſtate & maris commotione, ut qui iſtic aderant, ſe in fugam conjicerent, & ſeſe abderent inter colles illos arenoſos mari objectos. Sedatâ tempeſtate, decem plùs minùs horis adhuc ſpirans fuit conſpecta; & mortua iſtic jacuit ſeptem aut octo dies, ut ad eam conſpiciendam è vicinis urbibus & locis ingens hominum multitudo conflueret, partim pedeſtri itinere, partim equis, rhedis aut curru vecta. Ejus porrò longitudo quinquaginta duorum aut trium pedum fuit: craſſitudinis ambitum nonnulli dicunt triginta pedum & unius fuiſſe, alii verò longè majorem faciunt. Exacta tamen menſura ſumi non potuit, quia volutatione & agitatione, antequam interiret, corporis pars quædam ſabulo erat immerſa. Superior roſtri pars ab extimo ad oculos usque, quindecim pedum reperta eſt: ipſum in ea palatum quadraginta duobus foraminibus ſive alveolis præditum erat, hoc eſt, in utroq; latere viginti & uno, ad excipiendos totidem mandibulæ inferiori adhærentes dentes, qui magnitudinem pollicis alicujus viri prægrandis & robuſti habebant. In capite verſus dorſum erat etiam foramen circiter tres pedes amplum, per quod aquam in altum ejiciebat. Inferior mandibula, in qua illi dentium bini ordines, ſeptem pedum longitudinem non excedebat, & fragmento craſſi & ingentis mali navis conferri poterat. Linguæ extima pars tam magna & craſſa erat, ac dolium cereviſiarium. Oculorum magnitudo pro tam vaſto corpore non erat major, quàm ſpatium, quod pollex & digitus index extenti comprehendere poterant. Diſtabant oculi quatuor pedibus à pinnis; pinnæ verò quatuor pedes & totidem pollices erant longæ, ac pedem ferè denſæ. Umbilicus à mandibulis ſexdecim pedum ſpatio diſtabat: ab umbilico ad pedem interſtitium erat trium pedum. Penis verò jam mortuæ ſex pedum longitudinem habebat: à pene autem ad podicem trium pedum cum ſemiſſe erat diſtantia; & à podice ad caudam tredecim cum ſemiſſe; ipſa verò cauda valde craſſa, tredecim pedes alta ſive lata erat. Poſt paucos deinde dies fuit illa beſtia vendita quibusdam mercatoribus, eâ tamen conditione, ut majora ejus oſſa Hagam Comitis vehi curarent, & iſtic in curia conſervarentur propter memoriam. Reperiſſe autem mercatores dicebantur in belluæ capite plùs quàm quartam partem dolii in quo ſervabantur ſaliti haleces, plenam ejus liquoris,* Piſcis ingens Cluſii.

Digitized by Google

quem vulgo ſperma ceti, Hollandi Waſchot appellant. E tota autem corporis mole in partes ſecta, & deinde uſtulata, circiter quadraginta dolia, prædicto ſimilia, plena pinguedine excepiſſe, præter magnam quantitatem ſponte fluentem ab aliis collectam, & eam quæ in undas marinas effluxerat antequàm mercatores redimerent. Dorſi corium nigrum erat, quemadmodum delphinorum, aut thynnorum: venter albeſcebat. Hactenus Cluſius.

§. VIII. De aliis belluis marinis ex Cluſio, & Cadamuſto.

Piſcis vaſtus alius ex Cluſio.

ALiam belluam idem *Cluſius* deſcribit his verbis: *Anno porrò milleſimo ſexcenteſimo primo, ſub extremum Decembris, decimo tertio Kalendas Januarii anni inſequentis, ejecta fuit alia ſimilis portentoſa bellua in littus Batavicum Bevervvicanum, verſus Meridionalem plagam, cujus longitudo prædictæ longitudinem excedebat. Nam longitudo ſexaginta pedum erat; altitudo pedum quatuordecim; corporis ambitus triginta ſex pedum menſuram æquabat; cauda pedes quatuordecim erat lata; oris rictus duodecim pedes amplus erat. Dentes etiam in inferiori mandibula duntaxat habebat, duplici ordine ſimiliter diſpoſitos; in ſuperiori totidem alveolos, qui dentes, cùm rictum clauderet bellua, exciperent, Maſculini ſexus etiam erat, & eodem colore prædita quo ſuperior, ut mihi relatum. An verò quæſtum fecerint ex illa, ut ex priore, me latet.* Hæc Cluſius.

Alius ex Cadamuſto.

Aloyſius Cadamuſtus ait, ſe cum ſociis navigationis ſuæ vidiſſe in Oceano immaniſſimam belluam, piſcis formam habentem, quæ concitatiſſimo gradu verſus navem quâ vehebatur, contendebat; ut propterea ex nimia conſternatione, velis vento datis, fugere fuerint coacti. *Cùm caput*, (inquit) *ſupra aquam efferebat, videbatur alas quaſdam habere inſtar alarum molendini, quod vento circumagitur, ubi non adeſt aquarum copia. Ob id noſtrâ ſententiâ viſa eſt bellua non minor Liburnicis, id eſt, Galeis noſtris. Quamobrem Hiſpani omnes, qui aſſuevêre magnis navigationibus, fatebantur ingenuè, nunquam vidiſſe vaſtiorem atrocioremvè beſtiam, quam tantopere formidaviſſent, licèt innumeras vidiſſent balænas. Confeſſione igitur eorum, hæc bellua balænam ſuperat magnitudine.* Hæc ille.

§. IX. De Piſce mulari ex Nierembergio.

Piſcis mularis ex Nierembergio.

NIerembergius lib. 11. Hiſt. Nat. cap. 62. ſequentem narrat hiſtoriam. *Sub Philippo II.* (Hiſpaniarum Rege) *viſa in Oceano bellua duabus veliſicans alis, navis ſpecie. Fregit unam bombardæ ictus. Irrupit per fretum Herculeum bellua furens; & horribilibus frendens mugitibus, atque elapſa per mediterraneas Hiſpaniæ oras, Valentiam appulit; ubi demum exanimata. Centum*

Digitized by Google

tum & quinquaginta dodrantes prolixa; molis circuitus centum; vacuitas cerebri ſeptem homines capiebat. Eques in os conſiſtere poſſet. Maxillæ ſervantur in Eſcuriali, usque ad decem & ſeptem pedes porrectæ; viginti armata dentibus duorum dodrantium; minimi, unius. Genitalia immodica. Appellatum idcirco monſtrum Piſcis mularis. *Aliqui eruditi lamiam fuiſſe putârunt, ob fauces & ingluviem. Duo cadavera in ſtomacho reperta. Creditum quoque aliquibus, hujus generis belluam devoraſſe Jonam Prophetam. Quis certò ſciet?* Hæc ille.

§. X. Cur Ceti, aliique nonnulli piſces, in tantam molem excreſcant.

ARiſtoteles Sect. 10. Problematum Problem. 54. proponit hanc quæſtionem. *Cur maris animalia majora, vegetioraque ſunt, quàm terræ?* Cui reſpondet: *An quòd vis Solis conſumendo, quæ terram ambiunt, copiam detrahit nutrimenti? Quamobrem quæ abdita vitam agunt, vegetiora ſunt. His igitur omnibus incommodis cùm genus maritimum ſit immune; meritò tum adoleſcere poteſt corpore ampliori, & vegetiori.* Ceti, & Piſces aliqui, cur in tantam molem excreſcant.

Alii cum *Origine* cauſam referunt in benedictionem DEI, quando creatis piſcibus & cetis, *Geneſ.* cap. 1. verſ. 22. dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris.* Ajunt enim, verbum, *creſcite*, pertinere ad incrementum corporis; verbum verò *multiplicamini*, ad multiplicationem ſobolis. Sed non placet expoſitio: primò, quia etiam hominibus creatis dictum fuit eodem cap. verſ. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; & tamen homines non excreſcunt in tam vaſtam molem. Secundò, quia benedictio illa piſcibus data, non reſpexit ſolùm cetos, ſed alios quoque piſces, quantumvis parvos. Tertiò, quia ex illa multiplicatione ceti, uti & alii piſces, non acceperunt incrementum corporis, cùm fuerint à DEO facti in debita omnibus magnitudine.

Alii plerique volunt, cetorum, aliarumque marinarum belluarum vaſtitatis cauſam eſſe, materiam aqueam, quæ ob ſuam humiditatem ad quamvis extenſionem aptior eſt quàm materia terrea, quæ ſicca eſt, & ſuâ ſiccitate incremento officit. Accedit alimentorum copia; omnes enim dictæ belluæ victitant piſcibus, quorum ingens eſt in mari abundantia. *Cardanus* ait, adeo creſcere cetos, quia inſidiis carent: *Scaliger*, quia non capiuntur.

Ajo cum *Sperlingio* lib. 5. Zoologiæ cap. 2. Naturæ Auctorem DEUM cuivis piſcium (uti & aliarum rerum) ſpeciei certos poſuiſſe terminos, ultra aut citra quos ordinariè non excreſcant aut decreſcant, niſi peculiaris aliqua cauſa aliud exigat. Cetis itaque ac belluis marinis tam vaſtos poſuit, quia ſic placuit. Quos ut aſſequerentur, providit de alimentorum copia.

Pin-

Digitized by Google

Pinguedinis porrò cauſa in iisdem belluis, maximè in cetis, eſt vita otioſa, corii denſitas, alimenti copia, & temperamentum. Etenim terreſtria quoque animalia, ſi inertia ſint, ut porci, pingueſcunt facilè.

§. XI. De variis modis capiendi cetos, balænas, aliosque ſimiles piſces.

PLures invenio modos apud varios Auctores. Nonnullos referam, in quibus maximè elucet humana induſtria.

Primus Modus, ex Oppiano.

Ceti quomodo capiantur.

OPpianus verſibus deſcribit modum antiquorum, quem *Gillius* apud *Aldrovandum* lib. 1. de Cetis cap. 1. paraphraſticè ſic reddit. *Cùm duce privati ſunt (hunc piſcatores ingenioſè priùs capiunt) aſpectus eorum, propter carneam molem in oculos eminentem, tenebris circumfunditur; ipſa verò ad ſcopulos & littora offendunt, piſcatoribusq; ad inſidiandum occaſionem præbent. Lineam ex frequentibus funiculis contortam faciunt, craſſitudine rudentis navis mediocris, longitudine quæ ſufficere videatur. Huic addunt catenam ferream, quam hamo inſerunt, nè dentibus bellua laceretur. Hamum magnum faciunt, quatenus faucibus belluæ comprehendi commodè poſſit, adeo validum, ut ne ſaxo quidem cedat. In media catena orbes quidam frequentes ſunt, qui furioſos belluæ motus cohibeant, nè ferrum perfringat contorquendo. Cedunt enim illi in gyrum; unde fit, ut catena loco non maneat. Eſca eſt jecur aut ſcapula tauri. Multi autem ſunt piſcatorum ſocii & opiferi, qui in promptu habent ſpicula, harpas ſeu falces, ſecures, & alia hujusmodi fabrorum arte incudibus confecta. Tum tacitè remigantes, nutu ſi quid opus eſt ſignificant, & ſummopere cavent, ne ullo ſono perſepto bellua in profundum refugiat. Ubi verò jam propè ſunt, eſcam è prora demiſſam belluæ offerunt. Hæc ut eſcam videt, nullà cunctatione interpoſitâ, effrani aviditate eam appetit, atque ſtatim ferro guttur ejus transfigitur: cujus dolore incitata, catenam exedere, & conficere conatur. Quod ipſum poſtquàm diu multùmq; conata eſt, acerrimis doloribus affecta, in pelagi profundum demergitur. Tum omnem funem ei laxant (quòd nullis viribus humanis retrahi poſſit, & facilè exagitata fera navem cum remigibus in profundum detraheret) ſimulq; & amplos utres venti plenos ex funibus, belluâ mare ſubeunte, appendunt. Illa vulneris dolore ſtimulata, utres contemnit; & reluctantes, & ſummam aquam ſemper appetentes, in altitudinem maris deprimit. Cùm autem pervenit ad imam maris ſedem, defatigata quieſcit, ingentes fluctus anhelans. At enim quieſcere cupientem utres non permittunt, ſeſe in ſublime efferentes. Itaq; contra hos renovat atq; inſtaurat pugnam, & veluti animalia ſibi infeſta perſequitur, ulciſcendi animo, & iterum ac ſæpius fruſtra utres detrahit: hi ſurſum verſus ſubvolant:*

Digitized by Google

volant: illa verò graviter dolens, rurſus profundum petit, & modò alieno impulſu, modò ſponte trahitur; & tantopere furit; & aquarum procellas anhelando commovet, ut exiſtimes ſub fluctibus Boream ſtabulari. Tum piſcatorum aliquis illicò ad littus remigans, lineam ſaxo alicui alligat, & in mare redit. Tandem defeſſa, & viribus exhauſta bellua, uter aliquis victoriæ nuncius effertur ſublimis, mox etiam cæteri, & cum iis Cetus vel invitus attrahitur. Mox piſcatores ſuis navigiis congregantur, & cohortatione mutuâ tanquam in prælio, magnis animis, magnoq; tumultu, feram adgrediuntur: alii haſtis ſeu jaculis, alii tridentibus, alii ſecuribus, falcibus, aliisq; inſtrumentis armati, cædunt renitentem, flatuq; cientem procellas &c. Expugnatam denique in littus trahunt, atq; ejiciunt. Ubi illa nequidquam moribunda palpitat, pinnaſq; motitat, & gravè ſpirat.

Et hoc quidem modo Cete grandia capiuntur. Minorum verò ut facilior eſt captura, ſic inſtrumenta quoque minora ſunt, hamus inquam, eſca, & linea; & pro utribus cucurbitæ aridæ adhibentur. Hæc Oppianus. Eadem habet *S. Gregorius Nyſſenus* Homil. 1. in illud: *Faciamus hominem &c.* & *S. Baſilius* in Hexaëm. Homil. 10.

Secundus Modus, ex Alberto.

TRes alios modos refert *Albertus Magnus* lib. 24. de Animalibus, cap. de Ceto, quos didicit à piſcatoribus illis, qui in Oceano Germanico Cetos piſcabantur. Omnes ipſiſmet Alberti verbis, tametſi ſimpliciſſimis ac barbaris, referre lubet.

Primus igitur modus ſic ſe habet. *Piſcatores multi condicunt parvis naviculis, quibus tres homines vehuntur, ad locum, ubi cetos eſſe præſumunt, navigantes: & duo quidem navigant, & tertius in navi ſtat paratus ad percutiendum, & habet inſtrumentum cujus haſtile eſt de ligno abiegne, ut levius ſit; & in extremitate haſtilis eſt foramen juxta manum percutientis, in quod immiſſa eſt chorda fortis, & longiſſima, quæ circulariter poſita eſt in navi ita, quòd ſine errore expeditè egrediens ſequitur inſtrumentum, cui infixa eſt extremitas ipſius. Cuſpis autem inſtrumenti inferiùs habet triangulum ſicut eſt ſagitta, & ille habet punctum valde acutum & politum, ut leviùs penetret; & duæ lineæ venientes ad punctum incidunt, ſicut novacula acutiſſima; & eſt ſuperficies trianguli tenuis, & optimè polita, & in medio lateris, quod opponitur angulo inferiori acuto, erigitur perpendiculariter ferrum, illi lateri continuatum ad cubiti altitudinem, vel parum ampliùs; & ibi habet foramen, cui infixum eſt haſtile, de quo diximus. Hoc igitur tertius in navi exiſtens extentum tenet in manu; & cùm cetus inventus eſt, advocat quotquot poſſunt ſocios taliter præparatos: & cetum, qui in ſuperficie natat aquæ, ad quam piſces de profundo agitavit, percutiunt quantò valent profundiùs; & ſtatim retrocedunt, dimiſſis inſtrumentis infixis in vulnere. Et ſi cetus ſtatim ut ictus recipit, tendit ad pelagus; abſcindunt chordas, & amiſſas con-*

ſas conqueruntur impenſas & labores. Si autem deſcendit ſtatim ad fundum; tunc valdè læſus eſt vulneribus: & confricans ſe fundo, propter ſalſedinem in vulnera intrantem, impingit cuſpidem plus & plus in corpus. Et ſine mora laborem piſcis oſtendit ſanguis de profundo ebulliens ad ſuperficiem. Qui exinde debilis effectus, paulatim fundi ſolidum ſequens, appropinquat ad littus, donec apparere incipiat. Et tunc ab omni incolarum multitudine navium & ſpiculorum circumdatur, & occiditur. Hic eſt primus modus. Sequitur ſecundus, ac tertius.

Tertius Modus, ex eodem Alberto.

ALius autem modus idem eſt cum iſto priori, *niſi quòd ſpiculum non verbere, ſed ictu fortiſſimæ baliſtæ ſibi infigitur; & eſt immiſſa etiam in hoc chorda, ſicut diximus.*

Præter hos duos modos, tertium indicat eodem loco his verbis: *Hi autem qui hirſuti ſunt Ceti, & alii, longiſſimos habent culmos; & illis ad ſaxa in rupibus ſe ſuſpendunt quando dormiunt. Et tunc piſcator appropinquans quantum poteſt, de pelle à lardo ſolvit juxta caudam; & in hoc quod ſolvit, funem fortem immittunt, & funes ad circulos montium infixos, vel fortiſſimos palos, vel arbores ligant: & tunc lapidibus magna funda projiciens caput piſcis, excitat eum: & incitatus piſcis volens recedere, pellem à cauda per dorſum & caput extrahit, & ibi dimittit illam: & non longè à loco illo poſtea debilitatus capitur; aut natans in aqua exanguis aut ſemivivus jacens in littore.*

Quartus Modus ex Nierembergio.

Cetorum piſcatio apud Indos.

P. *Euſebius Nierembergius* Hiſtor. Natur. lib. 11. cap. 60. de Balænarum piſcatione apud Indos uſitata, ſic ſcribit: *Audax hæc venatio Balænarum. Duo Indi conveniebant in canoam* (navis eſt genus) *ubi monſtrum videbatur: alter aquis ſe committebat, cum duobus aut tribus magnis cuneis & malleo armatus: per tergus circa aures ſuperabat aſtu balænam; immiſſoque per ſpiraculum cuneo, dimittebatur cete. Deinde impotens immittendi liberè ſpiritum, aſſurgebat. Iterum Indus inflictis malleo ictibus figebat cuneos, donec oppilatis reſpirandi viis ſuffocaretur beſtia. Quam reſte alligatam cymba, deducebant quò placeret.*

Eundem modum paulò fuſiùs deſcribit *Acoſta* apud citatum Nierembergium, his verbis: *Sed quo piſcationis genere in captandis balænis, quas Florida numeroſas exhibet, Indi utuntur, hoc ferè ſe modo habet. Canoam ſeu ſcapham inſcendunt, & eam uſque ad dorſum conſpectæ balænæ impellunt. Pòſt Indus è navi ſuper piſcis cervicem exiliens, & illic aliquamdiu ceu in equo ſeſſitans, opportunum tempus venatur, quo acuminatum palum, ſecum in hunc uſum allatum, in ejus narium unam profundiùs defigere poſſit. Nares autem hoc loco vocamus*

Digitized by Google

camus ea foramina, per quæ tum aërem beſtia introſpirat, tum conceptam aquam copioſius eructat. Succedente ergo primo auſu, arreptis fuſtibus & ſudibus, eam undequaq; alacriter contundit Indus: quibus irritatior balæna reddita plagis, immani hiatu furere incipit, & nunc huc, nunc illuc per vaſtum mare ſeſe jactat, ingentiq; fremitu magnam aquarum molem in montes excutit; nonnunquam magnâ ſuccuſſatione in profundum maris abyſſum ſe demittit; paulò pòſt iterum in aëra ſeu altum erumpit, & motus præ inſania miros & aſpectu horrendos edit. Interim nihilominùs Indus, ceu expeditiſſimus eques, in equo ſuo immotus conſidet; & ut dolorem ferocienti beſtiæ ingeminet, aut acerbiorem reddat, palum ſecundum quoq; in nares alteras piſci abſtrudit, tam diu repetitis ictibus incuſſum, usque dum omnes trahendi aëris meatus ei præcluſerit. Ita probè confectâ re, piſce relicto, in ſuam iterum inſilit canoam, quam ſecum interim pertraxerat redalligatam. Eâ ergo paulo longiùs à piſce ſecedit, funem quo illum ligavit, aliquantò extenſiùs remittit, ſenſim tamen poſt ſe nonnihil attrahens. Ita piſcis, quamdiu profundas aquas habet, mirè furit, ſuum ductorem lentè inſequendo. At in humiliorem locum maris excuſſus, propter corporis inexpediti vaſtam molem illicò immobilis jacet, nec ſe prorſum verſumvè movere poteſt. Hoc viſo, Indorum magnus numerus, prædæ ſpe, dicto citiùs approperans, balænam conficit. Cujus poſteà diſſecta carnes viritim ex æquo partiuntur. Ex quibus reſiccatis, deinde probam farinam, & ex hac tandem panes longo tempore durabiles pinſunt. Sic ergo quod in Pſalmo de balæna dictum eſt, Dediſti eam eſcam populis *Æthiopum, id hoc pacto apprimè compertum videtur.* Ingenioſus ſanè modus piſcandi & audax.

§. XII. Nonnulla de Cetis, ac Balænis notatu digniora.

JUxta Inſulam Loandam, ad latus maris, teſte *Nierembergio* lib. 11. Hiſt. Nat. cap. 59. plurimæ balænæ conſpiciuntur, quæ in ſe invicem magno boatu inſurgunt ac ſæviunt, adeo ut ob cruentum prælium, quod inter ſe committunt, plures ſæpe in littore extinctæ reperiantur. Mugire balænas, teſtatur etiam *Jacobus Zieglerus*. Teſtatur & *Rondeletius*, cùm balænæ ſe ſupra modum ingurgitârunt, eas clamare ac mugire tam horrendo ſono, ut à duabus leucis Gallicis exaudiatur. Ceti & Balænæ inter ſe pugnant.

Balænæ faucibus filios abſcondunt (ut ſuprà etiam dixi) ſi quando majorem belluam fugere contigerit, teſte *Philoſtrato* lib. 7. vitæ Apollonii. Hoc idem imminente tempeſtate faciunt, & poſt tempeſtatem illos evomunt. Quanta ergo vaſtitas oris ac ſtomachi belluæ, quæ filios integros ac vivos deglutit, ac revomit? Quid mirum, ſi & Jonam deglutivit, ac revomuit, qui balænæ catulorum magnitudinem non exceſſit. Eandem oris ac ſtomachi vaſtitatem ex eo colligas, quòd, ut ſuprà dixi, quando propter defectum aquæ fœtus balænæ impediuntur, ne matrem ſequantur; mater Filios intra ſe abſcondunt, & revomunt.

Xxxxxx 2 aquam

aquam ore receptam inſtar fluvii ſupra illos ejicit, ut ſic hærentes terræ liberet, & aquis reſtituat.

Ambram devorant.

In balænarum quarundam ventriculo reperta fuit ambra, ſeu (ut alii vocant) ambarum. *Et diebus hiſce* (ait P. Franciſcus Salinas tom. 2. in Jonam Prophetam cap. 3. quæſt. 3. num. 9.) *in Gallecia portubus capta fuit balæna, cujus in ventre quaſi truncus arboris repertum fuit ambarum.* Quid autem ſit, & quomodo generetur aut reperiatur intra balænarum ventres, dubium eſt inter doctos. Multi ſentiunt, eſſe ſperma balænæ maſculi quod redundat, aut propter feſtinationem effunditur, dum cum balæna fœmina congreditur, teſte *Geſnero* lib. 4. de Piſcibus. Quod & ſentit *Dioſcorides* lib. 5. cap. 97. Alii tamen, ceti excrementum eſſe aſſerunt. Alii ajunt, eſſe ſordes ſeu purgamentum maris: alii, naſci in mari inſtar fungorum. Veriſimilior ſententia eſt eorum, qui aſſerunt, in mari eſſe ſcaturigines, è quibus effluat inſtar bituminis, & aquis ſupernatans concreſcat, atque ad littus propellatur. Vide quæ diximus in Pyrotechnia 4. *par. Magiæ lib. 2. Syntag. 2. cap. 1. §. 9.* ubi egimus de ſuccino ſeu electro, cum quo aliqui ambram ſeu ambarum confundunt.

Ambra quid ſit.

Sed quidquid ſit ambra, & undecunque naſcatur, certum videtur non eſſe ſperma ceti, aut balænæ maſculi: nam, ut ex Nierembergio vidimus, juxta Inſulam Laondam frequentiſſimæ ſunt balænæ, & plurimæ capiuntur, nec tamen unquam in ventribus earum reperta eſt ambra, nec ea vel nomine tenus eſt ibidem nota, ut citatus Euſebius teſtatur. *Serapius* apud *Ruelium* lib. 1. cap. 17. ait, cetum avidiſſimè devorare ambram in mari repertam, & ex nimio eſu mori. In eadem ſententia eſt *Matthiolus* apud Geſnerum. *Avicenna* quoque ait, ſæpe colligi ambram è ventre ceti, eâ devoratâ emortui. Confirmat id *Salinas* loc. cit. exemplo fruſti ambræ inſtar trunci arboris in demortuæ balænæ ventre reperti, ut diximus. Quo eodem exemplo putat convinci falſitatis opinionem eorum, qui ajunt, fauces balænæ adeo eſſe ſtrictas, ut non niſi parvulos piſciculos deglutire queat. Manifeſtiùs patet ejuſdem opinionis falſitas ex eo, quòd catulos ſuos in periculo conſtitutos deglutiat vivos, ac revomat, ut paulò antè diximus.

CAPUT XI.

De Congro.

Conger, ſeu Congrus.

CONger, ſeu Congrus ſerpentis figuram habet, unde & ſerpenti marino aſſimilatur ab Ariſtotele. Longus eſt, & lubricus. Habet fœturam, in longum protenſam, quemadmodum in ſerpentibus, ſed non in omnibus con-

Digitized by Google

conſpicuam; neque enim ob pinguedinem apparet: verùm in ignem conjecta, fit manifeſta: quod enim pingue, liqueſcit, & in vaporem abit, ova verò exſiliunt,& ab igne eliſa crepitant. Sæpe in quatuor aut quinque cubitorum longitudinem excreſcit hic piſcis. Imò Eudoxus ſcribit apud Athenæum, Congros multos in Sicyone capi, quos homo vix ferat; horumque aliquos eſſe plauſtri magnitudine. Et circa Cartejam teſte Strabone augentur ſupra minarum octoginta pondo. Salvianus verò non majores ſe vidiſſe ait quàm triginta librarum; intellexiſſe tamen ab aliis, implere quandoque ſexaginta. Marinus piſcis eſt, & ferè nullius non maris. Circa Siciliam frequentes capiuntur,præſertim circa Drepanum; ſed non tam enormis magnitudinis, ut prædicti.

Ova pariunt,ex quibus Congri procreantur. Latêre ſolent hybernis menſibus, ob frigus. Pugnant cum murænis, locuſtis, & polypis. Muræna Congro amputat caudam mordicùs, ſed non impunè, quoniam is murænæ talionem reddit, & viciſſim caudam prærodit. Non moritur tamen amiſsâ caudâ. A locuſta ſuperatur, licèt valido ſit corpore. Polypum tamen ſuperat, quoniam ab eo propter lubricitatem teneri non poteſt.

CAPUT XII.

De Delphino.

DElphinus ex cetorum eſt genere; branchiis enim caret, & arteriam, pulmonem, fiſtulam habet, vivumque animal parit, non ova. Cenſetur rex piſcium, quòd in omne propemodum piſcium genus dominetur, & non modò robore præſtet, ſed formæ etiam pulchritudine, celeritate natandi, manſuetudine, atque amore erga homines. Delphinus.

§. I. Deſcriptio Delphinorum.

DUo generâ circa Propontidem agnoſcit Bellonius, majores ſcilicet, & minores. In Oceano Indico majores eſſe dicuntur, quàm in Mediterraneo. Bellonius ait, falli qui tales eſſe putant Delphinos, quales in antiquis marmoribus & numiſmatis apparent, hoc eſt, repando dorſo incurvos atque inflexos; quamvis reliquum corporis rectè in iiſdem exprimatur. Geſnerus tamen putat, revera eſſe dorſo incurvato, ac velut gibboſo. Ego Delphinos ſæpiſſimè vidi in mari Mediterraneo, laſcivientes in aquis, atque in altum certatim exſilientes, nec unquam aliâ quàm prædictâ formâ. An verò in ipſis aquis inter natandum eandem retineant incurvaturam, mihi non conſtat. Plinius etiam repandum eis dorſum attribuit; uti & roſtrum ſimum, unde & Simonis nomine gaudere Delphinorum deſcriptio.

putat. Oris ſciſſura longa eſt, ut in Thunno. Mirum ergo, cur Ariſtoteles & Plinius dicant, habere os in parte ſupina. Rictus latus eſt. Lingua mobilis, brevis, lata, carnoſa, in ambitu parum ſerrata, ſuillæ non abſimilis. Dentes habet parvos & acutos, pectinatim coëuntes. Oculos magnos, ſed cute adeo tectos, ut pupilla ſolùm appareat. Fiſtulam in dorſo eſſe ſcribit Ariſtoteles, ante cerebrum Rondeletius, inter oculos Bellonius, prope cerebrum Wottonus. Plinius ſubſcribit Ariſtoteli, Aldrovandus Rondeletio. Pinnis natat duabus validis, in ventre eo modo poſitis, ut non ſolum natatum, ſed etiam motum ac ſaltum ſurſum adjuvent. Unicam pinnam habet in dorſo, non aculeatam quidem, duram tamen ac rigidam: alias duas in cauda, quæ lunata eſt. Maſculo foramen apparet in ventre medio, è quo pudendum exerit; Fœminæ pudendi orificium ano vicinum eſt, & binæ in ima alvo pinnæ.

§. II. Natura & Mores Delphinorum.

Delphinorum natura, & mores.

DElphini in omnibus ferè maribus reperiuntur. Piſcibus victitant, præſertim minoribus, quos perniciſſimè perſequuntur, etiam ad fundum usq; maris; unde retento tunc ſpiritu diutiùs quàm ferre queant, maximo impetu in altum reſpirandi causâ ſe efferunt, adeo ut navium moles aliquando tranſiliant. Gregatim natant; natu minores præcedunt, majores ſubſequuntur. Magno amore fovent fœtus: nam & lacte nutriunt, & infantiâ infirmos geſtant ore. Si ex natis capi aliquem, vel occidi contingat; illum ubique mœſta mater ſequitur; huic verò adeo adhæret, ut nec ictibus divelli queat. Capitur igitur, aut occiditur, cum filio. Nati alunt parentes ſenio confectos, & natationem ipſorum corporis ſui niſu promovent. Juvant & reliqui omnes ſe mutuo, ac defendunt. Homines amant, iisque benefaciunt. Cantu & muſicâ delectantur. Sed hæc omnia exemplis illuſtremus.

§. III. De Delphini fœminæ amore erga ſuos catulos.

Delphinorum amor erga catulos.

ÆLianus lib. 1. de Animal. cap. 18. *Mulierum in filios ſtudium magnam quidem hominum admirationem habet: verumtamen perſpicio, filiis qui è vita exceſſerunt, ſupereſſe matres, nec ex eorum caſu more delphinorum perire, ſed triſtitiâ mitigatâ in doloris oblivionem venire. Delphinus autem fœmina omnium maximè animalium eorum, quæ procreaverit, ſtudio tenetur. Ex ſeſe geminos parere ſolet. Cùm autem piſcator aut tridente ejus ſobolem provulneravit, aut ſpiculo feriit (enimverò ſpicula ex parte ſuperiori, ubi funis oblongus inſeritur & alligatur, perforata ſunt) cuſpides uncinatæ defixæ in delphini corpore eum retinent. Is quàm diu dolens, & in omnes partes ſe verſans, aliquod robur habet; piſcator*

Digitized by Google

piſcator funem relaxat, nè vi abrumpatur, ejusque culpâ cum ferro delphinus diſcedens ex captivitate evadat. Cùm autem ex vulnere delphinum labori ſuccumbere, atque aliquantùm de contentione inſultandi remittere piſcator animadvertit; ſenſim ad navim ſubducit, prædâq; potitur. Jam verò mater nec catuli ſui caſum perhorreſcit, nec metu reprimitur, ſed incredibili deſiderio filium inſequitur: & quòd filium in media cæde verſantem ſibi deſerendum non exiſtimat, nullis terroribus ab inſequendo deterretur: atque eam adeo filio venientem ſubſidio perentere facile eſt, ut collibuerit volenti cædere; adeo propè accedit. Itaque unà cum filio capitur, cui ſeſe ex periculis ſervare & diſcedere integrum erat. Ac ſi adſint ei ambo catuli, intelligatq; alterum læſum eſſe, atque, ut diximus, captivum abduci; integrum alterum caudæ verberatione perſequitur, ac mordicùs premens ablegat, atque aſpirationem quandam occultam mittit, tanquam teſſeram, ut fugâ ſalutem adipiſcatur. Cujus admonitu diſcedit ille; ipſa verò remanet, ut capiatur, atque ſimul cum filio altero moriatur.

Hæc *Ælianus*, qui lib. 10. cap. 8. hæc inſuper addit: *Delphinus cùm catulorum ſuorum amantiſſimum animal eſt, tum de iis vehementer metuens, diligenti cuſtodiâ eos conſervat: ac nimirum ſic natat, ut tanquam in militari cuneo alii in prima acie, alii ſecunda, alii tertia conſtituantur. Natu minimi pranatant; poſt verò hos fœminæ ſequuntur; deinde mares extremum agmen ducentes, filiorum & uxorum natationem inſpiciunt atque obſervant.* Eadem habet Oppianus.

Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. Animal. cap. 12. *Lac & delphinus habet* inquit, *& tirſio, quo ſuos nutriunt fœtus; geſtantque eoſdem infirmos infantiâ &c. Adultos etiam fœtus diu comitantur. Magna erga gnatos charitas in hoc animali eſt.* Similia habet *Plinius*, & *Solinus*.

§. IV. De amore delphinorum erga ſe invicem.

ARiſtoteles lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 48. *Parvos item delphinos magnus aliquis ſemper comitatur cuſtodiæ causâ. Jam conſpectus eſt delphinorum grex, majorum & minorum promiſcuus, poſt quem duo quidam paulo pòſt viderentur delphinulum defunctum labentem in imum ſubire, & in ſumma pelagi dorſo evehere quaſi miſerantes, ne ab aliqua bellua devoraretur.* Delphinorum amor erga ſe invicem.

Ælianus lib. 5. de Animal. cap. 6. *Urbs Thraciæ,* inquit, *cui nomen Aenos, præclarum dat teſtimonium delphini amoris, quem erga ſuam nationē habet. Cùm fortè eveniſſet, delphinus ut vulnere accepto, non mortifero quidem, ſed ſanguinem mittente, caperetur; reliqui non comprehenſi, id ipſum ut ſenſerunt, maximis ſaltibus ad portum gregatim unà cum catulis ſuis profecti, probè ſtudium ſuum captivo navârunt. Piſcatores igitur de ſuis periculis pertimeſcentes, captivum deſeruerunt. Itaque delphini natu majores, tanquam ſocium quendam genere ſe contingentes, ſic triſtes pergebant illum comitari, & magno ſtudio ſublevare.*

Simile

Digitized by Google

Simile quid habet *Ariſtoteles* lib.9. cit. cap.48. dicens. *Fertur etiam delphino apud Cariam capto, atque ſaucio ingentem reliquorum multitudinem conveniſſe ad portum, immoratamque donec piſcator dimiſerit eum, quem ceperat; tum omnes ſimul recepto captivo rediiſſe.*

Delphini etiam mortuorum memoriam non abjiciunt (inquit Ælianus lib. 12. de Animal.cap.6.) *& eos quibuscum conſuetudinem vivis habuerant, extinctos quoque non deſerunt. Itaque ſui generis cadavera ſubeuntes, ad ſummam aquam allevant; tum ad continentem velut funere illos efferentes, hominibus ipſos ſepeliendos tradunt: poſt verò ſequitur magna delphinorum multitudo, tanquam funeri operam dantium, atque in extinctos honorem conferentium; aut certè eos ab impetu aliarum belluarum, nè devorentur, defendentium. Itaque homines rei muſicæ intelligentes, reverentiâ ſtudii in delphinorum muſicam adducti, humatione eos afficiunt.*

§. V. Delphini hominum ſocietate gaudent.

Delphini gaudent ſocietate hominum.

FRequens & quotidiana experientia id docet, & aſſerunt Scriptores fide digni. Delphinus (inquit *Plinius* lib. 9. Hiſt. Nat.cap.8.) *hominem non expaveſcit ut alienum: obviam navigiis venit, alludit exultans, certat etiam, & quamvis plena præterit vela.* Hiſce oculis egomet vidi, cùm Anno 1633. Neapoli in Siciliam navigarem, exiguâ Scaphâ; & poſt ſex dierum navigationem proſperam, tandem manè diei ſeptimi Meſſanam urbem ac portum in conſpectu haberem, Ambroſianumque Hymnum, Te *DEUM laudamus*, cum Lytaniis Lauretanis, ad DEI ac Deiparæ laudem cum ſociis Muſices peritis decantarem; agminatim delphinos accurrere, naviculam circumnatare, in altum ſubſilire, & comitari ad longiſſimum ſpatium, magnâ omnium noſtrûm ad inſolitum nobis ſpectaculum voluptate, ut narravi quoque *in 2.part. Magiæ lib. 1.Syntagm.2.cap.3.* Spectaculum ſimile eleganter exprimit Ovidius:

> *Undiq; dant ſaltus, multâq; aſpergine rorunt,*
> *Emerguntq; iterum, redeuntq; ſub æquora rurſus,*
> *Inq; chori ludunt ſpeciem, laſcivaq; jactant*
> *Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.*

Scribit Bellonius apud *Aldrovandum* lib.1.de Cetis cap.7. nautis certum ſonum ſibilumvè edentibus, delphinos diutiùs circa naves morari; cùmque ad naves accedunt, ſonitum evidentem ex fiſtulis earum, propter reſpirationem multo tempore ſuppreſſam, audiri. Eodem Bellonio referente, eſt adhuc in hodiernum diem perſuaſio quædam vulgaris, non inter Græcos tantùm, ſed Italos quoq;, præſertim Venetos nautas, ſi quiſpiam coortâ tempeſtate in navi ipſorum inveniatur, qui aliquando Delphinum occidit, omnes delphinos circumquaque colligi, ut navi perniciem molian-

Digitized by Google

moliantur, in ultionem ejus qui delphinum interemit. Itaque religiosè eis lædendis, aut etiam ſi alius interemerit, in comedendis abſtinent. Contrà verò, homines eorum generi innoxios ab ipſis amari putant, ideoque comitari naves, præſertim tempeſtatis tempore, ut ſi opus, naufragos ſervent. Mihi certiſſimè conſtat, Siculos piſcatores, ſi quando cum Thunnis incurrit in naſſas delphinus, eum liberum dimittere, tanquam hominum amatorem.

Exempla delphinorum navigationis ſocios ac duces ſe præbentium aliis, affert *Plutarchus* in Libello, *utra animalium &c.* Quâ ratione piſcatoribus ignem ad alliciendos noctu piſces accendentibus, ſe ſocios jungant, & piſces in retia compellant, ac pro opera præſtitâ piſcium captorum partem in mercedem accipiant, refert Oppianus apud Aldrovandum loc. cit. & nos paulò pòſt ex Plinio recitabimus.

§. VI. Exempla alia delphinorum homines, præſertim pueros, amantium, ex Æliano.

ILluſtre exemplum de admirabili amore delphini erga puerum, refert *Ælianus* lib. 6. de Animal. cap. 15. his verbis.

Delphinorum amor erga homines, præſertim pueros.

Celebris ille jam olim delphini in Jaſo amor, quo formoſum adoleſcentem proſecutus eſt, non eſt ſilentio mihi prætereundus. Jaſenſium igitur gymnaſium mari imminet. Illic ephebi poſt curſus & palæſtras mare ingreſſi, antiquitùs recepto more, lavabant. Et cùm aliquando natationi indulgerent, unum ex illis formâ præſtantem delphinus quidam acerrimè amare occœpit. Ad quem cùm adnaſſet initio, non mediocrem ei metum incuſſit: Sed auctâ paulatim familiaritate, ita puerum ſibi conciliavit, ut planè amicum & benevolum haberet. Itaque luſitare inter ſe cœperunt, & natando invicem certare. Eſt quando puer inſidens illi, ceu ſeſſor equo, ſuperbus vehebatur. Atq; hoc ſpectaculum tum Jaſenſes, tum peregrini admirabantur. Pergebat enim ſuos amores vehens delphinus, & in mare tantum procedebat, quantum libebat puero: deinde revertebatur, & prope littus, eum reſtituebat; ubi invicem digreſſi, hic domum ſuam, ille in pelagus redibat. Solebat enim apparere delphinus eo ipſo tempore, quo dimittebatur gymnaſium. Eo quem exſpectaverat viſo, puer gaudebat, ſeque & colludendo bellua maris, & ſua pulchritudine forma, jucundum præbebat ſpectaculum, ut qui non hominibus modò, ſed etiam nullâ ratione præditis feris, formoſus videretur. Sed neſcio qua invidia redamantem illum non multò pòſt ſuſtulit. Nimium enim exercitatus & feſſus aliquando puer, cum toto ventre ſe in vectorem ſuum delphinum temerè injecit, non animadvertens aculeatam ſpinam dorſi erectam eſſe, atque horrentem. Cujus acuminibus ejus umbilicus quia exulceratus eſſet, ex eo factum eſt, ut & venæ quædam abrumperentur, & permultus ſanguis efflueret, ibiq; puer extremum ſpiritum effunderet. Id delphinus partim ex pondere ſentiens (non enim

Digitized by Google

jam, ut conſueverat, tam levis & expeditus inſidebat, nempe qui ſpiritibus ſeſe non ſublevaret) partim ſanguine imbutum mare cernens, id quod res erat intellexit; amaſio ſuo ſuperſtes vivere noluit. Quamobrem multo robore, quemadmodum Rhodia navis, ſic ſimul cum defuncto in littus ſe ejecit: amboque, hic jam mortuus, ille cum defectione exſpirans, humi ſtrati jacuerunt &c. Jaſenſes cives, ut illorum vehementem amorem cum honoris gloria compenſarent, ſepulchri monumentum commune amborum, & formoſi pueri, & delphini amatoris conſtituerunt; & ſtatuam, quæ formâ eximiâ puerum in delphini dorſo ſedentem haberet, excitârunt: atque etiam numiſmata ex argento atque ære fecerunt, & eorum imaginibus ſignaverunt, ad demonſtrandum utriusq; miſerabilem caſum.

Duo alia exempla inſinuat ibidem Ælianus, dicens, in urbe Alexandri Ptolomæo ſecundo regnante, ſimili amore delphinum flagraſſe: item Puteolis Italiæ. Poſterius retulimus in *2. parte Magiæ lib. 1. Syntagm. 2. cap. 3.* ex Plinio lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 8. & Gellio lib. 7. Noct. Attic. cap. 8. quod hîc, cum aliis nonnullis, ex eodem Plinio reponere lubet.

§. VII. Adhuc alia exempla Delphinorum amantium homines, ex Plinio.

P*Linius* igitur loc. cit. ita ſcribit. *Divo Auguſto Principe, Lucrinum lacum invectus* Delphinus, *pauperis cujusdam puerum, ex Bajano Puteolos in ludum litterarium itantem, cùm Meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine, ſæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexiſſet, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mecænatis, & Fabiani, & Flavii Alfii, multorumque eſſet litteris mandata. Quocunque diei tempore inclamatus à puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat; paſtusque è manu, præbebat aſcenſuro dorſum, pinnæ aculeos velut vaginâ condens: receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, ſimili modo revehens pluribus annis: donec morbo extincto puero, ſubinde ad conſuetudinem ventitans, triſtis & mœrenti ſimilis, ipſe quoque (quod nemo dubitaret) deſiderio exſpiravit.*

Alius intra hos annos in Africo littore Hipponis Diarrhyti ſimili modo ex hominis manu veſcens, præbensque ſe tractandum, & alludens natantibus, impoſitosque portans, unguento perunctus à Flaviano Proconſule Africæ, & ſopitus (ut apparuit) odoris novitate, fluctuatusque ſimilis exanimi, caruit hominum converſatione, ut injuriâ fugatus, per aliquot menſes: mox reverſus in eodem miraculo fuit. Injuria Poteſtatum inhoſpitales ad viſendum venientium, Hipponenſes in necem ejus compulerunt.

Ante hæc ſimilia de puero in Jaſo urbe memorantur, cujus amore ſpectatus longo tempore, dum obeuntem in littus avidè ſequitur, in arenam invectus exſpiravit. Puerum Alexander Magnus Babylone Neptuni ſacerdotio præfecit, amorem illum Numinis propitii fuiſſe interpretatus.

In

In eadem urbe Jaſſo Egeſidemus ſcribit, & alium puerum Hermiam nomine, ſimiliter maria perequitantem, cùm repentina procella fluctibus exanimatus eſſet, relatum: delphinumque cauſam leti ſatentem, non reverſum in maria, atque in ſicco exſpiraſſe.

Hoc idem & Naupacti accidiſſe, Theophraſtus tradit. Nec modus exemplorum. Eadem Amphilochi & Tarentini de pueris delphinisq; narrant. Quæ faciunt, ut credatur, Arionem quoq; citharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus quæſtus, eblanditum ut priùs caneret citharâ, congregatis cantu delphinis, cùm ſe jeciſſet in mare, exceptum ab uno Tænarum in littus pervectum. Omitto alia quæ ibidem narrat Plinius.

Ex primo horum exemplo, alioque quod poſt hæc recitatur à Plinio, patet, delphinos gaudere vocari nomine Simonis. Quod verum eſſe, experientiâ didicit *Gillius* apud Aldrovandum: ait enim cùm aliquando ad Antipolim urbem Provinciæ Narbonenſis navigaret, & delphinum vel longinquo intervallo contentâ voce Simonem appellaret; confeſtim propè acceſſiſſe, ut manibus attingi potuiſſet.

§. VIII. De Delphinorum gemitu & fletu.

Delphinos captos flere ac ejulari, expertus eſt paulò antè laudatus Gillius apud Aldrovandum lib. 1. de Cetis cap. 7. Teſtatur enim Gillius, cùm in navi, ubi permulti delphini tenebantur, pernoctaret, miſerabiles eorum fletus & gemitus acerbiſſimum ſibi dolorem inuſſiſſe. Adeo enim animadvertit humano gemitu & lamentatione, & magnâ lacrymarum vi ſuam conditionem deploraſſe, ut eorum miſeratione tactus lacrymas tenere non potuerit. Quare proximum, quem magis gemere ſentiebat, dormiente piſcatore in mare projecit: maluit enim lædere piſcatorem, quàm ſibi ad pedes ſtratum quaſi ſupplicantem non ſublevare. Sed nihil promovit illo abjecto; reliqui enim magis magiſque gemitum auxerunt, nec obſcuris ſignis ſimilem liberationem petiverunt. Itaque totam noctem in acerbiſſimo luctu verſatus fuit Gillius. Verum ergo eſt, quod ſcribit *Plinius* lib. 9. cap. 8. delphinis pro voce gemitum eſſe humano ſimilem. Delphinorum gemitus, & fletus.

CAPUT XIII.

De Dracone Marino.

Draco marinus ſquamis caret, lævi tantùm cute præditus. Hunc alii Araneum vocant, Itali *Peſce Ragno.* Ex Aldrovandi deſcriptione eſt formâ oblongâ; capite magno & rotundo; Os habet nó in longitudinem, Draco marinus.

Digitized by Google

ſed in obliquum, nec rectâ, ſed curvâ ſciſſurâ fiſſum, & dentibus ut in dracone ſerpente munitum; oculos magnos, ſurſum ſpectantes, vireſcentes, brevi intervallo inter ſe diſſitos. In dorſo & ventre eſt aculeatus. Vide *Ælianum* lib. 14. cap. 12. de Animal. ubi hunc piſcem breviter deſcribit. Mirum eſt, quod ſcribit idem lib. 5. cap. 37. *Draconem marinum ſi manu dexterâ attrahere coneris, non ſequitur, ſed violentè renititur: ſiniſtram verò ſi injicias, cedit, & capitur.* Mirum quoque, quod *Gillius* ſcribit apud Aldrovandum lib. 2. de Piſcibus cap. 50. ex multorum relatione piſcatorum, eo tempore cùm piſcium genus amore tenetur, in vulnere quod marinus draco inflixiſſet, piſciculos illi ſimiles procreatos fuiſſe. Hujus piſcis tam viventis, quàm mortui, ictum venenatum eſſe, tradunt multi, & docet quotidianum piſcatórum periculum, teſte Gillio; ideo alicubi captis amputant aculeos, alibi capita lapide conterunt, alibi truncato capite menſis inferunt. Remedia ad ictum prædictum præſcribunt Plinius, Galenus, Dioſcorides, & alii apud Aldrovandum loc. cit.

CAPUT XIV.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

De Echeneide, ſeu Remora.

Echeneis ſeu Remora.

DUo ſunt, quæ ab omni jam ævo multorum Philoſophorum ingenia mirum in modum torſerunt, magnetis attractio ferri, & echeneidis ſeu Remoræ detentio navium. Horum poſtremum ſi tam frequenter in oculos incurreret, ac primum; utique non pauciores, quàm illud ſcrutatores hactenus inveniſſet. Nunc quoniam tam eſt inſolitus Remoræ effectus, ut qui primi eum ſcriptis tradiderunt, non paucis de fide ac ſinceritate ſint ſuſpecti; mirari plerique Naturæ majeſtatem malunt, quàm occultam rimari cauſam. Ego pro ingenii mei tenuitate eandem explicare tentavi in 4 parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 3. cap. 3. Diſputationem totam, fuſiùs deductam, huc reponere non pigebit, quoniam & hujus loci propria eſt, & iis, qui dicto Opere noſtro deſtituti ſunt, fortaſſis non ingrata.

Primùm ergo inquiram, an ſit revera, aut aliquando fuerit effectus ille, qui Echeneidi ſeu Remoræ adſcribitur: ſecundò, quæ ſit ejus cauſa. Sed ante omnia inquirendum.

§. I. Quæ

Digitized by Google

§. I. Quæ aut qualis ſit Echeneis, ſeu Remora, ex Antiquioribus.

Echeneis quæ & qualis ſit, ex antiquis.

OMnes qui Echeneidis ſeu Remoræ virtutem illam mirabilem, ad detinendas ac remorandas naves quantumvis magnas, & quantumvis valido vento in mari propulſas, mirantur, piſciculum eſſe ajunt exiguum: at quinam aut qualis ſit, cujusvè magnitudinis ac formæ; ignorant etiam illi, (inquit *Aldrovandus* lib. 3. de Piſcibus cap. 22.) qui ſe Philoſophos profitentur. Ratio eſt, (inquit idem Aldrovandus) quòd vel nominum vicinitate decipiantur, vel quòd non advertant, diverſos eſſe Remoræ ſeu Echeneidis nomine celebres piſces, quemadmodum ex iis, quæ ſubſequuntur, clariſſimum evadet. Omnes tamen latinè Remoram, à remorando ac detinendo naves; græcè verò Echeneidem, & Naveratem, *παρὰ τὸ ἔχειν καὶ κρατεῖν ναῦν*, appellant. Eâdem de cauſa Geſnerus illum germanicè ein Schiffheber non incongruè vocat. Sed qualis exiſtimetur eſſe à variis, audiamus.

Echeneis ex Ariſtotele.

Ariſtoteles lib. 2. Hiſt. Animal. cap. 14. accenſet Remoram ſerpentibus aquatilibus, & ſic eam deſcribit: *Piſciculus quidam hæc eſt, ſaxis aſſuetus, in cibos non admittendus, nomen à remorandis navibus adeptus, utilis ad judiciorum cauſas, & amatoria veneficia, ut aliqui volunt.* De hac eadem paulò antè eodem capite dixerat: *Caret pedibus genus omne ſerpentum, ut piſces. Nam Remoram errore nonnulli pedes habere prodiderunt: expes enim omnino eſt. Sed quoniam pinnas habeat pedibus ſimiles, hinc fit ut pedibus inſtare videatur. Piſciculus quidam hæc eſt &c.* quæ jam retulimus. Nec plura his in toto Ariſtotele de Remora invenio.

Ex Plinio.

Plinius lib. 9. Hiſt. Nat. cap. 25. quod eſt de Echeneide, hæc tranſcribit; ait enim: *Eſt parvus admodum piſcis, aſſuetus petris, echeneis appellatus. Hoc carinis adhærente, naves tardiùs ire creduntur, inde nomine impoſito. Quam ob cauſam amatoriis quoque veneficiis infamis eſt, & judiciorum ac litium morâ: quæ crimina unâ laude penſat, fluxus gravidarum utero ſiſtens, partusq; continens ad puerperium. In cibos tamen non admittitur. Pedes eum habere arbitratur Ariſtoteles, ita poſitâ pinnarum multitudine.* Quod de pedibus hîc addit Plinius ex Ariſtotele, contrarium eſt ipſi, ut vidimus. Itaque vel perperam intellexit Plinius Ariſtotelem; vel hic locus Plinii eſt corruptus, legendumque, ut Maſſarius ſuſpicatur, ſic: *Pedes eum habere arbitrantur ex Ariſtotele &c.*

Ex Mutiano.

Mutianus apud Plinium lo. cit. ait, Echeneidem *muricem eſſe latiorem purpurâ, neque aſpero neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice, conchâ utroque latere ſeſe colligente: quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe navem, portantem nuntios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri,*

conchaſque quæ id præſtiterint, apud Gnidiorum Venerem coli. Eſt autem Murex piſcis marinus ex concharum genere, à Purpura diverſus, qui per excellentiam etiam conchylium dicitur. Ex Muricis autem humore fit color, qui & murex, ſive conchylium dicitur.

Ex Trebio nigro. *Trebius Niger* apud eundem Plinium lo.cit. ait, *pedalem eſſe* piſciculum, *& quinque digitorum craſſitudine: naves morari &c.*

Idem *Plinius* lib. 32. cap. 1. poſtquàm narraſſet, ſuâ memoriâ echeneidem tenuiſſe navem Caji Principis ab Aſtura Antium remigantis, inventamque gubernaculo adhærentem, ac monſtratam Cajo; addit: *Qui tunc poſteaque vidêre, eum* piſciculum, *limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt.*

Ex Oppiano. *Oppianus* apud *Aldrovandum* lo.cit. Echeneidem amare pelagus, cubiti eſſe longitudine, colore ſubfuſco, anguillæ ſimilem, os habere ſubter, acutum, contortum, rotundi hami cuſpidi ſimile.

Ex Æliano. *Ælianus* lib. 2. de Animal. cap. 17. *Echeneis pelagius piſcis, aſpectu niger, longitudine cum mediocri anguilla æquandus, nomen à rebus, quas agit, habet, ab inhibendis navibus. Navis enim ſecundo vento, & plenis velis propulſæ extremam puppim mordicùs premens, tanquam indomitum & effrænatum equum fræno robuſto inhibens, violentiſſimè ab impetu reprimit, & conſtrictam tenet; fruſtraque ventis vela dantur, fruſtra venti afflant. Quæ res vectores angit, & ſollicitos vehementer habet: nautæ verò rei cauſam intelligunt. Hinc nomen impoſitum piſci; quem olim ejus vim experti, Echeneida græcè, hoc eſt, Remoram navium appellârunt.*

Ex Plutarcho. *Plutarchus* lib. 2. Convival. q. 7. *Chæremonianus Trallianus appoſitis aliquando variis piſciculis, unum oſtendit nobis capite acuminato oblongoque; cui aſſimilem eſſe echeneidem retulit. Eam ſe ſpectaſſe, cùm in mari Siculo navigaret; ac vim obſtupuiſſe hujus piſciculi, qui curſum navis non parum retinuit & remoratus fuit, donec à proreta adhærens lateri navis exteriori eſt captus.*

Tantum apud antiquos reperio de Echeneide ſeu Remora. Ex quibus conſtat (ut benè advertit *Aldrovandus* lib. 3. de Piſcibus cap. 22.) tres potiſſimùm piſces Remoræ nomine celebrari apud Veteres: unum quem Ariſtoteles & Plinius parvum eſſe ajunt, & ſaxis hærere: alterum ex genere concharum, quem concham veneream vocari, oſtendit alibi Aldrovandus: tertium cubitalem, & reſpectu prioris magnum, anguilliformem. Hos tres multi Auctores recentiores confundunt in unum piſcem.

§. II. Quæ aut qualis ſit Echeneis, ſeu Remora, ex Recentioribus aliquibus.

Echeneis quæ & qualis ſit. ALbertus *Magnus* lib. 24. de Animal. in Cap. de Eſchyno, confundit Echeneidem cum Echino marino, quem ipſe, juxta temporum ſuorum

Digitized by Google

rum ruditatem ac barbariem ſermonis Latii, Eſchynum appellat. Sic ergo ſcribit: *Eſchynus de genere eſt cancrorum, ſemipedalis longitudinis. Circa coronam ſunt candidi; aculeos quosdam pro pedibus habentes, & ora in medio corpore; & ſunt colore quaſi vitrei, & penè in ſcorpionis effigie, loco dentium in ore graves habentes aculeos. Ova faciunt quinque numero; & ſunt amariſſima. Eſt autem venenoſus, nec comedi poteſt, niſi totum diſſolvat comedentem. Hic piſcis prænuntiat tempeſtates: ſentiens enim materiam ventorum elevari, de fundo rapit lapidem, ſtabiliens ſe ad ipſum, ſicut ad anchoram. Et cùm hunc lapidem eſchynum trahere vident nautæ, etiam ipſi anchoris figunt naves. Hic piſcis Eſchynus eſt, de quo in præcedentibus diximus, quòd detinet navim: ſubtus enim adhærens navi ducentorum & ampliùs pedum, cum omnibus armamentis ſuis detinet Eſchynus contra quemlibet ventorum impulſum, ita quòd moveri nequit arte reliquâ, vel violentiâ.* ex recentioribus. Ex Alberto Magno.

In graviori errore verſatur *Olaus Magnus* lib. 21. Hiſtor. Septentr. cap. 32. Cùm enim dixiſſet, *ſemipedalem piſciculum, echeneidem vel remoram dictum*, navibus moram injicere, adeo ut *ruant licèt venti, ſæviant procellæ; navis tamen quaſi radicata in mari ſtare videatur, nec moveri, non retinendo, ſed tantummodò adhærendo*; addit: *Dicit etiam Ambroſius lib. 5. Hexaëm. cap. 9. Echeneis eſt animal in mari exiguum, vile, & deſpicabile. Hic tamen cùm ventorum procellam præſenſerit, calculum validum arripit, eumque velut ſaburram vehit, & tanquam anchoram trahit, nè excutiatur fluctibus. Itaque non ſuis ſe librat viribus, ſe alieno ſtabilit & regit pondere: ſtabilimentum præterea dat aliis, quod ſibi ipſi præſtare non poteſt: ſibi enim de lapillis mendicat, quod navibus abundanter tribuit. Talibus enim minuſculis creaturis illuditur hominum impotens ſuperbia.* Hæc Olaus. Sed *D. Ambroſius* citato loco non de echeneide, ſed de echino loquitur; nec ait, quòd naves detineat, ſed ſolùm quòd tempeſtatem præſentiens lapidem arripiat, ac ſe ſtabiliat. Verba *D. Ambroſii* hæc ſunt: *Echinus animal exiguum, vile, ac deſpicabile, (marinum loquor) plerùmque index futuræ tempeſtatis, aut tranquillitatis adnuntius ſolet eſſe navigantibus. Denique cùm procellam ventorum præſenſerit, calculum validum arripit, eumque velut ſaburram vehit, & tanquam anchoram trahit, nè excutiatur fluctibus. Itaque non ſuis ſe librat viribus, ſed alieno ſtabilit & regit pondere. Quo indicio nautæ velut ſignum futuræ perturbationis capeſſunt, & ſibi præcavent, ne eos imparatos turbo improviſus arripiat.* His recitatis, miratur *D. Ambroſius*, quis tantam animali huic tribuerit ſcientiam &c. & claudit caput, divinam deprædicando providentiam. Ex Olao Magno. Echinus marinus.

Reperio tamen & *Cardanum* Echeneida cum Echino confundere lib. 10. Subtilit. ubi, poſtquàm de Torpedine dixiſſet, ſic ſcribit: *Sed eſt alius Echinus, non è genere ſpinoſæ torpedinis, ſed ex concharum genere, quem* Ex Cardano.

Remoram

Remoram vocant Latini; dictus echinus ἀπὸ τῦ ἔχειν τὴν ναῦν, quod naves ſiſtat, fundo illarum hærens. Unde C. Caligulæ Cæſaris triremem moratus eſt, malo illius omine. Limaci magna perſimilis eſt, rariusque, ut poſt ea tempora non viſus ſit. Unde Remoram aliam eſſe à Torpedine conſtat, quamvis Ariſtoteles nominis ſimilitudine, & effectûs, unum genus exiſtimaverit. Locus Ariſtotelis, quem Cardanus citat, eſt ille quem præcedenti §. attulimus ex lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 14.

Idem *Cardanus* lib. 7. de Variet. Rerum cap. 38. longè aliter deſcribit Echinum ſeu Herinaceum marinum, qui ingruente tempeſtate, nè agitatus ſpinas conterat, lapillis ſe obruit. Ex qua deſcriptione patet, hunc à priori differre.

Eodem lib. 7. de Variet. Rerum cap. 31. idem Cardanus effectum detinendi naves attribuit piſciculo, quem *Muſtelam* vocat, ac ſic deſcribit.

Muſtela marina ex Cardano.

Muſtela verò marina, anguillarum propemodum magnitudine, os habet hirundini ſimile, fiſtulam in capite, velut quæ pulmones habent, nec tamen pulmone prædita. Dentes habet in ore. Addita fiſtula eſt, ut cùm ſugendo vivens occuparet os, aquam ad branchias trahere poſſet: quæ cute craſſâ intecta, ſeptem rotunda foramina utrimque habent. Duas in dorſo pinnas habet, nullas tamen natandi causâ in lateribus, aut ſub ventre. Dorſo maculoſo, ventre candido, non adeo ſuavis guſtu, ut mihi videbatur, ut anguilla: durior enim eſt; tametſi mihi non aſſueto delicatior videri debuiſſet. Dum per Ligerim fluvium iter ageremus, hærentes proræ ſex aut ſeptem grandiores anguillis nautæ ceperunt. Sunt autem anguillis aliquantò craſſiores, ac breviores, oſſibusq; carent. Erat iter noſtrum veris tempore, quo hi piſces fluvios ingrediuntur ova parituri; indeq; ad mare cum fœtibus redeunt. Hærent autem adeo firmiter navibus, picei odoris (ut creditur) causâ, ut ſi clavo temonis affigantur, navim Remorentur, aut ſaltem retardent. Quo factum eſt, ut multi crediderint, hanc veram eſſe Remoram, de qua aliàs multa tradidimus. Bellonius tamen exiſtimat, Remoram genus eſſe limacis marinæ viridis &c. quæ infrà ex Bellonio referemus. Poſt quæ inquirit cauſam, cur navem retardet Muſtela prædicta. Verba infrà dabimus.

Scaliger Exerc. 218. mirum in modum exagitat Cardanum ob pauló antè ex Libris de Subtilit. dicta, exprobrans ei ignorantiam in Hiſtoria Naturali, quòd Echinum cum Echeneide confundat; & quòd aſſerat, Ariſtotelem deceptum nominis ſimilitudine, & effectûs, Remoram & Torpedinem unum exiſtimâſſe. Explicat deinde fusè opinionem ſuam, quâ putat Remoram ſeu Echeneidem cohibere navem; quam opinionem infrà proponemus.

Eundem Cardanum, poſt Scaligerum, exagitat *Aldrovandus* lib. 3. de Piſcibus cap. 22. dicens, eum paucis illis verbis plurimos errores, eosdemque intolerabiles commiſiſſe. Nam *primò*, inquit, *Torpedo ex planis*

carti-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

cartilagineis eſt, ab Echino marino, qui ex teſtâ intectus eſt, toto genere diverſa, ſpinisq; planè expers. Secundò, Echinus non ἀπὸ τῦ ἔχειν τὴν ναῦν *nomen habet, ſed ab aſpero caſtaneæ fructu, qui echinus vocatur. Tertiò, Remora quæ ex concharum genere eſt, non remorata eſt Caligulæ navim. ſed quæ limaci magna ſimilis eſt. Denique, Ariſtoteles nullibi Torpedinem cum Remora implicavit, ſed clarè diſtinctèque de utroque ſcripſit.*

§. III. Quæ aut qualis ſit Echeneis Ariſtotelis, ex aliis Recentioribus.

Rondeletius, Gillius, Bellonius, Geſnerus, Aldrovandus, aliique de ſola Ariſtotelis Echeneide agunt. Et Rondeletius quidem ait, eam rarò hodie cerni, pauciſſimisque cognitam eſſe. *Gillius* nunquam ſe eam vidiſſe profitetur, nullibi piſcatorem invenire potuiſſe, qui aut vidiſſe ſe diceret, aut viſum ab alio intellexiſſet. *Bellonius* teſtatur, in Corcyra frequentiſſimè è verriculis extrahi, diligenterque deſcribit apud Aldrovandum loco citato, his verbis. *Piſcis eſt*, inquit, *minimè edulis, totus exoſſis, & mollis. Vulgus Græcum partum Delphini vocat. Limacis rubri teſtâ carentis effigiem refert. Lubricus eſt; ſerpit circa ſaxa in mari, ſed lentè, & iter prætendit cornibus. Ad ſpithamæ longitudinem, & ad manubrii ligonis craſſitiem plerumque excreſcit. Coloris eſt herbacei. Inferiorem partem planam habet, dorſum repandum, in gibbum convexum (à qua ſpecie forſan eſt Delphini partus appellatus) lentoremque, aut mucaginem, ut limax, ſerpendo relinquit. Ac quod ad ejus interanea pertinet, in eo reperies hepar, ſtomachum, inteſtina, lienem, fel, & reliqua terreſtris animalis potiùs, quàm aquatici effigiem ac naturam referre.* Hæc Bellonius.

Ex Rondeletio.

Aldrovandus loc. cit. ait, ſi hoc animalculum, quod Bellonius hactenus deſcribit, Remora eſt, cum nulla Veterum Remora convenire. Serpit enim limacis more; cùm Ariſtoteles ac Plinius (excipio Mutiani concham) pinnas pedum ſimilitudine tribuant, adeoque natare, non ſerpere inſinuent. Oppianus quoque Remoram deſcribens ſimilitudine anguillæ, pinnas ei nequaquam adimit. Addit tamen, à ratione alienum non eſſe, quòd Ariſtotelis Remora ſit lubrica, aut potiùs viſcida, ut faciliùs navi adhæreſcat.

Ex Aldrovando.

Idem Aldrovandus ait, duas icones Remoræ nomine ſibi ab aliis transmiſſas. Priorem Bellonii deſcriptioni non malè convenire: lubricam enim eſſe, rotundamque, limaci nudo, aut muri etiam, ſuâ potiſſimùm caudâ, ſimilem; colore ferrugineo; ſine pinnis, aut malè à pictore expreſſis; capite acuminato. Et hanc ait fortaſſe intellexiſſe Plutarchum loc. citat. §. 1.

Altera, quam à Pharmacopola Neapolitano accepit, capite ſupino acetabula

habet ſimilitudine cirrorum ſive acetabulorum polypi, quibus naves, magnoſque ac cetaceos piſces apprehendere, pertinaciter hærere, curſumque eorum remorari, & pro libitu arbitratuque ſuo retinere creditur. Huic ait ſuam reſpondere, in eaque colorem toto ferè corpore ad violaceum inclinare, latera candicare, mediumque corpus ſubviridi lineâ interſecare, caudam ad cæruleum vergere, pinnas toto corpore ſex eſſe; ad branchias videlicet utrimque unam, qua corpori hæret, rubicundam; in ventre tres, binas è regione ventriculi, unam ab ano; in dorſo denique unam; caudam in unam pinnam degenerare, roſtrum canino non abſimile eſſe, niſi inferior maxilla ſuperiorem longitudine ſuperaret. Et hanc veriorem eſſe exiſtimat. En Iconem, ad magnitudinem dictæ Remoræ expreſſam.

Vide Iconiſmum LV.

Ex Geſnero.

Eundem vel ſaltem ſimillimum piſciculum Emdæ in Friſia ad Oceanum repertum eſſe, ſcribit *Geſnerus*, (lib.4. de Aquatilib. cap. de Echeneide, ex relatione cujuſdam amici) quatuor digitos longum, cuticulâ tenuiſſimâ, ſine ſquamis, capite pro corporis magnitudine maximo, oculis parvis, reliquo corpore turbinato. Sub mento quiddam habebat figurâ acetabuli, quo probabile eſt (inquit) ipſum ſaxis adhærere: nam cùm cavitatem illam digito premeret, qui hoc Geſnero narravit; ita adhærebat, ut circumferri poſſet.

§. IV. De effectu qui Echeneidi ſeu Remoræ adſcribitur.

Echeneidis effectus.

Ex dictis hactenus patet, diverſimodè à diverſis echeneida deſcribi, & valde diverſas eidem formas ac magnitudines tribui: quæ ſi veræ ſunt, neceſſarium eſt, non uni, ſed pluribus aquatilibus Echeneidis nomen tribui. Interim tamen puto, certiſſimum eſſe, quòd Albertus Magnus, Olaus Magnus, & Cardanus errent, qui Echeneida cum Echino confundunt. Sed ſeu uni, ſeu pluribus id nomen conveniat, operæ pretium eſt diſquirere, quinam effectus à variis Scriptoribus Echeneidi attribuantur.

Primus.

Primus ac præcipuus effectus, qui ab omnibus de Echeneide ſeu Remora agentibus paſſim attribuitur, eſt, naves remorari ac ſiſtere, ne progrediantur, validis licèt ventis, & magno remigum conatu propellantur. Unde omnes exiſtimant, eam nomen ſortitam ἀπὸ τοῦ ἴσχειν ναῦν, à ſiſtendo ſeu remorando naves. *Ariſtoteles* loc.cit. §.1. *Piſciculus quidam hac eſt &c. nomen à remorandis navibus adeptus.* Plinius lib.9.cap.25. *Eſt parvus admodum piſcis &c. Hoc carinis adhærente, naves tardiùs ire creduntur, inde nomine impoſito.* Mutianus apud Plinium loc. cit. *Quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe navem &c.* Hic tamen loquitur de concha Venerea, non de Remora Ariſtotelis. Trebius Niger apud eundem: *Naves morari.*

Idem

Idem *Plinius* lib. 32. cap. 1. elegantiſſimè: *Quid violentius mari, ventiſvè, & turbinibus, & procellis? Quo majore hominum ingenio, in ulla ſui parte adjuta eſt* Natura, *quàm velis & remis? Addatur his & reciproci æſtus inenarrabilis vis, verſumque totum mare in flumen. Tamen omnia hæc, pariterque eòdem impellentia, unus ac parvus admodum piſciculus, echeneis appellatus, in ſe tenet: Ruant venti licèt, & ſæviant procellæ; imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare navigia: quod non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrænat impetus, & domat Mundi rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, ut vetet ire navigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana! cùm roſtra illa ære ferroque ad ictus armata, ſemipedalis inhibere poſſit, tenere devincta piſciculus &c.*

Eundem effectum agnoſcit Oppianus, Ælianus, Plutarchus, aliique veteres; inter quos eſt Æſchylus citatus à Scaligero Exercit. 218. in fine, & D. Baſilius in Hexaëm. Homil. 7. D. Auguſtinus, & alii. Item Recentiores omnes citati à nobis §. 2. & citandi in ſequentibus, aliique innumerabiles. Nihil etiam frequentius auditur inter Philoſophos, quàm Echeneidis naves remorantis exemplum.

Præter hunc effectum, alium inſinuant *Ariſtoteles* ac *Plinius* locis citatis §. 1. ſcilicet remorari lites ac judicia inter litigantes, & conciliare ac conſervare impurum amorem. **Secundus.**

Tertium addit *Trebius Niger* apud Plinium lib. 9. cap. 25. dicens, *Præterea hanc eſſe vim ejus aſſervati in ſale, ut aurum, quod deciderit in altiſſimos puteos, admotus extrahat* prædictus piſciculus. **Tertius.**

Quartum effectum inſinuat *Plinius* lib. 32. cap. 1. vocans eum auſpicabilem piſciculum. Verba dabimus §. ſequenti. **Quartus.**

Quintum effectum enarrat idem *Plinius* lib. 9. cap. 25. nempe fluxus gravidarum utero ſiſtere, & partus continere ad puerperium. Hoc poſtremum repetit idem lib. 32. cap. 1. *Mirumque è Græcis alii lubricos partus atque procidentes contineri ad maturitatem, alligato eo (ut diximus) prodiderunt: alii ſale aſſervatum, adalligatumque gravidis partus ſolvere; ob id alio nomine odinolyontem appellari.* **Quintus.**

Nos ex his omnibus effectibus, primum tantùm examinabimus, an nimirum veritati conſonet, & quâ ratione contingat. Sed priùs exempla producamus.

Digitized by Google

§. V. Recenſentur exempla navium, quæ ab Echeneide detentæ dicuntur.

Echeneidis naves detinentis exempla.

BIna hujus rei exempla enarrat *Plinius* lib. 32. cap. 1. his verbis. *Fertur Actiaco Marte* Echeneidem *tenuiſſe prætoriam navim Antonii, properantis circumire, & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam. Ideoque Cæſariana claſſis impetu majore protinus venit.*

Tenuit & noſtrâ memoriâ Caji Principis ab Aſtura Antium remigantis, ut res eſt etiam auſpicabilis piſciculus; ſiquidem noviſſimè tùm in urbem reverſus ille Imperator, ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius mora admiratio, ſtatim causâ intellectâ, cùm è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa navim, invenêre adhærentem gubernaculo, oſtenderunt Cajo, indignanti hoc fuiſſe quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus.

Ne verò quis nugari credat Veteres, parentum noſtrorum memoriâ (inquit Aldrovandus lib. 3. de Piſcibus cap. 22.) *navem Franciſci Turonenſis Cardinalis, cùm aliquando è Gallia maritimo itinere in Italiam pergeret, ferunt, narrante* Petro Melara *Bononienſi Equite fortiſſimo ſimul ac erudítiſſimo, libro de Cardinalibus fol. 99. à perexiguo piſciculo remoratam fuiſſe in medio curſu.* Meminit hujus quoque hiſtoriæ *Rondeletius* apud Cardanum lib. 7. de Variet. Rerum cap. 37. dicens, vidiſſe ſe triremem, in qua Cardinalis Turonenſis Romam vehebatur, inhibitam à curſu à Remora; eamq; deprehenſam, præbuiſſe convivium.

Chæremonianus apud Plutarchum loco. cit. §. 1. ait, Echeneidem *ſe ſpectaſſe, cùm in mari Siculo navigaret, ac vim obſtupuiſſe hujus piſciculi, qui curſum navis non parum retinuit, & remoratus fuit; donec à proreta adhærens lateri navis exteriori, eſt captus.*

§. VI. An non ſolùm naves retardet Echeneis, ſed etiam ſiſtat. Et cui parti navis applicata, præſtet hunc effectum, ſi præſtat.

Echeneis an naves etiam ſiſtat.

QUoad primum, variè loquuntur Auctores. A Græcis dicitur ἐχενηΐς, ἀπὸ τοῦ ἔχειν ναῦν, hoc eſt, à retinendis navibus, ut ſæpe jam diximus; à Latinis verò Remora, & Remiligio, ab iisdem remorandis. *Oppianus* apud Geſnerum ait; *navem enim ſecundi venti vi impulſam, paſſisque velis per mare currentem, echeneis tanquam eam voratura ore admoto ſiſtit, invitique nantis retinet, perinde ac ſi in tranquillo portu quieſceret.* Plinius lib. 32. cap. 1. ait, Caji quinqueremē tenuiſſe. Et lib. 9. cap. 25. eâ *carinis adhærente,*

naves

Digitized by Google

naves tardiùs ire creduntur. Trebius Niger apud Plinium ait, naves morari. Ælianus ait, nomen habere ab inhibendis navibus. Item, violentiſſimè navem ventis impulſam validis reprimere ab impetu, & conſtrictam tenere. Omitto alia loca, quæ hiſce omnino ſimilia ſunt. Ex quibus patet, Echeneidem non ſolùm retardare naves, ac earum velocitatem reprimere, ſed curſum penitus cohibere ac ſiſtere.

Quoad ſecundum, ait *Plinius* lib. 9. cap. 25. eâ carinis adhærente, naves tardiùs ire creditum eſſe. Idem lib. 32. cap. 1. ait, illam, quæ Caji Caligulæ navim detinuit, inventam fuiſſe gubernaculo adhærentem. Ælianus ait, extremam puppim mordicùs premere. Cardanus ſcribit, fundo navis hærentem, eam ſiſtere. Quem Rondeletius reprehendit. Idem tamen olim Oppianus tradidit, dicens vim navi ſub carina inferre, mordicùs detinendo. Plutarchus loco ſuprà citato, ad latus navis hærentem, remoratam eſſe navim refert.

Echeneis cui parti navis applicata, eam remoretur.

§. VII. Quâ vi ac virtute Echeneis naves detinere dicatur ab aliis.

QUidam apud *Plutarchum* lib. 2. Quæſtionum Convival. cap. 7. facillimè ab hac difficultate ſe expediunt; negant enim effectum mirabilem, quem alii Echeneidi attribuunt. Nam cùm Chæremonianus narraſſet, ſpectaſſe ſe in mari Siculo echeneidem, quæ curſum navis non parum retinuiſſet ac retardaſſet; ſubjungit Plutarchus: *Atque erant quidem tunc, qui Chæremonianum riderent, quaſi commentum fabuloſum, & à fide abſonum accepiſſet.*

Echeneis qua virtute naves detinere dicatur, ex aliorũ ſententia.

Alii tamen plerique nefas putant, de tot Scriptorum fide dubitare, & tam luculenta exempla, quibus effectus prædictus comprobatur, inficiari. Toto ergo ingeniorum conatu cauſam inquirunt, excepto *Adamo Lonicero*, qui in lib. de Aquatilib. apud Gesnerum, exiſtimat nullam hujus rei cauſam naturalem reddi poſſe. Eandem quoque reſponſionem dedêre nonnulli apud Plutarchum olim loco ſuprà §. 1. citato. Allatis enim aliquorum reſponſionibus, ſubjungitur: *Audires etiam multa alia ex iis, qui experti erant, elephantem furentem arietis conſpectu comprimi; viperam ſi admoveris frondem fagineam, eâq; ſi illam contigeris, ſiſti; ferum taurum leniri & miteſcere fico alligatum; moveri ab electro & allici omnia levia, præter ocymum & oleo imbuta; magnetem ferrum, ſi allii ſucco fuerit tinctum, non attrahere. Horum enim, quamvis manifeſto experimento nituntur, operoſum eſſe, vel potiùs prorſus impoſſibile, cauſam explorare.* Sed hac reſponſione illuditur potiùs quæſtio, quàm ejus cauſa expeditur; ut benè notat Diſputator apud Plutarchum loc. citato. His ergo dimiſſis, aliorum ſententias audiamus.

Digitized by Google

Primus modus Plutarchi.

Quidam apud Plutarchum ſæpe citato lib. 2. Quæſtionum Convival. capite ſeu Problemate 7. ait, echeneidem nequaquam cauſam eſſe tarditatis motûs navis, ſed ſolùm per accidens eſſe conjunctam cum cauſa dictæ tarditatis. Sic enim diſcurrit: *Quin potiùs illud perpendimus, multos caſus aſſeclas pro cauſis numerari parum rectè: perinde ac ſi, quòd floreat vitex, matureſcere credas uvas, quia vulgare dictum eſt: floret vitex, & uva matureſcit; vel emicantibus in lucerna fungis, turbari & obduci nubibus cælum; vel unguium aduncitatem cauſam, non accidens eſſe exulcerati pulmonis. Quomodo igitur ſingula hæc ſunt laboribus iſtis conſequentia, ex cauſis nata iiſdem; item, inquam ego, una eſt cauſa, cur lento curſu progrediatur, & alliciat echeneidem navigium. Siquidem quando ſicca eſt, neque admodum ponderoſa ex humiditate navis; probabile eſt, carinam ob levitatem labilem æquor ſulcare, undamque facilè cedentem, quàm diu pura ab illuvie fuerit, ſecare. Enimverò quando madeſcens & irrigua multum alga & muſcum conſtrictum attraxit, tunc impetus obtunditur ligni, & fluctus lentori occurrens haud promptè dilabitur. Quapropter tergunt navis latera, deraduntq; muſcum & algam à tabulatis: quibus adhæreſcentem glutinoſam echeneidem cauſam ſegnitiei habitam, non conſecutionem efficientis cauſæ ſegnitiem conſentaneum eſt.* Eandem, aut ſimilem cauſam agnoſcit *Levinus Lemnius* lib. 3. de Occult. Naturæ miraculis cap. 9. dicens roſtratas naves cùm ex longa peregrinatione revertuntur, muſcũ & algam, teſtacea, & echeneidem piſciculum adhæreſcentia habere, iiſque remorari, retardarique earum curſum.

Rejicitur.

Hæc tamen reſponſio non eſt ad rem. Non enim quæritur cauſa tarditatis navium, aut cujuſcunque retardationis earum, paulatim & ferè inſenſibiliter ortæ, & auctæ; ſed de ſubitanea & omnibus manifeſta inhibitione ejus à curſu, cùm antea proſperè & velis expanſis progrediebatur; vel certè de notabili, & ſimiliter ſubitanea, omnibuſque patente retardatione à curſu inſtituto. Prioris, non poſterioris effectus cauſam adſignat hæc reſponſio. Nos poſterioris cauſam inquirimus.

Secundus modus Rondeletii.

Rondeletius videns, Plinium ſcribere, Echeneidem *adhærentem gubernaculo*, detinuiſſe Caji Principis navem; nixus doctrinâ Ariſtotelis in Mechanicis Quæſtionibus, explicantis *Cur modico gubernaculo magnæ naves exiguâ potentiâ, tam facilè moveantur* (quam quæſtionem & nos enodavimus in 3. par. Magiæ lib. 2. Syntagm. 2. cap. 8. Erotemate 9.) ait, ſi rectâ & celerrimè currat navis, & echeneis ore clavum aut puppim apprehendens, moveat caudam, vel ſe totam, modò in dexterum, modò in ſiniſtrum; neceſſe eſſe motionem hanc in prora quoque percipi, & ad echeneidis motum ambiguum, ambiguè quoque moveri, ac proinde impetum ejus inhiberi; cùm ab Ariſtotele demonſtratum ſit, & experientiâ comprobatum, ad exiguam unius extremi in continuo motionem, extremum quoque

que

que alterum, atque adeo totam molem continuam nutare. *Lampetrâ igitur, verbi gratiâ, vel quavis aliâ Remorâ, non in ipſa nave, neque ipſius lateribus, ſed puppi vel gubernaculo adhærente, & caudam vel reliquum corpus motitante, fluctuat navis, nec progreditur, nec ultra fertur; non aliter quàm ſi tranquillo mari, in proſpero & celeri navis curſu, gubernator imperitiorem ad gubernandum admittat, qui clavum rectè tenere non poſſit. Firmiſſimè enim in curſu tenendus eſt, alioquin mox retardabitur impetus.*

Sed contra hanc Rondeletii ſententiam eſt, *Primò*, quòd licèt ultro concedatur, navem, ob allatam cauſam, fluctuare aliquantulùm, & nec rectà, nec æquè celeriter ut antea, ferri; falſum tamen eſt, eam propterea inhiberi penitus, adeo ut licèt ruant venti, ac ſæviant procellæ, ſtet tamen immota, nec vinculis, nec anchoræ pondere irrevocabili promovenda. Quis enim hoc ſibi, aut aliis perſuadeat? Contra eſt *Secundò*, quòd non tantùm gubernaculo, ſed etiam fundo, aut lateri navis adhærens echeneis, navem detinuiſſe, aut curſum ejus retardaſſe, legatur, ut ex Plinio, Oppiano, Plutarcho, & Cardano docuimus §. 6. Oppiani verba adducit Aldrovandus. Plutarchi & Plinii verba dedimus in præcedentibus. Corruit ergo Rondeletii ſententia. **Rejicitur.**

§ VIII. Cardani ſententia circa virtutem Echeneidis navem ſiſtentis, aut retardantis.

Tertius modus Cardani.

C*Ardanus* lib. 7. de Variet. Rer. cap. 37. ſuprà citato, cauſam inquirens, cur Echeneis ſive Remora clavo adhærens, remoretur, aut ſaltem retardet naves, ait: *Cauſa eſt, quòd navium clavus ab hypomochlio maximè diſtat. Hypomochlion enim* eſt *proræ pars ſumma; à qua totâ diametro clavus diſtat. Si igitur addatur Muſtelæ* (ſic vocat Remoram ſuam, de qua loquitur ibi) *longitudo; tota cauda pro vertibulo eſt, ut neceſſe ſit, juxta proportionem totius longitudinis navis cum piſce, ad navis longitudinem, moveri: at non movet, ſed motum impedit: quocirca circumvertendo firmat. Sit enim* A B *longitudo navis*, A *prora*, B *clavus*, *muſtelæ longitudo, ad caudæ extremum* B C:



vis caudæ ſeptenario numero finiatur; vis qua navis movetur, millies mille. Proportio ergo motus caudæ ad A, infinita cùm ſit, major eſt proportione venti ad navim: & licèt tardiſſimo motu, quia tamen frequenter cauda agitatur, plurimùm aqua occurrit navi: quare prora non dividit undas, firmaturque navis. Si verò temo circumagi poſſet, longè faciliùs id demonſtrari poſſet: nam ad illius motum, velut & cùm temo mutatur, navis firmatur & hæret: nam cogitur undas pro tota longitudine propellere, ut faciliùs longè everti quàm progredi poſſit. Conſtat ergo, & majo-

Digitized by Google

& majores & robuſtiores, faciliùs retinere. Atque ea cauſa eſt, cur unus remus plùs retineat, quàm ſex impellant: quod in proverbio apud Venetos eſt: ſiquidem ſi rectà contrà nitatur, minimè; at ſi navim diſtorqueat, omnium nixum impediet. Conſtat etiam, aliquos remum agendo plùs obeſſe, quàm prodeſſe navis curſui: aliquem etiam remum ſummâ vi agentem, maximè juxta puppim poſitum, navem retinere poſſe: quod periti remiges, ut ſervitutem tam duram effugiant, faciunt, licèt magno fœnore inventio hac illis conſtet.

Rejicitur. Hic Cardani diſcurſus, & modus explicandi motionem navis per gubernaculum, adverſatur omnibus Mechanicæ Scriptoribus, iis præſertim qui Ariſtotelis Mechanicas quæſtiones (quas inter eſt, *cur modico gubernaculo magna naves ab exigua potentia tam facilè moveantur*) explicant. Nam Ariſtoteles, & aliqui cum ipſo, volunt, temonem & gubernaculum eſſe vectem primi generis; alii verò, & nos cum illis *in 3. par. Magia lib. 2. Syntagm. 2. cap. 8. Erotem. 9.* reducimus ad vectem ſecundi generis. Cardanus verò conſiderat navim per modum continui inſtar trabis longæ, cujus uni extremo ſi applicetur potentia movens ad dexteram aut ſiniſtram, movetur hoc facilè, & velociter; alterum verò extremum movetur parum, & tardè.

Sed admiſſâ etiam hac explicatione, non probat intentum Cardanus: *Primò*, quia navis retardatur aut ſiſtitur, Remorâ non ſolùm applicatâ ad clavum, ſed etiam ad latus, aut ad carinam, ut diximus contra Rondeletium. *Secundò*, quia ſi navis ſit *AB*, & extremum *A* ſit aut hypomochlium, ut Cardanus vult, aut innitatur hypomochlio, nempe aquæ; extremo verò *B* applicetur potentia movens dextrorſum ac ſiniſtrorſum, ita ut fluctuet huc illuc navis; eò faciliùs ab eadem potentia, cæteris paribus, movetur prædicto motu navis, quò brevior eſt; eò difficiliùs, quò eſt longior, ut experientiâ conſtat: ſicuti ſi perticæ aut trabis unum extremum innitatur terræ tanquàm hypomochlio, alteri verò extremo applicetur potentia movens dextrorſum aut ſiniſtrorſum; faciliùs movetur brevis pertica aut trabs, quàm longa ab eadem potentia, cæteris paribus. *Tertiò*, etiamſi daremus, faciliùs moveri huc illuc continuum longum, quàm breve; adhuc non habet intentum Cardanus: nam Remora applicata ad *B* navis *AB*, non auget continuum usque ad *C*, quia *BC* non fit pars continui, ſed eſt potentia movens, cujus virtutem in *B* applicatam non auget ejus longitudo, ſed eandem retinet, ſive caudam extendat usque ad *C*, ſive contrahat usque ad *B*, aut etiam citra *B* verſus *A*. *Quartò*, ſi Remora applicata ad *B*, ſolâ agitatione navis ad dextram ac ſiniſtram, efficit ut navis curſus aut ſiſtatur, aut retardetur, quantumvis valido flante vento; multò magis id efficiet homo applicatus ad *B*. Facillimum ergo foret, naves tempeſtate atque procellis jactatas ſiſtere in medio curſu, impedireq;

quò

Digitized by Google

quò minùs in ſyrtes aut ſcopulos impingerent, aut ad longiſſimè diſſitas regiones invitis nautis diſtraherentur; ſi nimirum nautarum unus clavo extra navem applicatus, manibus illum apprehenderet, & corpus reliquum retrò extenderet, clavumque huc atque illuc agitaret. Quod tamen hactenus viſum non fuit; nec ulli in mentem venit ut experiretur; nec ſi experimentum ſumeretur, ſuccederet. Ob has igitur, aliasque rationes, quas omitto, corruit Cardani diſcurſus & apodixis.

§. IX. Fracaſtorii ſententia de virtute Echeneidis retentiva navium.

Hieronymus Fracaſtorius lib. de Sympathia & Antipath. cap. 8. ait, (ut dicto loco in Magia noſtra etiam retulimus) ſi modò verum eſt quod fertur, Remoram aut firmare navigia, aut tardare, cauſam ſi qua eſt, non aliam certè poſſe eſſe, quàm partim attractionem per ſpecies factam (ita vocat effluvium ſpirituum magneticorum, aut quaſi magneticorum) partim vacuum. Modum itaque quo id fiat, duplicem ait poſſe eſſe: unum, ut piſcis ille non cauſa ſit ejus retentionis, ſed ſignum alterius quod retinet, videlicet ſcopulorum magneticorum ſubtus latentium, qui per ſpecies ſeu ſpiritus in navim transmiſſos eam detineant: alterum, ut etiam cauſa ſit, affigendo ſe ita arctè navigio, ut avelli inde non poſſit ob vacui metum; ſimulque ad ſcopulos ſubtùs latentes mittendo ſpecies ſeu ſpiritus retentivos, viciſſimque alios à ſcopulis recipiendo; quibus fiat, ut navis tantùm reſiſtat, ne deorſum trahatur, quantum ſpecies in contrarium trahere nituntur, ac proinde in aqua hærere immota cogatur, ad eum modum, quo ferrum in aëre hærere cogeretur, ſi tantùm ab uno magnete traheretur ſurſum, quantum ab alio deorſum. Hæc Fracaſtorii ſententia eſt. Sed lubet, in gratiam Lectorum, ipſa Auctoris verba apponere. Sic ergo citato cap. 8. diſcurrit. Quartus modus Fracaſtorii.

Majus miraculum præbet Echeneis piſcis, ſi modò verum eſt quod fertur, aut firmare navigia, aut tardare. Cauſa ſi qua eſt, non alia certè eſſe poteſt, quàm partim attractio per ſpecies prædictas facta, partim vaccuum. Modus autem eſt duplex: unus, ut piſcis ille non cauſa ſit ejus retentionis, ſed ſignum alterius quod retinet: alius, ut etiam cauſa ſit. Primùm igitur nihil prohibet ſaxa & ſcopulos, ubi Echeneides degunt, conſimilem ſpeciem uſque ad navigia mittere, qualem & montes magnetis ad ferrum in navigiis fixum. Sicut igitur, ſi ferrum fortiter & tenaciſſimè navigio infixum eſſet, ita ut nec extrahi poſſet, non attraheretur quidem navigium ad montes illos, ſed firmaretur tamen; ita & circa ſcopulos echeneidum accidit, transmiſſâ ad naves ſpecie, quæ vel ad clavos earum, vel ad aliud analoga ſit, retineri ipſos. Quare inventus illic piſciculus ille, ſignum dat ſubeſſe ſcopulos eos, qui firmare navigium poſſint.

Digitized by Google

Si verò non ſignum eſt echeneis, ſed cauſa ejus dententionis, oportet exiſtimare ipſam primò arctiſſimè affigi navigio, ut avelli non inde poſsit, niſi vi multâ; ab ipſa verò ad certos ſcopulos, & ab iis ad ipſam mutuò demitti vel ſpeciem, vel etiam corpuſcula, more torpedinis, quæ conſuetam tenent attractionẽ ſimilium. Nec ipſa igitur navis attra hi in fundum poteſt, propter reſiſtentiam ſui; nec ab ipſa avelli echeneis, propter fortem affixionem ob vacuum: unde fit, ut firmetur tantùm navis, aut tardetur ſaltem, quo pacto fieri poſſet, ut ferri fruſtum in aëre pendere quidem, ſed nec ſurſum, nec deorſum moveri poſſet; quod quidem contingeret, ſi deſuper magnes poneretur, qui tantum trahere ſurſum ferrum, quantum ipſum deorſum inclinat, æquali potentiâ poſſet: ſic enim in aëre firmaretur ferrum &c. Nihil ergo prohibet & navigium tantum reſiſtere, ne deorſum trahatur, quantum ſpecies ipſa in contrarium trahere nititur: quare firmari neceſſe eſt. Nec plura quidem dici, aut inquiri debent de tam abdita re.

Rejicitur. Hanc Fracaſtorii ſententiam nonnemo ridendam potiùs, quàm refutandam cenſet. At ego ingenioſiſſimam quidem cenſeo, ſed falſam. Nam ad primum modum quod attinet, *Primò*, ſi ſcopuli echeneidum ſubtus navem occurrentes, navem ſiſterent, echeneis verò navi adhærens ſignum tantùm eſſet latentium ſubtus ſcopulorum; utique avulsâ echeneide à navi, & intra navem illatâ, adhuc detineretur navis à ſcopulis ſubtus poſitis: at contrarium conſtat ex Plinio loco citato ſuprà §. 5. ergo &c. *Secundò*, ſi ſcopuli prædicti navim detinent, aliæ etiam naves illac tranſeuntes detineri deberent: at probabiliſſimum eſt, plurimas tum antè, tum pòſt, tranſiviſſe loca illa, in quibus navis Antonii & Caji Caligulæ detentæ fuerunt, de nulla tamen conſtat, fuiſſe detentam; ergo &c. *Tertiò*, quia ſi tanta vis eſt dictorum ſcopulorum, ut naves contra furentem ventorum impetum, & remorum impulſum detineant; utique etiam clavos extrahere, aliaque ferramenta abſtrahere poterunt à navibus: nam minor potentia ad hoc, quàm ad illud requiritur; hoc enim faber unus poteſt, illud multi non poterunt.

Ad ſecundum modum quod attinet, *Primò*, ſi echeneis navi adhærens, ob metum vacui poteſt tam difficulter abſtrahi à ſcopulis ſubtus latentibus, & echeneidem ad ſe trahentibus; poterit etiam difficulter abſtrahi manibus: at illa quæ navim Caji, & alia quæ triremem Cardinalis Turonenſis detinuit, fuit facilè à nautis abſtracta, & navi illata; ergo &c. *Secundò*, ſi ſcopuli echeneidum tam validè trahunt ad ſe echeneidas navibus adhærentes; ergo etiam potentiſſimè eaſdem ſibi præſentes detinent; quomodo ergo relictis ſcopulis aliò commigrant, & ad naves adrepunt? *Tertiò*, Etiamſi arctiſſimè adhæreat echeneis navi, nullum vacuum timeri poteſt, ſi abſtrahatur, cùm in locum ejus ſuccedi facilè queat aqua; ergo nullus adeſt vacui metus in abſtractione; ergo &c. Omitto alia argumenta,

Digitized by Google

menta, quæ fieri poſſent contra utrumque explicandi modum Fracaſtorii. Corruit ergo & hæc ſententia; præſertim cùm gratis fingatur novi magnetis genus remoram ad ſe trahentis.

§. X. Aliorum nonnullorum ſententiæ, de vi retentiva navium per Echeneidem.

ANtonius Zara lib. de Cultura ingeniorum Memb. 4. Sect. 1. ubi omnes ſympathicas & antipathicas operationes adſcribit ſolis primis qualitatibus variè inter ſe permixtis, & varia conſtituentibus temperamenta, ut vidimus *in 4. parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 1. cap. 2. §. 3.* exiſtimat echeneidem efficere navis remorationem *ex valentiſſima ſiccitate*, quâ videlicet navim contrariâ humiditate imbutam, ad ſe attrahat, atque detineat. Quintus modus Zaræ.

Sed hæc ſententia eſt oppidò ridicula. *Primò*, quia incredibile eſt, & rationi prorſus contrarium, piſciculum tantillum, in aquis natum & enutritum, ex anguillarum aut limacum genere, tantæ ſiccitatis eſſe, ut eam ob cauſam navim ad ſe trahat, tractamque detineat, nequidquam flantibus in contrarium ventis, contraque nitentibus remis. *Secundò*, ſi echeneis ſiccitate ſuâ ſolâ talem effectum præſtat; ergo non ſolùm extra, ſed intra etiam navim applicata, eundem præſtabit; cujus tamen contrarium conſtat. *Tertiò*, ſi piſciculus ille ſiccitate ſuâ navim ſiſtit; ergo & alia, æquè aut magis ſicca, idem efficient; quod tamen hactenus viſum eſt nunquam. *Quartò*, demus echeneidem eſſe ſicciſſimam, & avidiſſimè adrepere navi humidæ, arctiſſimeque eidem adhærere; non ſequitur, navem ſimul cum echeneide adhærente abripi à vento flante, ac navim impellente, non poſſe: ſicuti non ſequitur, tametſi magnes avidiſſimè ad ferrum accurrat, eique arctiſſimè adhæreat; non ſequitur inquam, ferrum ſimul cum magnete adhærente abripi à potentia utrique ſimul prævalente non poſſe. Corruit ergo & hæc ſententia, riſu potiùs, quàm rationibus explodenda. Rejicitur.

Keckermannus in Diſputat. Phyſic. apud Jonſtonum Claſſe 9. Thaumatographiæ cap. 17. videtur retardationem ac detentionem navium ab echeneide factam adſcribere humori frigido à Remora fuſo, qui aquam circa gubernaculum conglaciet. Sextus modus Keckermanni.

Sed hic Auctor, ſi verum eſt quod Jonſtonus ipſi attribuit (mihi enim ad manum non eſt) vel jocatur, vel oppidò ſimplex eſt; ac proinde non ratione refutandus, ſed ſibilis excipiendus. Rejicitur.

§. XI. P. Athanaſii Kircheri ſententia de Echeneide.

Septimus modus Kircheri.

P. *Athanaſius Kircherus* lib. 3. Artis Magneticæ par. 6. cap. 2. §. 3. putat, piſciculum, de quo agitur, cuique tanta vis attribuitur, fabuloſum eſſe; idque probare nititur multis argumentis, ut paulò pòſt videbimus. Effectus ergo illos detentarum ſubinde in mari navium, adſcribit contrariis æſtibus, atque currentibus, ut appellant, qui tunc in illis locis contingebant, ubi naves detinebantur. Sed ut tota Kircheri doctrina omnibus meliùs fiat perſpecta, atque à nobis diſtinctiùs examinari queat; non pigebit locum integrum tranſcribere, ac numeris interpoſitis diſtinguere. Sic ergo diſcurrit.

Unde ego rem paulò profundiùs indagans, hunc piſciculum, ſalvo aliorum judicio, merè fabuloſum eſſe exiſtimo.

1. Si enim hujuſmodi Remora in rerum natura exiſteret, certè fieri non poſſet, quin non ſubinde effectus iſte in retinendis navibus eluceſceret: ſed à Plinio uſque ad hæc tempora, quibus non Mediterraneum tantùm mare, ſed & totus terrarum Orbis frequentiſſimis ſanè navigationibus luſtratus eſt, nullum hujuſmodi effectum notatum fuiſſe legimus; ergo veriſimile eſt, iſtiuſmodi animal non exiſtere. Quòd ſi naves alicubi firmatæ ſint, id tamen huic tam exiguæ molis animalculo attribui minimè debuit, aut potuit.

2. Si enim echeneis hanc vim retentivam in ſe haberet; ergo manifeſtè ſequeretur, minus poſſe ſuperare id quod potentiâ majus eſt: at hoc abſurdum eſſe, quis non videt? cùm omne retinens aliud, pondere, aut reſiſtentiâ aliud retentum ſuperare debeat.

3. Res in magnete Sole clariùs eluceſcit: nullum enim fruſtum, quantumvis efficaciſſimum, exactiſſiméq; libratum, aliud majus graviuſque ſe allicere poteſt; ſed id quod levius eſt, accurret ad id quod gravius eſt, præſertim quando utrumque ſuo arbitrio relictum fuerit.

4. Iterum vel navis teneretur ab hoc animalculo immediatione virtutis, vel immediatione ſuppoſiti: neutrum dici poteſt. Non prius, cùm nulla virtutis naturalis proportio in hoc animalculo ad tam immenſam molem, qualis eſt unius Prætoriæ navis, furentium ventorum impetu, extenſiſque velis raptæ, aſſignari poſſit.

5. Imò ſi vis hujuſmodi retentiva concederetur, non eſſet ratio, cur cymbam onerariam potiùs, quàm inſulam integram, ſi navis foret, traheret; ac ſic vis hujus animalculi dici poſſet infinita. Quæ omnia abſurda ſunt: habet enim omne ens naturalem ſuam determinatam virtutem, moli ſuæ, qualitatique proportionatam. Videmus quidem in magnetis natura moveri poſſe à minori majorem, præſertim ſi æquilibrati fuerint; ſed minor non ideo tenebit majorem, ſed

Digitized by Google

ſed ſi liber fuerit, accurret ad majorem, etiamſi inefficaciorem, ne minor potentia majorem ſuperare cogatur.

6. Neque immediatione ſuppoſiti tenere naves poterit Remora, cùm retentio immediatione ſuppoſiti facta, non tam fiat virtute aliqua peculiari, quàm applicatione corporis unius ad alterum; in qua conjunctione id neceſſariò alterum tenere dicitur quod illo fortius eſt, & majorem reſiſtendi vim habet. Quod de Remora ad dictam navim ventis agitatam dici nullà ratione poteſt. Videmus etiam formicam portare quidem poſſe pondus majus ſe; at ponderoſius ſe ut portet, impoſſibile eſt. Quæ omnia ex Statica nota ſunt. Hinc ſi quis Archimedi Terram aliam daret, toto hoc Telluris corpore graviorem, quo veluti loco inſtrumentum ſuum πάνσπαςον firmare poſſet; non eſt dubium, quin hoc noſtrum Telluris corpus extra ſuum centrum poſſet dimoveri; aliàs molimen ἀδύνατον. Hinc machinæ ad ſaxa attrahenda conſtructa, ſi leviores fuerint pondere quod attrahunt; non machina pondus, ſed pondus machinam in altum levabit; ut in quodam loco non ſine riſu me vidiſſe memini.

Falſa igitur ſunt omnia, quæ de Remora hac ab inexpertis Philoſophis, & nimiùm credulis, adduci ſolent.

7. Non nego tamen ſubinde contingere, ut navis in medio curſu ſiſtatur immota. Sed hoc non occultæ qualitati, nec virtuti ab influxu cœli derivatæ, aut alteri cauſæ phantaſticæ propriè, ſed contrariis æſtibus maris, ſive currentibus, adſcribendum putem. Niſi enim ego hujusmodi eventus ipſe obſervaſſem; ægrè, ut crederem, induci poſſem. Contingit enim non infrequenter in Freto Siculo, ut ingens navis oneraria omnibus extenſis velis ſecundo vento, ita in mediis fluctibus hæreat, quaſi trabalibus clavis eſſet affixa, aliis vicinis curſum ſuum tenentibus. Quod non ego tantùm ceu oculatus teſtis aſſero, ſed & Meſſanenſes frequenter hoc ſpectaculo gaudent. Dum igitur in anguſtiis Archipelagi Prætoria Antonii in Actiaca victoria detenta fuit; id veriùs currentibus & Euripis, qui admodum frequentes in hujusmodi faucibus reperiuntur, adſcriberem. Dici enim vix poteſt, quanta æſtus marini, currentiumq; in ſiſtendis navibus vis ſit & efficacia. Atque hæc eſt mea quidem de Remora ſententia.

§. XII. Examinatur ſententia Kircheri de Echeneide, ſeu Remora.

AB hac doctiſſimi Kircheri ſententia non planè quidem recedo; recedo tamen, ut ſequenti §. 14. patebit. Quæ autem minùs in illa, aut circa illam placent, veritatis ſtudio paucis indico. Doctiores eam meliùs expendent, & mea fortaſſis corrigent. Examinatur.

Primò, itaque contra dicta Num. 1. eſt quod diximus ſuprà §. 5. Non dico, effectus navium retentarum paragrapho illo recenſitos, adſcribendos

Aaaaaaa 3

dos eſſe remoræ; ſed ſolùm volo, alios etiam, præter Plinianos, fuiſſe aliis quoque temporibus & locis notatos.

Secundò, quod aſſeritur Num. 2. minimè ſequeretur, ſi remora navem detineret, aut retardaret: eo enim ipſo virtus detentiva remoræ major eſſet, quàm virtus reſiſtitiva navium à ventis aut remis impulſarum; ac proinde minus non ſuperaret majus; minus inquam virtute non vinceret majus virtute, ſed ſolùm minus mole ſuperaret majus mole; quod nihil abſurdi implicat, ut mox patebit. Retinens aliud, non debet ſuperare retentum pondere, ſed ſufficit ſi potentia retentiva in retinente ſit major, quàm potentia reſiſtitiva in retento. Sic videmus, vel unicum hominem, aut equum, ingentes onerarias naves, ſecundo flumine abripi alioquin ſolitas, fune adalligato, non ſolùm detinere, ſed etiam adverſo flumine ſecum abripere. Tametſi ergo echeneis pondere minor ſit nave, virtute tamen retentivâ poſſet eſſe major, ac proinde ſuperare ejus reſiſtentiam.

Tertiò, quod Num. 3. adſtruitur, evertitur ab eo quod dicitur Num. 5. Evertitur etiam manifeſtâ experientiâ. Si enim fruſtum magnetis minus quoad molem, at majus quoad virtutem, manu teneas ſupra fruſtum ferri longè majus quoad molem, aut etiam ſupra fruſtum alterius magnetis majus quidem mole ac pondere, at minus virtute; videbis ferrum & magnetem attrahi, ac retineri à minori fruſto. Quòd ſi utrumque fruſtum ſit ita libratum in aqua, aut aëre, ut alterum ad alterum liberè poſſit accedere; accedet quidem minus ad majus, non quia minus trahitur à majori, ſed quia ſponte ad illud currit, ut meliùs radios ſuos cum radiis alterius miſceat. Probo hoc manifeſtè: nam majus non poteſt trahere minus, niſi hoc ſit conſtitutum intra ſphæram activitatis illius: at ſi majus minorem virtutem habet quàm minus, ut ſupponitur; habebit etiam minorem activitatis ſphæram. Collocentur igitur in tanta diſtantia à ſe invicem, ut minus non ſit intra ſphæram activitatis majoris, majus autem ſit intra ſphæram activitatis minoris: Accurret minus ad majus, ſi utrumque eſt liberum; non tractum ab illo, quia non attingitur ab ejus virtute, ut ſupponitur; ergo &c.

Quartò, ad id quod Num. 4. aſſeritur, reſpondebunt contrariæ ſententiæ Auctores, remoram retinere navem immediatione & virtutis, & ſuppoſiti; dicentque eſſe inter virtutem utriusque proportionem majoris inæqualitatis, majorem videlicet in remora, quàm in navi. Contrarium enim nondum eſt probatum.

Quintò, ad dicta Num. 5. negatur ſequela: non enim ſequitur, ſi poſſit aliquam virtutem reſiſtitivam vincere remora, poſſe omnem, atque adeo virtutem ejus eſſe infinitam. Rationem inſinuat ipſe Auctor, quòd cujus-

Digitized by Google

cujuslibet rei virtus ſit limitata. Quæ quidem virtus non ſemper eſt proportionata moli rei, alioquin ſemper majus fruſtum magnetis haberet majorem virtutem, quàm minus. Quæ de magnete ſubjunguntur eodem Num. 5. jam excuſſa ſunt paulò antè.

Sextò, ad dicta Num. 6. reſpondebunt contrarium opinantes, ut paulò antè, nimirum remoram tenere naves & immediatione ſuppoſiti, & immediatione virtutis. Ad hoc autem non eſt neceſſarium, ut id quod tenet alterum, ſit illo majus, aut gravius, ſed ſufficit ut ſit fortius, & majorem virtutem habeat. Hoc autem de remora quin dici poſſit, nondum fuit oſtenſum. Quod additur de formicâ, an verum ſit, non examino. Hoc dico, haudquaquam neceſſarium eſſe, ut trahens aut detinens aliud, ſit illo ponderoſius, ut patet in allato exemplo de trahente navem. Et nunquid unus equus trahere poteſt plures equos currui impoſitos? nunquid currum hiſce equis onuſtum, & pondere ſuo in declivitate montis tendentem deorſum, poteſt detinere? Addo (quod tamen ad virtutem remoræ defendendam neceſſarium non eſt) poſſe ac ſolere homines ac jumenta portare pondera ſe longè graviora, ut conſtat ex dictis lib. 1. c. 36. quod eſt de inſigni quorundam robore. Verum eſt, ſi gravius alligetur ad minus grave, illudque tendat deorſum; tracturum ſecum minus grave, ſi aut alligatum ad magis reſiſtitivum non ſit, aut non habeat virtutem retentivam reſiſtitivâ majorem. At hoc in caſu præſenti non contingit: nemo enim aſſerit, ſi navis alligetur ad remoram, atque ex illa ſuſpendatur liberè, ac deorſum tendat; fore ut remora navem ſuſtineat in aëre ſuſpenſam, & unà cum ipſa nave quieta ſine tendentia & lapſu deorſum conſiſtat, quantumvis haberet virtutem navi majorem. In aqua tamen, quia poteſt & quieta conſiſtere, & retrò niti; poterit exercere vim ſuam, ſi quam habet. Cujus contrarium nondum eſt oſtenſum.

Septimò, quæ Num. 7. habentur, examinabimus §. 14. cùm noſtram ſententiam proponemus.

§. XIII. Communis aliorum ſententia de Echeneidis virtute navium retentiva.

P. *Suarez* Diſput. 18. Metaph. Sect. 8. num. 38. PP. *Conimbricenſes* lib. 7. Phyſic. cap 2. quæſt. 1. art. 5. *P. Forerus* in Viridario Diſput. de Animal. num. 30. *Scaliger* Exercit. 218. in Cardanum, *Aldrovandus* lib. 3. de Piſcibus cap. 22. & alii plerique Philoſophi ac Phyſiologi, qui effectum retentionis aut retardationis navium per remoram factæ admittunt, recurrunt ad qualitatem occultam, quâ remora navigiorum impulſum aut extinguat penitus, aut hebetet. *Ego*, inquit Suarez, *cenſeo rem occultiſſimam eſſe, quæ neceſſariò reducenda eſt in aliquam virtutem ſuperioris rationis, quæ*

Octavus modus communis aliorum.

vim

Digitized by Google

vim habeat tantam ad reſiſtendum impulſui navis, ut ab eo debilitari non poſſit. Similia habent alii.

Scaliger ſic diſcurrit: *Mihi igitur ſic videtur. Quemadmodum à Torpedine ſtupor impingitur manibus, etiamſi non tangatur, etiam per lineas ſubiens (neque enim fabulæ ſunt;) ita & motui navis ab illa beſtia. Neque verò ſine ſubtilitate ſunt hæc prætereunda. Propter officium ſunt immobilia quædam ſemper, ut poli. Quædam ratione loci, veluti terræ pars quæ in centro eſt: nunquam enim movebitur naturaliter. Contrà, officio quædam ſemper mobilia, ut cœlum. Quædam naturâ loci, ut flumina. Ita quibusdam eſſe movendi poteſtatem, ut magneti: Aliis contrariam facultatem; videlicet ejusmodi ſunt, quæ motu privant, ut echeneis. Ratio autem in principiis. Quia ſicuti quies & motus ſunt contraria; ſicut ſunt horum efficientes quædam cauſæ contrariæ. Neque reddi poteſt ratio, cur calori frigus adverſetur. Sic ne in illis quidem; cur ea, quæ principia in ſe habent effectiva motus, moveant; quæ quietis, faciant quieſcere. Nemini comperta ſunt in igne caloris principia. Ita in Echeneide quæ ſunt principia quietis. Nam ad manifeſtas omnia deducere qualitates, ſumma imprudentia eſt.*

Quærunt tamen adhuc ulteriùs hi Auctores, an navium detentio, aut retardatio fiat ab Echeneide imprimendo aliquam qualitatem navibus, debilitantem vim & impetum illarum; an verò ſiſtendo ſeipſam, & quaſi adhærendo loco ſuo, ſecumque ſimul ſiſtendo naves. *Suarez* fatetur, ſibi hoc incertum eſſe. Addit: *Quocunq; tamen modo eveniat, non dubium eſt, quin ex virtute mirabili proveniat, adjuvante fortaſſe ſpeciali aliqua & connaturali influentiâ cœli.* Alii tamen cum *Conimbricenſibus* & *Forero* dicunt, *naves ab Echeneide retineri per occultam qualitatem à ſe emiſſam, quâ navigiorum impulſus hebetetur, & extinguatur.* Addit Forerus, nec adeo inuſitatam Echeneidis vim cenſendam eſſe, cùm conſtet, à magnete non magno, ferrum ferè centuplo majus poſſe validè trahi.

§. XIV. Noſtra ſententia de virtute Echeneidis.

Echeneidem naves ſiſtentem dari, non eſt certum.

DIco I. Non eſt certum, dari animalculum quoddam tantæ virtutis ad naves detinendas, aut retardandas, quanta ipſi ab Auctoribus paſſim tribuitur, ut vidimus. Imò probabilius mihi videtur, illud omnino fabuloſum ac falſum eſſe. *Moveor Primò*, quia Antiquorum aliqui, qui ſcriptis rem illam prodiderunt, non abſolutè & ex propria ſententia, ſed ex aliena fide & quaſi dubiè illam aſſerunt, aut etiam omnino negant. Nam Ariſtoteles lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 14. cùm formam, naturam, & effectus ſuæ Echeneidis tradidiſſet, addit: *ut aliqui volunt.* Locum vide ſuprà §. 1. *Plinius* lib. 9. cap. 25. ait: *Hoc carinis adhærente, naves tardiùs ire creduntur.* Idem lib. 32. cap. 1. ait: *Fertur Actiaco Marte tenuiſſe prætoriam navim Antonii.* Cùm apud *Plutarchum* lib. 2. Quæſtion. Convival. Probl. 7.

Chære-

Chæremonianus narraret echeneidis effectum in mari Siculo expertum: *Erant tunc, qui Chæremonianum riderent, quaſi commentum fabuloſum & à fide abſonum accepiſſet.* Vides quomodo antiquiſſimis etiam temporibus fuerit ea res in dubium revocata, & pro fabuloſa reputata. Reliqui omnes ſua ex prædictis Scriptoribus hauſerunt, ideoque non majorem certitudinem merentur, quàm illorum aſſerta. *Moveor Secundò*, quia neque Antiqui, neque Recentiores Scriptores conveniunt in forma, magnitudine, qualitate; imò nè quidem in ſpecie animalis, quod prædictâ virtute ſit præditum. Nam *Ariſtoteles* ſtatuit eſſe piſciculum parvum, petris aſſuetum, expedem: *Plinius*, piſciculum parvum, petris aſſuetum, pedibus præditum ex Ariſtotelis mente; *Mutianus* apud Plinium, eſſe muricem; alii, anguilliformem; alii limaci magnæ ſimilem; alii cum echino confundunt; alii aliter ſentiunt. *Trebius Niger* apud Plinium ait, eſſe longum pede uno, craſſum digitis quinque; *Oppianus*, eſſe cubiti longitudine; *Ælianus*, eſſe magnitudine cum mediocri anguilla æquandum; alii majorem, minorem alii ſtatuunt. Eadem, & major adhuc varietas reperitur in colore, in forma & magnitudine capitis, aliiſque ſimilibus accidentibus. Alii ajunt rarò viſum; alii nunquam; *Cardanus* in una navi deprehenſos tres. *Ariſtoteles* & *Plinius* negant eſſe edulem piſcem; *Rondeletius* ait, præbuiſſe convivium in triremi Cardinalis Turonenſis; Cardanus comedit, & deprehendit minùs grati ſaporis quàm anguillas. Hæc tanta varietas & inconſtantia cui non faciat rem totam ſuſpectam? Talis certè viſa fuit Kirchero, aliisq; eruditiſſimis viris, teſte *Nierembergio* Hiſt. Natur. pag. 245.

Dico II. Probabilius eſt, effectus illos navium detentarum, qui echeneidi adſcribuntur, revera contigiſſe; at non unâ & eâdem ſemper ac ubique ex cauſa, ſed ex diverſis. Ratio primi eſt, *Primò*, quia opinio & fama de echeneide naves remorante, aut detinente, ſine dubio originem habuit ab effectibus ſimilibus: quorum cauſas cùm non ſcirent, navibusque animalcula illa, quæ deinde ex putato effectu Echeneides ſeu Remoras appellârunt, adhæſiſſe deprehenderent; illis effectus prædictos adſcripſerunt. *Secundò*, quia nefas eſt præſumere, tot Auctores antiquos, qui ſcriptis ſuis prodiderunt prædictos effectus, aut falſos ab aliis, aut fallere alios voluiſſe. *Navium detentio, quæ adſcribitur echeneidi, unde ſit.*

Cauſa porrò prædictorum effectuum fuêre fortaſſis aliquando Angeli, ſeu boni, ſeu mali; aliquando fraus ac deceptio nautarum; aliquando æſtus maris. Probabilius tamen mihi videtur, ſemper fuiſſe æſtum maris, modo paulò pòſt explicando.

Ab Angelis ac Dæmonibus poſſe ſiſti ac retardari naves, quantumvis maximo impetu propulſas, dubium nullum eſt, ut ex dictis lib. 1 patet.

Digitized by Google

Stiterunt ergo fortaſſis navem portantem nuntios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri: navem prætoriam Antonii, ut Cæſarianis victoriam darent, & Monarchiam Romanam jam inchoatam ſtabilirent.

Nautarum ac remigum fraude poſſe idem contingere, certum quoq; eſt, tametſi ſimulent ſe vel maximè conniti ad navem propellendam. Poſſunt etiam pauci remiges in contrarium nitentes idem efficere contra multos fraudis expertes. Sed nolo hiſce immorari, & ad tertiam cauſam pergo.

Navium retardatio echeneidi adſcripta, fuit ab æſtu maris temporaneo.

Dico itaque III. Cauſa retentionis ac detentionis navium quæ echeneidi adſcribitur, fuit probabiliter æſtus maris; non ſtabilis, ſed extemporaneus tunc exortus. Veriſſimum eſt quod dicit P. Kircherus, mirabilem eſſe vim æſtus ſeu currentis maris in Freto Siculo, adeo ut naves plenis velis invectas, ſi illum incurrant, aut retardet, aut prorſus immotas detineat, nec ſine naufragii periculo, ut non ſolùm audivi à Meſſanenſibus, ſed proprio etiam experimento didici, non longè extra portum Meſſanenſem, cùm primùm Siciliam adivi. Similes autem æſtus atque currentes in aliis quoque locis reperiri nullum eſt dubium. *Ajo tamen Primò*, ab hujusmodi æſtibus, qui ſtabiles ſunt, aut ſtatis temporibus recurrunt (ut in Freto Siculo contingit, ubi diebus ſingulis, ſed non eâdem ſemper horâ recurrit) naves in eventibus à Plinio & Rondeletio enarratis non fuiſſe detentas. Si enim iis in locis Mediterranei maris, in quibus prætoria navis Antonii, & triremis Cardinalis Turonenſis, detentæ fuêre, ſunt æſtus & currentes ſtabiles; fieri non potuiſſet, quin aliàs quoque ſimiles effectus fuiſſent deprehenſi, cùm loca illa frequenter navigentur. *Ajo Secundò*, æſtus illos qui naves prædictas retardârunt, aut detinuerunt, fuiſſe temporaneos, ortos tunc ex terræmotu aliquo, aut flatibus vehementibus è fundo maris erumpentibus, & aquam magno impetu contra naves impellentibus. Contingere autem ſubinde in mari ejusmodi terræmotus, aut flatuum eruptiones, mare circum circa commoventes; certum eſt. Expertus id fuit P. Kircherus, cùm è Melita Romam redux, mare Siculum prope Tropejam ſulcaret. Videntes enim nautæ, turbari mare, & cieri fluctus, die ſereniſſimo; ſuſpicantes terræmotum eſſe, confeſtim ingenti conatu littus petiverunt; quod cùm vix tandem attigiſſent, & jactaſſent anchoras; tanto tremore terram concuti ſenſerunt, ut proni corruere, ac ſtipitibus aut ſtirpibus arreptis ſe ſuſtentare, fuerint coacti.

Dico IV. Dato etiam quòd piſciculus aliquis, quicunque ſit, naves remoretur, ac ob id remora rectè dicatur; non facit id per qualitatem aliquam occultam, à ſe ad navem transfuſam, navisq; currentis, ac venti propellentis impetum retundentem. Moveor, quia alioquin intra

navem

Digitized by Google

navem receptus piſciculus, eundem effectum præſtaret, quia tunc etiam qualitatem illam à ſe transfunderet: at in navim Caji Caligulæ, & Cardinalis Turonenſis receptus, non præſtitit eundem effectum, quem extra applicatus præſtitiſſe fuit creditus; ergo &c. Id ergo faceret per retentionem, apprehenſam videlicet navem retinendo, ac reſiſtendo quò minus propelleretur; ad eum modum quo homo aut jumentum apprehenſum pondus, quod ſuopte nutu deorſum tendit, detinet nè labatur; aut quo piſcis ille ingens in Oceano Indico navem apprehenſam detinuit: ad quod faciendum ſufficit robur ac virtus retentiva major, quàm ſit virtus reſiſtiva navis ac ventorum; quod ſine occulta qualitate fieri poteſt. Ut autem piſciculo exiguo tantum robur attribuam, adduci non poſſum. Hæc mea eſt de Echeneide ſententia. Si quis meliora ac ſolidiora produxerit, libens amplectar.

CAPUT XV.

De Echino marino.

DUplex eſt Echinus, terreſtris, & aquatilis. Hunc Germanani vocant Meer-Igel / Hiſpani ac Siculi *Rizo*, Itali ac Galli variis nominibus. Echinus marinus Ejus variæ ſunt ſpecies. Hîc loquor de Echino quem vocant majorem, vel ovarium, qui edulis eſt. Magnâ copiâ toto ferè anno circa Siciliam reperitur, ac venditur, & avidè ab incolis comeditur crudus. Formam ejus externam atque internam verbis ac picturâ rectè exprimit *Geſnerus* lib. 4. de Aquatil. pag. 416. in hunc ferè modum.

Forma ejus in rotunditatem conglobata eſt, demptâ unâ parte parum compreſsâ; in qua os eſt rotundum, quinque dentibus incurvis intus cavis, & in idem punctum coëuntibus munitum. Ii quinque maxillis internis connexi ſunt; quæ ab ore intus erectæ, ex acuto in latum tendentes, & ambienti calyci non continuæ, tam mirabili ſtupendoque artificio ſunt conſtructæ, & cælatæ, ut nihil ſit in toto mari elegantius, ſpectatuque jucundius. Quinque igitur ſunt oſſicula, per ſymphyſim conjuncta, quorum ſuprema pars latior roſæ pictæ figuram repræſentat: ex ea dependent quinque alia oſſicula minora, tenui membranâ alligata. Inter dentes interna caruncula quædam eſt, quæ linguæ vice eſt. Mox jungitur gula, quæ in inteſtinum deſinit, longum per teſtam ſtellatim diſpoſitum, ejus tenuibus fibris ſuſpenſum, tandem in parvum foramen terminatur, quod ad egerenda excrementa deſtinatum eſt, ex adverſo oris ſitum, ita ut os in terram verſum ſit, excrementi foramen ſuprà habeatur.

 Excre-

Digitized by Google

Excrementa rotunda ſunt, & nigra, exiguarum pillularum inſtar. Qualis inteſtinorum, talis ovorum ordo eſt: nam inter nigrum id quod carnis vice eſt, & inteſtinorum, ova flava cernuntur. Hæc ſola eduntur cruda, orique grata ſunt, etiamſi ſalſa & ſubamara. Siculi affundunt aliquid aceti, & ova vel pollicis ungue eruunt, vel ſegmento panis, vel cochleari. Qui cochleari utuntur, cum ovis & excrementa deglutiunt. Hos per jocum dicebam abſumere cum ovis, *l' atto piccolo e grande*, actum parvum & magnum; dicere volebam, urinam & ſtercora eorum.

Jacent echini in fundo maris diſperſi. Nautæ & piſcatores vel ſtantes in littore (ubi mare profundius eſt) vel in cymbis, conto aut perticâ longâ, ferreâ manu aut tridente incurvato armatâ, extrahunt, & integros vendunt. Antequam menſæ apponantur, intra volam manuum ſiniſtram cultro ponderoſiore percutiuntur per deſignatum in circuitu circulum; unde aculei franguntur, & teſta in duas dividitur partes, ut ova ac inteſtina omnia in utraque ſemiteſta diſpoſita appareant.

Præſagiunt echini tempeſtatem futuram, ut ſuprà recenſui ex Alberto & Cardano: unde ut ſe ſtabiliant, & rotati fluctibus per maris fundum aculeos non atterant, correptis lapillis ſe operiunt. Quod videntes nautæ, anchoris navigia firmant. Plura de hoc, & aliis echinis marinis, vide apud Geſnerum loc. cit.

Ex his patet, quàm deceptus fuerit Albertus, qui echinum cum echeneide confundit, illumque naves remorari ſcribit. Millies vidi naviculas, cum nautis in echinorum piſcatione occupatis, ſupra illos maris fundo inſtratos diſcurrentes.

CAPUT XVI.

De foſſilibus piſcibus.

Piſces foſſiles. TItus Livius lib. 42. Hiſtor. maximi prodigii loco, inter alia, narrat. *In Gallico agro, quà induceretur aratrum, ſub exiſtentibus glebis, piſces emerſiſſe.* *Seneca* etiam Natural. qq. lib. 3. cap. 17. fabuloſum ac impoſſibile putat, piſces in terra reperiri. Nec deſunt argumenta, quibus eliminentur, adducta à Franciſco Ferd. de Corduba in Didaſc. cap. 11. Nam *Primò*, quo pacto piſces in terra generentur, vel eò per terras penetrent? *Secundò*, cùm nullum animal extra ſuum elementum vivere diu poſſit, quomodo illi piſces naturam ſuam exuunt, ut extra aquas vivant? *Tertiò*, Cùm credibile ſit, imò certum, piſces reſpirare; quâ viâ aër ad foſſiles & terreſtres piſces ingreditur, ut eos refrigeret? Alii è contrà plurimi & graviſſimi Auctores aſſerunt, diverſis temporibus ac locis, piſces foſſiles

foſſiles ac terreſtres repertos, ac etiamnum reperiri. Hoc an verum, nunc diſcutiendum.

§. I. Ariſtotelis, & Theophraſti teſtimonia de piſcibus foſſilibus ac terreis.

ARiſtoteles, (vel quiſquis eſt Auctor) libelli de Mirabilibus Auſcultationibus cap. 69. ita ſcribit. *Circa Babylonem ajunt quidam in cavernis aquoſis piſciculos latere: verùm areſacto flumine, ad areas paſtum prodire, alarum ſubſidio caudaque motu: cæterùm fugere perſequentes, caputq; humo merſum reliquo corpore tegere. Quod multi inſequendo, irritandoq; explorârunt. Caput habent ranæ marinæ ſimile, reliquum corpus gobio, branchias verò piſcibus aliis.* Piſces foſſiles dari, antiquorum opinio.

Idem cap. 70. hæc ſcribit. *Heracleæ piſcium genus ajunt intra terræ cavernulas defoſſum, maximè circa flumina, locaq; humidiora. Verùm areſcentibus iis locis, primùm contrahi ajunt; mox invaleſcente ſiccitate, humorem in ſilvas uſq; perſequi, donec eo quoque deſtituantur. Itaq; latibulis vel mediocriter udis ferarum inſtar hærere, immotosq; defixos: cæterùm ſi ante ſupervenientes aquas effodiantur, moveri.*

Idem adhuc cap. 71. *In Paphlagonia piſces altè in terram defoſſos ajunt, virtute præſtantes, etiamſi nec aqua in proximo appareant, neq; illabantur flumina, ſed ſolà, nudâq; terrâ paſcantur.* Hactenus Ariſtoteles. Alium ejus locum ex eodem libello infrà adducemus.

Extat *Theophraſti* libellus de Piſcibus inſcriptus, in quo ille aliud nihil, quàm de illis Aquatilibus inquirit, quæ in terram egrediuntur, & aërem videntur haurire: deinde de piſcibus foſſilibus, ſeu (ut Plinius paulò pòſt citandus appellat) terrenis, aut ſubterraneis. Poſterioris libelli partem reddidit latinè *Geſnerus*, inſeruitque lib. 4. de Aquatilibus; in quo inter alia ſic ſcribit Theophraſtus. *Piſces alicubi foſſiles ſunt, ut circa Heracleam, & alibi in Ponto. Naſcuntur autem circa fluvios, & aquoſa loca: quæ ſiccantur paulatim, piſces ſubinde humorem ſectando terram ſubeunt: quâ demum ſiccatâ, remanent in ea, veluti vivi ſepulti, & ut animantia quædam in ſuis latibulis hyeme condita durant, ſine ſenſu ferè & motu torpida. Quòd ſi loca illa, priusquàm denuò aqua accedat, fodiantur, piſces illi moventur. Sic & in Ponto contigit piſces glacie & gelu occupari, neque ſentire aut moveri priùs, quàm in ollas coquendi injiciantur. Præ cæteris autem gobio hoc accidere videtur. Ferè autem foſſiles piſces fiunt, eò quòd ab inundatione fluviorum, in locis quæ reſiccantur, vel ova, vel alia principia gignendis idonea piſcibus relinquantur. Nonnulla enim non ex ovis oriuntur, ut anguilla, & centriſcus. Et hoc in Heraclea circa Lycum fluvium contingit. Principia autem hæc in terra relicta, perficiuntur, durantq;. Neq; abſurdum eſt hos piſces durare. Multa enim hujuſmodi animantium exiguo*

egent nutrimento, ſicuti ſerpentes quoque, & quæ latibulis ſe abdunt. Primùm ſcilicet ipſa ova humore è terra manante; deinde eodem nati ex ovis piſces nutriuntur. Ad magnitudinem tamen aliquam eos excreſcere neq; veriſimile eſt, neq; fertur, cùm & loci anguſtia, & alimenti penuria impediant. Cæterùm durare in aëre hi piſces non æquè valent ac illi, qui ab aquis ad paſtum egrediuntur; qui ſcilicet exiguâ refrigeratione, & quæ ab aëre eis præſtari poſſit, indigent: nam vel ipſa branchiarum anguſtia indicat, non multâ refrigeratione eis opus eſſe &c. Sed quod circa foſſiles in Paphlagonia piſces contingit, peculiarem & abditam rationem habet, Illic enim profundè admodum multos & bonos piſces effodi ajunt; cùm neque inundare aquam amnium iis in locis, neq; aliter colligi animadvertatur, unde ſemina & principia generationis relinqui dicimus. Reliquum eſt ut ſuâ ſponte naſcantur, idq; continuò; neq; enim coire inter ſe poſſunt &c. Oriuntur autem quandoq; & alii quidam piſces ſponte: aut humores quoſdam alicunde manare cogitandum eſt, qui generationis principia ſecum adſerant, quæ mox locus idoneus & recipiat, & alat &c.

Huc uſque Theophraſtus in dicto libello de Piſcibus. Idem in fine libelli de odoribus hæc addit: *In Rubro Mari diſſectis lapidibus innati intus piſciculi, & ſquillæ, & alia quædam animalia apparent.* Incertum tamen, an de veris piſcibus & animalibus loquatur, an de animalium externis ſolùm formis, aut imaginibus.

§. II. Aliorum antiquorum teſtimonia de piſcibus foſſilibus, ſeu terreis.

Piſces foſſiles ex aliis antiquis.

PLinius lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 57. ex Ariſtotele & Theophraſto exſcripſit quæ ſequuntur. *Piſcium genera*, inquit, *etiamnum à Theophraſto mira produntur: Circa Babylonis regna, decedentibus fluviis, in cavernis aquas habentibus remanere: quoſdam inde exire ad pabula, pinnulis gradientes, crebro caudæ motu, contraq; venantes refugere in ſuas cavernas, & in iis obverſos ſtare: capita eorum eſſe ranæ marinæ ſimilia, reliquas partes gobiorum, branchias ut cæteris piſcibus. Circa Heracleam, & Cromnam* (addendum, *Lycum amnem*) *& multifariam in Ponto unum genus eſſe, quod extremas fluminum aquas ſectetur, cavernasq; faciat ſibi in terra, atque in his vivat, etiam reciprocis amnibus ſiccato littore: Effodi ergo: motu demum corporum vivere eos approbant. Circa Heracleam eandem, eodemq; Lyco amne decedente, ovis relictis in limo generari piſces, qui ad pabula petenda palpitent exiguis branchiis; quod fieri non indigo humoris: propter quod & anguillas diutius vivere exemptas aquis. Ova autem in ſicco maturari, ut teſtudinum. Eadem in Ponti regione apprehendi glacie piſcium maximè gobiones, non niſi patinarum calore vitalem motum fatentes. In his quidem, tametſi mirabilis, eſt tamen aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis terrenos altis ſcrobibus, in his locis, ubi nulla reſtagnent aqua: miratur-*

raturque & ipſe, gigni ſine coitu. Humoris quidem vim aliquam ineſſe, quam puteis, arbitratur, cùm in nonnullis reperiantur piſces.

Athenæus lib. 8. Dipnoſophiſtarum cap. 1. mentionem facit ex Theophraſto piſcium foſſilium præcedenti §. ex eodem enumeratorum. Deinde ex Polybio Hiſtorico hæc ſubjungit de piſcibus ſubterraneis Hiſpaniæ: *Polybius lib. 34. Hiſtoriarum, planitiem eſſe inquit poſt Pyrenen, ad Narbonem uſque fluvium, per quam Ilebernis & Roſcynus fluvii civitates à Celtis conditas ejuſdem nominis alluentes defluunt, in qua piſces ſunt effoßi. Habet autem hæc planities terram exolutam, multumq; gramen innatum. Subter terra eſt ſabuloſa ad duas vel tres ulnas, ſub qua aqua invenitur quæ à fluminibus aberravit, in qua piſces ſub terram diſcurrunt per rivos cibi gratiâ, quia graminis radicibus mirum in modum delectantur: totam planitiem idcirco piſces ſubterranei occupârunt; quos excavantes capiunt.* Subjungit deinde ex Theophraſto iterum ſequentia: *Theophraſtus piſces in India ex fluminibus in terram exire inquit, ac rurſus in aquam deſilire more ranarum, qui formâ ſint ſimiles iis piſcibus, qui Maximi nuncupantur.*

Strabo lib. 4. Geographiæ, *Juxta Ruſcinonem*, inquit, *lacus eſt, & ager quem alluit, exiguis ſupra mare refertus ſalinis. Habet is effoſſiles piſces Ceſtreas: nam ſi quis duos aut tres fodiat pedes, & in limoſam aquam fuſcinam demiſerit; piſcem eximiæ magnitudinis fixum penetrat. Limo autem inſtar anguillarum alitur.*

Similia, aut eadem habet, quamvis de veritate ſubdubitans, *Pomponius Mela* lib. 2. de Situ Orbis cap. 5. quod eſt de Gallia Narbonenſi: nam loquens de Leucada, & Salſulæ fonte, non dulcibus, ſed ſalſioribus, quàm marinæ ſunt, aquis defluente; ait: *Juxtà campus minutâ arundine graciliq; perviridis; cæterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus. Id manifeſtat media pars ejus, quæ abſciſſa proximis velut inſula natat, pellique ſe atque attrahi patitur. Quin & ex iis, quæ ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur. Unde Grajis noſtrisq; etiam Auctoribus, veriné ignorantiâ, an prudentibus etiam mendacii libidine, viſum eſt tradere poſteris, in ea regione piſcem è terra penitus erui; qui, ubi ex alto huc uſque penetravit, per ea foramina, ictu captantium interfectus extrahitur.*

Seneca Natur. Quæſt. lib. 3. q. 19. *Magna vis aquarum in ſubterraneis occulitur, fertilis, fœdo ſitu piſcium. Si quando erupit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam aſpici, & turpem ac noxiam guſtu. Certè cùm in Curia circa Myndum urbem talis exiliſſet unda, periêre quicunq; illos ederant piſces, quos ignoto ante eum diem cœlo novus amnis oſtendit. Nec id mirum: erant enim pinguia & differta, ut ex longo otio corpora, cæterùm inexercitata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur. Naſci autem poſſe piſces in illo terrarũ profundo, ſit indicium, quòd anguillæ quoq; latebroſis locis naſcuntur, gravis & ipſe cibus ob ignaviam; utiq; ſi altitudo luti penitus abſcondit.*

Anti-

Digitized by Google

Antiquioribus adjungere lubet *Albertum Magnum*, qui lib. 24. de Animal. approbans ea, quæ ex Theophraſto tulimus ſuprà de Piſcibus Heracleæ, vocat illos Eracloydes pro Heracleoticis; & ait: *Eracloydes, ut dicit Theophraſtus, piſces ſunt in Ponto, circa Eracliam morantes. Hic piſcis multùm ſequitur aquam dulcem, ita quòd terram ſcindens, de aqua tranſit ad aquam, & aliquando in cavernis latitat, ubi amnes ſub terra confluere invenerit.*

§. III. Recentiorum teſtimonia & exempla de piſcibus Foſſilibus ac Subterraneis.

Piſces foſſiles ex recentioribus.

PIſces ſubterraneos ac foſſiles dari, inquit *Rondeletius* apud Geſnerum lib. 4. de Aquatil. pag. 443. *experientia noſtra frequens nobis perſuadet. Nam in terra anguillas, ranas, aliosque piſciculos ibidem etiam generatos ſæpenumero vidimus: & è terra deſoſſas anguillas aliquoties ſpectavimus in villa Joannis Scironii viri doctiſſimi.*

Georgius Agricola in lib. de Animantibus Subterraneis, *Piſces foſſiles*, inquit, *duorum generum inveniuntur, ſed intra terram nonnihil teretes, ut anguillæ; ſed pelle carent tenaci, ſquamis etiam, ut & gobii, duramque, nec admodum jucundam guſtus habent carnem. Majores craſſi ſunt ferè duos digitos; minores, digitum. Illi, longi circiter palmos quatuor; hi, tres. Sonum edunt acutum. Eos pharmacopolæ in vitrum incluſos de trabe ſuſpendunt, ut ſpectaculum hominibus præbeant; longoque tempore alunt pane, & aliis quibusdam. Ex fluminibus autem quæ currunt in locis paludoſis, egreſſi per riparum venas longiùs penetrant in terram: & interdum in proximi oppidi cellas usque ſubterraneas, in quibus vinum vel Zythum ſolet condi.* Idem ibidem, cùm verba Theophraſti de piſcibus foſſilibus recitaſſet, ſubdit: *Verùm nullos piſces, qui in fluviis verſari ſemper ſoliti fuerunt, poſt inundationes in locis ſiccis relictos ſubire terram videmus, ſed omnes de vita decedere. Itaq; cùm foſſiles piſces etiam in locis, quos non inundavit aqua, ſoleant inveniri, certum eſt illos eò per venas & fibras penetrare. De qua re ultra Albim Orteranti, quod oppidum eſt ad Polſemcium fluvium, diligenter adverti.*

Geſnerus loco paulò antè citato, ex Epiſtola Georgii Fabricii ad ſe ſcripta. *Piſces foſſiles, qui à noſtratibus* Beiſſer *nominantur, ſunt longitudine palmi, craſſitudine digiti: quanquam majores etiam multò reperiuntur. Dorſum coloris cinerei, cum punctis multis, maculisq; tranſverſis, partim nigris, partim cæruleis. In lateribus linea utrimq; nigra & alba. Venter flavus, cùm maculis albis & punctis rubris ac nigris, ita parvis, ac ſi acu facta eſſent. Ab ore carnea particulæ eminent, quas nando extendunt, extra aquam contrahunt. In Miſena trans Albim duobus locis, quod ſcio, fodiuntur; ad Polnitium amnem, prope Ortranum; & ad Dobram rivum, prope Hanam oppidum. Item in pratis ad Rederam fluvium copioſè effodiuntur, ſi flumen inundet. Ex terra cavernis ingrediuntur*

Digitized by Google

diuntur etiam lacus & paludes. Cùm aqua extra ripas excreſcunt, è terra prodeunt. Aquis autem reſidentibus, in pratis campiſvè relinquuntur; & ubi greges ſunt, relicti vorantur à ſuibus. Cùm in rivis paludibusvè capiuntur recentes, ſolent à tenuioribus etiam menſis adhiberi. Serviunt inprimis fraudi Agyrtarum, qui eos alunt, & vitris incluſos multitudini oſtentant pro ſerpentibus, quia formâ à parvo ſerpente non multùm differunt. Sunt qui eos ſpirare putent: ubi enim plures hujus generis piſces ſimul ſunt, ſpuma ſupra eos effertur. Vitro incluſi ore anguſto, creſcunt, & ſuo quodam ſucco vivunt uſq; ad ſemeſtre. Hæc Fabricius apud Geſnerum, qui ait, ſe ignorare nominis Germanici Beißker vel Beißecker rationem; & eruditos quosdam putare, eſſe piſcem muſtelis cognatum, & muſtelam foſſilem nuncupare. E rivis in Albim venire ajunt.

Euſebius Nierembergius lib. 6. Hiſtor. Natur. cap. 13. hæc ſcribit. *Fertur, in Anconitano littore ac mari compertos eſſe lapides omni ex parte integros ac ſolidos, in quorum medio piſces latebant, quorum egreſſûs ingreſſûsvè nullum veſtigium fuit aut potuit eſſe. Dijectu tamen lapidibus illis, erumpunt, ad hominum eſum percommodi. Igitur piſces vixiſſe putantur innato lapidis humore ac frigore.* Idem ibidem cap. 15. teſtatur, effodi è terra piſces nonnullos gratiſſimos. Et lib. 1. de Miraculoſis Naturis in Europa, toto cap. 43. fusè de foſſilibus piſcibus tractat. Agnoſcit quoque piſces foſſiles *Cardanus* lib. 7. de Variet. Rerum cap. 37. Et *Stengelius* lib. de Monſtris cap. 2. num. 9. teſtatur, vidiſſe ſe *varii generis piſces è rupibus enatos, ſed qui lapideſcerent.*

Piſces intra lapides reperti.

§. IV. Solvuntur argumenta contra piſces foſſiles allata.

EX tot teſtibus atque exemplis indubitatum eſt, variis temporibus ac locis repertos fuiſſe, & etiamnum reperiri, (ut initio hujus capitis dicebam) piſces foſſiles, ac ſubterraneos. Supereſt ut argumentis in contrarium allatis reſpondeamus.

Piſces foſſiles dantur.

Ad Senecæ igitur teſtimonium *ajo*, illum nequaquam negare piſces foſſiles ac ſubterraneos, ut patet ex loco citato §. 2. Loco verò in contrarium citato, non ex ſua, ſed ex Lucilli ſententia, ſic ſcribit lepidè ad Lucillum: *Theophraſtus affirmat, piſces quibusdam locis erui. Multa hoc in loco tibi in mentem venêre, quæ urbanè in re incredibili fabuloſaq; dicas, non cum retibus aliquem, aut cum hamis, ſed cum dolabra ire piſcatum. Exſpecta ut aliquis in mari venetur. Quid eſt autem, quare piſces in terram non tranſeant, ſi nos maria tranſimus?*

Ad primum Argumentum, quo petitur, *Quomodo piſces foſſiles ſub terra generentur, aut eò deveniant.*

Piſces foſſiles quomodo intra terram generentur.

RESpondeo, multis modis id contingere. Aliquos indicavit Theophraſtus loco citato §. 1. quem relege. Alios Agricola, aliique citati Scriptores ſuggerunt. Unum indicat Ariſtoteles citato Libello de Admirandis Auſcultat. cap. 87. his verbis. *In Finibus Maſſilienſium circa Ligyſticam, lacus eſſe fertur, qui ebulliens, effuſuſque, piſcium multitudinem immenſam, verique fidem ſuperantem ejiciat. Caterùm flantibus Eteſiis tantum pulverem concitari, ut coacervatâ in lacum humo ſiccâ ſuperficiem obtegat, inque formam redigat area. Unde indigenis licet pertuſâ ſiccitate in triviis, quotcunque libitum eſt, piſces citra negotium eximere.*

Ad ſecundum ac tertium Argumentum, quibus petitur, *Quomodo piſces extra aquam vivant, & reſpirent.*

Piſces foſſiles quomodo reſpirent.

RESpondeo, ſi piſces non reſpirant, ut multi exiſtimant, vim nullam habet ſecunda pars argumenti. Si autem reſpirant (quod alibi examinabimus) ajo, plurimis ſuppetere ſufficientem humorem in locis humidis, aut uliginoſis; aliis in terræ cavernis ſufficere tantum aëris ibi ſtabulantis, quantum talpis infra terram ad reſpirandum; alios vermium ſubterraneorum more ſuo ſe ſucco refrigerare; alios fortaſsis inſertâ ori glebâ frigidâ & humidâ refrigerari ac vivere, ad eum modum quo videmus paſſim carpiones diu extra aquam vivere, ingeſto ori panis bolo.

Piſces lapidibus inſerti quomodo nutriantur, & reſpirent.

Major difficultas eſt de iis piſcibus, qui ſolidis ſaxis inſerti reperiuntur. Veriſimile tamen eſt, & ibi ſufficientem ſuccum ad reſpirandum ac ſe nutriendum reperiri, ſaltem ad aliquod non adeo longum tempus; quo deficiente penitus, neceſſe eſt emori ac lapideſcere. Unde ſæpe piſces reperti, qui in lapides induruerant. Tales piſces, uti & frutices, ac herbulas, in ſaxis fiſſis, prope Kelhemium in Bavaria inventos, vidit in Rorenſis Cœnobii Bibliotheca P. *Stengelius*, ut ipſemet teſtatur lib. de Monſtris cap. 2. num. 12.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Galeo Glauco.

GAlei piſcis variæ ſunt ſeu ſpecies, ſeu formæ. Inter reliquos eſt, quem *Ælianus* lib. 1. de Animal. cap. 16. Glaucum appellat, ac de ejus inſigni amore erga fœtum ſuum ita ſcribit: *Glaucus piſcis pater factus, quos ſuſtulit ex conjuge, diligentiſſimè cavet ne inſidiis impetantur, neve pernicies ulla eis inferatur. Itaque donec læti ac ſine timore natant, tam diu ille cuſtodire non intermittit, nunc à tergo cum eis natans, nunc verò non à tergo, ſed adnatans modò ad unum eorum latus, modò ad alterum. Si quis verò ex parvulis timere cœperit; ille timore cognito, ore hiante parvulum excipit: deinde timore præterito, quem devoraverat, revomit qualem acceperat; ille rurſus natat.* Piſcis hic eſt quatuor aut quinque cubitorum longitudine. Dorſum cærulei eſt coloris, (unde & nomen Glauci obtinuit) venter candidi. Roſtro eſt acuto, oculis magnis. Os habet in ſupina parte: Dentium acutorum, quodammodò ſerratorum, ad latera ſpectantium, ordines duos: Ventriculum ampliſſimum. Sævitiâ audaciâque Cani Galeo non cedit: quin, æquè ac ille, carnis humanæ eſt avidiſſimus. Cujus rei ſe oculatiſſimum teſtem ſcribit *Rondeletius*: cùm enim æſtate puer qui militi cuidam erat à pedibus, in littore ambularet, eum diu ſecutus Glaucus, parum abfuit quin calces tibiasque arriperet. At à puero gladio confoſſus, & in littus ejectus fuit.

Galeus glaucus, ejusque amor erga fœtum.

Glaucus hominem invadit.

CAPUT XVIII.

De Glanide, ſive Siluro.

GLanis piſcis, ab aliquibus Glanus & Glanius, ab aliis Silurus, ab Alberto Magno corruptè Garcanis & Solaris, à Germanis (ſi Geſnero credimus) Schad / propter damnum quod infert, & Wall vel Waller / propter magnitudinem, appellatur. Aldrovandus tamen Silurum putat eſſe diverſum à Glanide; quanquam Ælianus etiam illos confundat. Reperitur in majoribus lacubus ac fluviis, maximè in Iſtro ſeu Danubio; ubi venatur minores piſces, & tanquam helluo in eos graſſatur mirâ voracitate. Ad multam magnitudinem excreſcit: non ſolùm enim ducentarum librarum, ſed major etiam capi ſolet. *Geſnerus* teſtimonio cujusdam eruditi Ungari ſcribit, in Tibiſco (qui Daciæ ſeu Tranſylvaniæ fluvius Danubio miſcetur) aliquando captum fuiſſe ſeptem vel octo cubitorum, plauſtrum occupantem; eum in fluvio annis ſedecim ſub culina viri cujusdam nobilis latuiſſe; hamo tandem ineſcatum eſſe, dum fœturam

Glanis, ſive Silurus.

Glanis ingens captus in Tibiſco.

turam ſuam cuſtodiret : ubi ſe captum ſenſit, exiliiſſe ; ſecutos impetum ejus piſcatores ad milliaria duo, denique defatigatum cepiſſe. Idem Ungarus ait, barbas eum ſupra infraque os habere, rictum latum, dentes inſtar pectinis illius quo lanæ depectuntur, ſquamis carere, in aquis cœnoſis verſari. Ipſe verò Geſnerus negat eum habere dentes, ſed labia limæ inſtar exaſperari, atque ita prædam facilè retinere; retentam mandere & comminuere opus non habere, ſed faucibus & gulâ maximè patentibus integram vorare. Idem in Viadro apud Sileſios tantum eſſe ſcribit, ut captus, impoſitusque currui, plerumque ultra currum emineat. Aliam deſcriptionem accuratiſſimam, à Benedicto Martino factam, lege apud Geſnerum, & Aldrovandum.

Glanidis generatio.

Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. Animal. cap. 14. de Siluri partu, & ovorum cuſtodia, ita ſcribit: *Pariunt Siluri grandiores ſtagno altiore &c. minores breviore contenti ſunt gurgite, præcipuè ad radices ſalicis, aut cujusvis arboris. Atque etiam inter arundines, & algas, & muſcoſam congeriem, non ſolùm pares cum paribus, ſed etiam admodum grandes cum parvis veniunt: admotisque meatibus, quos aliqui umbilicos vocant, fœmina ovum, mas liquorem venereum depromit: & ova quæ liquor ille vitalis contigerit, candidiora extemplò cernuntur, majoraq; reddi eodem die propemodum dixerim. Paulò autem pòſt oculi fœtus exiſtunt conſpicui; qui in quovis piſcium genere, perinde ut in cæteris animalibus, ſtatim pateſcunt, prægrandesque apparent. Quæ ex ovis non attigerit liquor maſculi ille vitalis, hæc ſterileſcunt, & ſupervacua ſunt: ut in marino etiam genere incidit. Fœcundis jam ovis piſciculo increſcente, detrahitur velut putamen; quod membrana eſt ovum ambiens, & piſciculum. Ova tacta à fœtifico maris ſemine, admodum glutinoſa redduntur ad ceſpites coëuntia, aut ubi pepererint. Mas ova, quæ edita ſunt, cuſtodit: fœmina abit, cùm peperit. Tardiſſimum Siluri incrementum ex ovo eſt: quam obrem mas ſæpe vel quadraginta vel quinquaginta diebus aſſidet, cuſtodiens ova, ne à piſcibus occurrentibus abſumantur.* Hæc Ariſtoteles. Eadem ex parte tradit *Ælianus* lib. 12. de Animal. cap. 14. *Glanis piſcis*, ait, *incola Mæandri, & Lyci Aſianorum fluminum, & Europæi Strymonis, ſpeciem Siluri ſimilitudinemque gerit. Ex piſcibus ſuorum fœtuum amantiſſimus eſt. Nam ſimul ut fœmina peperit, curâ quidem illa de partu ſuo liberatur, ac veluti puerpera quietem impetrat; at verò aſſiduum ſe præſtans mas cuſtodem ad conformationem ejus, quam procreavit, ſobolis, eam tuetur, & inſidias omnes arcet. Poteſt quidem & hamum devorare, Ariſtotele teſte.*

Glanis piſces, feras, & homines invadit.

Graſſatur Glanis non ſolùm in piſces, parvos ac magnos. ſed in omne obvium animal; equosq; natantes ſæpe demergit; uti & homines, in Tibiſco præſertim. Fama eſt apud Pannones publica, aliquando captum unum, in cujus viſceribus humana manus ornata annulis inventa ſit Aliquando etiam puerum in Danubio ad Poſonium natantem devoraſſe dicitur, ac in interaneis ejusdem, poſt dies paucos capti atque diſſecti, pueri fra-

fragmenta reperta. In illo, quem ſuprà diximus hamo captum, caput humanum, cum dextera manu & tribus annulis aureis inventa eſſe, accepit Geſnerus ab erudito illo Ungaro. Hunc piſcem caniculæ exortu ſiderari, & tonitruo ſopiri, ſcribit Ariſtoteles, & Plinius.

Glanis tonitruo ſideratur.

De Glanidis ſeu Siluri captura ſic ſcribit *Ælianus* lib. 14. de Animal. cap. 15. loquens de Iſtri in Europa accolis: *Hi inquam piſcandi rationem obſervant hujuſmodi. Iſtrianus natione piſcator, ad ripam Iſtri boum par impellit &c. (jugum ipſe humeris gerens) ubi commodam ſibi & ſedem, & piſcationem arbitratur; atque ad ripam jumentis pabulum apponit. Unde interea hæc complentur, dum ipſe funis benè robuſti alterum caput ad medium jugum alligat, ex altero capite hamum appendit validiſſimum illum, acutiſſimumque, quem aſſo tauri pulmone inſtructum, ad alliciendum Silurum ſuaviſſimam et eſcam, dejicit, poſtquàm ex linea, ad quam hamus alligatus eſt, quantum ſatis ſit plumbi ad moderandum tractum appendit. Ubi Silurus bubulæ eſcæ ſenſum percepit, ſtatim eſcam appetens, hamum incautè totis faucibus devorat, & nimiâ gulæ aviditate transfixus imprudens, dum ex eo evadere cupit, omnibus viribus funem exagitat. Quod quidem ipſum animadvertens piſcator, cum ſummo gaudio quàm mox à ſeſſione exurgit, & boves equoſvè admotis ſtimulis incitat, tanquam arator jam ex piſcatore factus &c. ac jumentis cum cetaceo piſce benè robuſto luctatio eſt. Nam hic Iſtri alumnus omni virium contentione in altitudinem ſe deprimit; illa contrà retrahunt: ſed piſcis vincitur ex amborum tractu, atque in ripam jugo extrahitur.*

Glanidis captura.

CAPUT XIX.

De Haringo ſive Harengo.

PIſcem quem Germani Haring vel Hering appellant, recentiores Ichthyologi, penuriâ Græci ac Latini vocabuli, vocant Haringum vel Heringum, aut Harengum, vel Herengum, voce à Germanica derivatâ. Iſidorus tamen, Albertus, noſtrique Germani qui latinè loquuntur, communiter nuncupant nunc Halecem, tametſi vocabulum Halex piſciculum longè ignobiliorem, quàm Harengus eſt, ſignificet.

Haringus ſive Harengus.

Harengus eſt dodrantalis, ſæpe etiam pedalis longitudinis: dorſo quodammodò cæruleo, ventre albo, ſquamis pertinaciter cuti adhærentibus, branchiarum ſciſſurâ magnâ, ideoque citiſſimè extra aquam moritur. Unicum habet inteſtinum, & ſolâ aquâ vivere aliquibus creditur, quòd nihil in ventre ejus reperiatur; quod refellit Albertus Magnus. Reperitur in Oceano circa Angliam, Scotiam, Hyberniam, Norwegiam, Daniam, Germaniamque; quam Oceani partem Germani ab Harengorum copia appellant Haring See / id eſt, mare Harengorum. Gregatim natant, & tam magnis ſimul agminibus, ut capti præ multitudine extrahi

trahi non poſſint. Capiuntur poſt æquinoctium autumnale, cùm agmina ſe dividunt. Ubi lumen vident ſuper aquas, gregatim adnatant, & hoc aſtu alliciuntur in retia. Noctu lucent in aquis, ventribus verſus ſummum æquor obverſis, idque tam vehementer, ut mare fulgurare videatur: ob id facilè à piſcatoribus deprehenduntur. Pariunt ſemel in anno ſed eâ fœcunditate quam dixi. Capiuntur tantâ copiâ ab Hollandis, aliiſque dictum paulò ante Oceanum accolentibus populis, ut multa hominum millia inde ſuſtententur, & nihilominùs per totam Germaniam aliaſque regiones diſtrahantur, aut recentes, aut ſale & muriâ conditi, aut fumo indurati. Cardanus auctor eſt, pretium captorum Harengorum in annos ſingulos ad ducenta millia coronatorum aſcendere, & ſæpe excedere. Harengis vehementer inſidiantur Ceti: unde ſæpe, cedentibus iis, ad vadoſa loca impingunt, & præda hominum fiunt, ut ſuprà diximus in Ceto.

Harengorum captura miraculoſa imminuta. Mirum eſt quod retulit Hubertus Lagnetus, vir doctus & fide dignus, Georgio Fabritio apud Geſnerum lib. 4. de Aquatil. pag. 487. de Terra ſancta, Oceani Germanici inſula, nimirum circa annum Virginei partus M. D. XXX. ex captura Harengorum bis mille homines vitam ſuſtinuiſſe; & cùm aliquando per petulantiam harengum virgis cæcidiſſent, adeo imminutos fuiſſe piſces illos, ut cùm illud ſcribebat (annis XXIV. pòſt) vix centum homines ex illo quæſtu viverent. Mirum & hoc: cùm quidam à vidua, quæ jus piſcandi habebat, jactum unum trecentis florenis emiſſet, ſperans ſe plurimùm lucraturum, quoniam plerumque ingens eorum copia pariter irretitur, ut diximus; eo jactu non niſi tres cepit. Uno ergo prandio trecentos florenos abſumere poterat, nec famem ſedare.

CAPUT XX.

De Hippuro.

Hippurus. Hippurus nomen ſortitus creditur vel à cauda equina, ut Rondeletio placet, vel quòd equi more ſaliat, ut Geſnerus conjicit. Piſcis eſt pelagius, frequens in Hiſpania, ubi Lampugo appellatur, ſi Rondeletio credimus. Hi piſces ſi quid in mari vagum ac fluctuans vident, ſtatim frequentes adnatant, & piſcatoribus id obſervantibus præda fiunt. Capiuntur item hoc modo. Conſertos arundinum faſces, lapide inferiùs alligato quò deprimantur, in mare dejiciunt piſcatores: circa hos illicò Hippuri, umbræ amantes, congregantur, & dorſa arundinibus affricant. Tum piſca-

Digitized by Google

piſcatores hamos eſcis inſtructos demittunt ? quos illi, ceratim apprehendere feſtinant, adeo ut vix tempus hamis immittendis & extrahendis ſuppetat.

CAPUT XXI.

De Hirundine Aquatica.

ALdrovandus mirè implicat atque confundit & quod ipſe, & quod alii de Hirundine aquatica ſcribunt, adeo ut quid ipſe ſtatuat, aut quid aliis ſtatuendum, vix diſcernas. Mihi probantur quæ Geſnerus ex *Rondeletio* ſcribit, dicens eſſe piſcem marinum, pinnis caudâque expanſis hirundini volucri perſimilem; capite oſſeo, quadrato, duro, aſpero, cujus poſterior pars in aculeos duos deſinat ad caudam ſpectantes. Branchiarum opercula habere oſſea, in duos itidem aculeos deſinentia; oculos magnos, rotundos, rubeſcentes. Corpus totum ſquamis aſperis & oſſeis contegi. Circa caput, caudamque, quadrato eſſe corpore; circa ventrem rotundo, & candido; dorſo verò ex nigro rubeſcente. Pinnas ad branchias ſitas habere longiſſimas, ac latiſſimas, ad caudam ferè pertingentes, nigreſcentes, ſtellulis maculiſque variis reſperſas, veluti papilionum alas. Ante has pinnas pendere veluti pinnarum appendices; aliaſque duas in dorſo erectas eſſe, eiſdem coloribus & notis cum branchiarum pinnis. Caudam in pinnam unicam deſinere, hirundinis avis caudæ ſimillimam. Corporis colorem ex nigro rubeſcere. Romæ aliquando omnino rubras viſas hirundines. Noctu lucere, viderique candentes carbones ore continere. Hæc & alia Geſnerus ex Rondeletio. *Hirundo aquatica.*

Hirundo hæc aquatica à Græcis vocatur *χελιδὼν*; à Maris Adriatici (ubi frequentes) accolis, & à Siculis, *Rondela*, *Rondola*, *Rendinella*; ab Hiſpanis *peſce volador*. Volant extra aquam, ne piſcium majorum præda fiant: demiſſè tamen, quemadmodum aves è flumine aquam hauſturæ. Volantes ſæpe vidi in mari Siculo ac Tyrrheno; manibus tamen nunquam contrectavi. Volant quàm diu alæ hument; cum ſiccantur, ſtatim decidunt.

Hamburgenſis quidam in navigatione ſua Anni 1549. cùm inter Braſiliam & Portugalliam navigaret, plurimos vidit piſces alatos catervatim volantes, quorum aliqui in naves aliquando decidebant, longi circiter uno pede, cute lævi, pinnis in dorſo geminis, ſpecie ferè gobii fluviatilis. Ex his apparet, diverſos fuiſſe ab hirundinibus. *Jacobus*

Digitized by Google

cobus Bontius lib. 5. Hiſtor. Nat. & Medicæ cap. 24. agens de Piſcibus alatis ac volaticis, proponit ſolùm iconem aquaticæ Hirundinis, ex Rondeletio paulò antè deſcriptæ à nobis; aitque ſe cum ſociis navigationis plurimas in itinere cepiſſe, toſtosque atque elixos comediſſe.

CAPUT XXII.

De Huſone.

Huſo piſcis.

HUſo piſcis eſt Sturioni corporis figurâ ſimilis, ſic dictus à Germanis fortaſſis ab ingenti & quaſi parvæ domunculæ magnitudine: Huß enim, vel Haus Germanis dicitur domus. De hoc *Albertus Magnus* lib. 24. de Animal. poſt piſcem Ezox, ita ſcribit: *Huſo eſt piſcis non ſquamoſus, in figura Sturionis; ſed eſt pellis albæ, & levis, abſque omni ſquama, & ſpina: & invenitur in longitudine viginti quatuor pedum, quando perfectus eſt: & minor invenitur ſecundùm quod ætate deficit. Nullum os penitus habet niſi in capite loco ſpinæ dorſi, ubi cartilago eſt, quæ habet foramen magnum vacuum ſic ut terebello ſit perforatum à capite uſque ad caudam. Et non ſunt ſpinæ in corpore ejus aliquæ, ſed pinnæ ejus conjunguntur cartilagini. Caro ejus eſt in ſapore carnis vituli in dorſo: in ventre eſt in ſapore carnis porcinæ. & habet adipem intermixtum pinguedini ſicut porcus. Hunc piſcem Sturio confricando ſe ad eum agitat ita, quòd ſæpe ſimul capiuntur. Nec in aliis aquis invenitur niſi in his quæ dicta ſunt*, nempe in Danubio, & in quibusdam Danubium influentibus. Alii tamen ſcribunt, è Ponto in Danubium intrare. Gaudet terrâ argilloſâ & pingui; capitur ferè ab autumno usque ad Januarium, per ſpatium decem milliarium inter Viennam & Poſonium, ubi ad inſulam Scutam ultimus capturæ locus eſt. Viennæ die Veneris plerumque quinquaginta, & aliquando centum Huſones veneunt.

Huſo timidus.

Auctor de Natura rerum ſcribit, piſcem eſſe mitiſſimum, & timidiſſimum, quique vel adverſus minimum piſciculum ſeſe defendere vix poſſit, ſed ſtatim in fugam verti: Captum potari vino generoſo, vel lacte, & vino inebriatum vivere poſſe pluribus diebus; bibere autem vini ſextarios quatuor, antequam inebrietur. *Geſnerus* ait, Huſones gregatim natare, & cantum ſequi tubarum, ad quem etiam ex adverſa ripa accedant; & ſic irretiuntur, & extrahuntur uncis. In aqua robore valent, & ſi piſcatorem caudâ

Digitized by Google

caudâ percutiunt, è navi ejiciunt: quamprimùm verò caput extra aquas eſt, invalidi & quaſi mortui redduntur. Multi dicunt, ex ovis Huſonis fieri id, quod Itali Caviaro dicunt, confectum ex ovis piſcium concretis, ſaleque conditis, pici liquidæ nigræ haud abſimile. Id Siculi & Itali aliqui in delitiis habent,& totâ quadrageſimâ vendunt,ac comedunt pro condimento,cum lactucis præſertim. Ego non ſecus ac picem ſemper abhorrui: continet enim immiſtas muſcas, formicas,paleas,aliasq; quiſquilias. Græci aliqui jejunii tempore vix aliud quàm panem & caviarium comedunt.

Ex deſcriptione hactenus tradita ſequi videtur, Huſonem non diſtingui à Thunnis, de quibus poſtea; præſertim cùm ex Ponto, ubi Thunni agminatim vivunt, certo tempore anni in Danubium ſubeant.

CAPUT XXIII.

De Ichthyocolla.

ICHthyocolla, ſic dictus, quòd ex ejus folliculis & corio fiat colla ſeu gluten, eſt piſcis ceraceus, figurâ oblongâ ac propè tereti; oſſibus caret, ac ſpinis. Capite eſt craſſo, & lato; ore magno; è ſuperiore maxilla quatuor apophyſes carnoſæ velut barbæ dependent, unde & Barbotta appellatur. Oculos parvos habet pro corporis magnitudine. Folliculus,ex quo gluten fit, à capite ad caudam per ſpinæ longitudinem extenditur. Carne eſt perdulci, & glutinoſâ. Valet piſcis hujus gluten ad omnis generis chartas, atque inſtrumenta muſica, reliquaque lignaria incruſtamenta conglutinanda. Gelu ſive jus glutinoſum, rectiùs ichthyocollâ, quàm vel vitulinis,vel caporum pedibus induratur. *Didymus* in Geoponicis, teſte *Aldrovando* lib. 5. de Piſcibus cap. 4. ait, cimices pelli, ſi glutine piſcium decocto lecticam unxeris. Ichthyocolla piſcis.

CAPUT XXIV.

De Lucio.

LUcius caput habet macrum ac oſſeum. Oſſium ſeu ſpinarum figuras in eo diverſas reperiri ajunt, ut crucis, lanceæ, clavorum, aliorumque Dominicæ paſſionis inſtrumentorum. In cerebro lapidem gerere, cryſtallo ſimilem, dicunt. Geſnerus in capite Lucii etiam parvi duos lapillos reperit. Dentes habet plurimos, haud uno modo diſpoſitos. *Jonſtonus* in Hiſtor. Natur. lib. de Piſcibus teſtatur, vidiſſe ſe inſigni magnitudine Lucium,qui alium grandem ventre continebat, & hic rurſus murem aquaticum. Tam eſt vorax, ut non tantùm in piſciculos, & ranas, ſed animalia etiam alia graſſetur. Rondeletius à teſte oculato accepit, Lucium mulæ labrum inferius è Rhodano bibentis, dentibus apprehendiſſe, & morſu adeo afflixiſſe, ut territa mula fugeret, & crebrâ capitis quaſſa- Lucius piſcis. Vorax eſt.

Ddddddd tione

tione Lucium in terram dejiceret; quem & is palpitantem, atque ad aquas redire conantem cepit, ac domum tulit. Anſeris duos pullos in alterius ventre repertos ſe vidiſſe, teſtatur quidam Polonus apud Jonſtonum loc. cit. Idem & fulicam inventam, & pedem ancillæ in piſcina ab eodem admorſum prodit. Tam avidè piſces perſequitur, ut præ nimio impetu ſupra aquas elatus, incidat ſubinde in ſcaphas prætervectas; quod vidit Jonſtonus Anno 1631. cùm in ſuo ex Anglia reditu, Landsbergâ noctu ſcaphâ veheretur.

Lucius Friderici Imperatoris. Vitam longiſſimam ei tribuunt. Colligunt id ex Lucio Friderici II. Imperatoris, quem in ſtagno quodam vixiſſe annis CCLXII. deprehenderunt ex annulo æreo, quem, cùm ſtagno eum Imperator inderet, in branchiis ſub cute abdiderant, additâ inſcriptione Græca: Ἐμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς τοῦτῃ λίμνῃ &c. *Ego ſum ille piſcis, huic ſtagno omnium primus impoſitus per Mundi Rectoris Friderici II. manus, die quinto Octobris.* Fuit enim inventus ille annulus in capto illo Lucio, Anno M.CCCC. XCVII. ut teſtatur Conradus Celtes apud Geſnerum in ſua Epiſtola Dedicatoria.

Venter ei apud Anglos ad duos & ampliùs reſcinditur digitos, & ſi emptorem non inveniat, vulnere conſuto redditur vivario, in quo Tincæ degunt: earum enim affrictu ſanatur. *Cardanus* lib. 10. de Subtilit. teſtatur id ſe audiviſſe à tot viris, *ut impudentius fuerit tot teſtibus mendacium non credere, quàm veritatem adverſus eorum auctoritatem tueri.*

CAPUT XXV.

De Manati Indorum.

Manati piſcis. MAnati piſcis eſt ingens, circa Hiſpaniolam capi ſolitus. Utri eſt ſimilis, ideo fœdiſſimus aſpectu. Caput habet bovis inſtar, vel etiam majus, ideo ab Hollandis vacca marina appellatur. Oculos habet exiguos. Pedes circa caput binos craſſos, tanquam alas, branchiarum loco, quibus natat. Aurium loco duo foramina exigua quibus audit. Lapides ſeu oſſa in cerebro bina, parvæ pilæ palmariæ magnitudine, orbicularia. Circa caudam ſtrictior eſt, & quaſi præcinctus. Fœminæ duo ſunt ubera in pectore, quibus catulos lactat. Corium quo integitur, eſt ſimile uſtulati porci corio, digitum denſum, cinereo colore, rariſque pilis præditum. Adeo magnus eſt, ut jugo boum opus ſit ad unum vehendum. Nonnunquam quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem ſuperat, octo verò palmorum craſſitudinem. Circa Inſulam Hiſpaniolam in mari capitur, ut dixi. Subit tamen & flumina, & ſecundùm ripas eorum herbas depaſcitur.

Manati cicur in Hiſpaniola. Manſueſcit aliquando. Caramatexi Regulus aluit quendam per viginti ſex annos in lacu Guaynabo, tam manſuetum, licèt jam grandem, ut nomine Matonis inclamatus è lacu egrederetur, & ad ædes cibi ſumendi gra-

di gratiâ perreptaret, iterumque in lacum remearet, pueris atque viris, quorum cantu delectari videbatur, comitantibus. Idem denos ſimul pueros tergo exceptos, ex una lacus parte in oppoſitam transvehebat. Cùm Hiſpanus quidam vibraſſet in eum aliquando haſtam, & ſi non læſus, nunquam tamen impoſterum emergere voluit, ſi viros veſte indutos & barbatos conſpexiſſet. Tandem intumeſcente fluvio Haibonico, & in lacum Guaynabo ſe effundente, in mare regreſſus non comparuit ampliùs.

CAPUT XXVI.

De Miro piſce volante.

Mirum quendam piſcem, olim in mari Veneto captum, deſcribit *Ambroſius Pareus* apud Jonſtonum in Thaumatographia Claſſe 9. cap. 12. his verbis: *In mare Veneto, inter Venetias & Ravennam, duobus ſupra Clodium milliaribus, Anno 1550. captus eſt piſcis volans, valde horribilis & monſtroſus, quatuor pedes longus. Capite erat craſſiſſimo, binis oculis non è regione poſitis, duabus auribus, & ore duplici, roſtro valde carnoſo & viridi, alis geminis, quinq; in gula foraminibus, Lampetræ foraminum æmulis, caudâ ulnam longâ, in cujus ſummo duæ videbantur aliæ exiguæ.* Alios piſces mirabiles ac monſtroſos deſcripſimus ſuprà pag. 715. & 716. Piſcis volans mirabilis.

CAPUT XXVII.

De Mola.

Mola piſcis eſt, ſic dictus, ſeu quòd informem molam refert, ſeu quòd rotunditate corporis molæ molendinariæ ſimilis ſit: eſt enim adeo brevis, ut ſolum caput potiùs quàm piſcem repræſentare videatur. Horum piſcium unus Calendis Martii Anni 1552. captus fuit non procul à Venetiarũ urbe, qui primo aſpectu maſſa carnea potiùs videbatur, quàm piſcis. Forma in orbem vergebat. Corio ſine ſquamis & pilis tectus erat. Os in arctum colligebatur, ut pro belluæ magnitudine miraculo fuerit. Oculi patentes, & ampliores quàm bobus. Branchiæ detectæ carnoſæ, & læves. Pinnæ in lateribus dodrantales. Tuberculum habebat duriſſimum. Maxillæ utrimque continui oſſis ſoliditate armabantur. Lingua inferiori maxillæ adhærens, ut nonnullis elinguis viſus fuerit. Cauda paulò minùs pedes quatuor longa erat. Pinnæ in cauda tres, ita ut altitudinem cauda cum pinnis novem pedes efficeret. Longitudo piſcis pedum octo erat; altitudo quinque, paulò ampliùs; & quamcunque in partem volveretur, ſuam ſervabat altitudinem. Exenterati cor, hepar, lien, bubalo majora reperta ſunt, ac unicum inteſtinum, ad meatum excrementorum ſub alvo collocatum. In imo inteſtini glomus quidam erat, ex nervis quaſi contuſis, inſtar fidium contuſarum. Caro lactea, ſolidaq;, tanquam in ſue lardo quinq; aut ſex digitos craſſo veſtita, ut in Balænis. Ita Jonſtonus loco proximè citato. Mola piſcis.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

De Monocerote piſce.

Monoceros piſcis.

CLuſius lib. 6. Exotic. cap. 27. apud Jonſtonum loco proximè citato, meminit piſciculi cujusdam, à Batavis Anno 1601. ex Orientali India allati, quem Monocerota ſeu Unicornu vocat, ob cornu unicum in vertice enatum. Erat piſciculus ille, ex Cluſii deſcriptione, ab extimo ore usque ad caudæ pinnas, paulò longior tribus unciis, medio corpore paulò plùs unciâ latus; à ſummo capite, ubi ſupra oculos cornu eminebat, ad infimam alvi partem, quæ etiam in parvum aculeum deſinebat, ſeſcunciam latus. Corio fuſci coloris & ſcabro totum corpus tectum erat. Os habebat prominulum, anguſtum, ſemunciam longum, binis oſſeis denticulis munitum, qui in denos ſupernè ſecti videbantur, infernè verò in pauciores; niſi ii fuerint abrupti. Oculos, qui eruti erant, ſatis magnos habuiſſe videbatur: ſupra quos in capite corniculum gracile eminebat quadrangulare, penè unciam longum, decem ſpinulis inſtar hamuſculorum deorſum ſpectantibus, binis lateribus armatum; à quo ad pinnam, quæ à medio dorſo continua ad caudam usque porrigebatur, interſtitium erat uncialis longitudinis, depreſſum inſtar ſulci cujusdam; in quem corniculum, dum natat, inclinare videtur.

CAPUT XXIX.

De Mugile.

Mugilis piſcis.

MUgilis variæ ſunt ſpecies. Iis tanta eſt ſalacitas, ut Plinio teſte, in Phœnicia & Narbonenſi provincia, coitus tempore è vivariis marem lineâ longinquâ per os ad branchias religata emiſſum in mari, eundemque lineâ retractum, fœminæ ſequantur ad littus; rurſusque fœminam mares partus tempore. Tam veloces ſunt, ut jejuni transverſa navigia ſuperjactent; & ubi diſpoſitas piſcatorum ſenſère inſidias, retia ſupervolitent, & velutì ſagittæ ex arcu emiſſæ videantur. Curvos hamos habent ſuſpectos, ideo poſtquàm diu circumnatavère, caudâ priùs eſcam percellunt, & quod decuſſerunt, deglutiunt; mox ore in anguſtum collecto, ſummis tantùm labris ac vellicatim eſcas ſtringunt. Irritati, in ſublime feruntur & effugia quærunt: ſi aberravère, quieſcunt, & necem poſtrati exſpectant.

CAPUT XXX.

De Mullo.

Mullus piſcis.

MUllùs à mollicie nomen inveniſſe creditur. Servitutis eſt impatiens, ideo in piſcinis nihil aut parum creſcit. Duo ſunt ipſorum genera, barbati alii, alii imberbes. Magnitudinis ſunt mediocris. Binas libras rarò ſuperare, habetur apud Plinium; quadrilibris Seneca, ſelibris Juvenalis meminêre.

minêre. Lucius tamen Mutianus apud Plinium prodit, octoginta librarum in Mari Rubro captum. Sed is alterius generis fuerit. Pelagii ſunt, & circa littora ac ſaxa vagantur. Procreantur tamen ac detinentur etiam in marinis lacubus, & in vivariis.

Inſignis eſt Mullus prodigo veterum luxu, ſeu pretium, ſeu coquos, ſeu lances conſideres. Argenti pari pondere ſæpius à privatis etiam Quiritibus emptum, cùm pedis longitudinem ſuperaret, Jovius prodidit. Aſinius Celer Claudio Principe unum octo millibus nummûm, id eſt, quadringentis ferè Caroleis ſeu Imperialibus emit. Criſpinus Ægyptius, ex ſervili conditione ad equeſtrem dignitatem Domitiani indulgentiâ evectus, *Mullum ſex millibus emit Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris*, inquit *Juvenalis* Satyra 4. Publius Octavius ingentis formæ (quatuor pondo & ad ſelibram eſſe ajebant) à Tiberio Cæſare in macellum miſſum, quinque millibus ſeſtertiis mercatus eſt, teſte *Suetonio* in Tiberio. Idem tres triginta millibus nummûm væniſſe ſcribit. Coqui maximis, & ut Plinius loquitur, triumphorum pretiis parabantur. Lancibus inferebantur aureis cruſtis ornatis, & gemmatis. Mulli antiquis in deliciis.

Mullus teſte *Alberto Magno* lib. 24. de Animal. *minuit cibatus libidinem, & hebetat oculos; & qui ſæpe comedit, eum piſcem redolet: & ſi in vino hic piſcis necetur, hoc vinum bibitum aufert vini deſiderium. Et hoc facit etiam anguilla in vino necata.*

CAPUT XXXI.

De Murana.

MUræna, quibusdam Draco marinus, quòd corporis ſpecie ſerpentem referat, ad duorum cubitorum longitudinem accedit plerumque. Strabo tamen circa Carteiam minarum ſupra octoginta reperiri ſcribit. Ad decem libras augeri, neque majorem ſe vidiſſe, prodidit Salvianus. Cutis tenuiſſima variis maculis & guttis diverſicoloribus eſt reſperſa. Caput habet rotundum, tenue, & acuminatum. Rictum oris latiſſimum: Dentes acutiſſimos, ſerratos, ſolidos: palatum carnoſum: Maxillam ſuperiorem aquilinam: oculos magnos: dorſum cultellatum, hoc eſt, ſpinis acutis & pinnulis ferè conſtans: Pinnas & branchias parvas. Muræna.

Vivunt in mari circa petroſa loca. Petunt tamen & fluviorum oſtia. Exeunt frequenter in terram, & in ea capiuntur. Diu extra aquam vivunt, quòd parvas branchias habeant, parumque aquæ admittant, & ob id non multùm refrigerii deſiderent.

Ab humana non abſtinent carne. Cujus rei gnarus Vedius Pollio, Eques Romanus, & ex amicis Auguſti, invenit in hoc animali documenta ſævitiæ, vivariis earum immergens damnata ſervitia, ut totum pariter hominem diſtrahi ſpectaret. Muræna ab humana carne non abſtinet.

Cum vipera congredi dicitur.

De Murænæ cum vipera congreſſu à multis ſparſa opinio. Ajunt, Murænam libidinis impetu plenam, intrare latibulum viperæ: viperam marem ſtimulis concitatum ad mare accedere, & ſibilo edito amatam evocare; ſic ambas invicem colligari. Incerta res eſt, nec inter ſe Auctores conveniunt: alii enim murænam marem cum vipera fœmina congredi, alii fœminam murænam cum vipera mare produnt.

E vivariis egreſſæ adoriuntur piſcatores,& è navibus in mare pronos dejiciunt. Reti circumdatæ maculas appetunt ipſas, conſciæ teretis ac lubrici tergi, cum multiplici flexu laxari, donec evadant, ut *Plinius* teſtatur lib. 32. Hiſt. Natur. cap. 2. Hamo ineſcatæ, ampliùs devorant quàm hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt, teſte eodem. Infixæ hamo, quòd ſint cultellato dorſo, ſeſe invertunt, caudâ ictæ, celerrimè exanimantur; capite ictæ, difficulter: unde animam in cauda habere certum Plinio ibidem. Concentu & tintinnabulis à piſcatoribus evocari dicuntur. In Sicilia frequentes vidi captas à piſcatoribus; at nihil tale de capiendi modo intellexi.

Muræna L. Craſſi.

Cicurantur, & manſueſcunt. Argumento eſt Muræna L. Craſſi, qui cum Cn. Domitio Cenſor fuit, inauribus & gemmis diſtincto monili ornata, quæ vocem Craſſi cognoſcebat, ad eum adnatabat, & porrecta cum gaudio accipiebat. In piſcina mortuam, atratus luxit Craſſus tanquam filiam. Idem dicitur de Muræna Antonii Druſi in villa apud Baulos, in parte Bajana. Cum locuſta & polypo pugnat. Vincitur à locuſta; polypum vincit; quæ ſuprà etiam de Congro notavi cap. 9. & pugnam ex Æliano deſcripſi. Addit Kiranides incredibile, evaneſcere Murænã, ſi cum locuſta coquatur. Cum Congro ſæpiſſimè congreſſam Puteolis, ſpectavit Perottus. Aceti guſtu in rabiem aguntur. Ælianus ſcribit, ſi plagam unam acceperint, torpeſcentes perſiſtere; ſi plures, funditus irâ accendi.

Murænæ Romanis olim in deliciis.

Summis olim in delitiis erant apud Romanos. C. Hirtius duodena millia ſeſtertia ipſis alendis inſumebat; & uno tempore Cæſari ſex millia Murænarum mutuo dediſſe in pondus dicitur: nam permutare pretio, vel aliâ merce noluit. Heliogabalus earundem lactibus in locis mediterraneis ruſticos paviſſe creditur, ut totum Romanum Imperium perderet.

CAPUT XXXII.

De Nhambdia.

Nhambdia piſcis.

NHambdia Braſilienſibus dicta, piſcis eſt corpore oblongo, & obeſo, ventre molli, verſus poſteriora anguſtiori: capite compreſſo, & ore parabolicæ figuræ, denticulis minimis prædito. Eſt corpus duodecim aut quatuordecim digitos longum, duos & ſemis altum, ubi altiſſimum: oculi parvuli, paululùm protuberantes, rotundi: pupilla nigra, circulo ex auro & umbra mixto. Branchiæ ſatis amplæ,& barba ſex filis conſtans, duobus

Digitized by Google

duobus ſuprà, & quatuor infrà. Eorum quæ ſupra os verſus latus ſtant, quodlibet craſſitiem habet fili quo litteræ obſignantur, quinque digitos longum; & poſt cujusque exortum ſovea eſt oblonga, in quam barbæ initium incumbit, vertendo illam poſticâ parte, ut ſemper facit. Quatuor inferiorum quodlibet exterius duos & ſemis digitos longum, interius ſesqui digitum; ſuntque inferiora fila barbæ non ita craſſa ut ſuperiora. Cætera ad deſcriptionem hujus piſcis pertinentia vide apud Marcgravium, & Jonſtonum.

CAPUT XXXIII.

De Nhaquunda.

NHaquunda, piſcis Indicus, corpore eſt oblongo, ferè ubique æquali; ſeptem, octo, aut decem digitos longus; duos altus, ubi altiſſimus. Caput & os ferè Lucii habet. Superius labium extendere, & oris hiatum rotundare poteſt. Dentium loco habet limas, linguam tenuem, branchias amplas, oculos conſpicuos, ſeptem pinnas. Cauda teſtâ durâ tegitur nigrâ. Totum corpus ſquamis mediocris magnitudinis veſtitur. Cætera, qui volet, legat apud Jonſtonum. Nhaquunda piſcis.

CAPUT XXXIV.

De Orbe ſeu Phyſa.

ORbis, ſeu Phyſa, piſcis eſt rotundus, & ſine ſquamis, totusque capite conſtare videtur. Geſnerus putat eſſe *Cranium* Apuleji, quòd ad cranii humani formam magnitudine, rotunditate, & dentibus humanorum ſimillimis accedat. Tria ipſius genera deſcribit Rondeletius, quartum addit Aldrovandus. Orbis piſcis. Phyſa piſcis.

§. I. Deſcriptio Orbis.

PRimus, qui Orbis ſimpliciter dicitur, figurâ eſt ſphæricus, ſi caudam excipias; unde & acephalus à quibusdam dicitur, & à Græcis nunc in Græcia *Flaſcopſarus*, id eſt, lagena, quoniam lagenæ formam refert. Squamis prorſus caret, cuteque tegitur admodum durâ. Caret & roſtro; nec capitis apparet veſtigium. Os habet parvum, dentes utrimque binos magnos & latos. Supra os duo ſunt exigua foramina, olfactus, auditusque inſtrumenta. Oculi mediocres. Circa corpus medium unica eſt & ſemicircularis utrimque branchiarum ſciſſura; prope quam etiam utrimque unam haud magnam, ſed rotundam pinnam habere dicit Salvianus. Poſterior corporis pars in caudam brevem & rotundam, inque latam & ferè lunatam pinnam deſinentem degenerat: in cujus parte media & ſuperiore pinna una erigitur, alteraque parti inferiori adhæret. Color ei cineraceus, lineis quibusdam latis & obſcurioribus, ex piſce medio exortis, poſteriorem ejus partem ad caudam usque pingentibus. Orbis piſcis deſcriptio.

Eſt

Eſt maris Ægyptii accola, hoc eſt, Mediterranei maris, quà Ægyptum alluit, & Nilum recipit; ex quo Nilum quoque ſubit, & in ejus oſtio, quod Saiticum vocatur, capitur. Frequens eſt in Nilo, ut Kircherus Romæ ab Ægyptiis didicit.

§. II. Natura Orbis.

Orbis piſcis natura.

HIc piſcis, teſtibus pleriſque Ichthyologis, ipsâque experientiâ adſtipulante, hanc à Naturæ ſapientiſſimo Architecto vim obtinuit, (ut *in 4. parte Magiæ lib.4. Syntag. 3. cap. 5.* etiam dixi) ut ſi exenteretur, aut excorietur, & exſiccatus, ac tomento oppletus, è conclavium tholis ſuſpendatur liberè, filo alligatus, aut vitro ſuſpenſo incluſus; ſemper ad eam cœli partem roſtrum convertat, à qua ventus proflat. Qua de cauſa Geſnerus vocat eum germanicè ein Seehan/ gallum Oceanicum ſeu marinum, eò quòd ſicut gallus æneus verſatilis in turribus templorum, ac tectis domorum, ita hic piſcis in aëre, ſemper ventum actu ſpirantem indicet. *Adrianus Junius* Hollandus in ſuo Nomenclatore appellat eundem Belgicè & Hollandicè ein Brunfiſch/quaſi dicas, piſcem lagenam. Poſſet etiam appellari ein Kugelfiſch; item ein Meerflaſch/hoc eſt, piſcis globoſus aut ſphæricus, & lagena marina. *Kircherus* in Arte Magnetica lib. 3. par. 6. cap. 2. §. 6. Magnetem Æolium vocat, ob effectum prædictum, quòd ſicut magnes ad polum, ita ipſe ad ventum actu ſpirantem ſe vertat. Addit, audiviſſe ſe ab Arabibus & Ægyptiis, aliiſque qui in Ægypto fuerant (à quibus diligenter de illius piſcis natura, & vi ad ventum converſiva exquiſivit) eum ab accolis Nili patriâ linguâ, id eſt, Arabicâ (quâ nunc utuntur) paſſim *Allatrucho*, hoc eſt, Deum ventorum dici, quòd ventis quaſi imperare videatur.

§. III. De Hirundinis marinæ vi converſiva ad ventum.

Hirundo marina ad ventum ſpirantem ſe vertit.

EAndem vim ἀνεμοτροπικὴν, hoc eſt, ad ventum actu ſpirantem converſivam, ineſſe quoque Hirundini marinæ (de qua ſuprà) piſci ſat noto in Mari Mediterraneo, didici ipſe ego, unà cum P. Athanaſio Kirchero, aliquot annorum experimento. Habebat dictus Auctor unam ab amico quodam Centumcellis ante aliquot annos Romam ſibi dono miſſam, eamque exenteratam, atque exſiccatam, è tholo celeberrimi ſui Muſei (Galeriam Romæ vocant) ſuſpenderat jam ab Anno 1640. usque ad 1655. quo Româ ab eodem diſceſſi: quæ conſtantiſſimè ſemper ad flantem pro tempore ventum, clauſis etiam omnibus portis ac feneſtris, roſtrum convertebat. Hoc ipſemet cum admiratione & voluptate trium annorum ſpatio quotidie ferè obſervavi.

§. IV. De

Digitized by Google

§. IV. De cauſa converſionis Orbis & Hirundinis ad ventum ſpirantem.

CAuſam hujus in utroque prædicto piſce effectûs ſcrutari conatus fui in Magia loc. cit. Orbis & Hirundo marina, cur ad ventum ſe vertant.

P. Kircherus putat(ut ibidem dixi)utrumque vi quâdam ſpecificâ, ſeu toti ſpeciei communi, ad ventum pro tempore ſpirantem, tanquam ad aliquid ſibi commodum,quod in hoc vel illo vento lateat,vel occultâ quadam ſimilitudine naturæ eorum reſpondet, ſe convertere : illud autem quod appetunt, non eſſe ipſum ventum , ſed qualitatem quandam in ipſo vento latentem, cujus qualitatis ventus ſpirans veluti vehiculum quoddam ſit, & quæ in omnibus ventis eadem ſit, & tunc ſolùm illos afficiat, cùm à vento eſt excitata, & ad ipſos piſces tanquam ad ſympathicum corpus delata, non ſolùm dum vivunt, ſed etiam dum mortui ſunt. Quòd autem ambo hi piſces etiam vivi ad ventum ſpirantem ſe convertant,ait, conſtare aliorum teſtimoniis. Audivit enim ab Ægyptiis Kircherus, Phyſam ſeu Orbem in ſuperficie maris tranquilli & pacati , inſtar calvariæ cujuſdam eminùs comparere(unde & calvariæ marinæ nomen apud noſtrates etiam Scriptores obtinuit, ut initio dixi)atque hoc ſitu, hiante ore auræ ſpirantis beneficâ vi frui. Simile quid de hirundinibus marinis obſervaverunt piſcatores & nautæ Maris Mediterranei ; ut proinde ex volatu harum hirundinum in aliquam plagam, ii infallibiliter pronuntient, ventum & tempeſtatem ex plaga illa imminere. Hæc P. Kircherus.

Ego citato loco Magiæ putavi, & etiamnum puto,qualitatem beneficam ad quam afficiuntur dicti piſces, & vivi, & mortui, eſſe in ipſo vento. Nam ſi in terra eſſet, aut in aëre, & à vento pro tempore ſpirante ad animalia illa deferretur ; cùm è diverſis regionibus & climatibus diverſæ qualitates deferantur, prout diverſa eſt terra & aër in uno, quàm in alio loco ; diverſas quoque ſympathias habere deberent, ratione quarum nunc ad unam, nunc ad alteram qualitatem allatam adſpirarent. In vento igitur ipſo eſt aliquid, quod piſces illos benignè afficit ; vel potiùs ventus ipſe, quicunque ille ſit,ratione ſubſtantiæ ſuæ ſympathiam habet cum dictorum piſcium ſubſtantia. Verè ergo & propriè ſympathica eſt converſio illa ad ventos, ut citato loco dixi.

CAPUT XXXV.

De Orca.

§ I. Deſcriptio Orcæ, ejuſque magnitudo.

ORca, ſit dicta Latinis à vaſis olearii aut vinarii ſimilitudine, delphino eſt corpore toto vigeſies craſſior, potiſſimùm circa ventrem. Toto tergo atra eſt, ventre ex albo roſeo, ad latera ferè cærulea. Roſtrum habet ſimum, ſurſus repandum ; cujus labri inferioris tanta eſt craſ- Orca piſcis. Ejus deſcriptio.

 ſitudo,

ſitudo, ut à ſuperiore ſejungatur, dum piſcis pronus eſt. Quadraginta truculenti in eo dentes, quorum anteriores obtuſi & graciles, poſteriores acuti & craſſi ſunt. Oculi eidem ſunt parvi. Pinnæ pro corporis magnitudine puſillæ. Cutis glabra, & politiſſima. Cauda lunata, & ulnam diſtenta excedens. Pudendum mari in medio ventre abſtruſum, duorum pedum longitudinem excedens. In fœmina ano vicinum eſt: ad quod utrimque duo foramina viſuntur, duorum digitorum intervallo, in quibus mammarum papillæ deliteſcunt.

Sæpe octingentas, aliquando & mille libras excedunt. Lienem unico orbiculari globo in formam placentæ effectum habent. Plurimum aquæ per fiſtulam ejaculari, auctor eſt Plinius, ut mox videbimus.

Plinius lib. 9. Hiſtor. Natur. cap. 6. mentionem facit unius viſæ & captæ in portu Oſtienſi, his verbis: *Orca & in portu Oſtienſi viſa eſt, oppugnata à Claudio Principe. Venerat tunc exædificante eo portum, invita naufragiis tergorum advectorum è Gallia; ſatiansque ſe per complures dies, alveum in vado ſulcaverat, accumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo poſſet: & dum ſaginam perſequitur, in littus fluctibus propulſa, emineret dorſo multùm ſupra aquas carinæ vice inverſæ. Prætendi juſſit Cæſar plagas multiplices inter ora portus; profectusque ipſe cum Prætorianis cohortibus, populo Romano ſpectaculum præbuit, lanceas congerente milite è navigiis aſſultantibus; quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum undâ. Ora balænæ habent in frontibus; ideoque ſummâ aquâ natantes, in ſublime nimbos efflant.*

§. II. Pugna Orcæ cum Balænis.

Orcæ pugna cum Balænis.

PUgnam Orcarum cum Balænis deſcribit *Plinius* citato loco, his verbis: *Balænæ & in noſtra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam conſpici eas tradunt, condi autem ſtatis temporibus in quodam ſinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere. Hoc ſcire Orcas, infeſtam his belluam, & cujus imago nulla repræſentatione exprimi poſſit aliâ, quàm carnis immenſæ dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in ſecreta, ac vitulos earum, & fœtas, vel etiamnum gravidas lancinant morſu, incuſſaeque ceu Liburnicarum roſtris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere ſuo oneratæ, tunc quidem & utero graves, pariendive pœnis invalidæ, ſolùm auxilium novêre in altum profugere, & ſe toto defendere Oceano. Contrà, Orcæ occurrere laborant, ſeſeq; opponere, & cautiũ anguſtiis trucidare, in vada urgere, ſaxis illidere. Spectãtur ea prælia, ceu mari ipſo ſibi irato, nullis in ſinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictuſq; quantos nulli turbines volvunt.*

CAPUT XXXVI.

De Paſtinaca marina.

Paſtinaca marina.

PAſtinaca marina ſeu à colore, ſeu quòd radio ceu paſtino inſtrumento foſſorio fodiat, & pungat, nomen accepit. Duplex eſt, lævis, & aſpera. *Lævis* cutẽ habet perpolitam, dorſum lividum in corticis platani modum, ven-

ventrem albicantem, plurimis veluti ſtriis per carnem hinc inde deductis. *Aſpera* tota horret aculeis, atque ad caudam præſertim permultis uncinis in gyrum diſpoſitis ſcatet. Ambæ magnitudine vix denas libras ſuperant. Corpore ſunt quadrilatero, ventre albicant, dorſo livent, ut dixi. Similitudinem aliquam cum Rajis (de quibus poſtea) habent. Superiore parte aliquod capitis veſtigium anterius cernitur, capiti paluſtris ranæ non abſimile: in eo non niſi oculi oblongi & grandiuſculi; à quibus foramina bina, oculis majora, ſemper patula, in palatum deducuntur. Os habent parvum, & edentulum. Pinnis carent, ſi unam orbicularem circa caudæ exortum excipias. Branchias in medio ferè ventre quinas habent. Caudam longiſſimam, ſpinoſam, muris caudæ perſimilem. Craſſa primùm ea eſt, & paulatim in magnam tenuitatem ſtringitur. Super caudam in medio ferè eminet aculeus, oſſeus, longus, acutiſſimus, & ſerratus, quincunciali magnitudine; quem Plinius radium vocat.

Degunt in cœnoſis maris locis. Carnibus veſcuntur, & latrocinantur ex occulto, tranſeuntes radio (qui ipſis pro telo eſt) figentes; nec ullum attingunt piſcem, niſi telo ſuo vulneratum. Radii ſui veneno ſe tuentur adverſus inſidiatores.

CAPUT XXXVII.

De Phoca ſeu Vitulo marino.

PHoca amphibium eſt animal: humore tamen victitat, nec diu extra aquam vivere poteſt. Alii marinum vitulum, alii bovem marinum vocant. Differt corporis figurâ ab omnibus piſcibus & Cetis, adeo ut quadrupedem vocaverit Ariſtoteles: Habet veluti brachia, ſine ulna, breviſſima; quod ſequitur, carpo noſtro reſpondens, ex multis oſſibus conſtat; metacarpium ex quinque oſſibus, quæ pelle tantùm teguntur. Inde tanquam manus indiviſa, præterquàm in extremo; in quo quatuor linearum diſtinctiones tantùm ſpectantur, ungues autem quinq; diſtincti. Corio tegitur duro, ſolido, pilis nigricantibus & cinereis. Caput eſt breve, & pro corporis magnitudine parvum. Collum longius, quod pro arbitrio extendit & cõtrahit. Inferior maxilla lupinæ ſimilis, ſuperior quàm lupo latior; hacq; & naribus ſimilis eſt vitulis terreſtribus. Oris ſciſſura mediocris. Dẽtes ſerrati, & luporũ ſimiles. Oculi ſplendidi, qui ſubinde in mille colores mutãtur. Lingua fiſſa ſeu biſulca. Auribus caret, ſed loco earũ meatus quoſdã habet.

Phoca ſeu Vitulus marinus.

Locus Phocarum eſt terra & aqua. Veſcuntur piſcium carnibus. Immiſſi in vivaria, furibundi in eos ſæviunt. In retia delapſi, dilacerant ea, & piſcibus unà captis effugiendi anſam præbent. Retro mingunt. Pariunt in terra. Prolem circa duodecimum à partu diem in mare deducunt. Maxima ex parte per littora vagantur, & vicinos agros, vineta, & pomaria deperdunt. Si quando colliculum aſcenderunt, indeque ſecedere coguntur;

Phocæ mores.

 pedibus

Digitized by Google

pedibus & capite in ventrem contractis, aut toto corpore in globum conſtricto, maximo impetu in mare devolvuntur. Difficulter interficiuntur, niſi capite eliſo, quia totum corpus carnoſum eſt. Extra aquam ad Solem dormiunt in arena littoris, vel ſuper ſaxa, ut liberiùs reſpirent. Nullum animal graviori ſomno premitur. Stertunt inter dormiendum, & tam altè, ut mugitum edere videantur. Jonſtonus in Scotia tam propè aliquando ad ſtertentes acceſſit, ut lapidibus infeſtare poſſet. Poſtquàm ſe in aquas conjeciſſent, elato ex undis capite eum intuebantur.

Phocæ miteſcunt interdum.

Sæpe miteſcunt, & naturam ferinam deponunt; imò & diſciplinam accipiunt, voceque pariter & viſu populũ in ſpectaculis exhibiti ſalutant. Nomine vocatæ, incondito fremitu reſpondent. Homines amare & odiſſe diſcunt. Viſa aliquando, quæ ad Principis Chriſtiani nomen gaudio perfundi videbatur, obmuteſcebat ad Turcæ. Una in Lerini Inſulæ cœnobio, nullo metu cum hominibus permultos dies verſabatur, adeo ut & gradus aſcenderet. Damnis apud *Philoſtratum* lib. 2. Vitæ Apollonii, Phocam à piſcatoribus captam, filium quem in cavea pepererat, ita deplorare mortuum vidit, ut per triduum à cibis abſtinuerit. *Tzetzes* teſtatur, matres cum ſuis catulis mori, iſtos cum ſuis matribus; parentesquẽ ſenio confectos in natando juvare.

Phocæ ſeu Vituli marini mira cum mari ſympathia.

Sympathiam cum mari miram habet Phoca, ſeu Vitulus marinus. Pili enim excoriati animalis, ſi mare turbatum in fluctus ſurgit, eriguntur; ſi deſidit, in planum ſternuntur. Quòd cùm non crederetur, facto in Indico mari circa Hiſpaniolam Inſulam periculo, non ampliùs fabuloſum haberi aſſerit Cardanus. *Plinius* ſenſum æquorum retinere, ſemperque æſtu maris recedente, inhorreſcere ſcripſit. *Rondeletius* mutationes aëris ſignificare, auſtrinis ventis ſurrigi, borealibus ita deſidere, ut nullos planè affirmes, ſæpius obſervavit.

Phocæ corium fulmina impedire dicitur.

Fulmina & grandines corium dicti Vituli prohibere, Plutarchus & Palladius prodiderunt. Ideo ſummas velorum partes eo obtegi, & Auguſtum Cæſarem pellem Vituli marini perpetuò circumferre conſueviſſe, & Severum Imperatorem eâdem tectum volviſſe, legitur. Grandini obviare Palladius credit, ſi per agrorum terminos circumferatur, & in villæ ingreſſu ſuſpendatur, cùm malum videris imminere. Omitto alia ſimilia.

CAPUT XXXVIII.

De Phyſetere.

Phyſeter.

PHyſeter eſt è Cetorum genere. Ex omnium Cetorũm numero maximam aquarum copiam è fiſtula effundit, adeo ut ſinguli ſingulas naves ſubmergere poſſe dicantur. Bellonius hoc ſolo à Balænis differre dicit, quòd nullas prætenduras habeat, neque tam vaſtâ corporis mole, figurâque ſit magis tereti. Eſt ore maximo, dentibus acutis & ſerratis, linguâ

linguâ carnosâ & magnâ, fiſtulâ longâ, quàm reliqui craſſiore, pinguedine multâ.

CAPUT XXXIX.

De Pungitivo.

Pungitivus(verba ſunt Alberti Magni lib. 24. de Animal.) *piſciculus eſt omnium piſcium minimus: qui lanceolas habet duas, unam hinc, & aliam inde, in radicibus pinnarum ventris. Mas hujus piſcis ſub gutture rubeus eſt, fœmina caret rubedine. Squamas non habet. De quo piſcatores dicunt, quòd per ſe generatur, & generat omnes piſces alios; inducti per hoc experimentum, quòd in lacunis novis ſtatim primo anno inveniuntur; & poſt illos ſequentibus annis omnium aliorum piſcium varietas, absque piſcium impoſitione.* Experimentum an veritati conſonet, neſcio. Credo figmentum eſſe piſcatorum. Piſciculum dictum Germani noſtri vocant Stechlein. Pungitivus piſciculus.

CAPUT XL.

De Rajis in genere.

Rajas ex cartilagineis & planis eſſe piſcibus, dubium nullum eſt. Multas ipſe vidi, tractavi, comedi in Sicilia. Earum aliæ ſunt læves, aliæ aſperæ; lævium aliæ ſtellatæ, aliæ non; aſperarum aliæ magis, aliæ minùs tales. Magnitudine inter ſe differunt: bicubitales aliquando vidit Salvianus. Cuticulari teguntur operimento. Omnibus membranulâ obtenditur oculus. Juxta oculos foramina ſunt ampla, ad oris usque intima patentia; quibus operculum interiore parte à Natura additum eſt. Ore aperto dilatantur ea foramina, clauſo magna ex parte occluduntur. Cauda omnibus procera atque aſpera. In ejus dorſo duæ ſunt pinnulæ; totidemque, ſed exiguæ & orbiculares, ad ejus exortum. Circulatores ex Rajis exſiccatis draconum & baſiliscarum figuras efformant, ut plebeculæ imperitæ imponant. Raja.

Degunt in cœnoſis locis maris, non procul à littore. Hyeme latent. Pariunt animal, cùm primùm ova intra ſe pepererunt. Ova ſine teſta primùm in ſuperiore vulvæ parte conſpiciuntur. Quædam magnitudinem ovorum gallinæ æquant, alia his minora ſunt, nonnulla ciceris magnitudinem non excedunt. Plura centenis in ſingulis aliquando numerantur. Quæ à perfectione propiùs abſunt, in inferiorem matricis partem dimiſſa, teſtâ operiuntur. Abditæ movent pinnas exertas ſpecie vermiculorum, allapſosque ad eos piſciculos capiunt. Radiolos vocat Ariſtoteles pinnulas illas.

Rajarum ſpecies multæ ſunt, ſub alternis antea dictis generibus contentæ,

Digitized by Google

tentæ, ut Levi Raja, Undulata, Oculata, Stellaris, Clavata, Spinoſa, Aſpera fullonica, Aſperrima. De quibus Ichthyologi.

CAPUT XLI.

De Rana Piſcatrice.

Rana piſcatrix.

RAna marina, à ſolertia piſcandi, atque ad ſe attrahendi piſciculos, nomen meruit piſcatricis. De ea egimus in *Magia par. 4. lib. 4. Syntagm. 3. cap. 4. in Annot.* Vocatur & *Diabolus marinus* à Dalmatis, ob fœdam corporis conſtitutionem; *Lamia* à Siculis, ob oris hiantis amplitudinem. Magnitudine eſt ubique ferè pedali, aut etiam cubitali. Alicubi tricubitalem inveniri, auctor eſt Salvianus. Cute capitis, aculeis exceptis, lubricâ eſt & molli, infernâ parte ſubalbida, supernâ ex nigro flaveſcens. Caput habet toto corpore longè grandius, ut nihil in eo corpore præter caput & caudam conſpicias, aculeatum, aſperum, orbiculatum, atque depreſſum. Os in promptu, ſeu anteriore parte, vaſtum, ac quàm maximè hians. Dentes permulti, magni, acuti, in os recurvi, utrique maxillæ, duobus palati oſſibus, & linguæ radici infixi. Maxillæ retuſæ, ſemicirculares; quarum ſuperior brevior eſt, inferior verò longior & prominens. Lingua maxillâ ſuperiore longior. Membrana quædam gingivarum interiore parte enata, & in os complicata. Oculi ampli, in capitis vertice potiùs quàm in temporibus ſiti, aculeis ſepiuntur.

Vide Iconiſmum LV. & LVI.


Ranæ piſcatricis induſtria capiendi piſces.

In medio naſi pinna oblonga prædura & verſatilis viſitur: à cujus extremo muſculus quidam ceu cirrus inſtar fili ſubtiliſſimi deducitur; per cujus cirri cavum derivat certum humorem in fundum usque cirri; ubi coacervatus, ad vivi vermiculi ſeu lumbrici terreſtris ſimilitudinem tumet. Prædictum filum cum cirro tumeſcente exprimit hamum piſcatoris. Hoc hamo inſtructus piſcis, callidè ſe in ſaxa collocat: apertoque immani rictu, mentitum vermiculum muſculo annexum per pinnam, ceu virgam, per patentem faucium rictum conjicit; quo viſo vermiculo, mox piſciculorum greges hac umbraticâ eſcâ illecti accurrunt, rictumque patentem cavitatem alicujus ſaxi putantes rectà ſubintrant; & dum incautiùs fatalem eſcam vellicant, à piſcatrice rana intra fauces abſorbentur.

Locus dictæ ranæ ſunt herboſæ maris partes, & littus. Cibus præter piſces, etiam caro humana, ſi copia ſuppetat. *Geſnerus* refert, ſe audiviſſe, natantem aliquando virili membro apprehenſum detraxiſſe in profundum. Ova, non animal parit; contra cæterorum cartilagineorum morem. Aliquamdiu extra aquam vivere poteſt. Viſa duos dies in herba littoris vixiſſe, vulpeculæque terrenæ noctu victum quæritantis pedem arripuiſſe dentibus, & ad auroram detinuiſſe.

Ranæ

Rana piſcatrix alia, ſeu Bufo marinus.



Digitized by Google

Digitized by Google

Ranæ piſcatricis carnem ad lucem pellucidam eſſe, diximus in Magia loc. cit.

CAPUT XLII.

De Reverſo Indico Anguilliformi.

REverſus Indicus anguillæ ſimilitudinem gerit, niſi quòd caput habeat grandiuſculum. Capite pelliculam quandam crumenæ ſimilem geſtat. Tres ſpithamas eſt longus, corio nigro, figurâ mirabili, roſtro acuto, labro inferiori magis quàm ſuperiori longo ac lato, & ad ſuperiora contorto; capite compreſſo, ac roſtello ſpinifero octo uncias longo, tres lato, quo piſcibus adhærere ſolet. Vivit in Oceano, & piſcibus veſcitur. Uſus ejus præcipuus in piſcibus capiendis. Modus piſcandi per eum hic eſt. Vinctum eum tenent in navis ſponda funiculo incolæ, ſed tantum intra mare demiſſo, quantum ſufficit ut piſcis intra aquam hæreat; neque enim patitur ullo modo aëris aſpectum. Viſo aliquo piſce, aut teſtudine (quæ ibi ſunt magno ſcuto grandiores) piſcem ſolvunt. Ille ſolutus, ſagittâ velociùs piſces aut teſtudines adoritur; pelleque illâ crumenariâ prædæ injectâ, raptam ita tenaciter apprehendit, ut exolvere ipſum nulla vis ſufficiat, niſi extra aquæ marginem paulò glomerato funiculo extrahatur: viſo enim aëris fulgore, ſtatim prædam deſerit. Ita *Petrus Martyr* lib. 3. Decad. Ocean. Rondeletius ait, eum cicurari, & loquentes homines intelligere. Vocatur hic piſcis *Reverſus*, quia ad piſcandum dimiſſus revertitur, vel potiùs retrahitur. **Reverſus Indicus, ad piſcandum adhibetur.**

CAPUT XLIII.

De Rhombo.

RHombus piſcis nomen accepit à figura Mathematica quadrilatera, quæ Rhombus vocatur, cujus nimirum omnia latera ſunt æqualia, & nullus angulus rectus. Alii tamen, & fortaſſis rectiùs, dictæ figuræ nomen Rhombi impoſitum putant, ob ſimilitudinem cum dicto piſce. Duo ſunt ipſius genera, aculeatum, & læve. Ille pronâ parte multos habet aculeos circa caput, quod grandius & elatum eſt, & ab hoc caudam verſus maximè. Magni in Oceano & Mari Mediterraneo capiuntur. Rondeletius vidit quinque cubitis longum, latum quatuor, ſpiſſum pede. Optimos Adriaticum mare circa Ravennam alit. Voraces ſunt, & piſcium avidiſſimi, maximè cancrorum. Abditi pinnas exertas movent, ſpecie vermiculorum. **Rhombus piſcis.**

CA-

CAPUT XLIV.

De Salmone.

Salmo piſcis.

SAlmo maris & multorum fluminum eſt piſcis, maximè Albis, Viſtulæ, Dunæ, Moldæ, Salæ, Rheni, Moſellæ, & aliorum. In occidentalis quoq; Indiæ fluminibus copioſiſſimi capiuntur. Circa Rhenum, & apud Helvetios, æſtatis tempore ad S. Jacobi Apoſtoli usque Feſtum vocatur Salm/inde reliquo tempore Lachs.

Piſcis eſt variæ magnitudinis; ut plurimùm bicubitalis. Apud Miſſenos tamen, & Deſſaviæ, à 24. libris ad 36. accedit. In Helvetia circa Tigurum graviores capiuntur. Baſilea quinque aut ſex pedibus longos dat. Squamis tegitur exiguis, & maculis ita notatus, ut totus ferè ſubrufis & luteis notis inſignis videatur. Os habet amplum, & valde denticulatum. Ajunt in iis tantùm fluminibus reperiri, quæ in mare ſe exonerant, quoniam è mari ſubit flumina, & ad mare revertitur. Obſervatum, ſi ſupra annum in fluminibus perſeverent, fieri inſipidos; poſt annum ſecundum ceu ſideratos interire.

Ubertrima eorum in Bothnico mari verſus Lappones captura. Circa ſolſtitium æſtivum in extremis littoribus alicubi tanta copia capitur, ut fortiſſima retia pondere rumpantur. Per autumnum & hyemem, & interdum ad veris initium, in fluminibus & minoribus rivis libentiùs pariunt. Scrobem in ſabulo excavant, & in ea fœmina ponit ova piſorum magnitudine: ea mas rore genitali irrigat: ova paulatim augeſcunt, & ſpiritu vitali inflata, ultrò per aquam deferuntur, & Salmulos producunt.

Salmones ſaltant.

Saltant ad ſtuporem, maximè in eo loco, ubi Molda in Albim influit ad Deſſaviam, quod oppidum eſt Principum Anhaltinorum in Saxonia. Ibi dicti Principes ad Moldæ in Albim ingreſſum excitârunt vallum ſive obſtaculum quoddam, ut ita redundans aqua ad molendina derivetur, octo cubitis aliquantò altius: Vallo graves & magnas arbores impoſuerunt, & perticis magnis intus cancellârunt, ne Salmo tranſiliat. Inter perticas alicubi naſſæ ſunt collocatæ. Hunc locum cùm attigit Salmo, qui per Albim aſcendit; ſaltu adverſus aquæ præcipitium ſe proripit in altum: ubi vel in naſſam incidit, & capitur; vel violenter in Moldam ſe trajicit. Hoc ſi primâ vice non ſucceſſit, ſecundâ etiam tertiâque experitur: & ſi ne tum quidem tranſilire aut aſſequi altitudinem valli poteſt, vadum petit, ibique ſub ſaxis latens emaciatur ac tabeſcit. Adeo verò nativus huic piſci ſaltus eſt, ut ſalmunculi etiam, ſi in vaſe aliquo venales cum aliis permixti in aqua fuerint, aquâ eis ademptâ exiliant.

Digitized by Google

CAPUT XLV.

De Sardis & Sardinis ſeu Sardellis.

MIror cur Ichthyologi tantum tricentur de Sardarum & Sardinarum ſeu Sardellarum nomine, natura, magnitudine, loco, & aliis adjunctis. Piſciculi ſunt eâ prorſus formâ, quâ harengi noſtri. Grandiores appellantur Sardæ, minutiores Sardinæ ſeu Sardellæ. In Mari Mediterraneo circa Siciliam, innumerabiles capiuntur, maximè Quadrageſimali tempore. Conveniunt veſperi octo, decem, aut plures naviculæ inſtructæ ramorum faſcibus, & altum petunt mare. Ibi in longum diſponuntur ordinem, ſufficienti intervallo, & rete longiſſimum extendunt: tum faſces accendunt. Piſces ad viſum lumen accurrunt agminatim. Piſcatores paulatim contrahunt in orbem naviculas diſpoſitas, cum reti, & contractum atque concluſum illuceſcente die extrahunt in littus cum incredibili ſemper piſciculorum copia; & viliſſimo pretio aut vendunt ſtatim, aut ſale condiunt, aut harengi condiri ſolent. Cùm recentes ſunt, gratum habent ſaporem, ac ſalubrem præbent cibum; eoque magis, quò recentiores. Hinc per littora videas diſpoſitas craticulas, quibus impoſiti piſces ut primùm ignis odorem ſentiunt, aſſantur. Alii domum delatos aut elixant, aut oleo in ſartagine frigunt, aut aſſant in craticula. Sardæ & Sardinæ.

CAPUT XLVI.

De Serpente marino.

SErpentis ſeu Draconis marini notabilis eſt quibusdam in locis magnitudo. In Africa tanti eſſe dicuntur, ut boves inſectari audeant, & triremes apprehenſas evertant. Circa Norvvegiam ducentorum pedum longi ſunt, ſi Olao Magno credimus; & tantas aliquando ſupra mare ſpinas erigunt, ut naves tranſire poſſint. In ſinu Codano conſpiciuntur flavi coloris quadraginta pedum, & innoxii, niſi irritentur. Apud Inſulas quaſdam ante Perſidem, vicenûm cubitorum terruerunt Claſſem. Omitto alia exempla apud Plinium, Solinum, Arrianum, & alios. Quem Jonſtonus ex Aldrovando depingit, atq; deſcribit, ex Ariſtotele deſumptum, terreſtri ſerpenti ſimilis eſt, capite & corpore Congri, ore duntaxat acutiore. Rondeletius eum trium cubitorum facit, corpore fulvo, quàm anguilla rotundiore, dentibus Murænæ, pinnulis ad branchias duabus. Maris eſt incola. Somni cauſâ in terram egreditur. Captus atque immiſſus in arenam, cavernam ſibi roſtro magnâ celeritate excavat. Serpens marinus.

Ffffff Pugnam

Digitized by Google

Serpentum marinorum pugna cum terreſtribus.

Pugnam ſerpentum marinorum cum terreſtribus deſcribit *Schiltbergerus* quidam Bavarus apud Jonſtonum in Thaumatographia Claſſe 9. his verbis : *In regno Genyck vocato urbs eſt nomine Sampſon. Eam, quo tempore ego apud Vrejaſitam Turcarum regem eram, Colubri aquatiles ac ſerpentes terreſtres innumeri circumquaq; per milliaris ſpatium circumdabant. Veniebant autem hi ex ſylvis, quæ multæ ſunt in vicina regione; illi verò è mari. Hi dum colliguntur per novem dies, nemo præ metu ex urbe egredi audebat, quamvis nec hominem, nec alia animalia lædebant. Decimo die duo hæc ſerpentum genera inchoatum diluculo conflictum ad Solis uſq; occaſum produxêre. Cedebant autem aquatiles terreſtribus, & poſtridie octo occiſorum inventa ſunt millia.*

CAPUT XLVII.

De Simia marina.

Simia marina.

SImiam Maris rubri incolam deſcribit *Ælianus* lib. 12. de Animal. cap. 27. his verbis : *Eſt etiam in Mari rubro Simia, non piſcis quidem hæc, ſed beſtia cartilaginea, velut ſquamarum expers, non magna. Colore eſt terreſtri ſimilis, tum facie ſpeciem ſimilitudinemq; ejuſdem gerit. Non piſceo tegmine reliquum corpus, ſed illiuſmodi circumveſtitur, cujuſmodi teſtudinis involucrum eſt. Eadem ſimiliter atque terreſtris leviter ſima eſt. Ejus reliquum corpus inſtar torpedinis latum eſt, ut dicas avem eſſe alas explicantem. Cùm natat, volare videtur. In hoc verò à terreſtri differt, quòd variè diſtinctus eſt: & rufa eſt cervix, ut branchiæ* quoque. *Os verò non in ſumma facie oblongum ei prominet, ſed hac etiam parte modicè ſima, terreſtrem repræſentat ſibi cognatam.* Hæc Ælianus. Geſnero miſſus aliquando fuit piſcis ex Dania, coloris corpore toto viridis, dorſo magis fuſci, ad latera pallidi, ore ſimo, pinnis extentis. Teſtudinum involucrum ſi acceſſiſſet, Æliani ſimiæ haud abſimilis fuiſſet.

CAPUT XLVIII.

De Sturione ſeu Accipenſere.

Sturio, ſeu Accipenſer.

STurio ſeu Accipenſer ex Jovii apud Jonſtonum deſcriptione, eſt corpore tereti & oblongo; capite quadrato & ad effigiem parvæ pyramidis protenſo; ore ſine maxillis, ſine dentibus, diverſâ penitus à reliquorum piſcium formâ, eoque ſub mento in ipſa prope jugulum parte, ac ſimilitudinem fiſtulæ arundineæ rotundo ſemperque patente; cujus hiatum in procerioribus haſta brachii haud facilè impleret. Cæterum totum caput durâ potiùs, & calloſâ cartilagine, quàm certis oſſibus conſtat.

Nari-

Naribus, quæ illi ſupra roſtrum prætenues ſunt, refrigeratur. Branchiæ utrimque quaternæ ſunt oſſeo operimento contectæ. Oculos habet parvos. Ex roſtro gemina barba dependet. Toto dorſo craſſiores quædam ſquamæ oſſeâ duritie certo numero ordineque diſtinctæ, intercurrente ſpinæ acie, ad elegantiam eminent: cæteræ corporis partes cuticulari & ſcabro admodum operimento potiùs, quàm ſquamis perpetuis integuntur, idque ad ſubviridis atrique coloris ſpeciem. Venter cute lævi & argenteâ tegitur. Linguam habet craſſam, & duram; gulam undequaque rugoſam. Cauda in duas pinnas degenerat.

Magnis piſcibus annumerari debet, cùm crebrò & pleriſque in locis centum librarum, & alibi longè major capiatur. Aldrovandus Ferrariæ emit unum centum & quadraginta librarum. In Ponto, & circa Mæotidem paludem frequens eſt Sturio. Inde ova in molam coacta, ſalita, & cadis concluſa, per Turciam & Italiam diſtrahuntur. In Albi fluvio capti, ducentas interdum libras, ſingulas ſedecim unciarum, pendunt. Captus tempore Joannis Friderici Electoris ſexaginta ſupra ducenta librarum pondere; quem totidem florenis Princeps redemit. In Tanai, Danubio, Rheno, Tibiſco, Viſtula, Garumna frequenter capitur. Sturiones ingentes alicubi.

Cibus Sturioni non piſces, ſed ſordes & mucus. Dum eſcam quærit, terram fodere inſtar ſuis dicitur. Cùm branchiis latis careat, naribus refrigeratur; & ſi quam hauriendo accepit aquam, prono ore eam ſtatim regerit. In aqua validiſſimus eſt, & in terra cùm ventri innititur. Caudâ concuſsâ hominem utcunque robuſtum proſternit. Perticas etiam magnas & ligna per medium frangit. In terram extractus, aliquando caudâ lapides ferit tantâ vi, ut ignis exiliat, attritu nimirum oſſiculorum, quibus toto corpore mucronatus horret. Quare cautè à piſcatoribus tractatur, ne vel crura eorum frangat, vel retia diſrumpat.

CAPUT XLIX.

De Torpedine.

Torpedo, qui Alberto Stupefactor dicitur, ex piſcibus cartilagineis planis eſt. Torpedo piſcis. Aliæ ſunt maculoſæ, aliæ non maculoſæ. Omnium corpus, ſi caudam excipias, orbiculare eſt. Senas libras vix excedunt. Molli & lubricâ cute teguntur. Venter eſt ſubalbidus, dorſum ſubflavum, os in ſupina parte parvum ſine lingua, oculi exigui, branchiæ in medio corpore utrimque quinæ, pinnæ juxta caudam duæ. Habitant in mari, locis cœnoſis. Reperiuntur & in Nilo. Piſcibus veſcuntur; quos aſtu capiunt. Merſæ enim in limo ſe occultant, & piſces ſupernatantes torpore

 afficiunt,

Digitized by Google

afficiunt, ac capiunt. Iidem procul & è longinquo, ſi vel haſtâ virgavè attingantur, quamvis prævalidos hominis lacertos reddunt torpidos, & pedes ad currendum ineptos. Illi qui rete, in quo torpedo eſt, attingunt, torporem patiuntur. Si inter mortuos piſces viva Torpedo ſe movet; qui tacti fuerint, interno quodam motu cientur, ut videantur vivere, teſte *P.Godigno* de Rebus Abyſſinorum. Vide quæ diximus in *Magia 4. par. lib.4. Syntagm.3.* ex Kirchero.

CAPUT L.

De Thunno.

Thunnus. THunnus multa apud auctores, pro diverſitate ætatum, ſortitur nomina. Siculi, apud quos frequentiſſimi capiuntur, ac ſale condiuntur, unico omnes nomine Thunni afficiunt. Iidem vocant porcos marinos, ob molem & pinguedinem corporis. Grandiores plauſtrum implent. Ex Oceano Atlantico, verno tempore, irrumpunt per fretum Gaditanum, innumerabili multitudine; ac per Mediterraneum Mare in Pontum Euxinum excurrunt, ad ſobolem ibi, utpote mari dulcibus aquis miſto, ob fluvios copioſos quos recipit, propagandam. Hinc plurimi tunc in Mari Hiſpanico ac Tyrrheno capiuntur. Littora ferè legunt Hiſpaniæ, Galliæ, & Italiæ. Cùm pervenerunt ad Fretum Siculum, non perrumpunt (impervium fortaſſis exiſtimant) ſed flectunt ad dexteram, ac totum Siciliæ latus Septentrionale, à Meſſana ferè, verſus Panormum, Drepanum, Marſalamque legunt; ac deinde per altum Mare ad Euxinum pergunt. Ad dictum Siciliæ latus in locis diverſis, per naſſas mirâ arte conſtructas, tantâ copiâ capiuntur, ut mirum videri queat aliquos ſupereſſe. In reditu ex Ponto Euxino, cum ſobole jam aliquot menſium, alterum Siciliæ latus legunt; iterumque magno numero in naſſas incidunt, præſertim Thunnorum catuli.

Tepore gaudent, ideo inter natandum per ſumma maris commeant. Cibus eorum ſunt piſces, & aliquando eſt alga. Circa Hiſpaniam glandes, ex quercubus ad mare naſcentibus delapſæ, quibus vehementer pingueſcunt. Tempore fœturæ liguriunt quidquid inveniunt, nec à proprio partu aliquando abſtinent: unde præ pinguedine ſubinde rumpi, Auctor eſt Ariſtoteles. Plura de Thunnis alibi fortaſſis: ubi & de captura eorundem.

CA-

CAPUT LI.

De Vranoſcopo.

VRanoſcopus, hoc eſt, cœli ſpeculator, piſcis eſt levi cute, & durâ; corpore ferè rotundo; capite magno, & oſſeo, duobusque aculeis ad caudam ſpectantibus aſpero, (quo Ranam piſcatricem quodammodò refert) vertice admodum lato. Roſtro caret. Os ſupra caput, & inter medios oculos eſt ſitum, magnum, & valde patulum. Dentes habet exiguos; linguam brevem, ſed latam; branchias utrimque quaternas; & juxta earum ſciſſuras, pinnas duas magnas & robuſtas. Non multùm excreſcit, & rarò pedalem longitudinem excedit. Littoralis eſt. Carne veſcitur; & piſciculis apophyſi extra os propendente inſidias ſtruit: hi enim adnatant tanquam ad vermem, & capiuntur. Si cibum capto objeceris, eò usque ſe infarcit, ut cibus ad ipſum os redundet. Adeo vivax eſt, ut ſi omnibus internis ſpolias, moveatur adhuc. Nonnulli felle hujus piſcis (qui & Callionymus appellatur) oculos Tobiæ curatos fuiſſe volunt. Sed hoc aliàs examinabimus; nunc non credimus. *Vranoſcopus piſcis.*

CAPUT LII.

De Vulpecula marina.

ITa appellatur vel à caudæ longitudine, vel ab ingenio & aſtu. Piſcis eſt aliquando ad centenas libras excreſcens, cute tectus. Caudam habet falcatam, & quaſi enſiformem, quæ magnitudine reliquum corpus ſuperat. Locis cœnoſis, & à littore magis remotis in mari gaudet. Piſces etiam grandiores devorat. Sobolem metu periculi intrò recipere, eo præterlapſo emittere, Rondeletius teſtis eſt oculatus. Hamo devorato glutit ampliùs ad infima lineæ, quæ facilè prærodit. *Vulpecula marina.*

CAPUT LIII.

De Xiphia ſeu Gladio.

PIſcis qui roſtro gladium præfert, græcè Xiphias, latinè Gladius dicitur. Albertus Militiem appellat, alii aliter. Magnitudine interdum eſt inſigni. Ad decem cubitos ſubinde accedere, docet Rondeletius; Delphini magnitudinem excedere, Plinius; naviculas æquare, Strabo. *Xiphia ſeu Gladius.*

Digitized by Google

Delphinis æquales, & Thunnis, vidi in Sicilia; ubi capiuntur jucundâ venatione, & in pretio habentur. Corpus habet teres, à capite ſtatim valde craſſum, deinde ad caudam usque tenuius. Corium caudam verſus læve eſt, os verſus aſperum. Squamæ ſub cute latent plurimæ. Adeps in dorſo reſidet, ut in ſuibus. Utraque maxilla roſtrata eſt, ſuperior magis oſſea, durior, aliquando bicubitalis; inferior brevior, & triangularis. Plerumque illa ad totam magnitudinem ſe habet ut tria ad decem, iſta ut unum ad decem. Gladius eſt ferro acutior; ſed extincto piſce corrumpitur. Gellius ejus mucrone dura excavavit ſaxa. Dentes nullos habet, ſed eorum loco oſſa oblonga & aſpera in palato reſident. Oculi orbiculati prominentes; & ante eos foramina. Branchiæ octonæ, & duplices. Tergus ex cinereo nigricans, & ſerici inſtar ſplendens. Pellis tenuiſſima. Horum omnium teſtis ſum oculatus.

Degunt in Mari, & rarò adeunt littora. Copiosè capiuntur juxta Scyllæum promontorium apud Siculos, & juxta Zephyrium Italiæ extremum, quod nunc Spartiventum à Siculis appellatur. Alibi tamen etiam reperiuntur. Victitant piſcibus, quos roſtri incurſu interficiunt; nec priùs comedunt quàm ſpiculo transfixerint. In mari Indico unus hujusmodi piſcis, ſed grandior, ingentem Luſitanorum navem aliquando transfixit. Capiuntur eodem modo, quo ſuprà ex Alberto capi diximus Cetos, transfixi nimirum ſpiculo tridente ad funem alligato. Sed de hoc alibi fortaſſis.

CAPUT LIV.

De Ziga.

Ziga piſcis.

Ziga Albis fluvii, Germanis Goldfiſch dictus, id eſt, aureus piſcis, ab aureo circa caput colore, tenuis eſt & ſiccus, paucæque carnis; colore tamen pulchro, & argenteo, niſi quòd dorſum ſubfuſcum ſit. Caput harengi capiti haud abſimile, niſi quòd parte ſuperiore ſciſſuram habet. Ex Oceano in Albim ſubit, pulſus à ſturione. Maximi qui capiuntur, ſunt duarum librarum cum dimidia, ad tres cum dimidia. Non eſt boni ſaporis, ſive aſſus, ſive elixus, ſed ferini, & quaſi hircini; unde fortaſſis & nomen accepiſſe Kentmannus exiſtimat, quoniam hircum Germani alicubi Ziga vocant.

CAPUT

CAPUT LV.

De Zygæna.

ZYgæna piſcis ferè monſtroſus eſt, & à multis adnumeratur Cetis. Corio tegitur. Os habet nec rotundum, nec roſtratum, nec in latera compreſſum, ſed in ea extenſum atque transverſum. Pars frontis anterior in ſemicirculum ferè protuberat, & magnis oculis deorſim vergentibus clauditur. Os ſubtus, inferiore parte, permagnum, dentibus validis, in latus ſerræ modo vergentibus, triplici vel quadruplici ordine digeſtis armatum, latet. Lingua lata, humanæ non abſimilis. Verſatur in profundo. Piſces obvios, & homines natantes frontis ſuæ acie ſubvertit. Leoni, ob vires, ab Oppiano opponitur. *Zygæna piſcis.*

EPILOGUS.

HIc claudere libet Zoologiam, tametſi innumera adhuc ſuperſint ad eam pertinentia, ut ſunt Serpentes & Dracones, Exanguia varii generis, vermes, & innumerabilia Inſecta, Animalia ſubterranea, monſtra varia in omni Animalium genere, Innumera & Curioſa Problemata Zoologica, aliaque ſimilia multa. Sed Libri præſentis, ac temporis præſertim anguſtia, longiùs excurrere calamum vetat. Vela igitur contrahimus, & ad aliud iter nos accingimus, priore ſi minùs longum, non tamen minùs varium, & anfractuoſum.

Sit igitur.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
Ad
LIBRUM VII. VIII. IX. X.
DE VARIIS ANIMALIBUS.

MUlta de animalibus tum in genere, tum in ſpecie de Terreſtribus, Volatilibus, & Aquatilibus diſſeruimus in quatuor præcedentibus libris; & nihil de Serpentibus, Draconibus, aliisque Reptilibus; nihil de Inſectis, & aliis Exanguibus. Ne igitur omnino prætermiſſa videantur, pauca & ſolùm illuſtria quædam ac rariora de iis afferemus. Intermiſcebimus tamen, aut ſubjungemus & alia quædam, maximè de ſubterraneis animalibus.

CAPUT I.

De Serpentibus & Draconibus alatis.

SErpentum, ac Draconum (qui è Serpentum ſpeciebus ſunt vel majores, vel truculentiores) duo ſunt genera: Alati alii, alii non alati. De prioribus primo agemus loco, deinde de reliquis.

§. I. Dari ſerpentes ac dracones alatos, teſtimoniis & exemplis variis probatur.

Serpentes & Dracones alati dantur.

COntroverſum hactenus fuit, num ſerpentes nonnullos ac dracones alis Natura dotaverit, & fabulis adſcriptum quidquid ea de re ab aliquibus antehac ſcriptum. At exempla plurima ac luculentiſſima nunc litem diremêre, & antiquorum teſtimoniis pondus addidêre, ut ex ſequentibus toto hoc capite patebit. Addo, non alatos tantùm, ſed pedibus quoque aut duobus, aut quatuor nonnullos eſſe inſtructos.

Cardanus lib. 7. de Variet. rerum cap. 29. ait, ſe, dum lutetiæ eſſet, vidiſſe quinque ſerpentes alatos apud Guilielmum Muſicum, formâ eâdem penitus omnes, at diverſis temporibus à diverſis allatos; quod ſignum erat

non

Digitized by Google

non fuiſſe commentitios: neq; enim diverſi homines eadem ad unguem, & maximè diverſis temporibus fingere poſſunt. Erant autem (proſequitur Cardanus) *bipedes, alis exiguis, ut vix volare poſſe crediderim. Caput parvum, & ſerpentum capiti ſimile; color lucidus; pluma nulla, nec pili. Magnitudo ejus qui præcellebat alios, cuniculi. Præſtitiſſet, ſi conficti fuiſſent, alas tam grandes addere, ut poſſe volare exiſtimarentur. Delatos ex India conſtat. Dracones vulgus vocat.*

Scaliger Exercitat. 183. in Cardanum: *Mons,* inquit, *qui Narſinga regnum dividit à Malabaris, multas alit feras: inter quas alatos angues arboribus inſidentes. Quos ajunt ſolo afflatu, vel etiam obtutu eos, qui propiùs accedant, interficere.*

P. Joannes Euſebius Nierembergius lib. 12. Hiſtor. Natur. cap. 36. ſcribit, *Alati Serpentes in Florida reperti, alis eatenus inſtructi, ut poſſe tolli è terra & volare demiſſè viderentur. Americus Veſpucius quoque invenit Indos piſcatores, qui ſerpentem alatum craticulæ ligneæ impoſitum aſſabant. In tuguriis complures ejusmodi ſerpentes vivos habebant, quorum pedes vinculis alligati, fauceſque funibus conſtricta erant, ne quid hominibus noxæ inferrent.* Eadem aut ſimilia ſcribit apud Matthæum Merian in Hiſtoria Antipod. par. 2. fol. 211. *Joannes Ludovicus Gotto.*

Idem *Nierembergius* libro eodem cap. 37. ait: *Lubet in alium Orbem redire, & intermiſcere quæ Philippus Pigafetta deſcribit in deſcriptione Congi. Reperitur ibi animal bipes, ovis magnitudine, formâ verò draconis: alatum enim eſt, & caudam habet longam: caput quoq; oblongum, ore pluribus dentium acutiſſimorum ordinibus referto. Carnibus crudis victitat. Cutis glabra, quaſi ſubviridibus ſquamis depicta. Gentiles id venerantur pro Deo, & in hodiernum diem magnâ curâ & admiratione educantur à Primatibus, qui propter uberem ex oblatis proventum aliquando id populo adorandum proponunt.*

Joannes Jacobus Brenningus in Itin. Orient. cap. 26. *Vidimus,* inquit, *inter alia, quendam ſupra modum prægrandem ampliſſimumq; ſerpentem bipedem, geminis inſtructum alis, quales veſpertilionis eſſe ſolent.*

Hieronymus Benzo in novi Orbis Hiſtoriis, & navigatione Gallorum in Floridam, cap. 4. *Obſervavi,* ait, *quendam ex noſtratibus, non procul à ſylva, ſerpentem alatum occidiſſe. Alæ ipſa ita efformatæ, ut remigio earum terrâ ſe elevare ac volare quidem, ſed tamen humili volatu uti potuerit.*

Ambroſius Paræus lib. 1. Operum Chirurg. refert, in India centipedales eſſe Dracones, adeoque ſublimè volare, ut mediis è nubibus in prædam petant aves.

Franzius par. 4. Hiſtor. Animal. cap. 5. ait, *verorum Draconum duæ ſunt ſpecies: quidam quibusdam membraneis pinnis ſunt alati, quibus ſunt alæ non ex pennis, ſed membranis, in dorſo, inſtar pinnarum &c.*

Thomas Bartholinus Tract. de Unicornu cap. 7. vivis, quod ajunt, coloribus, & icone debitâ, ex Tobiæ Aldini Muſeo volatilem expreſſit draconem; cujus ſceleton Ludovicus XIII. Galliarum Rex Cardinali Franciſco Baberino annis ſuperioribus donaverat.

Pleraque hactenus allata teſtimonia & exempla affert etiam *Georgius Caſparus Kirchmaierus* in Diſput. de Draconum varietate, ubi & dracones volantes ſeu alatos admittit ac tuetur.

§. II. Alia de Draconibus alatis teſtimonia, & exempla.

Draconum alatorum varia exempla alia.

Ulyſſes Aldrovandus lib. 2. Hiſtor. Serpent. & Dracon. cap. 6. §. *Differentia*, ait, certò certius eſſe hac ætate, eſſe in Æthiopia Dracones alatos. Imò ſibi relatum fuiſſe à viris fide dignis, in loco Agri Piſtorienſis *Coſtone* nuncupato, magnum viſum fuiſſe Draconem, *cujus ala multis intertexta nervis ad cubitum longa, & lata erant. Beſtia duobus nitebatur pedibus brevibus, munitis unguibus quaſi aquilinis. Totum animal ſquamis tegebatur, rictu magnis dentibus armato, & auribus inſtar urſi piloſis.* Ex quibus patere ait Auctor, draconem hunc ſimilem fuiſſe Æthiopicis, de quibus poſtea.

Geſnerus tradit, anno Domini quadrageſimo tertio, ſupra milleſimum & quingenteſimum, ſe intellexiſſe, genus quoddam Draconis in finibus Germaniæ prope Stiriam apparuiſſe, *quod pedes modo lacertarum, & alas ritu veſpertilionum habebat, morſu immedicabili.*

Paulò antè citatus *Aldrovandus* refert ex Brodeo, fuiſſe aliquando ad Regem Galliarum delatum draconem alatum, ab agricola apud Sanctonas ligone occiſum: & hunc multos viros ſpectatæ fidei vidiſſe. Suſpicatur, fuiſſe ex regionibus transmarinis in Galliam vento translatum, quoniam Gallia eo ſerpentum genere caret.

Bellonius in ſuis Obſervationibus ait, integra draconum alatorum cadavera, diligentiſſimè condita, ſe vidiſſe; & de eorum genere eſſe tradit, qui ex Arabia in Ægyptum advolant. Erant autem, ut ipſe refert, circa alvum craſſi duobus pedibus, & alis totidem more veſpertilionum inſtructi, cum anguina cauda.

Hanc relationem ait *Bartholomæus Ambroſius*, qui Aldrovandi opera poſthuma in lucem edidit, non videri à veritate aliena eſſe; *Siquidem olim à Gabriele Barbaro communicata fuit icon draconis Æthiopici ad vivum depicti Doctiſſimo viro Ulyſſi Aldrovando, quæ optimè iconi Bellonii in Obſervationibus Orientalibus exhibitæ reſpondebat. Item anno Salutis noſtræ quinquageſimo primo ſupra ſeſqui milleſimum, à Franciſco Centenſi verus draco Æthiopicus exſiccatus Clariſſimo Ulyſſi Aldrovando dono fuit datus, qui prorſus draconem Bellonii repræſentabat, præterquàm quòd in dorſo quinque tubercula prominentia & con-*

conſpicua habebat, quæ in dracone Bellonii deſiderantur. Binis pedibus ungue armatis, & totidem puriculis erat refertus. Totus ſquamis viridibus, & ſubnigricantibus ornabatur. Inſuper alas ad volandum idoneas geſtabat; cauda longa & flexuoſa, ſubluteis ſquamis tecta, quæ in ventre & gula refulgebant. Os dentibus acutis muniebatur. Pars inferior capitis verſus auriculas erat plana. Oculi pupilla nigra erat, cum circulo ſemiluteo. Demum nares binæ & apertæ conſpiciebantur.

Megaſthenes, teſte Æliano lib. 16. de Animal. cap. 41. dicit, in India *ſerpentes gigni volucres, non die, ſed noctu infeſtas; quæ urinam quoq; reddunt, cujus contactu animalium partes putreſcant.*

D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſi cap. 9. ſi Aldrovando credimus, ſcribit, dracones ab antris in aërem elevari. Et lib. 3. de Civit. cap. ult. ait, ſerpentes aliquos volare.

Ariſtoteles in Hiſtor. Animal. apud Aldrovandum ait, angues membranis fulcitos per Æthiopiam volare.

Strabo lib. 15. ſcribit, *quibusdam in locis ſerpentes eſſe binorum cubitorum, membranaceis alis ut veſpertiliones. Eos per noctem volare, & lotii ſtillas demittere, quæ incautos tabe offendunt.*

Ex his, aliiſque quæ ſequuntur, minimè fabuloſa eſſe conſtat, quæ antiquiores Scriptores de alatis ſerpentibus atque draconibus tradunt.

CAPUT II.

Draco alatus in campis Romanis occiſus.

ANno M. DC. LX. *menſe Novembri* (inquit P. Kircherus in Mundo Subterr. lib. 8. ſect. 4. cap. 2.) *lanio quidam Romanus, dum aucupii causâ in paluſtres maritimæ oræ partes ſe ſe conferret, ecce loco avium paluſtrium, draconem grandioris vulturis magnitudine obvium habuit: qui volucrem arbitratus, ſclopum contra ipſum exoneravit; quo alâ læsâ, ita belluam exacerbavit, ut ſtatim præcipiti quà curſu, quà volatu, de hoſte ſe vindicaturus, venatorem invaſerit. Is denuò exploſo ſclopo guttur ita diſrupit, ut ſtatim occubuerit. Sed ſive virulento ſanguinis fluxu, ſive halitu infectus, domum reverſus eâdem nocte mortuus eſt, toto corpore diffuſione veneni viridis. Quæ res inſolita uti toti urbi accidit, ita quoque relatione morientis curioſior quiſpiam inſtructus, locum certaminis adiit, draconemque jam putrefactum invenit. Ut tamen redux rei geſtæ veritatem conteſtaretur, ſecum caput Draconis attulit: quod dum hæc ſcribo, mihi allatum fuit à peritiſſimo Domino Hieronymo Lancia, Muſei Cardinalis Barbarini Præfecto; quod & à me diligenter examinatum, veri draconis caput eſſe, repertum fuit, duplici dentium ſerpentino rictui inſertorum ordine. Bipes erat, contrario tamen ſitu monſtruoſus, cartilagineis anſerum inſtar*

Draco alatus in campis Romanis occiſus.

ſtat pedibus inſtructus, & omnibus in meo Muſeo ſpectandus exhibetur in icone; quam tamen Operi ſuo non inſeruit, uti citato loco promittit.

Meminit ejusdem hujus Hiſtoriæ *Kirchmaierus* in Diſput. de Dracone: & in Præfatiuncula quidem ait, eam Româ fuiſſe perſcriptam die XVI. Octobr. citati anni 1660. at in parte 2. Diſput. §. 3. ait eandem V. Calendas Novembris perſcriptam. Addit, venatorem octiduo pôſt fuiſſe mortuum; Draconem verò magnum canem mole adæquaſſe.

CAPUT III.

Draco alatus Rhodienſis, à Deodato de Gozon occiſus.

Draco alatus Rhodienſis.

Sequentem hiſtoriam ſcribit inter alios *Boſius* lib. 2. Hiſtor. Religionis Hieroſol. S. Joannis, in hunc ſenſum.

Anno 1345. Clemente VI. Pontifice, Magno ordinis Hieroſolymitani S. Joannis Magiſtro Elione de Villanova exiſtente, res omnibus ſæculis admiranda & prorſus memorabilis contigit. Erat in Rhodo Inſula, non procul ab Eccleſia Stephani, rupes ingens, vaſtiſſimo antro ſubterraneo, ex quo rivus dimanabat, inſtructus. In hoc antro excubabat monſtrũ horrendum, ingens, & formidabile viſu, quod non univerſum duntaxat orientalis Inſulæ partem magnâ hominum jumentorumque ruinâ, inauditâ infeſtabat ſævitiâ, ſed & virulento ſuo halitu aërem ita corrumpebat, ut nemo ſine manifeſto vitæ periculo hanc oram adire poſſet; adeoq; à Magno Ordinis Magiſtro publico edicto cautum fuerat, ne quiſpiam, cujuscunque conditionis aut ordinis is tandem eſſet, locum adiret. Equitibus etiam ſub pœna vitæ, & privationis Habitus interdictum idem fuit, adeoq; non immeritò loco nomen manſit, *Mal paſſo*. Erat tum temporis Rhodi Eques nobiliſſimus juvenis, magnâ animi corporisque fortitudine præditus, cui nomen Frat. Deodatus de Gozon, ex Gaſconia oriundus. Hic indignum ratus, nullum eſſe ex tot generoſis Militibus Equitibusque, qui ad tanta damna reparanda monſtro ſe ſe opponere auderet; non minùs curioſitate, quàm ad nominis ſibi immortalitatem comparandam amore percitus, meliorem occaſionem nunquam ſe obtinere poſſe exiſtimavit, quàm ſi certamine novo & inaudito cum horrenda hac bellua & truculento monſtro inito, eoq; interempto, Inſulam tot ac tantis malis oppreſſam, à tantâ peſte liberaret: atque adeo moliminis hujus firmam tenuit ſententia mentem, ut acquieſcere diu noctuq; non poſſe videretur, donec propoſitam ſibi expeditionem in opus deduxiſſet. Qui verò Magni Magiſtri rigidum & capitale edictum verebatur, totus in eo occupabatur, quâ viâ & ratione intentum ſuum, nemine mentis ſuæ arcano conſcio, obtinere poſſet.

Hac

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Hac itaque ratione negotium ordiri cœpit. Primò formam monſtri, totius corporis conſtitutionem, colorum quêis imbuebatur diverſitatem, clandeſtino loci acceſſu obſervavit. Draconis forma hæc erat. Corpus magni equi aut bovis craſſitiem habebat; collum longum, & aſperum, in ſerpentis caput deſinebat; auribus conſtabat ad ſimilitudinem muli ſat prælongis; os horrendo rictu, acutiſſimisque dentibus inſtruebatur; oculos prægrandes habebat, præfulgidos, & veluti ignem ſpirantes; quaternis pedibus, acutiſſimis in morem urſi unguibus inſtructis, incedebat; quoad caudam & reliqua membra crocodilo prorſus ſimilis; totum corpus duriſſimâ ſquamarum intricatim diſpoſitarum incruſtaturâ armatum muniebatur; duabus alis cartilagineis, ex inferiori ſanguineo flavo miſto imbutis: quo colore & totum reliquum corpus mixtim tingebatur. Adeo celeri & concitato motu ferebatur, ut nullus equus eſſet tantæ velocitatis, qui ejus velocitatem, curſu quantumvis celerrimo effugere poſſet: ita ut partim volare, partim pedibus incedere videretur. Quod quando in pabuli inquiſitione fiebat, tum teſtacearum ſtrepitu ſquamarum, tum horrendo ſibilo, qui longè latèque percipiebatur, etiam quàm diſſitiſſimos metu & formidine penè exanimabat. Habes hîc formam & actiones draconis eo modo, quo recenſui, à Fr. Deodato Gozonio Equite quàm exactiſſimè obſervatas. Inſpice appoſitum Iconiſmum.

Vide Iconismum LVIII.

Eques itaque ſine mora, petitâ à Magno Magiſtro licentiâ, ſub domeſticarum rerum expediendarum prætextu, in patriam abiit. Ubi ſine prorogatione draconem ex charta & ſtupa Rhodienſi, ſive colorum varietatem, ſive membrorum totius corporis ductus ſpectes, magnitudine fecit prorſus ſimilem & æqualem. Deinde in hunc finem equum quàm potuit generoſiſſimũ, belliſque aptum coëmit: cui duos validiſſimos canes, quos Anglicos vocant, adjunxit. His jam præparatis, draconem ſtupeum per famulos in hujus officii partem deſtinatos intrare, eumque aptè nunc huc nunc illuc inceſſu agitare juſſit; quorum ope per funiculos jam horridus oris rictus aperiebatur, modò cauda in diverſas partes torquebatur, nunc alarum comploſione mirum de ſe vivi draconis inſtar ſpectaculum præbebat. Deodatus verò contra draconem ſimulato, mentitoque aſſultu nunc equum, nunc canes urgebat. Atque hoc exercitio cùm ſe ſe ad bimeſtre ſpatium exercuiſſet; equus & canes ad omnem induſtriam inſtructi tanto pugnandi deſiderio & pruritu tenebantur, ut viſo dracone fictitio vix ampliùs frænis ac loris inhiberi poſſe viderentur. Unde de felici δρακοντομαχίας ſucceſſu jam ſecurus, finem larvatæ pugnæ impoſuit, & ſine ulla mora iter Rhodum verſus, unà cum equo, canibus, ac famulis orſus eſt. Vixdum Rhodum appulerat, dum ecce conceptum jam dudum molimen abſq; mora in executionem ducendum ratus, con-

ſtituto die melioris notæ loricâ indutus, & firmâ inſtructus lanceâ, gladioque accinctus pugnæ peridoneo, in Eccleſia S.Stephani, à cubili draconis haud adeo remotâ, prius DEO, Sancto Stephano, & Divo Joanni Baptiſtæ, tanti momenti negotio commendato, verſus læthæum proceſſit antrum. Famulos verò hiſce monitis prius inſtruendos duxit, ut ii nimirum in altam rupem conſcendentes, luctæ ſpectatores futuri ſe reciperent: quòd ſi occiſo dracone ſe vivum adhuc reperirent, aut toxici infectione deficientem viderent; ad ſubveniendum congruis jam antè paratis remediis ſibi ſuccurrerent: ſi verò vivo dracone ſe interemptum viderent, fugâ vitæ ſuæ conſulerent. His præmonitis, is ingenti animi conſtantiâ & fortitudine antrum, draconis cubile ingreſſus, dum nihil ſe ſe movere ſentiret, clamore ſtrepituq; ad excitandam belluam facto, ex horrido illo ſibilo, ſquamarumq; ſtrepitu, ex interiori antri receſſu monſtrum ferale adventare animadvertit. Mox igitur in planitiem, locum pugnæ aptum progreſſus, monſtrum exſpectavit. Quod tandem viſo equo, opimæ prædæ ſpe illectum, concitatiſſimo & curſu & volatu in eum magno impetu irruere cœpit. Antagoniſtâ verò equo, & canibus, uti jam diu multumque ad draconem expugnandum inſtructis, aſſuefactisque, ita quoq; horridum monſtri φάσμα nil metuentibus, draconem, quâ parte dabatur, invadunt. Eques interim impetu facto, vibratam lanceam prædura draconis incruſtaturæ adeo validè impegit, ut vel ad primum ictum lanceâ confractâ, præcipuo armorum ſubſidio privaretur. Et quoniam canes arreptis genitalibus mirum in modum belluam torquebant, & hæc ſe contra canes defendebat; Eques nonnihil temporis ad certamen reparandum nactus, gladioq; & ſcuto munitus, pedeſtri certamine comodiùs belluam adoriendam ratus, ex equo deſcendit. Quod ubi monſtrum advertit, mox poſterioribus pedibus inſiſtens, anterioribus verò erectum, ſiniſtrâ Equitē, dextrâ ſcutum horrendis, queîs inſtruebatur, unguibus comprimere tentabat. Eques interim molliori colli parte compertâ, gladium ei adeo validè adegit, ut inde ingentem ſanguinis copiam educeret. Et quoniam ex dolore, quo premebatur, bellua, in rabiem acta erat; quantò propiùs ſe competitori admovebat, tantò hic gladium altiùs intra viſcera impegit, donec gladium inſtar ſerræ crebrâ hinc inde dilaniatione integrum collum aperiret. Quo facto, monſtrum ingenti ſanguinis profluvio debilitatum concidens, mole ſuâ Equitem, tum horrendi certaminis laboribus exhauſtum, tum ingenti, quam ex aperto corpore exhalabat, mephiti intoxicatum, viribusq; jam fatiſcentem, unà ita oppreſſit, ut penè exanimis videretur. Quo viſo, famuli monitorum datorum memores, illicò derelictâ rupe laboranti hero opem laturi advolârunt, jamq; penè exanimem dominum oppreſſumq;, remotâ belluâ eruunt. Et quia nonnulla adhuc vitæ ſigna in eo notabant,
conti-

Digitized by Google

continuò è vicino rivo in pileis allatas aquas frigidas toti ſuperaffuderunt heri corpori: qui cardiacis deinde fomentis reſtauratus, cùm jam viribus ſenſim reſtitutis in ſe rediiſſet, equum conſcendit, atque in urbem glorioſâ peractâ victoriâ reverſus, Magno Magiſtro rem geſtam ordine narravit: & ubi ingentem ex facinore adeo publico bono fructuoſo gloriam & remunerationem ſperabat, ibi contrariam fortunæ aleam incurrit: ſiquidem Magnus Magiſter convocato conſilio, publicâ reprehenſione, tum de temeraria & præſumptuoſa audacia, tum de rigidi edicti violatione increpitum, Habituque Equitum in exemplum aliorum privatum, diro carceri mancipavit.

Interim publicatâ per Inſulam interemptione draconis, magnus ubique de generoſa Equitis reſolutione plauſus, & de liberata Inſula à tanta, quam illi horridum & inſuperabile monſtrum inferebat, calamitate congratulatio exorta, laus Equitis univerſam reſonabat Inſulam. Queis motus Magnus Magiſter, conſideratisq; Equitis immenſis meritis, non tantùm exempto è carcere Habitum reſtituit, ſed ad primos ordinis dignitatis gradus promovit. Qui in eum dignitatis ſtatum exaltatus, eâ prudentiâ, atq; in arduis negotiis dextrè expediendis judicii, animique fortitudinis ſpecimina edidit, ut poſt quadriennium Magno Magiſtro Elione de Villa nova fatis cedente, is omnium ſuffragiis & calculis in Magno Magiſterio ſucceſſor eligeretur: cujus etiamnum in laudem hæ inſcriptiones circumferuntur, teſte Hieronymo de Megiſſero: *Deodatus de Gozone Tue ſerpent* (Draconis extinctor) *Magiſter de Provincia III. dracone extincto antequam magiſtraret.* Altera ipſius effigiei ſubſcripta, ſic habet: *F. Deodatus de Gozone. Hic anguem immenſæ molis, orbibus terribilem, miſeros Rhodi incolas devorantem, ſtrenuè peremit; deinceps Magiſter creatus eſt Anno Domini 1349.*) En totam rei geſtæ hiſtoriam typis expreſſam. *Vide Iconiſmum LIX.*

CAPUT IV.

Dracones alati varii in Helvetia viſi.

JOannes Cyſatus Helvetus, in ſuo de quatuor Civitatum Sylvaniarum in Helvetia libro, idiomate Germanico impreſſo, multis hiſtoriis probat, nullibi majorem draconum copiam quàm in Helvetia comparere ſolere. Nonnullas in ſequentibus adducemus. Quæ cùm legiſſet P. Kircherus, Virum Nobilem Chriſtophorum Schorerum, Solidurani Territorii Præfectum per litteras de veritate rei conſuluit: qui non ſolùm eas hiſtorias veriſſimas eſſe confirmavit, ſed & ſe rei veritatem propriis oculis comperiſſe ſcripſit his verbis. *Dracones alati in Helvetia viſi.*

Dum

Dum anno 1619. noctu cœli ſerenitatem contemplarer, ecce præfulgidum draconem ex immenſi ſcopuli antro montis. quem Pilati vulgò vocant, ad aliud in oppoſita lacus parte antrum, quod Flue vocant, alis celerrimo modo agitatis tranſvolare vidi. Formà erat prægrandi, caudâ longâ, collo protenſo; caput in ſerpentis ſerratum hiatum deſinebat; dum volaret, de ſe ſcintillas, non ſecus ac quando candens in incude fabri ferrum tundunt, ſpargebat. Cenſebam primò, meteorum quoddam me videre: ſed poſtquam diligenter ſingula obſervavi, verum draconem fuiſſe ex ipſo motu, membrorumque omnium conſtitutione cognovi. Hæc Reverentiæ Veſtræ ſcribo, ne de vera draconum in rerum natura exiſtentia ampliùs dubitaret.

Idem Clariſſimus Vir in aliis litteris ad eundem P. Kircherum datis ait, venatorem quendam, cui nomen erat Paulus Schumperlin, cùm eundem montem, quem Flue nominant, venandi causâ aſcendiſſet; juxta ingentis ſpeluncæ oſtium draconem ſtabulantem anno 1654. circa feſtum S. Jacobi offendiſſe. Erat ei caput ſerpentinum; collum & cauda longitudinis æqualis; pedibus quatuor, à terra pedem unum & ampliùs erectis, gradiebatur; toto corpore ſquamatus; nec non variis maculis, partim griſeis, partim albis, fulvisque conſperſus. Caput habebat equi capiti haud abſimile. Qui mox ut eum conſpexit, magno ſquamarum ſonitu intra ſpecum ſe recepit.

Hiſce jungit, in monte alio huic vicino, vulgò Staffelwand dicto, intra abditum quoddam antrum ſceleton draconis anno 1602. inventum fuiſſe, qui ruinâ montis ex terræ motu ſuccuſſi oppreſſus fuerat.

Non addit tamen Auctor, utrum hi duo ultimi Dracones fuerint alati, nec ne. P. Kircherus recenſet illos cum alatis.

Joannes Cyſatus citato ſuo libro narrat, dum ruſticus quidam fœnum meteret, vidiſſe ex monte Pilati ad oppoſitum montem ingentis molis draconem volitantem, ac præ terrore penè exanimem corruiſſe. Obſervaſſe tamen, illum à ſe liquorem quendam dimiſiſſe: eumque in ſe reverſum, in prato quodam inveniſſe ſub concreti ſanguinis ſpecie, & intra eum varii coloris lapidem, qui hunc usque in diem Lucernæ tanquam inæſtimabilis pretii cimelium conſervetur, omnibus morbis, præſertim venenoſis & peſtiferis, præſentiſſimum, ut acta teſtantur, remedium.

Digitized by Google

CAPUT V.

Mira Hiſtoria de quodam, ſemeſtri ſpatio cum duobus alatis draconibus habitante.

CItatus paulò antè *Joannes Cyſatus*, libro eodem, narrat ſequentem hiſtoriam, adeò miram ac obſtupeſcendam, ut vix fidem apud Lectores inveniat. Ita autem ſe res habet, P. Kirchero referente ex ipſo Cyſato. Draconis volantis mira hiſtoria.

§. I. Hiſtoriæ narratio.

ERat in civitate Lucernenſi apud Helvetios vietor, qui dum quodam die ad fabricanda dolia congruam materiam inter condenſos ſylvarum ſcopulorumque alpeſtrium receſſus quæreret; contigit ut neſciò quo fato hiſce Laberintheis immenſæ ſolitudinis diverticulis intricatus, ubinam eſſet, & quomodo viam derelictam inveniret, neſciret, totoque die hinc inde errabundus magnam noctis partem vagaretur. Quieti tandem nonnihil ex contracta laſſitudine indulgens, dum ſub crepuſculi initium ulteriùs viam ſuam proſequitur, neque ingentem voraginem ſibi obviam ex lucis debilitate prævidet; in eam incidit, ita tamen ut molli luto, quod in fundo voraginis ſqualebat, impactus, nihil aliud corporis incommodi, præter deliquium, quod ex nimia mentis anxietate & ruinæ metu incurrerat, pateretur. In ſe itaque reverſus, cùm voraginis altitudinem vidiſſet humanâ arte inſuperabilem (erat enim putei ad inſtar, ſeu circi altis & ſcopuloſis undiq; lateribus præcluſi) ſe ſe, humanâ ope deſperatâ, ad divinam magno animi fervore convertit, DEUM, Matremq; DEI continuis ſollicitando precibus votisq;, ut eum ex tam miſerabili ſtatu liberarent. Sed complacuit divinæ Majeſtati, majori eum ad meritorum cumulum afflictione exercere. Erant in dictæ voraginis lateribus cryptæ profundæ, & undiq; in longum latumque protenſæ: quas dum aptam habitationem inquiſiturus ingreditur; ecce mox duos horridos dracones ſibi obviam habuit. Quorum intuitu pœnè exanimatus puteum repetit, identidem ſe ſe DEO ejusque Matri contra tam immania monſtra, magnâ lachrymarum profuſione, commendans. Et dracones quidem tametſi corpus ejus nunc caudâ, nunc collo ſtringerent; ei tamen nullam aut noxam, aut violentiam intulerunt. Quisnam verò miſero in tam formidabili & inauditâ ſocietate draconum animus eſſet, faciliùs quiſpiam animo concipere, quàm verbis deſcribere poterit. Vidiſſes hîc Danielem non in leonũ, ſed draconum lacu commorantem. Commoratus eſt tamen non unum diem, aut ſeptimanam, ſed ſex ferè integris menſibus, à ſexta Novembris, usque ad decimam Aprilis. Sed quo cibo vitam ſuſtentaſſe putabis? Audi, & obſtupeſce. Viderat is, quòd dicti dracones nullo alio, toto hyber-

no tempore, cibo veſcerentur, præter ſallugineum quendam liquorem, ex ſcopulorum parietibus exſudantem: unde dum omnibus ad vivendum neceſſariis deſtitueretur: draconum exemplum ſecutus, & ipſe dictum parietum liquorem lambere & lingere aggreſſus eſt; quo reſocillatus nonnihil, hoc ciborum genere vitam ad ſemeſtre ſpatium traduxit. Sole itaque æquinoctialem lineam transeunte, cùm aër jam tepidior calore Solis ſentiretur, monſtra quoque, dum jam tempus adeſſe, quo è latebris ſubterraneis emergerent, pabulis quærendis aptum ſentirent; prior quidem magnâ alarum agitatione præmiſsâ ex puteo confeſtim evolavit. Quod idem dum alter tentat, vietor hanc ſe liberandi optimam occaſionem ratus, belluæ caudâ apprehensâ, extra puteum, nullo unquam ſimili ſpectaculo viſo, deportatus fuit: ubi dimiſſis draconibus, divinâ utique directione, ſtatim ſemitam invenit, quâ Lucernam reverſus, ſuos, qui eum jam dudum perditum credebant, inviſit, & quæ ſibi contigiſſent, ſtupentibus omnibus ordine expoſuit.

Et quoniam Magnæ Matris Deiparę interceſſione liberationem à tam horrendo ſtatu obtinuerat; in perpetuam rei memoriam, & poſterorum admirationem, teſtem eſſe voluit veſtem Sacerdotalem, quam Caſulam ſeu planetam vocant, in qua totius rei ſeriem acu pingi juſſit, quæque & in hunc usque diem Lucernæ in Eccleſia S. Leodegarii ſuperſtes, omnibus peregrinis oſtendi ſolet. Vietor verò totus ad DEUM converſus, dum cibum ampliùs uſitatum ex ſtomachi corruptela ſumere non poſſet, bimeſtri ſpatio poſt ejus è lacu Draconum exitum piè in Domino obdormivit.

§. II. Alia huic non multùm abſimilis hiſtoria de quodam è lacu draconum liberato.

Draconis alia hiſtoria mirabilis.

NEmo non videt, hiſtoriam præcedentem admodum exoticam eſſe, & apud multos plùs admirationis, quàm fidei habituram. Quia tamen publico teſtimonio apud Lucernates ſtabilitam reperio, rejicere non audeo. Solùm ſcrupulum Lectori moveo, ob duas alias illi non multùm abſimiles hiſtorias, quarum alteram hoc, alteram ſequenti §. dabo; ex quibus ſuſpicio oriri queat, aut has, aut illam, aut fortaſſe omnes eſſe confictas.

Matthæus Paris in Majori Hiſtoria Anglorum (ſic vocat) ad annum Chriſti M.C.XCV. agens de rebus geſtis Richardi primi Regis Anglorum, hæc ſcribit. *Tunc verò temporis contigit de quodam cive Veneto, divite ſcilicet & avaro, quiddam relatu digniſsimum: quod propter ingratorum multitudinem huic paginæ duximus inſerendum. Civis igitur memoratus nomine Vitalis, cùm daturus eſſet filiam ſuam nuptui, ut menſam præpararet lautiorem, venatum ivit*

ivit in quandam foreſtam vaſtiſsimam & deſertam, mari conterminam. Et cùm per devia eremi ſolus vagaretur, arcum extentum bajulans cum ſagittis, cupiditate ferinæ ductus; incidit fortè in foveam, & pedicam, leonibus, urſis, & lupis ſubtiliter præparatam. A qua, cùm os ſtrictum eſſet, & pavimentum profundum & amplum, nullo modo potuit aſcendere, vel evadere. Invenit autem in ea, quæ eodem caſu in ipſam inciderant, duo crudelia animalia, leonem, & unum magnum ſerpentem: ſed ipſum Vitalem, qui ſe ſigno crucis præmunivit, nequaquam invaſerunt, licèt famelici nimis, & protervi. Morabatur ergo illic tota nocte, & die ſequenti, clamans, & ejulans, & mortem ſuam tam probroſam lamentando deplorans. Accidit autem, ut quidam pauperculus carbonatorum ſylvicola, dum pergeret, quiſquilias ibidem lignorum colligendo, audiret clamorem & planctum, quaſi ſubterraneum, & vocem ſequens, perrexit ad os putei, & introſpiciens ait: Quis es? Quem audio? Et Vitalis expergefactus, & gaviſus ſupra id quod dici poteſt, reſpondit alacriter dicens: Ego quidem miſer Vitalis cognomento, Venetus, qui ignarus pedicarum & muſcipularum harum, in foveam iſtam feris nocivis incidi devorandus, qui fame & timore contabeſco. Sunt enim hîc duo, quæ nimiùm pertimeſco, animalia, leo ſcilicet quidam, & anguis: ſed adhuc, Domino protegente, cujus ſigno me communivi, me non invaſerunt; tibi reſervatus ſum, ut tibi benefaciam: erue me, & bene tibi erit: ecce tibi dimidium bonorum meorum concedo, videlicet quingenta talenta; ſunt enim mihi mille. At pauper, ſi dictis facta compenſes, faciam quod deſideras & hortaris. At Vitalis dicta ſua multis & magnis juramentis, Domino interpoſito pro fidejuſſore, & fide mediâ, confirmavit. Et cùm colloquerentur, leo motu caudæ, ſaltuque jucundo, & ſimiliter anguis blando ſibilo, & totius corporis volubilitate, eidem pauperi applauſerunt, quaſi liberationem ſuam cum Vitale poſtulantes. Et ſtatim pauper domum ſuam feſtinus abiit, ſcalamque quandam cum funiculis, quos noverat neceſſarios, cum ſumma feſtinatione præparavit, & rediens dimiſit eam in puteum ſolus. Et ſtatim, imò raptim & certatim leo & anguis per gradus ſcalæ aſcendentes, ipſi pauperi applauſerunt, & circumeuntes pedes ejus, volutabantur coram eo lætabundi, quaſi gratiarum actiones pro liberatione ſua referentes eidem. Poſtea verò pauper ipſius Vitalis aſcendentis manum apprehendit, & deoſculans ei dixit: Vivat manus hæc; eja eja gaudeo planè, quia voti compos effici merui: & duxit eum, donec ad notitiam itineris perveniret. Et Vitali recedenti ait ſylvanus pauperculus: Quando, & ubi perſolves mihi debita? Et Vitalis: intra diem quartum, in Venetia, videlicet in palatio meo: quod quidem famoſum eſt, & reperêre non eſt difficile. Rediit ſylvanus ad domunculam ſuam, ut pranderet. Quo ſedente ad menſam, ecce Leo, quem liberaverat, apportans hinnulum intravit, & apposuit menſæ prandentis blandus, & manſuetus, quaſi offerens illud pro præmio beneficii & liberationis, & applaudens, mitiſsimus ſine rugitu & ira, aut alicujus læſione receſſit. Et ſequebatur eum ſylvanus ludentem coram eo, & lingentem pedes ejus, ut ſciret ubinam foret cubile ejus (admirabatur enim vehementer leonis tan-

Digitized by Google

tam manſuetudinem) & poſtea rediit ut pranderet. Et cùm cibum ſumeret, ecce ſerpens liberatus adfuit, gemmam pretioſam in ore deferens, appoſuitque eidem Sylvano, tanquam liberatori ſuo, & illam in diſco ſuo repoſuit, ſeſeque ſpiris volubilibus ante ipſum volutans & ludens applauſit, quaſi grates referens ei pro impenſo ſibi beneficio: & blando emiſſo ſibilo, nullum lædens, receſſit. Quem ſimiliter ſequebatur Sylvanus præ admiratione, ut de caverna ejus certificaretur.

Elapſis igitur duobus vel tribus diebus, Sylvanus deferens ſecum gemmam ſuam pretioſam, quam videlicet Serpens ſuus ſibi attulerat, Venetiam adiit, ut à Vitali promiſſa reciperet. Et invenit eum cum concivibus vicinis ſuis, præ gaudio liberationis ſuæ conviv antem. Quem Sylvanus ſeorſim evocans, & ſecretiùs alloquens (quia ignotum ſe ſimulavit) dixit: Amice, redde quod debes. At ipſe torvo vultu reſpondit: Quis tu? Quid exigis? At ille: quingenta talenta mihi à te, pro beneficio tibi facto, ex pacto promiſſa. At Vitalis: Ita tam leniter velles lucrari, quæ ego per longa tempora laborioſè acquiſivi? Et præcepit familiæ ſuæ, ut caperetur quaſi delirans, pro tanta temeritate incarcerandus. Quod Sylvanus intelligens, repentino ſaltu à domo exſilivit; & veniens ad Prætorium, hæc omnia Judicibus civitatis ſeriatim intimavit. Qui cùm non planè crederent, narravit incredibile, oſtendens gemmam ſibi à Serpente gratiarum loco datam: & illicò unus civium, quem virtus lapidis non latebat, ipſum magno pretio comparavit. Ut autem omnes inde redderet certiores, Sylvanus aliquos de civibus duxit ad latibula leonis & ſerpentis; quid adhuc ipſi Sylvano tanquam liberatori applauſerunt. Certificati igitur Judices civitatis de rei veritate, compulerunt Vitalem reddere quæ promiſit, & ſatisfacere pro injuria. Hæc referebat Rex Richardus munificus, ingratos redarguendo. Hactenus Paris.

§. III. Alia adhuc priori ſimilis hiſtoria.

Draconum adhuc alia hiſtoria mira.

ALteram Hiſtoriam narrat *P. Ludovicus Richeomus* in Peregrino Lauretano cap. 138. ex *Joanne Fiſchero* Roffenſi Epiſcopo in Opere quod edidit anno 1526. adverſus Oecolampadium; qui Fiſcherus ait ſe eam accepiſſe à Wilhelmo Gronyenſi Friſo, docto, probatæque fidei viro: nimirum *Sacerdotem quendam, cùm ſub initium hyemis Italiam verſus iter ageret, nivis & algorum adactum neceſſitate, dum in Alpibus errabundus mitiorem à ventis & nivibus vallem reperire ſperans deſiliiſſet, neque reducem quaqua verſum exitum comperiſſet, neque unde deſilierat, propter altitudinem aſcendere potuiſſet; ſub exeſam & propendentem rupem ſe ſe fame moriturum conjeciſſe, ac deſperaſſe. Sed ut erat Luna plena, vidit noctu ſerpentum diverſa genera, qui ad ipſius cavernam tendebant, nive ſuper repentes. Exterritus hoc viſo munivit ſe ſigno ſanctæ crucis: neque enim ſibi perſuadere ſtatim potuit, naturales eſſe ſerpentes, nullam fingere cauſam valens, quâ naturaliter cogerentur tali tempeſtate antra ſua exire, & ſic per nives repere. Phantaſmatum igitur nocturnorum quandam credidit illuſionem, aut ſpiritus*

fortè

fortè malignos, qui tali ſpecie ſimulatâ ad ſe inquietandum accederent. Rurſum igitur ſignum crucis ſibi imprimens, commendabat ſe toto mentis affectu Deo ac Beatæ Virgini. Serpentes rectà verſus lapidem ſpeluncæ ſuæ vicinum contendebant, ibiq; aliquot factis reflexibus cœperunt eundem lingere. Ipſe interim anxiè eos reſpectans, horam præſtolabatur, quâ impetu facto ingrederentur ſpeluncam, ad ſe devorandum. At ubi illi aliquamdiu lapidem linxiſſent, regreſſi ſunt eâdem quâ venerant viâ in ſua antra. Summas igitur DEO agit gratias, quòd tali eum metu liberaſſet; dormivitq; nonnihil per noctis reliquum, abſque cibo diem ſequentem tranſigens, nihilque præter candorem nivis terram latè operientis, & lucem cœli videns. Secundâ & tertiâ nocte horâ eâdem reverſi ſerpentes fecerunt ſimiliter & abierunt. Tum demum credidit naturales ſerpentes: ſed mirabatur, quidnam ita lapidem lingerent. Jam pœnè viribus deſtituto incidit cogitatio, quòd fortè animalia illa oſtenderent quid ſibi faciendum eſſet in ſua neceſſitate: tumque ad lapidem accedens cœpit eundem ſimiliter lingere; & ecce (res ſtupenda) inter lingendum ita fuit reſtitutus, quaſi cibo refectus. Tali itaq; modo totâ hyeme ſub rupe latitans, contra frigus & famem ſe defendebat, donec in fine Aprilis nive ſolutâ, perviis jam factis Alpibus, quoſdam audiret in vicino colloquentes; iisque ſe comitem præbuit ad peregrinationem ſuam complendam.

CAPUT VI.

De Serpentibus & Draconibus non alatis.

QUæ de alatis Serpentibus ac Draconibus diximus hactenus, minùs mira, non minùs tamen jucunda reddunt quæ de non alatis dicemus. Dabimus ſelectiora tantùm, promiſcuè ex antiquis & recentioribus Scriptoribus. *Serpentum & draconũ non alatorum varia exempla.*

§. I. Hiſtoriæ binæ de Draconibus Helveticis.

SUprà cap. 4. hujus Appendicis diximus, nullibi majorem Draconum copiam occurrere, quàm in montibus ac ſpeluncis Helveticis. Hiſtorias dedimus alatorum; nunc binas non alatorum addemus ex *Joanne Cyſata* libro de quatuor Civitatibus Helveticis.

Prima Hiſtoria.

ESt in Bernenſi Territorio (ait citatus Autor fol. 175.) perantiqua Urbs Burgdorpium dictà, in qua duo fratres, quorum alter Syntram, alter Beltram vocabatur, degebant. Hi anno Chriſti 712. venatum per immenſas illas ſolitudines, montiumq; receſſus intimos abeuntes, multùmque hinc inde errabundi, in ſcopuloſum montem inciderunt, ubi ferale immenſæ molis mõſtrum, draco inquam, in profundo antro ſtabulabatur, qui ingenti ſævitie ſusq; deq; vertens omnia, regionem animalibus viduabat. Hic mox ac Equitum adventum advertit, veluti de prædæ cupidine tripudians, in eos adeo grandi impetu irruit, ut ſtatim juniorem fratrem Beltramũ vivũ abſorpſerit. Syntramus verò adeo fortiter quà balliſtis, quà gladiis *Draco Helveticus non alatus.*

Digitized by Google

comitum ope, ſe ſe belluæ oppoſuit, ut tandem eam peremerit, ſciſſoque beſtiæ ventre fratrem adhuc ſpirantem inde extraxerit, eodem prorſus loco, ubi hodie juxta Bernam Sacellum ſanctæ Margarithæ ſpectatur; quod ad rei patratæ memoriam ipſi fratres exſtruxerunt, hiſtoriamque depingi curârunt, in hunc usque diem ſpectabilem.

Secunda Hiſtoria.

Draco Helveticus non alatus alius.

IDem Cyſatus fol. 168. narrat hanc alteram hiſtoriam. Antequam Sylvania inhabitaretur, ingens draco in vaſto quodam antro prope Weylam pagum excubans, adeo in homines animaliaque ſæviebat, ut indigenæ pago relicto aliò ſe transferre cogerentur, & pagus hodie adhuc inde nomen Odeweyla, id eſt, deſerta Weyla, nomen retinuerit. Erat tunc temporis nobilis Vir & generoſus, nomine Winckelried, hiſce in partibus, qui ob neſcio quod homicidium, extorris patriâ in exilio vitam degebat. Hic auditis damnis, quæ dictus Draco toti Territorio inferebat, Magiſtratui ſignificavit, draconem ſe ſe perempturum, ſi eum ad priſtinam libertatem reſtituerent. Magiſtratus acceptâ conditione, omnem ſe ſatisfactionem habiturum promiſit. Eques ergo locum feralem draconis petens, lanceâ & ingenti gladio armatus draconem ad certamen provocavit. Paraverat autem priùs faſcem ex longiſſimis ſpinis compoſitum, quem lanceæ ſummitati affixerat. Draco itaque dum velociſſimo impetu in eum irrueret, is faſcem intra apertum faucium hiatum unà cum lancea adeo validè impegit, ut is non jam de Equite vorando, ſed à ſpinoſo bolo ſe liberando occuparetur. Interim Eques gladio, quà pars mollior beſtiæ erat, impacto, tandem illam confecit. Verùm cùm jam gladium ſanguine madidum in lætitiæ ſignum in altum projiceret; ecce ſanguis venenoſus intra nudam carnem defluens, tantæ virulentiæ fuit, ut qui jam ſe victorem crederet, vindicante ſe Draconis ſanguine vinceretur, paulò pòſt extinctus.

§. II. Serpentes Ægyptiaci & Æthiopici miræ magnitudinis.

Serpentes Ægyptii & Æthiopici miræ magnitudinis.

V*Aria ſerpentum genera* (inquit Diodorus Siculus lib. 3.) *incredibilique magnitudine conſpici dicunt in Ægypto, qui loca deſerto incolunt propinqua: centum enim cubitorum longitudine nonnullos eſſe ajunt; ut meritò non ſolùm à nobis, ſed ab aliis quoq; id falſum eſſe exiſtimetur.*

Addunt inſuper hi multò majora, haud digna fide. Nam cùm plana ſit regio, ſerpentes verò maximi; circumvolutos in gyrum longè procul aſpicientibus locum editiorem, & quaſi collem quendam videri.

Sed eorum magnitudo videtur creditu difficilis. Nos de maximo omnium, qui in conſpectum venerint, ſerpente capto, ac in Alexandriam delato referemus, addentes

dentes capturæ modum. Secundus Ptolemæus cupiens & elephantos, & alias mirabiles viſu ac viribus belluas ad ſe adduci, donis ac pecuniis multos ad elephantos, qui multi ad eum deducti ſunt, aliasque feras capiendas pellexit. Ita multa ejus ſtudio ad Græcorum notitiam antea ignota animantia deducta ſunt. Conſpectâ venatores quidam Regis in hujusmodi donis magnificentiâ, decrevére communi animo aliquem magnum ſerpentem vivum in Alexandriam ad Ptolemæum traducere. Cùm res hæc gravis difficilisq; eſſet, fortuna eorum conſilio opitulata eſt. Serpens erat triginta cubitorum longitudine juxta aquas, qui reliquo tempore immobilis, ſe in circulum redigens, quieſcebat; accedentibus ad aquam potûs causâ cæteris animantibus, ſubitò aſſurgens, oreque nonnulla capiens, alia circumnectens caudâ, depaſcebatur. Hunc conſpicati homines, cùm longior eſſet, hebesq; naturâ, laqueis & catenis ſe ſe illo potituros ſperantes, primùm fidenter ad eum acceſſerunt. Beſtiâ appropinquantes, viſis igneis oculis, linguâ lambente ſingula, ſquamarum aſperitate, dum moveretur, ſtrepitum ingentem reddente, dentibus inſuper eminentibus, oris quoq; aſpectu horrido, immutato colore, admodum exterriti ſunt. Itaque timidè injectis ad caudam laqueis, ad contactum funibus corpus, magnis ſibilis converſa bellua propinquiſſimum ore captum vivum deglutivit; alium fugientem caudâ longè apprehenſum, atque ad ſe tractum occidit. Cæteri metu perculſi, fugâ ſaluti conſuluêre, non tamen omittentes belluæ capiendæ curam, ſpe lucri timorem ſuperante. Arte igitur & dolo potiore viribus belluam ſunt aggreſſi. Primùm validis ſpiſſisque funibus rete concavum naſſæ formâ belluæ capax fecerunt. Tum ſpeculantes ſerpentis cubile, atque exitus reditusque notato tempore; ut primùm ſerpens ad conſuetum animalium paſtum prodiit, priore aditu ingentibus lapidibus terrâque obducto, in proximo vallis loco latum inprimis ingreſſum, tum arctiorem interiùs, veluti cuniculum cubile verſus, in quo rete poſitum eſt, fecêre. Revertenti à paſtu belluæ, ſagittarii funditoresque, tum equitum magnus numerus, adhæc tibicines ad id præparati, omnes ſe ſe oſtendêre: nulli tamen adire propiùs auſi ſunt, aliorum malo edocti. Simul ac illi acceſſerunt, belluæ collum extulit altiùs equitibus. Illi verò ad venatum congregati, conjectis procul manu telis, tum equorum conſpectu, tum latrantium canum multitudine, ad hæc tubarum concentu territum ſerpentem, ad ſolitum aditum coëgerunt: quem obſeptum cùm reperiſſet, illi inſequendo armorum, equorumque ſtrepitu, tubarum inſuper clangore, & venantium clamoribus obſtupefactam belluam ad præparatum aditum adigêre: quem ingreſſa, in rete incidit; deinceps reluctantem, reteque dentibus, magnis editis ſibilis, lacerantem compreſſerunt. Eam enim ad terram expoſuerunt, & loca caudæ proxima pungentes, retraxerunt ejus dentium lacerationem ad ſenſum dolentium partium. Eo pacto irretitum ſerpentem deferentes Alexandriam, Regi obtulerunt, mirandum ſpectaculum, & vix audientibus credendum. Deducto deinde paulatim ad conterendas vires cibo, feritas ejus remiſſior facta eſt, ita ut ob illius manſuetudinem obſtupeſcerent. Ptolemæus venatoribus tributo præmio, ſerpentem-

tem dimenſo enutriens cibo, ad regiam venientibus exteris pro mirando ſpectaculo oſtendebat.

Tam ingenti igitur ſerpente in conſpectum hominum deducto, haud abroganda videtur fides Æthiopibus, neque pro fabulis ducenda, quæ de ſerpentibus tradunt. Aſſerunt enim, reperiri apud ſe illos tantâ magnitudine, ut non ſolùm boves ac tauros, cæteraque ejuſdem molis animantia, ſed elephantos quoque occiſos vorent. Nam cum illis congreſſi, primùm caudâ pedes illorum multis nexibus complicant, ita ut nequeant moveri: deinde in caput aſſurgentes, oculiſque tanquam fulgure incenſis, elephantorum viſum obumbrantes, ad terram dejectos comedunt. Hactenus Diodorus.

§. III. Norvvegici aliique miræ magnitudinis Serpentes.

Serpentes NorWegici.

Qui navalibus exercitiis in litteribus Norvvegiæ (inquit Olaus Magnus lib. 21. cap. 43.) *vel mercaturæ, vel piſcaturæ operam navant, conformi teſtimonio ſtupendam ſanè rem aſſerunt, ſerpentem videlicet vaſtæ molis, ducentorum pedum & ampliùs longitudine, ac viginti pedum ſpiſſitudine, in rupibus & cavernis penes oras maris Bergenſium verſari; qui vitulos, agnos, porcos voraturus, ab antro ſolùm lucido noctis tempore in æſtate exit; vel polypos, locuſtas, & genera marinorum cancrorum ut deglutiat, maria transmittit. A collo deinceps dependentes pilos cubitalis longitudinis habet, ſquamaſque acutas, atro colore, & flammeos oculos rutilantes. Hic navigia infeſtat, hominesque ſe in ſublime inſtar columnæ erigens rapit, ac devorat: neque id ſine portentoſo ſpectaculo, regni inſtante mutatione, evenire ſolet; nempe quòd Principes in fatum concedent, vel in exilium turbabuntur, aut bellicus tumultus eveſtigio ſubſequetur.*

Eſt & alius miræ magnitudinis ſerpens in Inſula Moos dicta, diœceſis Hammerenſis, qui ut cometa orbi reliquo, ſic in regno Norvvegiæ mutationem portendit, prout viſus eſt anno M. D. XXII. altè ſuper aquas ſe extollens, atque in modum ſphæræ convolvens. Exiſtimatus eſt hic ſerpens, conjecturâ collectâ ex longinquo viſu, quinquaginta fuiſſe cubitorum: quem expulſio Regis Chriſtierni, atque gravis Prælatorum perſecutio ſecuta eſt; imò excidium patriæ demonſtravit. Hactenus Olaus Magnus.

Serpentes alii miræ magnitudinis.

Megaſthenes, teſte Plinio lib. 8. Hiſtor. Natur. cap. 14. *ſcribit, in India Serpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſolidos hauriant cervos, tauroſque. Metrodorus, circa Rhyndacum amnem in Ponto, ut ſupervolantes quamvis altè perniciterque alites hauſtu raptas abſorbeant. Sed de his ultimis iterum erit ſermo cap. ſequente §. 2.*

Nota eſt in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore baliſtis, tormentiſque, ut oppidum aliquod, expugnata ſerpens, centum viginti pedum longitudinis. Pellis ejus maxillæque uſque ad bellum Numantinum duravêre Romæ in templo.

Faciunt

Digitized by Google

Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, ut Divo Claudio Principe, occiſa in Vaticano ſolidus in alvo ſpectatus ſit infans. Vide quæ de hoc genere ſerpentum diximus ſuprà lib. 7. cap. 17. §. 1. ex *S. Hieronymo, Iſidoro, Solino*; ubi & hæc ipſa Plinii verba attulimus.

Solinus in Polyhiſt. cap. 45. tantam enormitatem ſerpentum adducit, ut cervos & animantium alia ad parem molem tota hauriant; quod & Megaſthenem aſſeruiſſe, jam vidimus ex Plinio. Addit *Solinus*, quoſdam Oceanum Indicum, quantus eſt, penetrare, inſulaſque magno ſpatio à continenti ſeparatas, pabulandi gratiâ petere, idque putat argumentum eſſe ampliſſimæ magnitudinis illorum. Sed hoc inter cætera Solini mendacia numerari poteſt.

Volaterranus lib. 12. cap. De locis nuper repertis, mentionem facit ſerpentum mille paſſuum longitudine, qui certo anni tempore armenta & paſtores ipſos totaliter devorent. Splendidum utique mendacium.

Strabo lib. 16. ait, Poſſidonium ſcribere, in Macra campo fuiſſe viſum ſerpentem mortuum jugeris longitudine, & craſſitudine tantâ, ut equites ex utraque parte adſtantes, ſe invicem intueri non potuerint; hiatu autem tanto, ut hominem equo inſidentem recipere potuerit. Exuviarum ſquamam quamlibet clipeo majorem fuiſſe. Credat hæc qui volet.

CAPUT VII.

Adhuc de Serpentibus & Draconibus non alatis.

SUprà cap. 1. hujus Appendicis diximus, dracones vocari ſerpentes majores ac truculentiores. De alatis & non alatis varia jam adduximus exempla; quibus ſequentia ſubnectimus. Serpentes & dracones adhuc alii non alati.

§. I. Magnitudo Draconum varia.

MAgnitudo non alatorum varia eſt, pro regionis & loci natalis varietate. Nam teſte *Æliano* lib. 16. de Animal. cap. 39. Evergetis Regis ætate viſi ſunt in Ægypto dracones, ſeptem, & novem cubitorum. *Marcus Polus*, eodem Aldrovando, narrat, in Provincia *Corazam* nominata inveniri dracones bipedes decem cubitorum. Regnante Philadelpho apud Ægyptios, duo dracones vivi tredecim & quatuordecim cubitorum ab Æthiopia Alexandriam delati ſunt. *D. Hieronymus* meminit alicubi draconis deſerta Ægypti loca incolentis, quindecim cubitorum. *Ælianus* lib. 17. de Animal. cap. 2. ex Clitarcho ſcribit, circa Indiam ſerpentem ſedecim cubitorum gigni. Idem ibid. cap. 1. ſcribit, Alexandrum in navigatione Maris Rubri vidiſſe ſerpentes longitudine quadraginta cubitorum, & craſſitudine pro rata longitudinis portione.

Digitized by Google

§. II. Draco ſacer maximus, quem Alexander invenit in India.

Draco ſacer maximus in India.

DE eo *Ælianus* lib. 15. de Animal. cap. 21. ſic ſcribit: *Alexander dum Indiæ loca alia oppugnat, aut vaſtat, alia etiam capit, cùm alia pleraq; animalia invenit, tum draconem: quem quia ſacrum in antro quodam Indi exiſtimarent, & ſummâ religione colerent, idcirco ſummis precibus Alexandrum obſecrârunt, ne illum ipſum invaderet: quod quidem ipſum ille annuit. At enim draco cùm prætereuntis exercitus ſtrepitum ſenſit (quod ſit animal tum audiendi, tum videndi acerrimo ſenſu præditum) maximo ſibilo, & ingenti afflatu edito, omnes exterruit, & perturbavit. Septuaginta cubita longus eſſe exiſtimatur; non tamen eis totus apparuit, ſed illius ſolum caput ex antro eminuit. Ejus oculi ad magni & rotundi clipei Macedonici magnitudinem acceſſiſſe dicuntur.* Scrupulus ſuboriri alicui poſſit, ſi ſolum caput ex antro eminuit, quomodo æſtimari potuerit, longitudinem eſſe ſeptuaginta cubitorum?

Dracones ſerpentum interfectores.

Idem *Ælianus* lib. 2. de Animal. cap. 21. ſcribit, Æthiopiam generare *dracones ad longitudinem triginta paſſuum progredientes,* qui nomen proprium non habeant, ſed tantùm elephantorum interfectores nominentur, & perveniant ad ſummam ſenectutem.

Dracones Phrygiæ maximi.

In Phrygia autem (ſcribit idem ibidem) *dracones ad magnitudinem decem paſſuum procedentes naſci ferunt: qui quotidie mediâ æſtate, quâ horâ jam forum hominum conventu plenum eſt, & jam prandii tempus, ex cavernis procedere ſoleant, & ad nuncupatum in Ponto amnem Rhyndacum caudâ ad terram adniti, reliquo erecto corpore, toto gutture eminente; & paulatim laxato ore hiante, volucres ſupervolantes, tametſi ſublimè & perniciter ferantur, ſuâ aſpiratione tanquam amatorio quodam ad ſe attrahere, ac allicere: eas autem ex horum ſpiritus ductibus detractas in illorum ventrem decidere, atq; illabi. Et hæc quidem ſibi maximè propria ad occidentem usq; Solem agere: ac poſtea ſeipſos occultantes, gregibus ex paſtione ad ſtabula redeuntibus inſidiari, multamq; perniciem inferre, ipſis etiam paſtoribus ſæpe occiſis; atque inde prandium ſibi abundè comparare.*

Dracones duo Indici miræ magnitudinis.

Oneſicritus Aſtypalæus apud Ælianum lib. 16. de Animal. cap. 39. duos in India ſcribit dracones fuiſſe, quos Apoſiſares Indus nutriverit, alterum ſex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum; eosdemque Alexandrum ardenter videre expediviſſe. Eadem refert *Strabo* lib. 15. ſed unum ait fuiſſe octoginta, alterum centum & quadraginta cubitorum.

Draco in Chio.

Qui de Chiorum rebus hiſtoriam conſcripſerunt (ait Ælianus libro & capite citato) *ad quandam Palenæi montis vallem, proceris arboribus frequentem atque opacam, maximâ magnitudine draconem inquiunt procreatum fuiſſe, cujus ſibilum Chii vehementer perhorreſcerent; magnitudinem verò nulli neque agricolæ, neq; paſtores, accedendo propiùs conſiderare auderent, ſed ex ſolo ſibilo ingentem*

gentem quandam & formiduloſam feram beſtiam eſſe ſuſpicarentur. Ejus tamen magnitudinem tandè mirabili quadam machinatione atq; ſolertiâ cognitam fuiſſe: vento nimirum vehementiſſimo vallis arbores concuſſas, & violenter colliſos ramos ignem concepiſſe, & ſimul inde ingens incendium excitatum, locum omnem comprehendiſſe; eamq; interceptam, cùm elabi non poſſet, ardore flammæ conflagraſſe. Itaq; nudato loco omnia conſpicua facta fuiſſe, & verò Chios metu liberatos, cùm ſpectatum veniſſent, inuſitatâ magnitudine oſſa, & immane caput offendiſſe, ut ex iis, qualis quantusq; vivus ille fuiſſet, conjici poſſet.

Strabo lib. 16. ſcribit, Artemidorum referre draconum magnitudines tricenûm cubitorum, qui tauros elephantosque capiant. Addit, hunc Auctorem moderatum in hoc eſſe: *Nam* (inquit) *Indici ac Libyci dracones fabuloſiores ſunt, ſuper quibus herba etiam inaſci dicitur.* Idem repetit *Strabo* lib. 17. ex Iphicrate. Dracones Indici ac Libyci.

Egnatius in Varia Hiſtoria prodit (ſi Aldrovando credimus, qui ſæpe ſæpius lectorem fallit in Auctoribus citandis) regnante Baſilio, in Bibliotheca Conſtantinopolitana fuiſſe inteſtinum draconis longum centum & viginti pedes, in quo Homeri poëmata, tam Ilias, quàm Odyſſæa, litteris aureis erant enarrata.

P. Kircherus in Mundo Subterr. lib. 8. ſect. 4. cap. 2. teſtatur, Romæ in Muſeo Franciſci Barberini Cardinalis ſpectari draconem tomento infartum, quindecim palmorum longitudine, uno latum, duplici dentium ordine formidabilem.

CAPUT VIII.

De Dracone bipede in agro Bononienſi reperto.

VErtente anno Chriſtiano M.D.LXXII. tertio Idus Maij, tempore creationis ſummi Pontificis Gregorii Decimi tertii Bononienſis, è familia Boncompagniorum, quorum in gentilitio Inſigni draco refulget, penes prædiolum Domini Petronii de Doſiis, in loco Malavolta nuncupato, in agro Bononienſi, draco bipes deliteſcens, ſibilo more ſerpentis edito primùm ſe manifeſtavit: ſed tandem poſt diem Aſcenſionis Chriſti ejusdem anni, horâ decimâ ſeptimâ Italicâ (id eſt, paulò poſt meridiem) in via publica juxta ſepem prædicti prædioli, ſpatio milliaris à civitate Bononienſi diſtante, à quodam bubulco Baptiſta de Camaldulo nomine deprehenſus fuit. Is enim Bononiâ cum bobus currum trahentibus rus petens, & pedetentim currum ſequens, boves ſiſtere gradum animadvertit; unde arrepto perone in illos ſæviens acriter ſtimulavit: at illi timore perciti, & in genua corruentes, ulteriùs progredi renuebant. Interim, magno audito ſibilo, bubulcus circumſpiciens formidabilem dra- Draco Bononienſis.

Iiiiiii 2 conis

conis figuram deprehendit, at illicò pavore correptus, elevatâ haſtulâ, caput belluæ percuſſit, & animal interfecit. Metuens tamen ne primo ictu extinctum penitus non eſſet, rurſus ferro, quo haſtulæ bubulcorum armari ſolent, anteriorem ejus pedem abſcidit. Jacuit cadaver eodem loco bidui ſpatio, donec Dn. Horatius Fontana juſſit illud ad Ulyſſem Aldrovandum Bononiam deferri. Hic videns animal eſſe rariſſimum, nec unquam antea in Italia, nec fortaſſis tota in Europa viſum, curavit illud primò ad vivum depingi, deinde ſummâ induſtriâ ſiccari, & in Muſeo Illuſtriſſimi Senatus Bononienſis aſſervari, ubi etiamnum hodie ſpectatur. Dabimus primò ejus formam, & magnitudinem: deinde geneſim ſeu ortum ejuſdem examinabimus.

§. I. Forma & magnitudo Draconis Bononienſis.

MAgnitudo, Formaq; ejus hæc. A capite ad extremitatem usq; caudæ duorum erat cubitorum; prope collum latitudinis duorum digitorum; corpus inter collum & caudam latitudinis ſesquipalmaris, ſeu ſex digitorum. Poſteriorem colli partem torques albus exornabat, ad inſtar natricis torquatæ, aut inſtar torquatæ anatis ſylveſtris: torques tamen non erat mutilus, ſed abſolutè circularis. Supra dorſum ſquamæ latæ apparebant: quarum pars major ad viriditatem tendebat, aliæ verò erant ſubrubræ, aliæ nigreſcebant. Pars alvi ſquamis viridibus erat exornata. Ad pedes quod attinet, erant fœmora juncta tibiis latitudinis pollicis; digiti ſuis articulationibus connectebantur, ut in lacertorum digitis fit. Digiti tamen non erant quini, ut in lacertis, ſed quatuor tantùm, brevibus unguibus armati, qui adhuc eorum primordia præ ſe ferebant: unde draconem juvenem fuiſſe conjectura fuit; quod etiam ex dentibus dignoſcebatur. Altitudo pedum latitudinem corporis adæquabat. Pedes (quod mirabile eſt) non erant in utroque latere directè, ac per diametrum ſibi oppoſiti, prout in aliis animalibus fit, ſed unus erat anterior altero diſtantiâ ſex digitorum. Podex ab extremitate caudæ duobus diſtabat palmis. Pars caudæ ſuperior viperæ erat ſimilis, inferior diſſimilis: ſiquidem ſquamæ partim nigræ, partim virides erant, hoc tamen ordine, & figurâ, ut quaſi ſingulæ formam ſemicircularem referrent, & binæ tantùm latitudinem caudæ amplecterentur. Secùs verò in vipera fit, quoniam ſquamæ rectæ ſunt per totam corporis partem inferiorem: in hoc autem dracone, à podice ad caput usq; ſquamæ inferiores, tam reſidui caudæ, quàm ventris, & totius colli ad os usq;, rectæ erant, ut in vipera, hoc tamen ordine, ut imbricatim ſitæ eſſent, colore usque ad alvum partim albo, partim nigro; ſub ventre albæ, & latiores dimidio ferè digito: at in extremitate ſquamarum rectarum nonnihil coloris viridis conſpiciebatur.

Demum

Digitized by Google

Demum extremitas caudæ duriſſimo & corneo ferè apice munita erat; cujus una pars ſquamulis tegebatur, & extremitas apicis nigerrima, & aculeus inſtar litteræ C, ſeu inſtar caudæ ſcorpionis, erat repandus. Caput erat admodum ſimile viperino. Pars capitis ſuperior juxta extremitatem erat nigra, novem nigris ſquamulis intecta, reliqua autem pars ſquamis majoribus leucophæis trigonam figuram æmulantibus. Hiatûs oris longitudo erat duorum digitorum: lingua tenuis, longa, & bifida more aliorum ſerpentum. Singula oris latera dentes ſerrati & graciles armabant; anterioribus tamen in vipera obſervatis carebat. Oculos in comparatione ad molem corpoream magnos habebat, & aurei coloris. Foramina aurium, ritu avium habebat; auriculis tamen carebat.

Inſpice appoſitam iconem, & quod minùs rectè in ea effigiatum, ex allata deſcriptione (quæ eſt *Aldrovandi* lib. 2. de Serpent. cap. 5.) corrige. Vide Iconiſmum LX.

§. II. Geneſis ſeu ortus Draconis Bononienſis.

GEneſin ſeu ortum hujus Draconis examinat accuratè *Aldrovandus* loco citato, ſtatuitque ſequentia.

Primò. Non advenit aliunde in Italiam, ut aves migratoriæ, migratoriique piſces aſſolent. Non enim fuit draco aquatilis, ſed terreſtris: nec fuit alatus, ſed apteros, ac ſolùm binis pedibus prædítus, ac proinde tardi gradus, quòd pars poſterior ſerperet, anterior progreſſivo motu promoveretur. Quare è longinquo advenire terreſtri itinere non potuit, quin deprehenderetur alicubi in via, antequam Bononienſem agrum attingeret. Adde quòd juvenis adhuc fuit, nec ad viam longam conficiendam aptus. Hac etiam de cauſa deprehenſus à bubulco, non aufugit, ſed ſine motu ictum excepit.

Secundò. Non decidit cum pluvia ex aëre, vi ventorum aliunde delatus, aut in ipſo aëre genitus. Tametſi enim multis exemplis probetur, non rarò & animatis & inanimatis rebus pluiſſe, ut ranis, piſcibus, lapidibus, ferro, lanâ, & ſimilibus; illa tamen ſemper aut plerumque in magna copia deciderunt, quia aliunde vi ventorum arrepta; draco autem hic unicus, & antea nullibi viſus, apparuit.

Tertiò. Non fuit ortus ex congreſſu animalium diverſæ ſpeciei, ut teſtudinis & viperæ, aut lacerti viridis & viperæ, aut ranæ & viperæ. Ratio eſt, quia tametſi horum animalium ſimilitudinem aliquam geſſerit, ac proinde videri queat ex illis ortus; tamen illa permiſceri non ſolent, aut propter antipathiam, quam inter ſe habent, aut propter ineptitudinem ad mutuum congreſſum, ut fuſiùs oſtendit Aldrovandus.

Quartò. Non fuit ex putrida materia ortus. Ratio eſt, quia tametſi diverſa animalia illo modo naſcantur, & draco etiam hîc eodem modo

naſci potuerit; ſemper tamen animalia dicto modo genita, frequentia ſunt,& pluribus in locis ac temporibus occurrunt; at draco noſter unicus fuit, & nullibi aliàs viſus.

Quintò. Videtur fuiſſe monſtroſus partus ex ſerpentibus ordinariis, ordinario modo congredientibus ac generantibus. Non fuit autem antea viſus alius ſimilis, quia teſte Ariſtotele lib. 4 de Generat.animal. in generatione ſerpentum rarò contingunt errores, & ideo rarò naſcuntur monſtroſi. Hæc Aldrovandi ſententia eſt probabilis.

CAPUT IX.

De Draconum geneſi ex ſententia Athanaſii Kircheri.

Draconum geneſis.

ANtequam ulteriùs progrediamur in draconum mirabilibus enarrandis, examinare placet geneſin eorundem cum *P. Kirchero*, qui eam exactè examinat in Mundo Subterraneo lib. 8. ſect. 4. cap. 2.

Supponit itaque P.Kircherus, tanquam omnibus Medicis ac Phyſiologis notum, ex diverſorum ſeminum confluxu diverſæ ſpeciei animal generari, uti in mulis, tragelaphis, camelopardalis.ſimilibusq; patet. Nec ſolùm diverſæ ſpeciei, ſed ſæpè etiam monſtroſus partus provenit ex tali ſeminum commixtione, ut patet in partubus ex ſemine humano & ferino, qui ſemper valdè monſtroſi ſunt.

His præmiſſis ita diſcurrit. Dracones ordinariè naſcuntur ac reperiuntur in abditis montium ac rupium antris, aut in vaſtis ſolitudinibus: Iſtiusmodi autem loca referta ſunt aquilis, vulturibus & ſimilibus volucribus rapacibus: hæ volucres omnis generis animalia, ut ſerpentes,aves, lepores, agnos, canes, imo & pueros ſubinde abreptos in antra ac deſerta illa, in quibus ſtabulantur, deportant; hæc animalia dum abſumuntur à rapacibus volucribus, aut computreſcunt, ſemper decidit ac remanet portio aliqua ſeminis: hinc fit ut ex vario ſeminum confluxu in diſpoſita jam fermentatæ putredinis materia naſcatur animal, quod ex omnibus animalibus illis, quorum ſemina commixta fuêre in materia putrida, aliquid participet quoad externam figuram,nempe caput & caudam ſerpentis, alas volucris, pedes quadrupedis, aures leporis. Nam virtus cujuslibet ſeminis conatur producere id quod poteſt: cùm autem non poſſit producere animal perfectum illius animalis, cujus fuit ſemen, ob virtutem ex commiſtione debilitatam; producit ſaltem aliquid quoad ſpeciem ſeu formam externam ſimile illi animali, cujus fuit ſemen.

Hæc Kircheri ſententia probabilis eſt, & confirmatur ex eo, quòd gallus ſerpentinum ovum devorans generet baſiliſcum, ut infrà videbimus; & pa-

Digitized by Google

& patet ex aliorum multorum monſtrorum, ex diverſorum ſeminum commiſtione ortorum, geneſi.

CAPUT X.

De Serpentibus ac Draconibus cicuratis.

UTi leones, urſi, lupi, aliæque feræ ſylveſtres, ita & ſerpentes ac dracones cicurantur, quamvis rariùs ac difficiliùs. Nonnulla exempla adducemus tum hoc, tum ſequenti capite. Serpentes ac Dracones cicurati.

Plinius lib. 10. Hiſtor. Natur. cap. penult. cùm multa narraſſet exempla animalium, quæ inter ſe diſſident, & inter ſe conveniunt; ſubjungit: *Quid? non & affectus indicia ſunt etiam in ſerpentibus, immitiſsimo animalium genere? Dicta ſunt quæ Arcadia narrat de domino à dracone ſervato, & agnitâ voce hominis. De aſpide miraculum Philarcho reddatur: is enim author eſt, cùm ad menſam cujusdam veniens in Ægypto aleretur aſſiduè, enixam catulos, quorum ab uno filium hoſpitis interemptum; illam reverſam ad conſuetudinem cibi, intellexiſſe culpam, & necem intuliſſe catulo, nec poſtea in tectum id reverſam.*

Hiſtoriam de domino à dracone ſervato in Arcadia, cujus meminit hîc Plinius, *Ælianus* lib. 6. de Animal. narrat his verbis. *Draconis catulus cum infante Arcade, & ipſe in Arcadia natus, ſimul educatus perhibetur. Deinde etiam, cùm progreſſu ætatis & puer jam adoleſcens, & draco jam grandior eſſet, mutuum ſervabant amorem. Adoleſcentis verò neceſſarii, cùm feram vidiſſent tam brevi tempore ut magnitudine prægrandem, ita aſpectu immanem evaſiſſe; dormientem aliquando cum puero eodem in lecto, in locum quàm remotiſſimum deportârunt; eoq; illic relicto, cum puero redierunt. Manſit igitur in ſylvis draco, naſcentibus illic herbis & venenis veſcens, & ſolitariam vitam domiciliis & habitationibus hominum præferens. Poſtquam verò adjecto tempore & puer juventutem, & draco ætatem perfectam attigit; idem hic Arcas juvenis, cùm per deſertam ſui amantis regionem aliquando iter faceret, in latrones incurrens ſtrictis gladiis appetitus fuit: & percuſſus quidem, ſive quòd doleret, ſive quia opem imploraret, auxilium, ut par erat, exclamavit. Draco autem, beſtia & ad audiendum acerrima, & ad videndum acutiſſima, poſtquam puerum, quo cum amoris conſuetudinem habuerat, exaudivit; edito ſibilo, tanquam iræ ſuæ denuntiatione formidinum terrorem illis injecit: cujus metu trepidantes ſcelerati, alii aliò diſperguntur: quoſdam deprehenſos acerbiſſimâ morte affecit. Deinde ut veteris amici vulnera purgavit, & per loca illa, in quibus ſerpentes erant, ipſum eſt comitatus, poſtea ad eum locum revertit, quo expoſitus fuerat: neque tamen ei ex eo iratior factus eſt, quòd in ſolitudines abjectus fuiſſet, neque ut perverſi homines antiquum amicum in periculo deſeruit.* Huic ſimilis (ſi non

Digitized by Google

(ſi non eadem) eſt hiſtoria quam narrat idem Auctor lib. 13. variæ Hiſto. cap. 46. his verbis: *Civitas eſt in Achaia, nomine Patra. In ea puer draconem parvulum emebat, magnâq; eum curâ educabat: cùmq; creviſſet, loquebatur quaſi cum intelligente, ludens ac dormiens cum ipſo. Cùm verò ad ingentem magnitudinem draco perveniſſet, in ſolitudinem à civibus eſt dimiſſus. Pòſt cùm puer adoleſcens factus, reverſus à ſpectaculo quodam cum aliquibus æqualibus in latrones incidiſſet, & clamorem extuliſſet; ecce draco præſto eſt, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipſum verò ſalvum conſervat.* Quid ſi utraque ex fide Græca?

Idem *Ælianus* eodem libro 6. cap. 17. ſcribit, *apud Judæos, cùm Herodes rerum potiretur, eximiâ magnitudine draconi perpulchram admodum adoleſcentem fœminam in amore fuiſſe, indigenæ prædicant: ad quam ille quidem ventitaret, & ſimul cum ea amanter dormiret. Hæc verò etiamſi amator quoad poterat leniter & manſuetè ad ipſam adreperet, ejus tamen metu perterrita, ſe ſe ſubduxit; & ut ex amicæ abſentia eum amoris oblivio caperet, menſtruum ſpatium abfuit. At ei ſanè abſentis deſiderium augebatur, indieſq; amatorius affectus eatenus ingraveſcebat, ut noctes & dies ad eum locum, ubi cum adoleſcentula verſari ſolitus erat, frequens accederet. Cùm eam quam amabat, non inveniret; tanquam amator, cui amor optatis non reſpondet, acerrimo dolore affictabatur. Poſtea autem quàm puella revertiſſet, confeſtim eam adivit, ac valde amatoriè, tanquam ſpretus, ob eamq; rem amantiſſimâ irâ incitatus, reliquum per adoleſcentis corpus circumplicans, ejus crura parcè & molliter verberabat.* Ex his ſtolidè infert Ælianus, non ergo expertia rationis animalia à Cupidine illo etiam Jovis domino negligi, ſed ex his & aliis quemadmodum & erga ea affectus ſit, & ſingula curet, oſtendi.

Fuit & Alevas Theſſalus inuſitatæ magnitudinis draconi in amoribus, ut ex Hegemone in Dardanicis refert *Ælianus* lib. 8. de Animal. cap. 11. Erat Alevæ coma, ut fingit Hegemon, aurea (quam Ælianus flavam interpretatur) & in Oſſa monte ad Theſſalicum fontem nomine Hæmonium boves paſcebat. *Ad hunc adamatum draco ſenſim adrepere ſolebat, ejusq; comam deoſculari, & linguâ faciem lambendo detergere, & varia de venatu ſuo munera adferre.*

Mirabiles ſunt, ſi veræ, enarratæ hactenus hiſtoriæ; mirabilior quæ ſequitur, ab eodem *Æliano* lib. 10. de Animal. cap. 48. his verbis, tametſi longiuſculè ſcripta de Pindo Lycaonis filio, qui à tribus fratribus per invidiam in venatione occiſus eſt; & quomodo fratricidas draco jam priùs Pindo mirificè familiaris, ſit ultus. Verba Æliani ſunt hæc: *Lycaoni Emathiæ regi filius fuit, nomine Macedo: ex quo poſtea, antiquo nomine obſoleto, nominata regio eſt. Ex hoc quoq; Pindus (id enim ei nomen erat) filius procreatus, cùm robore animi, atque virtutis indole præditus fuit, tum formâ etiam excellens.*

Cæteri

Cæteri verò ex Lycaone liberi nati, improbo animo affecti, & corpore minùs ſtrenui erant. Hi cùm Pindo & virtutem, & cæteras illius dotes inviderent, non modò eum oppreſſerunt, verùm etiam pœnas tanti maleficii pendentes, ſeipſos funditus perdiderunt. Pindus enim ſentiens ſe fratrum invidiâ ardere, atq; ab iis inſidias ſibi comparari; regno, quod à patre acceperat, relicto, cùm robuſtus eſſet, & ad venandi ſtudium propenſus, non ſolum quidem vertit, ſed certè illic ibidem ævum in venando agitans, cùm aliquando hinnulos inſequeretur, & ſummâ virium contentione equum incitaſſet; ab eis qui ſecum venabantur, ſe longiſſimè abduxit: hinnuli verò altiſſimam cavernam ſubeuntes, ex inſectantis conſpectu ſe eripuerunt, atque ex periculo ſe ſervârunt. Is ex equo deſiliens, cùm hunc ad proximam arborem alligaſſet, cùmque ut diligentiſſimè potuit, latebram illam manibus perſcrutans, hinnulos exquireret; ſibi denunciantem vocem exaudivit, ne hinnulos tangeret. Quare ubi diu multùmq; circumſpexiſſet, nec quidquam videret; vocem ut ex majore quadam cauſa redditam extimuit; & ſimul in equum aſcendens, ex eo loco diſceſſit. Poſtero autem die ad eundem locum revertit: non eò tamen, quò illi ſe abdidiſſent, ingreditur, vocis memoriâ, quam auribus acceperat, deterritus. Cùm igitur dubitaret, quisnam pridie ſe ab inſectanda præda avertiſſet, ac, ut par erat, circumſpectaret montanos paſtores, aut venatores, aut aliquod tugurium: interea ei inuſitatâ magnitudine draco apparet, ex magna parte corporis adrepens, collumque & caput paululùm attollens, & ad ſe velut intendens. Collum autem cum capite erat eâ proceritate, ut vel cum proceriſſimo homine exæquari potuiſſet. Verùm ut ejus conſpectus Pindum exterruit, certè non in fugam impulit. At enim is ſe ſe ex maximo terrore colligens, ſapienter beſtiam mitigavit. Nam ex avibus, quas immolârat, ei cibum edendum objicit, & tanquam hoſpitalem menſam, & redemptionis ſuæ præmium appoſuit. Is ſanè velut donis delinitus, & captionibus, ut ita dicam, præſtrictus, ex eo loco exceſſit. Quod quidem ipſum ita jucundum Pindo fuit, ut ea quæ vel ex venationibus montanis, vel ex aucupio capere poſſet, draconi, tanquam vir bonus & gratus has ei donationes ex præda conſtituit: nam fortuna ei ſubinde proſperior aſpirabat: omnium enim quæ venaretur, ſecundâ venatione fungebatur, ſive terrena, ſive volucria perſequeretur. Quare gloriâ magnâ apud omnes erat &c. Pleriq; etiam viri eum, quòd ipſius virtus & forma admirationem omnium excitaret, diligebant. Soli fratres infenſo atque inimico animo in illum erant. Quamobrem eum ipſum aliquando ſolum venantem ex inſidiis aggrediuntur, atque in propinqui fluminis anguſtias compulſum, auxilioq; deſtitutum, ſtrictis gladiis appetunt, atque adeo trucidant. Hunc exclamantem cùm draco ipſius amicus exaudiſſet (etenim eſt animal ſenſu audiendi cùm acerrimo, tum videndi acutiſſimo) ſuo ex cubili prodiit, & ſimul impios circumplicans ſuffocavit: & verò caſum ſummâ diligentiâ tamdiu cuſtodire non deſtitit, dum cognatione defuncto proximi, deſiderio ejus permoti, ad illum humi jacentem veniſſent. Hi propius

 pius


pius facti, etſi juſto in luctu & ſqualore eſſent, accedere tamen, & ſepulturâ juſtique exequiarum interfectum, cuſtodis metu, afficere prohibebantur. Tum hic reconditâ quadam ac mirabili naturâ, intelligens ſe illos arcere, de præſidio ſtationeq; cadaveris tranquillè diſceſſit, quò commodiùs nullâ interpellatione ſupremam gratiam à propinquis aſſequeretur.

Monitio ad Lectorem.

Multa ſuperſunt dicenda tum de Serpentibus ac Draconibus, tum de aliis nonnullis animalibus rarioribus, præſertim Subterraneis, Inſectis, Exanguibus, in hujus Appendicis Proœmio promiſſis: ſed frequens & hactenus non conſueta valetudinis interruptio, aliaque intercurrentia negotia, ulteriùs progredi vetant. Siſto ergo calamum, & ad Appendicem ultimam, ultimo libro ſubjungendam pergo, & totum Opus finio.

LIBER

Iconiſmus LVII. Ponatur è regione pag. 1179.



Parelia viſa Dantiſci Anno 1661.

Digitized by Google

LIBER UNDECIMUS
DE
MIRABILIBUS METEORORUM.

PROOEMIUM.

MEteorologiam aggredimur, hoc eſt, eorum, quæ in ſublimi fiunt, ſermonem atque doctrinam, eamque ſolam ac puram: neque enim animus eſt, Terræ quoque penetralia ſubire, fontium ac fluminum originem, ignium ſubterraneorum naturam, terræ-motuum cauſam, metallorum generationem, aliorumque, quæ Terræ intima aut condunt, aut promunt, perſcrutari; ſed illa ſolum, quæ μετέωρα à Philoſophis non injuriâ appellantur, pluvias inquam, tonitrua, fulmina, fulgura, ignes fatuos, aliaque ejusmodi. Quin nec omnia, quæ Meteororum voce gaudent, in examen vocabimus, ſed rariora ſolùm, & quæ faciliùs expediri poſſunt. Cometas ergo, & ſi quæ ſunt alia, quæ longiori ſcrutinio indigent, in Mundum Mirabilem, aliosque Tractatus, quos DEO favente dabimus, rejiciemus.

Tantum verò abeſt, ut horum tractationem ab inſtituto noſtro alienam exiſtimemus, ut nihil omnium, quæ in antecedentibus expendimus, magis dignum cenſeamus, quod à curioſo Phyſico expendatur. Quæ dedimus hactenus, DEI ſapientiam, potentiam, ac bonitatem manifeſtant; quæ hoc Libro dabimus, DEI etiam juſtitiam, ac in impios vindictam. Quotus enim quisque eſt, qui ad tonitruorum tumultum formidabilem, ad fulminum inevitabilem ſævitiam, ad prodigiorum aëreorum conſpectum, aut non timeat irati Numinis vindictam, aut non mox in

divinæ Juſtitiæ cogitationem devolvatur? Apage ergo cum trito iſto: *ἄνω οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, quæ ſupra nos, nihil ad nos:* vulgi hæc, & de fæce plebis eſt vox, Philoſopho indigna. Statuamus potiùs, quod ſapienter enunciat nobiliſſimus Meteorologicorum Scriptor Fromondus, Naturam, aut Naturæ potiùs Auctorem DEUM, iſta in alto ſuſpendiſſe, atque oculis noſtris expoſuiſſe, ut ſuſpiceremus CREATORIS in mirabilibus ſuis ſapientiam, & majeſtatem. Is ſtudii hujus, ſcriptionisque, ac lectionis ſit finis, ut animus rerum harum ſcientiâ ſuccollatus, altiùs ſcandat, penetretque ſe longiùs in OMNIPOTENTIS admirationem, & laudes.

Sed antequam longiùs provehar, moneo, toto hoc Libro ſermonem fore ſolùm de Meteoris ſublunaribus; de Cometis enim ſuperlunaribus, qui utique Meteora quoque ſunt, nihil hîc agetur, ut dixi; neque de aliis, ſi quæ fortè contingunt in cœleſti Expanſo.

PARS I.

METEORIS OMNIBUS COMMUNIA.

Meteoris omnibus communia ſunt, locus in quo oriuntur, morantur, & occidunt; materia ex qua; efficiens à quo; finis ob quem oriuntur; & ſi quæ ſunt alia. Hæc neceſſariò præmittenda ſunt, ne aut idem ſæpius repetere cogamur, aut transilire quæ ad perfectam Meteororum cognitionem ſpectant. Quæ quidem eò perſcrutanda nobis ſunt diligentiùs, quò magis videntur communia, & omnibus obvia; ne veſtigia aliorum magis, quàm ductum rationis ſecuti videamur. A Materia ergo incipimus.

CAPUT

CAPUT I.

De Materia Meteororum.

THeophraſtus Paracelſus, inter Opuſcula alia, unum de Meteoris ſcripſit, tam miris ſententiis ac loquendi modis refertum, ut meritò dubitet *Nicolaus Cabeus* Commentar. in lib. 1. Meteor. Ariſtot. text. 19. quæſt. 1. num ſeriò loquatur, an verò animi causâ quædam jocosè proferat: vel potiùs num id ſentiat quod primâ fronte verba ſignificant; an verò in mentis receſſu arcanum quid atque ſublime reconditum habeat, quod Alchimiſtarum more verborum velamine tegere nitatur. Ego verò tametſi ab aliorum cenſura, multòque magis à contemptu abſtinuerim hactenus ſemper, hîc tamen continere me non poſſum, quin ſincerè quid ſentiam, enuntiem, Paracelſum videlicet in dicto Opuſculo (quidquid ſit de aliis ejus Operibus) aut nullum, aut planè phantaſticum ſe probare Philoſophum, ut qui tam mira, tam ab omni vera Philoſophia aliena, tam doctis omnibus contraria, Lectoribus ſuis, ſine probatione ulla, & ſine cujuſquam auctoritate, obtrudit. Quare ſi quas toto hoc Libro ſententias ejus retulero, eo ſolùm fine id me facturum aſſero, ut videat Lector, quæ portenta parturiant non mala alioquin ingenia, ſi veram Philoſophiam aut deſerant ipſa, aut ab eadem deſtituantur. Paracelſi de Meteoris Opuſculum quale ſit.

Paracelſus igitur Meteororum materiam aliam non agnoſcit, quam ſulphur, ſalem, & liquorem (hoc eſt, Mercurium, ſeu argentum vivum) producta non à Terra, aliisvè ſublunaribus, ſed à ſtellis, quas ait eſſe arbores firmamenti, producentes tria iſta, iiſque mediantibus meteora varia, non ſecus ac arbores Terræ producunt ſuos fructus. Quâ verò id ratione explicet, dicemus ſuis locis, cùm de Meteoris ſpeciatim agemus. Meteororum materia ex Paracelſo.

§. I. Ariſtotelis & Peripateticorum opinio de Meteororum materia.

ARiſtoteles tamen lib. 1. Meteor. cap. 4. & quotquot ferè poſt eum de Meteoris ſcripſêre, materiam propinquam omnium conſtituunt duplicem ſpiritum, ſeu halitum, vi caloris Solis, vel ſtellarum, aut etiam ignium ſubterraneorum extractum à Terra, aliiſque corporibus ſublunaribus, atque in altum elevatum, ibidemque variis ab efficientibus in varia Meteora conformatum. Meteororum materia ex Ariſtotele, & Peripateticis.

Duo porrò illi ſpiritus, ſeu halitus, nihil aliud ſunt quàm partes ſubtiles ac tenues corporum à quibus extrahuntur, abeuntes velut in fumum, ac diſcedentes in auras. Nec tamen hæ partes ſubtiles ſunt omnes ejuſdem rationis. Nam aliquæ ſunt magis vaporoſæ, magiſque humidæ, quia Vapor & Exhalatio.

ex ſubſtantiis humidioribus educuntur; ac ob id craſſiores ſunt, & graviores. Aliæ verò ſunt magis ſpiritoſæ, ac magis ſiccæ, quia ex ſubſtantiis ſiccioribus extrahuntur; ac ob id tenuiores ſunt, & leviores. Priorem halitum vocant *Vaporem*, alterum *Exhalationem*. Uterque calidus eſt, quandoquidem calore extrahitur, & elevatur: at *Vapor* eſt calidus & humidus, quia ex humidis extractus; *Exhalatio* eſt calida & ſicca, quia ex ſiccis educta. Utrumque non obſcurè videmus ſæpe è locis humentibus, atque ex ipſis terræ glebis Sole ſplendente, aſcendere in aëra; quanquam non diſtinctè unum ab altero diſcernamus.

Exhalatio duplex. Exhalatio duas quaſi ſpecies ſub ſe continet. Una enim è terra pingui, viſcoſa, glutinoſa, ac bituminoſa oritur, habetque partes ſibi admodum cohærentes, ob materiæ tenacitatem; cui proinde Solis calor acriter inuritur. Altera ex aridiori terra, cujus partes minorem inter ſe cohæſionem habent, exhalatur, habetque partes ſibi minùs cohærentes, ob materiæ ſiccitatem; unde Solis calor minùs efficaciter ei imprimitur.

Tam vapor igitur, quàm exhalatio, ab extrinſeco ſolùm calida ſunt, at naturâ ſuâ frigiditatem poſcunt, quandoquidem, ut poſtea dicetur, ſubſtantialem terræ & aquæ formam retinent. Diſcrepant verò tum formis ſubſtantialibus, tum materiâ ex qua evocantur, ut diximus. Verum tamen eſt, ſæpe utrumque halitum à terra reddi, quoniam terra & aqua plurimis in locis mixtæ ſunt. Quo etiam fit, ut ſæpe vapor & exhalatio hinc mixtim ferantur. Ubi tamen in altum ſunt evecti, ſocietate divelluntur, & vapor, utpote ponderoſior, in media ſubſiſtit regione aëris; exhalatio verò, utpote levior, altiùs evehitur, ac ſupremam petit regionem. Nec refert, quòd terra, è qua exhalatio educitur, gravior eſt quàm aqua, è qua educitur vapor: eſt enim terra naturâ ſuâ minùs frigida quàm aqua, magiſque calorem excipit, ac retinet, tum ob ſiccitatem, tum ob majorem ſoliditatem pinguedini quaſi oleaceæ intermixtam; ex majori autem calore major levitas oritur.

Vapor & Exhalatio non differunt eſſentialiter à terra & aqua. Addunt, qui Ariſtotelis ſententiam ſectantur, nec vaporem ab aqua, nec exhalationem à terra eſſentialiter differre, ſeu formâ ſubſtantiali, ſed accidentaliter tantùm, ſeu formâ accidentali. Rationem adſignant, quòd facilè in eadem elementa, è quibus extracti fuêre, reſolvantur; quod quidem in vapore quotidiana docet experientia, cùm vapor ex olla in operculum ſcandens, eique adhærens, ſtatim in aquam revertatur. Idem apparet in chymicis diſtillationibus, ubi herbarum ſucci ab igne ſublimati, & alembico adhærentes, mox in aquam, quam vocant diſtillatam, concreſcunt.

§. II. Pla-

Digitized by Google

§. II. Platonis & Bodini opinio de materia Meteororum.

PLato, referente *Olympiodoro* lib. 1. lect. 5. ſolum vaporem calidum & humidum ex aqua manantem, conſtituit Meteororum materiam; exhalationem verò è terræ ſubſtantia exſpiratam minimè agnoſcit, quòd nec in alia elementa transmutari, nec in halitus ullos reſolvi queat. Platoni adhæret *Bodinus* in theatro, & quidam alii. Et aquam quidem, cæteroſq; liquores in vapores reſolvi, in confeſſo eſt apud omnes: nam ollas ſubjectis ignibus fumare, imò vacuari, lacus æſtivis Solibus ebibi, cernimus. Meteororum materia ex Platone, & Bodino.

Terram verò halitus nullos emittere, his probatur rationibus. *Primò*, quia Terram etiam diutiſſimè Soli expoſitam decreſcere non videmus, ſed ſolùm areſcere extracto humore, qui poris continebatur, ac tandem diſſolvi in pulverem. *Secundò*, quia ignis cineres conſumere nequit, quòd omni humore careant; ergo nec terram, quæ naturâ ſuâ ſicciſſima eſt.

Sed hiſce non evertitur Ariſtotelis & Peripateticorum ſententia. Nam *Primò*, thus, pulvis pyrius, ſulphur, piper, aliaque ſicciſſima, ſuas exſpirationes habent, cùm calore excitantur, ut quotidiana docet experientia; cur ergo eas terræ denegabimus? *Secundò*, quia aqua pluvia & nix liquata, multum ſedimenti & terreſtris limi habent, ut quotidie videmus, cùm fundum vaſis, in quo aſſervantur, altè ſatis obliment; terrena ergo materia cum aquea in altum elevatur. *Tertiò*, quia lignorum fumus magnâ ex parte ſiccus & terrenus eſt, ut patet ex fuligine, quâ caminos inficit; terrea ergò ac terræ ſimilis ſubſtantia, è terreis corporibus exhalatur.

Oppoſita facillimè diſſlantur. Humor enim terræ permiſtus, faciliùs extrahitur, & in altum elevatur, quàm ipſa terra; at non propterea terreæ partes nullæ attrahuntur. Decreſcit igitur terra, ob continuam exhalationum attractionem, ſed reſtauratur pluviis, nivibus, aliisque meteoris tandem diſſolutis. Quin & ipſi cineres diuturnis ignibus carpuntur, & magnitudo ac pondus eorum decreſcit, ut experientia docet.

§. III. Alberti Magni de Meteororum materia opinio.

ALbertus Magnus lib. 1. tract. 4. cap. 1. quatuor exſpirationum ſeu halituum ſpecies facit, quæ Meteoris materiam præbeant. Primam nimirum calidam & ſiccam, è terra ut plurimùm ortam: ſecundam calidam & humidam, ortam ex aqua, & liquoribus atque humoribus aliis: tertiam frigidam & ſiccam: quartam deniq; frigidam & humidam. Et primam quidē ait vi caloris in ſublime præ cæteris evehi, atq; ex ea generari impreſ- Meteororum opinio ex Alberto Magno.

impreſſiones meteorologicas ignitas; ſecundam parum aſſurgere, ac facilè in aërem verti; tertiam in ventos abire; quartam denique meteoris humidis ſervire, pluviæ inquam, nivi, pruinæ, & ſimilibus.

At hæc opinio quoad duas poſteriores ſpecies rationi repugnat, ſiquidem nulla exſpiratio in altum elevata, ac meteoris iis, quæ in ſublimi fiunt, materiam præbens, frigida eſſe poteſt, cùm omnes vi caloris excitentur, ac eleventur, nec excernantur è corpore ullo, niſi rareſcente vi caloris rarefactionem cauſante. Adde, quòd cùm omne frigidum ſit grave naturâ ſuâ, ſi vapor & exhalatio frigida eſſent, non aſcenderent in ſublime, ſed humi reperent.

§. IV. Noſtra de Meteororum materia opinio.

Meteororum materia ex noſtra opinione.

Ex dictis hactenus patet, Peripateticos duas tantùm halituum, qui meteoris materiam præbent, ſpecies conſtituere, aqueam ſcilicet, & terream. Ego verò exiſtimo, tot eſſe halituum, ſeu effluviorum differentias, quot ſunt rerum ſpecies, è quibus oriuntur; easque non minùs ſpecie inter ſe, quàm res ipſas, quarum effluvia ſunt, diſtingui.

Effluvia varia omnium miſtorum, ſunt materia meteororum.

Probo in hunc modum. Non terra tantùm, & aqua, ſed res aliæ, ut flores, fructus, vina, & quævis alia miſta, calore ſeu Solis, ſeu ſubterraneorum ignium agitata ac reſoluta, emittunt in aëra effluvia ſua; quæ aliud non ſunt, quàm corpuſcula quædam minima inſtar atomorum, & ſublata agitantur, ac inter ſe permiſcentur, retinentque nihilominùs ſuam quælibet naturam ac formam ſubſtantialem, non ſecus ac dum arena nigra & alba inter ſe permiſcentur, quælibet ſuum colorem retinet.

Primum oſtendo multis experimentis. Nam primò, venti ſemper redolent corpora illa, quæ prætervehuntur. Nam qui è terra ſola ſpirant, ſicci ſunt, quia corpuſcula terrea ac ſicca ſecũ deferunt; qui è mari erumpunt, humidi ſunt ac frigidi, quia vapores aqueos devehunt. Hoc adeo manifeſtè deprehenditur in Sicilia, maris Mediterranei Inſula, ut venti ex Italia per mare Tyrrhenum in urbes maritimas Italiæ objacentes delati, frigidi ſint, & in æſtivis caloribus gratiſſimi; iidem per Inſulam ad urbes maritimas Africæ objacentes delati, calidi ſunt, ac moleſti æſtivis temporibus. Contrarium notatur in ventis ex Africa adſpirantibus. Sic etiam ex locis odore fragrantibus proflant venti odorati, ex ſanis ſani, ex noxiis noxii, ex ſulphureis ſulphurei. Sic ubi roſarum eſt copia, totus circum circa aër repletur odore roſarum: & quo tempore circa urbem noſtram vitiferi colles, qui urbem totam cingunt, ac præter cœli & vinearum aſpectum alium non permittunt, florent, odore gratiſſimo urbs tota perfunditur. Londini in Anglia, quia in tota ac vaſta urbe foco utuntur è carbonibus

Digitized by Google

bonibus foſſilibus, totus aër volatili ſale & fuligine repletur: unde lecti, aulæa, & quævis utenſilia, quantumvis antea nitida ac ſplendida, tempore breviſſimo obfuſcantur: quin & cum aëre dicta fuligo intra clauſa conclavia, intraque ipſas ciſtas ſeſe inſinuat, & omnia velut farinâ nigrâ obducit, lintea ac papyros inficit; & quod mirabilius, arborum flores in campis. Eadem de cauſa, cùm urbis incolæ aërem iſtum ad refrigerandos pulmones attrahant, phlegmata exſpuunt planè nigra ac fuliginoſa, inflammatione & exulceratione pulmonum infeſtantur, ac plurimi peripnevmoniaci ac phthiſici moriuntur. Simile quid contingit Leodii, ob ſimilem cauſam. Hæc omnia teſtatur Excellentiſſimus ac Doctiſſimus Dominus Digbæus in Libello de pulvere ſympathico, ubi & alias experientias adducit, quas omitto. Stet ergo, aërem totum ſcatere continuò prædictis corpuſculis minimis, ceu atomis, uno quidem loco unis, alio aliis, pro rerum diverſitate è quibus oriuntur. Oriuntur autem, dum corpora diverſa calore vel Solis, vel ignis, vel calido innato animalibus ac plantis, vel aliâ viâ calefiunt, ac veluti diſſoluta in altum jaculantur partes tenuiores ac ſubtiliores, craſſioribus ac corpulentioribus deorſum manentibus. Ad eum nimirum modum, quo, dum linteum madefactum ad ignem calefit, halitus vapidi evolant in aërem; aut quo, dum herbæ, aliæve res diſtillantur, vapores in altum nituntur, & niſi alembici carcere coarctarentur, aëra peterent.

Secundum autem, quòd dicta hactenus corpuſcula differentis inter ſe ſunt naturæ, inde conſtat, quòd eſſentiali formâ non differunt à rebus quarum ſunt corpuscula; non ſecus ac vapores atque exhalationes ſpecie non differunt à terra & aqua, ut cum Ariſtotele Peripatetici ſentiunt. Ut ergo corpore è quibus extrahuntur, non unius ſunt ſpeciei, ita nec corpuſcula. Nec refert, quòd in aëre inter ſe permiſcentur: miſtio enim non facit (ſaltem non ſemper) ut propriam naturam exuant; ſicut miſtio ramentorum auri, argenti, ferri, non mutat eorum naturam; nec miſtio aquarum diſtillatarum è roſis, cicoria, fæce vini; ac ſimilibus rebus, efficit (ſaltem non ſemper) ut in ſe invicem mutentur, & omnes unam induant naturam. Stet ergo, in aëre non ſolùm eſſe effluvia humida, & ſicca, vapores ſcilicet, & exhalationes, quæ ſint aqua, & terra; ſed tot eſſe illorum ſpecies, ſimul permixtas atque confuſas, quot ſunt ſpecies rerum, ex quibus vi caloris, aut ignis, aut aliâ ſimili actione reſolvuntur. Hinc communiter dicitur à ſenſatioribus Philoſophis, aërem repletum ſemper eſſe πανσπερμίᾳ ſeu ſeminali virtute rerum.

Ex his deduco, non vapores tantùm & exhalationes ſi ſumantur ut à Peripateticis ſumuntur, eſſe Meteororum materiam proximam, ſed quarumvis rerum effluvia ſeu corpuſcula, quæ è rebus abſciſſa in altum

evolant: ut enim aquæ & terræ, ita & quarumvis aliarum rerum effluvia in nubes, in pluvias, in fulmina, in alia meteora conflantur, uti ex ſequentibus patebit.

Quòd ſi Ariſtoteles & Peripatetici vaporum & exhalationum nomine intelligunt quorumvis humidorum ac ſiccorum effluvia; ab iis non diſſentimus: Revera enim duo tantùm ſunt effluviorum ſumma genera quæ aſcendunt, humidum ſeu aqueum, & ſiccum ſeu ſpiritoſum. Quòd verò in rebus compoſitis nec humidum eſt, nec ſpiritoſum, non evolat. Et hoc fortaſſe volunt Chymici, cum *Paracelſo*, Opuſculo de tribus Principiis, omnia conſtare ſale, ſulphure, & Mercurio. Salem enim videntur vocare partem rerum fixam, quæ non reſolvitur in effluvium, nec aſcendit, ſed ſemper manet gravis; ſulphur partem ſpiritoſam; Mercurium partem aqueam. Sed de hoc alibi fortaſſis.

CAPUT II.

De loco Meteororum.

Meteororum locus. LOcus in quo Meteora, de quibus hîc agimus, generantur, & conſpiciuntur, Aër eſt. Tametſi enim & in Terra contingant; de iis tamen nihil ſtatuimus. Tametſi quoque Ignis regio, ex multorum opinione, qui eam Aëris convexo, & Lunæ concavo concludunt, à Meteoris non ſit immunis; ab Aëre tamen eam nequaquam ſecernimus, ut alibi probabitur. Solus ergo Aër locus eſt Meteororum noſtrorum. Noſtrorum inquam, ſeu Sublunarium; nam de ſupralunaribus hîc non agimus. De hoc ſequentia diſcutiemus.

§. I. Aër in tres regiones dividitur à Philoſophis.

Aëris tres regiones. UNiverſus Aër, Terraquei globi convexo, & Lunæ concavo comprehenſus, in tres à Philoſophis regiones dividitur, Infimam, Mediam, Supremam. Infimam appellant eam, quæ Terraqueum globum ambit, & ad illam uſque partem porrigitur, quæ radiis Solaribus reflexis non ampliùs incaleſcit. Supremam dicunt plerique, quæ inter cavum ſphæræ ignis (ſic loquuntur) & paulò infra altiſſimorum montium faſtigia intercepta eſt. Nos Lunæ concavo concludimus illum ſuprà; quantum verò infrà porrigatur, ex dicendis patebit. Media inter duas jam recenſitas jacet.

Aëris regionum qualitates. His tribus Aëris regionibus varias attribuunt qualitates, & quaſi proprietates. Tametſi enim (ajunt) totum aëris elementum ſuâpte naturâ humidum ſit in gradu ſummo, & calidum in excellenti; ex accidente tamen

men variè immutatur circa has aliasque ipſius affectiones. Nam *Suprema regio* (ajunt iidem) ultrà quàm ejus natura poſtulet, calida eſt: Primò, ob ignis vicinitatem: Secundò, ob flammulas ab igne nonnunquam decedentes: Tertiò, quia exhalationibus calidis eò ſubeuntibus aſſiduè conſpergitur: Quartò, quia cœli & ignis circumvectione, quæ calorem ciet, continenter rapitur. *Infima* quoque *regio* calida eſt plùs quàm nativa ejus conditio expoſcat (minùs tamen quàm ſuprema) quoniam incaleſcit tum vaporibus & exhalationibus, quas è terra & aqua prodeuntes excipit; tum reflexione radiorum, qui in ſe geminati impenſiùs calefaciunt; tum denique propter ignes tam ſupra, quàm ſub terraneos. *Media* denique *regio* frigida eſt: Primò, quia vapores eò ſubeuntes reducuntur ad nativum frigus, & aërem circumfuſum refrigerant: Secundò, quia aër ita refrigeratus, cùm ex ſuperiori & inferiori parte obſideatur calido aëre, per antiperiſtaſin algeſcit magis: Tertiò, quia nec repercuſſio ſolarium radiorum, nec elementaris ignis fervor, nec impetus, quo ſuperior pars in orbem rapitur, eò pertingit. Alias cauſas alii addunt. Hæc an vera ſint, in ſequentibus examinabimus.

§. II. Aëris regio Infima incaleſcit præcipuè à radiis Solis reflexis.

Aërem Terraqueo globo circumfuſum incaleſcere ab ignibus ſubterraneis, qui partim manifeſtè erumpunt, ut in Ætna, in Veſuvio, in Vulcanis ſeu Liparenſibus Inſulis, in Hecla, aliiſque ignivomis montibus, partim per terræ poros, & occultos meatus tranſpirant; dubium nullum eſt, & agnoſcit etiam *Seneca* lib. 2. Natural. Quæſt. cap. 10. Solem quoque calefacere & Terram, & Terræ circumfuſum aërem, experientia manifeſta quotidiana, ac perpetua dubitare non ſinit. Difficultas eſt, & maxima quidem, quomodo Sol calefaciat, præcipuè infimam aëris regionem, non calefaciendo mediam interjectam. *Aëris regio infima incaleſcit à radiis reflexis Solis.*

Reſponſio communis eſt, Solem calefacere aut per ſolum lumen, aut ſimul per lumen & motum. At cùm Solis motus ad nos non perveniat, facilè evaneſcit reſponſio quoad motum. De lumine etiam difficultas eſt. Nam primò multa ſunt quæ illuminant, quæ tamen non calefaciunt, ut Luna, noctiluca corpora, aliaque ſimilia, de quibus in *Pyrotechnia noſtra 4. parte Magiæ lib. 2.* egimus. Secundò, ſi Sol per lumen calefacit, quò magis intenſum erit lumen, eò magis intenſus erit calor in illuminatis; ideoque media aëris regio calidior erit, quàm infima, cùm in illa intenſius ſit lumen Solis, quàm in hac, eò quòd Sol uniformiter difformiter diffundat lumen, majuſque in propinquis, quàm in remotis locis. Tertiò, quia poſito quòd Sol uniformiter difformiter illuminet, ut diximus; magis illuminabit, & conſequenter magis calefaciet terram *Sol an calefaciat per lumen.*

& circumfuſum aërem, in hyeme apud nos, quàm in æſtate, cùm in hyeme ſit in perigæo, & nobis multis ſemidiametris terræ propinquior, quàm in æſtate, dum in apogæo eſt.

His difficultatibus victi aliqui dicunt, Solem calefacere quidem per lumen, ſed quaſi materialiter, quatenus radii Solis dum ad nos deſcendunt, per ignis regionem Lunæ concavo ſubjectam tranſeunt, ſecumque deferunt ad nos igneos ſpiritus, qui terram & vicina terræ ſpatia calefaciunt. Sed neque ſphæra ignis ſub Luna eſt; neque ſi eſſet, explicari poteſt, quomodo lumen deferat ſecum igneos ſpiritus, quoniam radii Solis non ſunt corpuſcula quædam veluti jacula, quæ ibi in tranſitu incandeſcunt, aut aliâ quavis ratione ſpiritus illos ſecum deferunt. Deinde cùm priùs tranſeant radii Solis mediam, quàm infimam aëris regionem: magis illam, quàm hanc calefacere deberent. Demum non minùs in hyeme, quàm in æſtate, aërem calefacerent, cùm utroque tempore regionem ignis pervadant, antequàm ad nos perveniant. Adde quòd etiam lumen Lunæ & ſtellarum non parum calefacerent terram, & aërem. Omitto alia argumenta, quæ excogitari poſſent.

Alii dicunt, motum cœlorum, præſertim diurnum, disjicere ignem ex concavo Lunæ, & protrudere ad nos; ad eum modum, quo videmus, motum circularem rotarum disjicere ac propellere circumquaque res ſibi contiguas. Sed hæc reſponſio vix confutatione digna aliquibus videtur. Nam (inquiunt) cœlum non eſt ſolidum, ut hæc ſententia ſupponit, ſed liquidum ac permeabile, ut communis nunc fert opinio: partes autem cœli permeabilis alio motu diurno non cientur, quàm truſionis ac tractionis, quatenus aſtra motu diurno ab Oriente in Occidentem perniciſſimè mota per cœli tractum, ut aves per aërem, partes cœli anteriores protrudunt, poſteriores poſt ſe trahunt. Hic autem motus nequit diſſipare ſphæram ignis, ejusque partes disjicere, etiam admiſsâ illâ ſphærâ ſub Lunæ concavo. Secundò non minùs in hyeme, quàm in æſtate, detruderentur ad nos ignis particulæ, aut ſpiritus: nec minùs ad ſecundam, quàm infimam aëris regionem. Tertiò, ſphæra ignis nulla ibi eſt. Quartò, admiſsâ ſphærâ ignis, & motu cœlorum etiam ſolidorum, & disjectione ignis; hic non deſcenderet ad nos, quoniam motus circularis non disjiceret ignem verſus centrum Mundi, ſed ad latera.

Alii ajunt, Solem non calefacere per lumen, ſed per propriam vim calefactivam, præſertim ſi ſtatuatur eſſe formaliter calidus, & formaliter ignis. Sed hoc admiſſo, non evitantur difficultates hactenus adductæ. Nam vis illa calefactiva non poteſt agere in infimam regionem aëris, & in terram, niſi priùs agat & in cœlum, & in ſupremam ac mediam regionem, & quidem vehementiùs quàm in infimam, cùm uniformiter difformiter agat. Redeunt ergo omnia argumenta facta.

Com-

Digitized by Google

Communis reſponſio nunc eſt, ſive Sol calefaciat per lumen, ſive per vim calefactivam diſtinctam à lumine, ſive per utrumque, eum non calefacere niſi per reflexionem, atque adeo niſi per lumen & calorem reflexum. Probant ex eo, quòd tametſi Sol in hyeme vicinior ſit terræ, quàm in æſtate, ut diximus; minùs tamen calefacit terram & aërem terræ vicinum, quàm in æſtate, quia radii reflexi in hyeme minùs uniuntur cum directis, quàm in æſtate: nam in æſtate, quoniam vicinior vertici noſtro eſt Sol, quàm in hyeme, magis perpendiculariter radiis ſuis directis terram ferit, ideoque radii reflexi directis incurrentes magis conduplicantur. Sed hæc inſinuaſſe ſufficiat. Qui radiorum reflexorum vias & angulos directis æquales novit, intelligit mentem noſtram.

Sol calefacit infimam regionem aëris per radios reflexos.

Accedit quòd, licèt hyeme Sol in Perigæo exiſtens vicinior ſit nobis; quia tamen non ſolùm obliquo radio terram ferit, ſed etiam montes, arbores, ædificia, aliaque infinita, quibus terræ ſuperficies exaſperatur, umbras longiores projiciunt, quàm æſtate, eâdem diei horâ; umbræ verò omnes lumen frangunt ac debilitant, eoque magis, quò majores ſunt: ideo mirum non eſt, aërem terræ vicinum minùs hyeme, quàm æſtate incaleſcere. Eâdem de cauſa manè & veſperi, quando Sol terram obliquiori radio ferit, & umbræ rerum proceriores ſunt, minùs caloris ſentimus, quàm circa meridiem, quando rectiori radio terra percutitur, & umbræ rerum magis circumcirca decurtantur. Hinc etiam eſt, quòd loca quæ hybernum Solem ſine umbra excipiunt, ut montium, clivorum, tectorum Soli oppoſitorum latera, ſatis tunc incaleſcant, nivesque fortè adhærentes facilè contabeſcant. Hoc ſciens *Cardanus* lib. 4. Subtilit. docet rationem concinnandi hortum, qui totâ etiam hyeme educat olera & fructus, ſi nimirum ſolum fiat mobile, ut ad elevationem ac depreſſionem Solis elevari ac deprimi poſſit, ita ut angulis ſemper rectis incidentes radios excipiat, & ad eoſdem angulos reflectat.

Sol cur minùs hyeme, quàm æſtate, calefaciat aërem.

§. III. An, & cur media aëris regio ſit frigida.

Qui mediam aëris regionem frigidam tantùm ſtatuunt, duas cauſas privativas ejus rei afferunt; carentiam ſcilicet caloris producti à radio Solis reflexo, qui tam altè non reſilit; & carentiam producti à directo. Sed utraque ſuis obſepta eſt difficultatibus.

Aëris regio media, an, & cur frigida.

Nam ſi lumen reflexum eſt cauſa caloris in infima regione, cur non etiam eſt in media, cùm eò usque etiam pertingat lumen reflexum, & longè adhuc altiùs aſcendat? Dubium enim nullum eſt, in Luna conſiſtentem videre poſſe Terram à Sole illuminatam; quod tamen non fieret, ſi lumen à Terra ad Lunam non reflecteretur, quoniam illuminatum corpus videri nequit à potentia viſiva, niſi lumine illius informata. Præterea

ſi Luna à Sole infra horizontem noſtrum exiſtente, & maximè à Luna remoto illuminata, reflectit ad Terram lumen Solis; cur non Terra quoque lumen Solis ad Lunam reflectet? Si ergo lumen Solis reflectitur ad Lunæ cœlum, & ultra,& conſequenter ad ſecundam aëris regionem; cur eam non calefacit?

Ulteriùs, cur lumen Solis directum non calefacit mediam regionem, vaporibus & exhalationibus continuis addenſatam, & nubibus præterea obductam? Nam dicere quòd lumen directum non ſit calefactivum,ſed ſolùm reflexum, eſt aſſerere plusquàm incredibile: Radius enim directus ejusdem rationis eſt cum reflexo. Demus tamen verum eſſe, quòd media regio ſolùm penetretur à radiis directis, infima verò à directis & reflexis; nondum exhauſta eſt difficultas. Nam, ut §. præcedenti diximus, radii directi à Sole ad Terram uniformiter difformiter diffunduntur, & quò magis provehuntur, eò magis remittuntur ac langueſcunt; ergo in media regione intenſiores ac fortiores ſunt, quàm in infima,etiamſi reflexi radii infimam penetrent, mediam non attingant: ſic enim argumentari licet. Sit calor in ſuprema regione intenſus ut ſex, in media ut quinq;, in infima ut quatuor, in terræ ſuperficie ut tria: cùm ergo reflexio debilitet lucem, ut Optici demonſtrant, & probat experientia; non redibit ad primam regionem cum tanta intenſione, cum quanta procederet ulteriùs directè, ni terra obſtaret: procederet autem directè ut duo,ergo non reflectetur ut duo, ſed ſolùm ut unum, & cum calore ut quatuor antea ibi exiſtentè efficiet calorem ut quinque; erat autem & in media regione ut quinque; ergo non major calor in infima regione, quàm in media erit.

Experientiâ nihilominùs conſtat, frigidiorem eſſe mediam,quàm infimam regionem: in illa enim vapores concreſcunt in nubes, aliaque generantur meteora, non in hac. Quæ ergo hujus rei cauſa eſt?

Dicunt, ut vidimus initio hujus capitis, cauſam eſſe vapores naturâ ſuâ frigidos, qui ad ſecundam regionem elevati, redeunt ſponte ſuâ ad nativum frigus, & aërem circumfuſum refrigerant. Sed hoc non ſatisfacit undequaque: non enim reduci poſſunt vapores ad frigus nativum,ni ceſſet extrinſecum calefaciens,& circumſiſtat extrinſecum frigus. Antecedenter ergo ſecunda aëris regio eſt frigida, ut vapores refrigeret, & in unum cogat. Concedunt aliqui apud *Conimbricenſes*, ipſique putant, non improbabile eſſe, initio Mundi injectum fuiſſe à DEO aëri in media illa plaga frigus, ad faciliorem gignendorum imbrium commoditatem. Sed hoc divinare eſt, & contra cauſæ primæ morem, quæ ad naturales & ſemper perpetuandos effectus utitur cauſis ſecundis.

§. IV. No-

§. IV. Noſtra ſententia de frigore ſecundæ regionis aëris.

EGo hac in re ſuppono unum, & illo ſuppoſito conſulo experientiam, & probo intentum.

Suppono ergo, Solem eſſe formaliter calidum, & non per lumen, ſed per formalem vim calefactivam producere calorem, & calefacere. Probavi hoc in *Itinerario Exſtatico Kircheriano* Præluſione ad Solem, & probabo iterum in Mundo Mirabili; eâque de re tam parum dubito, quàm quòd ignis noſter formaliter calefaciat. Hoc ſuppoſito, *Sol eſt formaliter calidus.*

Ajo I. Solem calefacere omnia media, per quæ tranſit calor ab ipſo productus, ſed quælibet pro ſua capacitate. Nam experientiâ conſtat, non omnia eſſe æquè capacia ut calefiant, etiamſi æquè, ac etiam magis quàm alia, ſint ſuſceptiva caloris. Ignem noſtrum circumſtat aër, aqua, nix, ſtuppa, lignum, ferrum, & alia ſimilia: omnia calefiunt, ſed inæqualiter; aër & aqua vix, nix nè vix quidem, lignum mediocriter, ferrum adeo ut manum admotam urat, ſtuppam ut ardeat. Idem dico de Sole: eum circumſtant aut adſtant cœlum tenue ac permeabile, Luna, aër, terra noſtra; omnia calefacit, ſed inæqualiter; cœlum & aërem vix, Lunam ob ſuam humiditatem & frigus nè vix quidem, terram validè. Itaque radiis caloris directis non magis calefit infimà aëris regio, quàm media. *Sol calefacit quælibet juxta ſuam capacitatem.*

Ajo II. Calorem à terra reflecti, & redire in aërem, at non ad tantam diſtantiam, ut lumen. Si enim radii directi caloris non tam longè provehuntur, quàm radii directi luminis, ut experientia docet in noſtro igne; multò minùs radii reflexi caloris tam longè provehentur, quàm directi. Itaque reflectitur quidem calor Solis à terra ad primam aëris regionem, eamque propter conduplicatos radios magis calefacit; at non reflectitur usque ad ſecundam regionem, aut non niſi valde debiliter. *Solis calor reflectitur à terra.*

Infima ergo aëris regio eò eſt calidior, quò magis conduplicantur in ea radii caloris reflexi cum directis: eò autem magis illi conduplicantur, quò minùs hi obliquè feriunt terram. Hinc major eſt calor in æſtate quàm hyeme, major in meridie quàm manè aut veſperi.

Ajo III. Mediam aëris regionem frigidam eſſe, tum quia neque à directis, neque à reflexis Solaris caloris radiis calefit, tum quia à vaporibus eò delatis refrigeratur. Vapores enim eò usque delati, cùm graviores ſint aëre tertiæ regionis, non pergunt ulteriùs, ſed hærent in media regione; & quoniam abeſt calor extrinſecus, qui eum calorem adſcititium foveat atque conſervet, ſponte ſuâ redeunt ad frigus ſuum nativum, utpote aqueæ naturæ, & frigore ſuo dictâ mediam regionem magis infrigidant.

§. V. An,

§. V. An, & cur ſuprema aëris regio ſit calida.

QUid alii ſentiant, vidimus ſuprà initio capitis. Ego breviter ſequentia ſtatuo, &

Ajo I. Suprema aëris regio non calefit à vicina & ſibi ſuperimminente ſphæra ignis, aut ab ignis particulis in eam decidentibus, quoniam nullus ſupra eam ignis, præter Solem, & ſi quæ ſunt alia Solaris naturæ ſidera, exiſtit, ut alibi probabo etiam ex Ariſtotele, & nunc tanquam certiſſimum ſuppono.

Aëris ſuprema regio an, & cur ſit calida.

Ajo II. Neque calefit motu à cœlo moto ſibi impreſſo. Nam *Primò* cœlum non eſt ſolidum, nec movetur in orbem rapiendo ſecum aërem incluſum velut in rotundo & concavo vaſe. *Secundò*, etiamſi ſolidum eſſet cœlum, & cavitate ſua includeret aërem; non tamen eum ſecum raperet. Nam vel traheret, vel pelleret, vel veheret. Non traheret, quia quæ ſe trahunt, aut per aſperas ſuperficies, aut vinculis nexa eſſe debent; cœli autem infimi ſuperficies concava, ſi ſolidum eſt, glaberrima eſt, ut omnes cœlorum ſoliditatem propugnantes fatentur. Nec etiam pelleret, quia impellens locum alterius intrare nititur, ſi ſimul continuò movetur atque progreditur; ideo enim loco compellit cedere: at ſuperficies cœli concava in eodem ſemper ſpatio ſe gyrat, nec aëris aut ignis locum affectat, ut cogat inde cedere. Nec denique vehit, nam quæ vehuntur, aut vinculo quopiam, aut pondere ſuo affigi debent vehiculo: ſic enim currus alligatur equo, & onus equo impoſitum pondere ſuo eidem alligatur. Ita aliqui. Sed hoc ex profeſſo meliùs diſcutiemus §. ſequenti. *Tertiò*, etiam dato quòd aër cœlo vicinus unà cum cœlo rotetur (quod fieri, inſinuavimus ſuprà, & probabimus infrà) non ſequitur, aërem propterea calefieri, ut mox probabitur.

Ajo III. Suprema aëris regio calida eſt, propter exhalationes calidas eò ſubeuntes, & ibidem ſtabulantes, eamque calefacientes. Ratio per ſe patet.

CAPUT III.

An cœlum motum ab Oriente in Occidentem motu circulari, rapiat ſecum in orbem ſupremam aëris regionem.

Cœlũ motum an rapiat ſecum aërem.

IN duplici hypotheſi procedit quæſtio: primò, an poſito quòd cœlum ſit ſolidum usque ad cœlum Lunæ (quod Ariſtoteles cum antiquis Peripateticis ſuis putavit) & moveatur motu diurno circulariter, etiam rapiat

Digitized by Google

rapiat incluſum aërem, aut quodcunque ipſi contiguum corpus tenue. Secundò, an poſito quòd fluidum, tenuiſſimum, ac permeabile ſit, & moveatur prædicto motu, non quidem ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm partes protruſas aut raptatas à Luna, Sole, reliquiſque planetis & fixis ſtellis motu diurno motis, an inquam & vicinus aër ei ſubjectus ſimili motu moveatur. Operæ pretium eſt, hanc quæſtionem enodare, quoniam ad multarum quæſtionum in Meteorologia explicationem conducet.

In prima hypotheſi accuratè & acriter, usque ad animorum exaſperationem, quæſtionem hanc diſputârunt inter ſe ſcriptis Libellis, *Galilæus*, & *P. Graſſius* olim in Romano Collegio Matheſeos Profeſſor, ſub nomine Lotharii.

Galilæus ridet Ariſtotelem, & ejus ſequaces, tanquam ſimplices, quòd putent cœlum ſolidum, motum motu diurno, rapere ſecum incluſum aërem, aut ignem. Contrarium ipſe probat argumentis §. præcedenti breviter inſinuatis. Nam *primò* (ait) etiamſi cœlum ſit ſolidum, concava tamen cœli Lunæ ſuperficies non eſt aſpera, ſed lævis, alioquin varias & valde irregulares refractiones efficeret, ut faciunt feneſtræ vitreis orbibus cancellatæ. Quòd ſi non eſt aſpera dicta ſuperficies, non poteſt cœlum Lunæ motum diurno motu, rapere ſecum incluſum aërem, aut ignem. Probat hoc experientiâ à poſteriori. Nam ſi quis catinum, aut vas aliud rotundum imponat rotæ figuli, & celeriter circumagat, intus verò accenſam candelulam manu immobiliter teneat; ea non extinguitur: ex quo infert, aërem catino incluſum non moveri ſimul cum catino, alioquin candela extingueretur. Ergo (infert) nec aër in concavo cœli Lunæ movetur in gyrum cum cœlo moto. Probat idem à priori: Nam quamvis duo corpora contigua difficulter divellantur, quando nullum aliud divulſo ſuccedere poteſt, & periculum eſt vacui; tamen quando aliud ſuccedere poteſt, præſertim liquidum ac fluidum, facillimè ſeparantur. Hinc (ait) motâ nave in aqua, hæc non ſequitur navim, ſed ſemper alia atque alia ſuccedit. Tametſi ergo cœlum Lunæ moveatur, & ignis aut aër ſit ipſi contiguus, non trahet illum ſecum, quia alius ſuccedere poteſt, nec ullum eſt vacui periculum, nullus impulſus in aëre, nullum vinculum, nullum pondus ob quod aër cœlo adhæreſcat firmiter.

His non obſtantibus, *Ajo*, ſtante primâ hypotheſi, cœlum Lunæ ſolidum, & motu diurno rotatum, rapere ſecum incluſum aërem aut ignem. Probatur *primò* à poſteriori. Nam ſi quis catinum, aut vas quodcunq; rotundum, aquâ repletum, moveat velociter in gyrum; aqua ſimul gyratur, adeo manifeſtè, ut firmato vaſe aqua adhuc longo tempore gyretur: ergo & aër ſimili vaſi rotato incluſus ſimul rotatur, etiamſi non pateat ad

ſenſum. Probatur *ſecundò*, à priori. Nam ſi cœlum Lunæ rotatur, neceſſariò aliqua ſaltem pars aëris ipſi adhærens, ſimul movetur, ut patet ex præcedenti experientiâ; ergo & reliquæ: nam reliquæ ad motum circularem non habent ullam repugnantiam, cùm ſit motus non contra, ſed præter naturam; ſed ad divulſionem, & conſequenter ad quietem, habent repugnantiam, quia continuum etiam in liquido & maximè tenui corpore habet partes ſuas naturali vinculo unitas inter ſe, quæ naturaliter affectant continuitatem. *Confirmatur*. Quia ſi aliqua aëris aut ignis pars cœlo Lunæ adhærens, movetur ſaltem aliquantiſper cum cœlo, etiamſi immediatè ſubſequentes, & cœlo etiam adhærentes, diſcontinuarentur à priori, jam abrepta, tamen ſemper aliæ atque aliæ in raptarum locum ſuccedere debent; ergo non poteſt non ſequi ingens aëris agitatio in gyrum. *Confirmatur* ulteriùs. Quia poſito cœlo duro, non conſtat, ſuperficiem ejus concavam non eſſe aſperam: tametſi enim aſpera eſſet, & aliquam refractionem cauſaret, ea tamen in tanta diſtantia à nobis non animadverteretur.

Ex his patet reſponſio ad rationes in contrarium à Galilæo allatas. Candelæ enim flamma manifeſtè vergit ad eam partem, verſus quam gyratur catinus; ergo & aër movetur ad eandem partem; quod nobis ſufficit. Extinguitur quoque fortaſſis candela, ſi motus continuetur diu, aut valde incitetur. Ad rationem à priori jam reſponſum eſt.

In ſecunda hypotheſi *Ajo* breviter, quod ſuprà inſinuavi, partes cœli tenues ac fluidas à ſideribus intra cœlum motis protrudi ſimul, & raptari; & partes aëris cœlo Lunæ proximas ſimul ſecum raptare. Et ſidera quidem propellere ac ponè trahere partes cœli, dubium nullum eſſe poteſt, cùm & gruum, columbarum, ſturnorum gregatim volantium turmæ aërem, quem ſecant, agitent. Hoc autem tantò magis continget in cœlo, quò majora ſunt ſidera, & quò plura ſimul, & quò velociùs raptantur, & quò magis ſunt aſpera. Raptari autem ſimul aëris ſubjecti partes, ſaltem ſuperiores, patet ex motu Cometarum ſublunarium, qui manifeſtè ab ortu in occaſum moventur, nec ulla motus cauſa ſuppetit præter hanc: niſi ad Intelligentias recurramus. Sed de hac re alibi accuratiùs.

CAPUT IV.

An ſuprema aëris regio incaleſcat motu vel cœli, vel ſuo, vel utroque.

ARiſtotelis enuntiatum eſt, & commune quaſi axioma, motum, præſertim velocem, eſſe cauſam caloris, imò & ignis, adeo ut ipſe *Ariſto-*

Digitized by Google

teles lib. 1. Meteor. tex. 16. aſſerat, plumbum ſagittæ per aëra velociſſimè volanti adfixum liquefieri calore. Examinandum ergo, an, & quo ſenſu hoc verum ſit; & ſi verum, an etiam ſuprema aëris regio circumducta cum cœlo, ut vidimus, incaleſcat motu, vel ſuo, vel cœli, vel utroque. Sit igitur

§. I. An motus præcisè ſit cauſa caloris.

QUoad primum, an motus ſit cauſa caloris, *Reſpondeo* cum P. *Nicolao Cabeo* in citatum locum Ariſt. motum localem in animali, dum progreditur, vel membra agitat, producere quidem aut in toto animali, aut in parte mota ſaltem calorem, ſed non præcisè quia motus eſt: in aliis verò rebus inanimatis nego abſolutè motum localem præcisè ſpectatum producere calorem; ſed dico, calorem produci ab aliquo, quod cum motu omnino accidentaliter & contingenter eſt connexum. Concluſio quoad primam partem, quòd calor motu producatur, patet experientiâ; quomodo autem producatur, poſtea explicabitur. Eadem concluſio quoad ſecundam partem probatur, quia multa moventur velociſſimè, quæ non incaleſcunt ex motu; imò ſi calida erant, infrigidantur: è contrario multa ferè nihil moventur, & tamen incaleſcunt dum moventur: Ergo motus præcisè non cauſat calorem, alioquin quæ magis moventur, deberent magis incaleſcere, & quæ minùs moventur, minùs incaleſcere. Antecedens patet experientiâ: nam ſi quis ferrum candens manu velociſſimè circumagat, aut rotæ affixum celerrimè rotet; ferrum refrigeratur, & citiùs quidem quàm ſi quieſcat. Item, ſi quis aquam calidam baculo commoveat, refrigeratur eò citiùs, quò magis commovetur. Item, ſi quis funi ſuſpenſo inſidens libretur huc atque illuc, etiam celerrimè, manifeſtè refrigeratur. Omitto alias experientias. Motus ergo præcisè non eſt cauſa caloris in corpore moto; & undecunque refrigeratio illa oriatur, manet tamen fixum, motum non cauſare calorem in dictis experimentis; ergo neque in aliis corporibus motis præcisè ex motu cauſatur, alioquin quæ moventur, deberent magis incaleſcere. **Motus an ſit cauſa caloris.**

Ad exemplum de plumbo ſagittæ liquefacto, allatum ex Ariſtotele, reſpondet *Cabeus*, Ariſtotelem idnon aſſerere ex propria ſententia, ſed ex aliorum relatione, ideoque nullam fieri injuriam Ariſtoteli, ſi negetur. Verba Ariſtotelis ſunt: *Videmus itaque motum, quòd poteſt diſgregare aërem, & ignire; ut & quæ feruntur, liquefieri videantur ſæpè.* Augetur incredibilitas rei, quòd nullam experientiam ſimilem noſtris temporibus inter gentes, quæ arcu & ſagittis utuntur, videamus, aut audiamus. Præterea quòd plumbeæ glandes è fiſtulis ferreis igne ejiciantur, & ſine dubio æquè velociter ac ſagittæ per aëra ferantur, & tamen nunquam

Digitized by Google

liqueſcant, nec adeo vehementer incaleſcant, ut paleas aut ſtuppas, in quas incidunt, incendant. Demus tamen Ariſtoteli id contigiſſe; ſatis conſtat ex allatis experientiis, non præciſè ex motu, ſed ex alio capite contigiſſe, ut poſtea dicetur.

Ex his patet, quid dicendum ad id, quod dicunt nonnulli, ſi quis ovum in funda celerrimè circumrotet, coctum iri ob calorem agitatione *illâ* conceptum: falſum enim id eſſe, quilibet experiri poteſt.

§. II. Quomodo ergo ex motu ſequatur calor.

Motus quo modo cauſa ſit caloris.

Dico primò, Dum movetur vehementer animal, aut aliquod ejus membrum, incaleſcit animal, aut membrum illud, quia ſpiritus calidi è corde deferuntur ad partes illas quæ moventur, & illas innato calore jam calidas magis calefaciunt, eoque magis, quò magis eò confluunt; unde pori aperiuntur, & ſpiritus alii tranſpirant, alii verò novi ſubſequuntur è corde transmiſſi, qui partes jam calentes adhuc magis calefaciunt. Hinc ergo in animali moto calor, & ob diſſipatos ſpiritus laſſitudo.

Dico ſecundò, Calor in motu inanimatorum producitur per attritionem corporum. Videmus enim experientiâ, dum corpora moventur ſine attritione mutua, calorem nullum oriri; dum verò atteruntur, produci. Sic dum in volutatione rotarum axis ferreus atterit annulum ferreum intra quem circumvolvitur, excitatur non rarò ignis, adeo ut niſi molitores attenti eum extinguant, incendium oriatur. Sic etiam dum funis tractorius in attractione ponderum atterit trochleam, tametſi tardus ſit motus, funis inflammatur, & rumpitur, niſi aquâ affuſâ reſtinguatur. Scivit hoc Weſtphalus ille ruſticus. Attrahebatur campana ingens ad turrim, & inter attrahendum fumigabat funis trochleæ inſertus. Conſternatis reliquis, & caſum campanæ timentibus ſi pergerent trahere, ruſticus intrepidus conſcenſâ turri, ubi alligata erat trochlea, aquam affudit, & animos trahentibus addidit. In ferro quod limatur, nullus eſt ferè motus, ſed ſolùm in lima, & tamen propter attritionem limæ & ferri magnus in hoc concipitur calor. Contrà dum ſerrâ lignum ſecatur, reciprocatione & attritione illâ incaleſcit ſerra, non lignum; & dum terebellum perforat tabulam, incaleſcit vehementer terebellum. Imò ſi duo ligna ſe mutuò vehementer & velociter atterant, incaleſcunt ambo, & igniuntur, adeo ut alibi eâ arte ad eliciendum ignem utantur; uti nos utimur chalybe & ſilice, ex quorum attritione ſimiliter elicitur ignis. Omitto alia innumera exempla.

Cauſa tamen cur ex corporum attritione calor, & ſubinde ignis oriatur, non eſt omnibus obvia, nec ab omnibus aſſignatur eadem. Fortaſſe non incongrua eſt illa nonneminis, quòd in quolibet mixto multæ ſint parti-

particulæ ſulphureæ & ſpiritoſæ, quæ attritione excitantur, uniunturque inter ſe, & calorem primò, deinde ignem cauſant.

§. III. Quæſtio initiò propoſita deciditur.

ARiſtoteles lib. 1. Meteor. tex. 17. ſupponens in concavo Lunæ eſſe ignem (hoc eſt, aërem attenuatum, & calefactum, propter exhalationes interſperſas; hoc enim ignis nomine intelligit, ut alibi probatur) ac præterea motum, præſertim circularem, habere vim projiciendi corpora, quæ poſſint impetum concipere; ait, dum circumvolvitur cœlum (quod putat eſſe ſolidum) ignem illum qui ambit aërem, hoc eſt, partem illam aëris purioris, quam ex alterius vocabuli defectu ignem vocat, ſpargi hinc inde, & circulari illâ rotatione cum violentia quadam deorſum trudi, & ſic aërem ſubjectum calefieri. Et in hoc ſenſu vult, ſupremam aëris regionem incaleſcere motu cœli, & inde ſecutâ attritione ſeu attenuatione aëris. Quod tametſi aliquibus puerile ac ridiculum videatur, ſuſtineri tamen poteſt, admiſſa illa hypotheſi de cœli ſoliditate. Nam exhalationes illæ, dum propter adſcititiam levitatem aſcendunt, ſurſum magno impetu, & à cœlo prohibitæ detruduntur deorſum, in itu ac reditu atterunt ſe mutuò, & attritione incaleſcunt, ſimulque aërem cui inſunt, calefaciunt. *Aëris ſuprema regio motu incaleſcit.*

Quod autem in Ariſtotelis hypotheſi contingit, in noſtra etiam evenit: aſcendunt enim exhalationes illæ, & ſimul cum aëre agitato, ob ætheris agitati viciniam, variè ac violenter in ſe mutuo incurrunt, ac non ſolùm magis incaleſcunt, ſed etiam inflammantur, quoniam multæ illarum ſunt facilè inflammabiles, & ſemel inflammatæ incendunt facillimè alias.

CAPUT V.

De altitudine infimæ, mediæ, & ſupremæ regionum aëris.

HOc neceſſariò determinandum eſt, ut conſtet de loco Meteororum aqueorum, & igneorum. Breviter me expedio, quoniam res incerta & inconſtans eſt, & dependet à varietate temporum & locorum, uti patebit ex dicendis. Suppoſito igitur, quòd ſuprema aëris regio ſit illa, in qua exhalationes terrenæ ſtabulantur; *Aëris regionum ſingularum altitudo.*

Dico I. Suprema aëris regio non extenditur ſurſum ultra Lunæ concavum, tametſi cœlum planetarum ac ſiderum reliquorum ponatur fluidum ac permeabile. Eſt contra *Fromondum*, qui lib. 1. Meteor. cap. 2. art. 1. ait, probabile eſſe, ſupremam aëris regionem ad ſidera fixa, & ad ipſum uſque Firmamenti fornicem excurrere; idque colligit ex Cometarum *Exhalationes terrenæ non aſcendunt ultra Lunæ concavum.*

per vias Planetarum trajectione & motu intra eorundem cœlum: ex hoc enim colligit, totum ſpatium inter Planetas usque ad Firmamentum, exhalationibus ſcatere, ac infervеſcere. Ego autem puto, tametſi fluidum ac pervium ſit Planetarum cœlum, plenumque exhalationibus è quibus Cometæ ſupralunares gignuntur; terreſtres tamen exhalationes eò non pertingere, ſed infra Lunæ concavum morari; aut ſi quando violenter altiùs aſcenderint, relabi deorſum. Ratio, quæ me movet, eſt, tum quòd centrum omnium gravium ſublunarium (quales etiam ſunt exhalationes è terra elevatæ) ſit centrum Terræ; centrum autem exhalationum Lunarium Luna, Solarium Sol, & reliquorum Planetarum reliqui Planetæ; tum quòd æther à Lunæ concavo ſurſum ſit leviſſimus, nec aptus ut ſuſtentet exhalationes terreſtres. Ergo vel non aſcendunt eò usque, vel ſi violenter fuêre illuc detruſæ, pondere & inclinatione ſuâ naturali tendunt ac relabuntur deorſum verſus terram, tanquam centrum ſuum. Itaque Cometarum ſuperlunarium materiæ non ſunt exhalationes Terræ, ſed Planetarum, aliorumvè ſiderum.

Dico II. Suprema aëris regio probabiliter non extenditur ſurſum ultra quinquaginta duo milliaria Italica, ſeu tredecim Germanica. Ratio eſt, quia materia Meteororum ſublunarium, quæ eſt vapor & exhalatio, plerumque non aſcendit altiùs à terra, ut colligunt *Alhazenus, Vitello, Nonnius, Clavius*, & alii, ex crepuſculis matutinis ac veſpertinis, quæ incipiunt ac finiuntur, quando ſupremi halitus in aëre, qui radios Solis reflectere ad nos aliqualiter poſſunt, incipiunt vel deſinunt illuminari à Sole infra horizontem ortivum aut occiduum exiſtente: ex his enim apodixi mathematicâ oſtendunt, dictos halitus plerumque non eſſe altiores quàm diximus. Incerta tamen adhuc iſta res eſt, & aliqui hanc diſtantiam augent, alii minuunt. Cauſa eſt, vel quòd dicti halitus nunc magis, nunc minùs altè elevantur; vel quòd in demonſtrationem ſuam unus terræ ambitum ac ſemidiametrum majorem, alius minorem aſſumpſit.

Dico III. Summa altitudo ſeu diſtantia mediæ regionis aëris à terra, non eſt major quàm ſumma altitudo verarum nubium. Dico verarum nubium; quia ſi nubium nomine accipiamus quamlibet ſenſibilem vaporum congregationem, quæ apta ſit ut ſenſibiliter reflectat ad nos lumen Solis in crepuſculis; jam diximus, quanta earum altitudo ſit. At hîc loquor de veris nubibus, adeo addenſatis, ut in pluvias reſolvi queant. Ratio concluſionis eſt, quòd nubes veræ cogantur in media aëris regione, utpote frigida, & frigore ſuo vapores addenſante.

Nubium altitudo incerta eſt.

Quanta autem ſit nubium altitudo, incertum eſt, & ea ipſa eſt valde inconſtans. Incertum autem eſt, quia non facilè certam viam inveniemus

mus nubium altitudinem menſurandi. Adſignavimus quidem nos modum in *Pantometro Kircheriano* lib. 2. cap. 2. Probl. 10. 11. & 12. aliosque modos alii afferunt: ſed præterquàm quòd lubrici ſint, non poſſumus ex habita altitudine unius nubis concludere de altitudine aliarum omnium, quoniam pro temporum & locorum varietate vapores nunc magis, nunc minùs altè aſcendunt, & in nubes coguntur.

Dico IV. Si verum eſt, quòd notatur à multis, tam antiquis, quàm recentioribus, ſupra altiſſimos montes nec pluere, nec nubes videri, nec ſentiri ventos, nec aërem humanæ reſpirationi aptum ibi eſſe; media aëris regio non eſt altior quàm altiſſimi montes, imò ſumma ejus altitudo paulò infra vertices dictorum montium terminatur. Ratio ex jam dictis patet.

Refert autem *Solinus* cap. 14. Polyhiſt. & alii, in montis Olympi, qui eſt in Theſſalia, & Athonis, qui in Macedonia, cacuminibus cineres poſt peractum ſacrificium relictos, toto anno nec ventis difflatos, aut diſſipatos, nec imbribus elutos. Unde *Lucanus* lib. 2 Pharſal. Montium quorundam altitudo.

——————— *Nubes excedis Olympus,*

Pacem ſumma tenent &c.

Idem diu ante Lucanum cecinit *Homerus*. Addit *D. Auguſtinus* lib. 3. de Geneſi ad litter. cap. 2. perhiberi in vertice Olympi aërem eſſe adeo tenuem, ut neque alites ſuſtinere valeat, neque ipſos homines (ſi qui fortè vel ſacrificandi, vel inſpiciendorum ſiderum cauſâ illuc aſcenderint) craſſioris auræ ſpiritu alere: eosque ferre ſecum ſolitos ſpongias plenas aquâ, unde ſugerent identidem humorem ad refrigerandum cor, atque ad reſpirandum. Si hoc verum eſt de Olympo, multò magis aſſeri debet de aliis montibus Olympo longè altioribus. *Kepplerus* lib. 1. Aſtronom. p. 3. ait, in Veſuvii vertice conſiſtentes, proximas quasdam nubes paris cum monte altitudinis, nonnullas etiam minoris conſpexiſſe. *Zabarella* De region. aëris cap. 8. affirmat, ſe in ſummitate montis Veneris, in agro Patavino, per totam diem habuiſſe aërem ſereniſſimum, ſed infra circiter medium montis vidiſſe nubes, & veſperi poſt deſcenſum deprehendiſſe, in planitie circa montem largè pluiſſe. Idem ſibi per Alpes & Apenninum iter facienti accidiſſe ait. *Joſephus Acoſta* lib. 3. Hiſtor. Indic. cap. 9. narrat de ſe, cùm quendam Americæ montem, Pariacacum nomine, tranſiret, aërem in vertice ita ſubtilem ac tenuatum, humanæque reſpirationi ſic inidoneum reperiſſe, ut nauſeâ & vomitu ferè animam ructaverit. Supra ergo mediæ regionis altitudinem, intraque ipſam tertiam regionem habet verticem mons iſte, ubi aër propter vaporum inopiam tantæ eſt ſubtilitatis. Non rectè

ergo

ergo *Benedictus Pererius* Diſput. 9. in Caput 6. Geneſ. adſtruit, nullos in Univerſo montes eſſe, qui cacumine mediam aëris regionem excedant.

At quanta eſt altiſſimorum montium altitudo? & conſequenter quantum media regio aëris elevatur? Eam altitudinem aliqui reſtringunt ad duo milliaria Italica, ſeu ad duo millia paſſuum; alii extendunt ad quatuor, alii ad ſex, alii etiam ad octo. Loquor autem de perpendiculari altitudine, quæ eſt à vertice perpendiculariter ad ſubjectum planum horizontale demiſſa linea.

Dico V. Altitudo montium, qui inter altiſſimos cenſeri ſolent, varia eſt à variis Auctoribus inventa. Xenagoras, teſte *Plutarcho* in Paulo, ratione geometricâ dimenſus eſt altitudinem perpendicularem Olympi, reperitque paſſuum 1270. Dicæarchus, *Plinio* teſte lib. 2. cap. 65. *Vir inprimis eruditus, Regum curâ permenſus montes, altisſimum prodidit Pelion 1250. paſſuum ratione perpendiculari.* Sed Plinio *incerta hæc videtur conjectatio, haud ignaro quosdam Alpium vertices, longo tractu, nec breviore 50000. paſſuum aſſurgere.* Sed hic aut ingens eſt Plinii error, aut impudens mendacium, ſi de altitudine perpendiculari Alpium loquitur. Intelligendus ergo eſt de tractu & aſcenſu obliquo illorum; de quo tamen hîc non eſt ſermo. Caucaſo Aſiæ monti aliqui tribuunt altitudinem quatuor milliarium; Ætnæ Siciliæ milliarium totidem, aut paulò minorem; Tenariffæ in Canariis Inſulis, milliarium octo. De longiſſima illa catena montium Peruviæ, quæ 500. ferè leucis à Septentrione in Auſtrum decurrit, teſtatur *Acoſta* loco citato, tantæ altitudinis eſſe, ut ſi cum Italiæ Alpibus comparentur, excelſa palatia humilibus caſis comparata videantur.

Si ergo Olympi vertex eſt extra mediam aëris regionem; erunt utique omnes reliqui olympo altiores, extra eandem. At manifeſtè conſtat, multos Olympo altiores, eſſe nubibus & nivibus tectos, & ab imbribus ac ventis nequaquam immunes. Nam de Atlante, quem *Dion* lib. 75. altiſſimum montium exiſtimat, *Virgilius* Æneid. 4. ſcribit.

——— *Cinctum aſſiduè cui nubibus atris*
Piniferum caput, & ventis pulſatur, & imbre.

Et Dion ipſe fatetur, juga ejus perpetuâ nive caneſcere. Æmus quoque, mons Thraciæ eminentiſſimus, verticem in nubibus habet: aſcendit enim olim Philippus Macedonum Rex, ut inde mare Ponticum, Adriaticum, & Alpes Italiæ contemplaretur; at ubi jugis appropinquavit, adeo omnia contecta invenit nebulâ, teſte *Livio* Dec. 4. lib. 10. ut haud ſecus quàm nocturno itinere impediretur. Ætnæ cacumen ſummum perpetuò nivibus eſſe contectum, ipſe ego ſum teſtis oculatus, multorum annorum accola Catanæ ad ejus radices, Mænis triginta millium paſſuum intervallo diſtantibus, & Calatajerone itinere duorum dierum diſcretâ urbe. Memini quoque,

Digitized by Google

quoque, cùm Anno 1633. menſe Septembri Italiæ Alpes, & S. Gothardi montem transirem, circa ſummitatem ejus in denſiſſimam nebulam primùm, deinde in roſcidam nubem incurriſſe, nec niſi bene madidum cacumen ejusattigiſſe.

Dico VI. Æquè incertum eſt, quanta ſit altitudo infimæ, ſeu concavæ ſuperficiei mediæ regionis aëris. Scimus quidem, regionem aëris mediam eò usque deſcendere, quò usque nubes deſcendunt; at quantum ſit hoc ſpatium, incertum eſt. *Cardanus* lib. 17. Subtil. negat, nubes excelſiſſimas unquam elevari à terra duobus millibus paſſuum: cùm verò pluit, & demisſiſſimæ ſunt, putat vix quingentis paſſibus abeſſe. Cardanum quoad minimam nubium diſtantiam ſequitur *Fromondus* lib. 1. Meteoror. cap. 2. art. 2. ex quo concludit, infimam ſuperficiem mediæ regionis diſtare à terra quingentis circiter paſſibus, ſive dimidio milliari Italico. Et hoc ait liquere experimento ſubeuntium Italiæ Alpes. Quod experimentum meo etiam exemplo paulò antè allato probari videtur. Addit, notaſſe ſealiquando in nube pluvioſa, & ſupra verticem ſuum tonante, intervallum temporis inter tonitru & coruſcationem fulminis par fermè fuiſſe ſpatio, quod inter flammam & crepitum tormenti majoris exploſi ex diſtantia dimidii milliaris intercedit. Ego ajo, infimam nubium altitudinem æquè incertam atque inconſtantem eſſe, ac ſupremam, ideoque verum eſſe quod diximus.

Dico VII. Incertam eſſe & variam infimæ regionis altitudinem. Patet ex dictis paulò antè.

Corollarium.

Concludo ex dictis hactenus, duarum ſuperiorum aëris regionum altitudinem ſummam, tam concavam, quàm convexam, & infimæ regionis altitudinem convexam, non eſſe ſemper & ubique ejusdem menſuræ. Nam radii ſolares reflexi in Zona torrida ſine dubio altiùs aſcendunt, quàm extra eam; & iidem in Zonis temperatis ac frigidis altiùs evehuntur æſtate, quàm hyeme; Ergo & infimæ regionis altitudo convexa creſcit atque decreſcit; ergo & concava mediæ; ergo & probabiliter convexa ejusdem mediæ; ergo & concava ſupremæ. Præterea ſine dubio exhalationes in uno loco ac tempore altiùs evolant, quàm in alio loco ac tempore; ergo & convexa altitudo ſupremæ regionis variatur. Aëris regionum altitudo inconſtans eſt.

Porisma.

Qui tamen in re tam incerta atque inſtabili aliquid definire vult, dicat cum *Fromondo* lib. 1. Meteor. cap. 2. art. 1. & 2. Probabile eſſe, *Primò*,

Digitized by Google

Meteora quæ exhalationem terreſtrem aut vaporem pro materia habent, plerumque non altiùs à terra, quàm 52. milliaribus Italicis elevari; & conſequenter ſupremam ſupremæ regionis altitudinem non eſſe majorem; quamvis ipſe Fromondus eam usque ad firmamentum extendat. *Secundò*, Eandem ſupremam regionem deorſum terminari circa quartum à terra milliare. *Tertiò*, Convexam ſeu ſupremam partem mediæ regionis eodem intervallo, hoc eſt, quatuor milliaribus Italicis à terra abeſſe. *Quartò*, Infimam ſuperficiem ejusdem mediæ regionis nunc plùs, nunc minùs quingentis paſſibus, ſeu medio milliari Italico, à terra diſtare. *Quintò*, Profunditatem infimæ regionis eodem ſpatio definiri. Ratio probabilitatis ex dictis patet. Lege quæ dicimus infrà in Cap. de Nube §. 4.

Atque hæc ſufficiant de loco Meteororum. Nunc ad cauſam eorum efficientem progredimur, omnibus communem.

CAPUT VI.

De Cauſa efficiente Meteororum, omnibus communi.

Meteororum cauſa efficiens omnibus communis.

DE remota tantùm erit hîc ſermo, & omnibus communi meteoris. Hæc eſt, quæ reſolvit vapores & exhalationes, & materiam illis præparat. De proximis, quæ materiam prædictam in perfecta atque completa meteora cogit, iisque formam accidentariam, nomenque tribuit, ſermo erit, cùm de ſingulis in particulari agetur.

§. I. An ignes ſubterranei ſint cauſa principalis vaporum & exhalationum.

Ignes ſubterranei an ſint cauſa vaporum & exhalationum.

IN præcedentibus inſinuavimus aliquoties, & negari non poteſt, non à Sole tantùm, aliisque ſideribus, ſed ab ignibus quoque ſubterraneis, è terra, aqua, & mixtis extrahi vapores & exhalationes. Quæſtio eſt, ab utra cauſa plùs materiæ, & conſtantiùs atque univerſaliùs in meteora reſolvatur, atque adeo utra ſit efficiens meteororum cauſa principalior.

Georgius Agricola in libris de Ortu Subterraneor. & *Thomas Lydiatus* Anglus in libel. de Origine fontium, primas tribuunt ſubterraneis ignibus. Probant argumentis ſequentibus, quæ *Fromondus* lib. 1. Meteor. cap. 4. art. 1. digeſſit.

Primò, quia plurimi & maximi ſub terra latent hujusmodi ignes, ut patet ex fontibus calidis, Ætna, Veſuvio, Hecla, Vulcaniis Inſulis, Inſulis Moluccis, montibus Americæ, aliisque paſſim toto Orbe terrarum ignivomi

vomis locis; qui terram & aquas præterlabentes calefaciunt continuò, & magnos vaporum atque exhalationum fumos per venas & rimulas in apertum ſine dubio exſpirant.

Secundò, quia vis calorifica Solis non altiùs in terram penetrat, quàm pluvialis aqua, & arborum altiſſimarum radices, id eſt, ad duos circiter paſſus, ſive decem pedes; ergo non niſi pauculos vapores & exhalationes, tot ventis diu noctuque ſtantibus, tot pluviis, nivibus, pruinis, nubibus, aliisque meteoris minimè ſufficientes, extrahere poſſunt.

Tertiò, quia magna pars ſuperficiei tegitur ſilvis, plantis, ædificiis, lapidibus, & montibus, qui umbram efficiunt, & calefactionem à Sole, ac proinde & extractionem halituum impediunt; reliqua autem pars terræ nudata, ac Soli expoſita, minimè ſufficit ad materiam omnibus meteoris ſufficientem ſubminiſtrandam.

Quartò, quia aquæ quæcunque, Soli etiam multis diebus expoſitæ, vix modicè tepeſcunt; ergo vix modicè reſolvuntur in halitus.

Quintò, quia in Belgio quoque fulminat, & alia meteora ignita viſuntur, & tamen nulla exhalatio ſulphurea ac nitroſa extrahitur à Sole ex ſuperficie terræ, quia ſulphurea non eſt dicta ſuperficies, ergo è terræ viſceribus eructat, ab ignibus ſubterraneis ſubminiſtrata.

Sextò, quia nocte, & hyeme, & ſub polo, ubi Sol non apparet, meteora non pauca ſunt; ergo materia eorum non eſt à Sole.

§. II. Sol eſt principalis cauſa vaporum & exhalationum.

ASſerit hoc ubique Ariſtoteles, & cum ipſo Peripatetici; tametſi non negent, ignes quoque ſubterraneos ad id juvare. Probant

Sol eſt principalis cauſa vaporum & exhalationum.

Primò, quia certum eſt, multorum ventorum materiam excitari à Sole, ut ſunt venti anniverſarii, qui certis anni diebus & menſibus cum Sole incipiunt, continuantur, ceſſant.

Secundò, quia ſæpe poſt imbrem ſequi ſolet ventus, quoniam terra madefacta Soli extrahenti halitus ac flatus redditur magis obediens.

Tertiò, quia plerumque poſt magnos Solis calores eveniunt fulmina, & effunduntur nimbi, quando nimirum ab ipſo copioſa materia fuit extracta.

Quartò, quia manè oriente Sole cernimus nebulas, & vapores è mari, paludibus, fluminibus, vallibus extrahi.

Quintò, quia Sole fervente, campi fumant, & ſubtiliſſimum vaporem exhalant, per quem medium conſpectæ agrorum glebæ tremunt, & vibrantur.

Digitized by Google

Sextò, quia in America ſub ipſo æquatore quotidie profuſi imbres decidunt, cùm Sol in æquinoctiis eſt; ideo utique, quòd tunc radiis perpendicularibus copioſos è mari vapores extrahit. Omitto alias rationes.

§. III. Argumentis contrariis reſpondetur.

AD *Primum*, damus terram ſcatere ignibus ſubterraneis, eoſque cauſam eſſe multorum halituum. Sed quia non ubique ſunt, & ſæpe intra terram profundiſſimè abſconditi; non efflant materiam omnibus meteoris, quæ ſemper & ubique contingunt, ſufficientem. Lege Fromondum, fusè ad primum argumentum reſpondentem.

Ad *Secundum* dico, Solem tametſi calore ſuo non tam profundè penetret terram & aquam, accedentibus ignibus ſubterraneis ſufficientem materiam extrahere è terra & aquis poſſe ad meteora. Nam ſi exiguum pyrii pulveris granum incenſum, diſpergitur in ſpatium 125000. majus ſe, *Willebrordo Snellio* experiente; quantam halituum materiam præbebit univerſa terra & aqua, tametſi tantùm ſecundùm ſuperficiales partes reſoluta?

Ad *Tertium* ajo, etiam terræ partes inumbratas reſolvi aliqualiter à Solis radiis aliunde in umbram repercuſſis. Deinde, quæ hac horâ inumbratæ ſunt, alterâ horâ illuminantur à Sole. Demum ex plantis quoque, arboribus, lapidibus, montibus, & quibusvis aliis mixtis extrahuntur halitus: imò & homines, & beſtiæ, & camini &c. efflant continuò magnam illorum copiam.

Ad *Quartum*, ut aqua vaporet, non eſt neceſſe ut ferveat; ſufficit ut modicè intepeſcat, imò ut caloris tantùm radiis excitetur: tametſi quò calidior, eò fumoſior.

Ad *Quintum*, ex Belgii ruderibus, ſtabulis, aliiſque locis eruitur halinitrum; ſcatet ergo exhalationibus fulmini gignendo aptis.

Ad *Sextum*, noctu apud nos fit ros, pluviæ, fulmina &c. ex halitu interdiu antea extracto. Terra etiam interdiu calefacta, retinet noctu calorem, & exhalat. In terris ſubpolaribus generantur meteora ex materia partim ab ignibus ſubterraneis elevata, partim aliunde per ventos advecta, partim à Luna & aliis planetis educta, partim à Sole, quando ab eo illuminantur.

CAPUT

CAPUT VII.

De Antiperiſtaſi, an, & quid ſit, & quomodo fiat.

COmmunis Meteorologicorum ſententia eſt, ut in ſequentibus videbimus, Antiperiſtaſin ad multorum Meteororum generationem concurrere; adeo ut ea ſit quaſi communis, ſi non omnium, ſaltem multorum Efficiens cauſa. Videndum ergo breviter, quid ſit, & quomodo fiat. Pro qua re

Antiperiſtaſis an, & quid ſit, & quomodo fiat.

Suppono, experentiâ frequenti conſtare, in rebus aliquibus roborari aut calorem, aut frigus, etiamſi nullum adſit agens aptum ad qualitatem illam roborandam, ſed ſolùm quòd circumſtet agens valens deſtruere qualitatem illam. Sic videmus, ſi quis in hyeme manus vehementer frigidas lavet nive, illas incaleſcere; & ſi pepones ex ſe frigidos exponat æſtivo calori, illas magis infrigidari; & in hyeme ſtomachum animalium eſſe calidiorem, & aquas puteales tepidiores quàm in æſtate &c. In quibus caſibus, cùm nullum videamus aliud agens aptum intendere calorem vel frigus, præterquàm contrarium circumſiſtens; rectè dicimus, qualitates illas intendi à contrario circumſiſtente. Et hanc actionem, qua agens circumſiſtens intendit contrariam qualitatem circumſeſſi, vocant Philoſophi *ἀντιπερίστασιν, Antiperiſtaſim,* quaſi dicas, circumſiſtentiam, ſeu circumſeſſionem.

Ex hoc patet, An ſit Antiperiſtaſis, & Quid ſit. Explicandum nunc, Quomodo fiat. Pro quo iterum

Suppono I. Quælibet corpora ſublunaria etiam ſolida ac dura (quamvis aliqui de vitro negent) poros habere, hoc eſt, minimas & inſenſibiles cavitatulas.

II. Hos poros, cùm vacui non ſint, nec eſſe poſſint per leges Naturæ vacuum reſpuentis, plenos eſſe tenuiori ac ſubtiliori quadam ſubſtantiâ ſpiritoſâ.

III. Calorem habere vim attenuandi particulas illas tenuiores; eaſque attenuatas ac rarefactas majorem requirere locum, ideoque vel evolare debent, vel intus pelli.

IV. Unum contrarium fugere alterum, calorem nimirum frigus, & frigus calorem.

His ſuppoſitis, Ajo, Antiperiſtaſin potiſſimùm notari in augmento caloris & frigoris, & fieri hac ratione. Dum frigus circumſtat corpus aliquod calidum; partes illæ tenuiores ac ſpiritoſæ, fugientes contrarium, intrò ſe recipiunt, & unitæ ſimul magis incaleſcunt, augentq; calorem an-

Digitized by Google

tea præexiſtentem. Dum verò calor circumſtat frigidum corpus, hoc obſeſſum à calore rareſcit, & pori magis dilatantur, partes verò tenuiores ac ſpiritoſæ magna ex parte evolant, & ad amicum calorem confluunt; quæ verò intus manent, rareſcunt magis, & exiguam vim calefaciendi retinent, & ob id corpus antea frigidum magis infrigidatur.

Ex his conſtat, Quomodo fiat Antiperiſtaſis. Ex iisdem patet ratio exemplorum allatorum, & quorumvis aliorum, quæ afferri ſolent. Hæc breviter inſinuaſſe ſufficiat.

CAPUT VIII.

De cauſa Meteororum Finali, & Formali.

Meteororum cauſa finalis, & formalis.

FInalis eſt Univerſi perfectio, mutua elementorum contemperátio, aëris expurgatio, terræ fœcunditas, futurorum prænotio, impiorum terror, DEI timor, amor, honor, aliique fines, in quem à DEO Opt. Max. meteora ordinantur.

Formalis eſt propria cujuslibet Meteori forma, non tamen ſubſtantialis (quæ à terra & aqua non diſtinguitur) ſed accidentalis deſumpta ex figura, magnitudine, colore, aliisque adjunctis, de quibus in ſequentibus. Hæc quoque inſinuaſſe ſufficiat. Nunc ad Meteora in particulari pergimus, ab ignitis inchoantes.

PARS II.

METEORA IGNEA.

Meteora ignita.

INter omnia Meteora, illuſtriſſima ſunt, quæ ignea vocamus, hoc eſt, quæ verè conſtant ſubſtantiali formâ ignis, aut ex toto, aut ex parte, ut ſunt, quos vocant Ignes fatuos, Lanceas, Stellas cadentes, Capras ſaltantes, Helenam, Caſtorem & Pollucem, Ignem lambentem, Dracones volantes, Fulmina, Fulgura, Coruſcationes, & ex his nata Tonitrua, & ſi quæ ſunt alia. De hu ergo primo agemus loco. Horum Materia *eſt* ἀναθυμίασις, *ſeu Exhalatio idonea flammæ, viſcoſa ſcilicet ac pinguis, è terra, ſulphure, bitumine, plantis, animalibus, aliisq; mixtis extracta. Quæ enim omni humore oleari carent, ut cineres, candelarum*

rum fuligines, aliaq; ſimilia; non recipiunt inflammationem. Forma *eorundem Meteororum ſubſtantialis, eſt forma ignis, ſi exhalatio ſit tota accenſa. Accidentales formæ ſunt magnitudo, color, figura, motus, aliaq; hujuſmodi, à quibus & nomen, & à ſe invicem differentiam accipiunt, cùm alioquin in materia & ſubſtantiali forma conveniant.* Locus *eſt triplex aëris regio, infima, media, & ſuprema: in his enim omnibus viſuntur.* Efficientem *cauſam remotam adſignavimus cap. 6. præcedente; particulares ſingulorum in ſequentibus indicabimus.* Finis *eſt, qui & cæterorum Meteororum; quem partim inſinuavimus jam in Proœmio, partim capite octavo præcedente.*

CAPUT IX.

De Igne fatuo.

IN cæmiteriis, locis patibulorum, cloacis, campis paludoſis & uliginoſis, convallibus, ac ſimilibus locis, apparere ſolent nocturnis temporibus ignes huc illuc vagantes, qui viatores modò antecedunt, modò inſequuntur, accedentesq; fugiunt, inſectantur fugientes, cum quieſcentibus quieſcunt. Unde non rarò in loca paludoſa, in lacus, in præcipitia deducuntur homines, dum pagorum ac domorum rurenſium ignes eos putant, ac ſequuntur. Hos vocant *Ignes fatuos, erraticos, & ambulones,* quoniam inſtar fatuorum huc illuc temerè ac ſine ordine diſcurrunt. *Ignis fatuus.*

§. I. Exempla Ignis fatui.

DE hujuſmodi igne loqui videtur *Seneca* lib. 1. Natur. Quæſt. cap. 1. dicens: *Gylippo, Syracuſas petenti, viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe.* Narrat *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 2. ante decretoriam ac celeberrimam illam Anni 1620. pugnam Pragenſem, ignem talem inſediſſe vexillo D. Guilielmi Verdugi Legionis Wallonicæ Legati; idque pro augurio inſecutæ mox victoriæ habitum. Idem ibidem narrat de quodam ſuo affine, cùm rediret nocte Viſeto Haccuriam, æquali inter Leodium & Moſæ-Trajectum diſtantiâ, medio campo circumvolaſſe eum ſubitò tres quatuorvè fatuas ejuſmodi faces: illum perterritum abjeciſſe ſe illicò in terram; permanſiſſe tamen illas, & uno aut altero paſſu ab eo diſtantes circumluxiſſe fixas atque immobiles; tandem tamen cùm diutiùs terræ inhæreret, & DEI opem imploraret, abſiliiſſe inde dimidio ampliùs milliari, ac Moſam transvolaſſe: at cùm vix duos aut tres paſſus ille confeciſſet, revolaſſe derepentè faces, & cinxiſſe ut priùs, donec poſt longum tandem in terram procubitum ac orationem, diſceſſerunt penitus. *Ignis fatui exempla.*

Robertus

Digitized by Google

Robertus Fluth affirmat, ſe quondam ignem fatuum noctu inſecutum, & aſſecutum: & inveniſſe materiam non igneam, ſed viſcoſam & lubricam, compactam in modum ſpermatis ranarum, diſtinguentibus nigris & exiguis maculis ſubalbidam, quæ vice ſpeculi redderet ſtellarum lumen. *Mizaldus* refert, teſte Cardano lib. 14. de Variet. rerum cap. 69. & à pluribus viſum eſt, eodem teſte, *quandoq; infantis effigiem ſe moventis ignes hos præbere, qui præter id quòd equos terreant, etiam homines perturbant, adeo ut nonnunquam adducant in præcipitia, & fluvios, aut paludes.* Ipſe verò *Cardanus* cit. loco ait, contingere quandoque ut crepitent hujuſmodi ignes, pariantque inconditas quaſdam voces humanis ſimillimas: atque ob id credulis quibuſdam perſuaſum eſſe, animas defunctorum iis circumdatas expiari, atque purgari.

§. II. Materia, Forma, Efficiens fatui ignis.

Ignis fatui materia, forma, efficiens.

Materia ignis fatui, eſt exhalatio pinguis & viſcoſa. Probat experientia, de qua pauló antè ex Roberto Fluth. Probat & ratio, quoniam arida prorſus & nullo oliginari ſucco imbuta exhalatio, aut accendi non poteſt, aut non diu accenſa conſiſtere, ut conſiſtunt fatui ignes.

Forma ſubſtantialis, eſt ignis forma, aliis etiam meteoris ignitis communis. Accidentalis forma, quâ ab aliis diſcernitur, eſt ſaltus ille in modum hominis fatui: quotquot enim hoſce ſaltus exhibent, hoc nomine appellamus; qui non exhibent, aliis nominibus, ut videbimus.

Efficiens eſt, quæ exhalationem incendit, & accenſam huc atque illuc propellit. Cauſa exhalationem incendens, eſt vel antiperiſtaſis nocturni frigoris, materiam in infima aëris regione (hæc enim eſt locus ejus, ut dicetur) circumſiſtens, & partes calidas conſtipans, atque ad concipiendam flammam cogens: vel colliſio partium exhalationis inter ſe, præſertim ſi accedant contrarii venti, aut aëris contrariæ ventilationes, quibus frequenter huc atque illuc propelluntur exhalationes; hæ enim tali colliſione ſe mutuò fricant & atterunt, atque ad ignem concipiendum diſponunt. Unde probabile eſt, non noctu tantùm, ſed interdiu etiam ejuſmodi meteora oriri, tametſi ob Solis lumen non appareant. Carteſius in Meteoris cap. 7. num. 15. putat, tam hos, quàm alios etiam ignes, tam in infima, quàm in aliis regionibus aëris, incendi aliquando, dum exhalatio ſubtilis ac penetrans, quæ nempe ſalis naturam participat, alterius pinguis & ſulphureæ poros ingreditur. Cui non repugno. Cauſa ſaltus, eſt fluctuatio & inconſtantia aëris, maximè ſi ab ambulante diſcindatur: unde ad motum aëris movetur & ipſe ignis per ſe leviſſimus. Inde eſt quòd homines modò inſequitur, modò fugit: nam ſi ante ambulantem eſt, pulſo anteriori aëre pellitur, & fugit inſequentem; ſi poſt ambulantem

eſt,

Digitized by Google

eſt, inſequente tergum aëre, ſequitur & ipſe, & perſequitur fugientem. Si alia de cauſa aliorſum aër pellitur, fertur & ipſe aliorſum. Accedunt ſubinde rores nocte in eum decidentes, ac deprimentes; contra quos ipſe levitate ſuâ reſurgit, & ſurſum fertur. Tandem prout nunc rareſcit, nunc addenſatur, in altum evolat, aut ſuccumbit. Malos etiam Genios ſubinde hujusmodi ignes dirigere in hominum perniciem, patet ex relato ſuprà exemplo ex Fromondo.

§. III. De loco & tempore ignis fatui.

Ignis fatui locus, & tempus.

L*Ocus* ubi frequentiùs apparet, ſunt, ut initio dictum, cœmiteria, patibula, paludes, & quævis loca uliginoſa, viſcoſam ac facilè inflammabilem, craſſam tamen & gravem, materiam exhalantia. Ex quo patet, hujusmodi ignes eſſe in infima aëris regione. Sunt frequentiùs in regionibus calidis, quàm frigidis. In Hiſpaniæ montibus plures aliquando ſimul à viatoribus conſpiciuntur: & in Æthiopia campi totâ ſubinde nocte iis ceu ſtellis collucent. Nec dubito, quin in littoralibus regionibus Terræ Auſtralis incognitæ, maximè in Regione quam vocant *del fuego*, ignes hujusmodi terruerint accedentes olim Luſitanos & Hiſpanos.

Tempus, apud nos ſaltem, eſt æſtas maximè, quando Solis calor efficacior eſt ad ſolvendas è terra exhalationes. Item autumnus in calidioribus locis, quando Solis calor validus quidem eſt ad eliciendos, non verò ad abſumendos viſcoſos halitus.

Durant ſubinde ad aliquot horas, quoniam materia tenacior eſt, quàm ut ſtatim abſumatur. Abſumptis partibus ſpiritoſis & glutinoſis, reliqua materia pondere ſuo decidit, ut patet in exemplo ex Roberto Fluth relato: puto enim, verum ignem fatuum fuiſſe meteorum à ſe viſum, tametſi aliter ſentiat Fromondus.

CAPUT X.

De Caſtore, Polluce, & Helena.

Caſtor, Pollux, Helena: eorumque exempla & cauſa.

IIdem ignes, qui in terra apparentes, fatuorum nomen meruerunt, in mari conſpecti alia ſortiuntur nomina. Nam ſi bini conſpiciuntur, Διόσκουροι, ſive Caſtor & Pollux; ſi unicus, Helena vocantur. Nomina impoſuêre cœci olim Gentiles. Itaque hi tres ignes, quos nautæ etiam ſidera vocant, non niſi loci ſitu à fatuis diſcernuntur: habentq; eandem cum his materiam, eandem efficientem cauſam, eadem ferè adjuncta. Binos Hiſpani nunc, Siculi, & Galli, ignes Sant Elmi (vel ut alii ſcribunt S. Telmi)

Digitized by Google

Itali verò S. Petri, & Nicolai, nominant. Sæpe navium velis antennis inſident.

§. I. De Caſtore, Polluce, & Helena, teſtimonia, exempla, & ſignificatio.

DE his ignibus ſic ſcribit *Seneca* lib. 1. Quæſt. Natur. cap. 1. *In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes. Adjuvare ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris Numine. Cauſa autem melioris ſpei eſt, quòd jam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos.* Et Plinius lib. 2. Hiſt. Natur. cap. 3. *Vidi*, inquit, *nocturnis militum vigiliis, inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie eâ: & antennis navigantium, aliiſque navium partibus, ceu vocali quodam ſonu inſiſtunt, ut volucres ſedem ex ſede mutantes: graves, cùm ſolitariè venêre, mergentesque navigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes: geminæ autem, ſalutares, & proſperi curſus prænuntiæ, quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen adſignant, eoſque in mari Deos invocant. Hominum quoque capita veſpertinis horis, magno præſagio circumfulgent. Omnia incertâ ratione, & in Naturæ majeſtate abdita.*

Quæ de Solitario igne, ſeu Helenæ ſidere ſcripſit hîc *Plinius*, vehementer auget *Cardanus* lib. 2. Subtilit. dicens, id apparere circa malum navis, & *cadens etiam ænea vaſa colliquare*, certum ſubmerſionis nuntium: ſolùm in gravibus accidere tempeſtatibus, nec niſi craſſiſſimo ſpiritu, & magnâ ventorum vi vaporem illum cogi poſſe in navi, & ardere ſimul, ob idq; imminentem nuntiare perniciem. Addit, & bene, nonnunquam in Oceano terna comparere, imò frequentiùs quàm gemina ſola, ob majorem concuſſionem. Vocari nunc ea, ſidera Divi Nicolai, Helenæ, & Claræ, ſignificato deducto à claritate, ab antiqua ſuperſtitione ſideris Helenæ, & quòd D. Nicolaus ex quadam hiſtoria navigantibus præeſſe credatur. In Mediterraneo autem Mari ſolùm gemina, & plerumque in rudentibus, ex unoque in alterum velut aves cum quodam ſono ſalientia, finem tempeſtatis, nec non ſecuritatem oſtendere. Eſſe autem vapores rudentibus hærentes, qui ſucceſſu temporis, igne ex altero in alterum tranſeunte, ſpeciem cerei accenſi præbent.

§. II. Cauſæ ſignificationis prædictorum trium ignium.

PLinius, ut vidimus, ait, prædicta aliaque ſimilia ignita meteora *in Naturæ majeſtate abdita* latere. Cauſam ergo ignorare ſe fatetur, ſeu quid ſint, & quomodo fiant; ſeu cur ea quæ dixit, ſignificent. *Seneca* ait, *cauſam melioris ſpei eſſe*, dum velo inſident, & quieſcunt, *quòd* tunc *apparet frangi tem-*

Digitized by Google

gi tempeſtatem, & deſinere ventos. Ego cum *Conimbricenſibus* & *Fromondo* ſubſcribo Senecæ, ajoque, quietem in antennis & velis ſignificare, flatus quibus accenſi & agitati fuerant ignes illi, ſopiri, & malaciam redire, ſive unus, ſive duo, pluresvè fuerint. Cùm verò poſtquàm apparuerunt, jactari vehementiùs atque diſcerpi incipiunt, ventos indicant prodromos tempeſtatis. Non placet ergo Cardani ratio, dicentis, indicare *ſalutem, quòd parvi ſint, quòd minimè lenti* (*in unum enim coiviſſent*) *quòdque brevi abſumantur* ſinguli.

§. III. De Igne S. Agrippinæ.

SImilem cum hiſce, & cum igne fatuo ortum habet ignis ille, qui (ut alibi memini) poſt magnos, calidos, & continuos horarum aliquot flatus certis temporibus comparet Mœnis (Siciliæ eſt urbs, monti impoſita) in cœmiterio templi S. Agrippinæ Virginis ac Martyris, adhæretque muris templi ac turris, magnâ hominum plebejorum lætitiâ, qui eum vocant ignem S. Agrippinæ, & in argumentum gaudii omnes dicti loci campanas compulſant, ut ipſemet vidi atque audivi, cùm inibi degerem. Error eſt ſimplicis plebeculæ; qui tamen totam penè urbem in partes traxit: vix enim ullus eſt, qui non exiſtimet, ſupra Naturæ vires id contingere. Sed error eſt, ut dixi: aliud enim non eſt quàm meteorum, viſcoſa videlicet exhalatio, è cœmiterio copioſiùs tunc, cùm ventus calidus ac vehemens incumbit, exhalans, & agitatione, atque ad muros alliſione accenſus, ac tam diu durans, donec abſumptâ materiâ ſponte emoriatur flamma. Ignis S. Agrippinæ.

CAPUT XI.

De Igne lambente.

NOn rarò viſum, antiquis & noſtris temporibus, hominum capitibus ac veſtimentis, animalium pilis, aliiſque rebus adhæſiſſe ignem innoxiè. Quod quidem Veteres pro maximo habebant prodigio, & pro fortunæ præſagio. Ignis lambens.

§. I. Hiſtoriæ & Exempla ignis lambentis.

COntigiſſe id Aſcanio Julo, Æneæ filio, fingit *Virgilius* lib. 2. Æneidos:

Ecce levis ſummo de vertice viſus Juli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Quod videns pater Æneas, pavore correptus extinguere incendium conatur:

Nos pavidi trepidare metu, crinemq́; flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

De Servio Tullo ſimile quid refert *Livius* Decad. 1. lib. 1. & *Valer. Max.* lib. 1. cap. 6. Nam Tullo etiam tum puerulo dormiente, circa caput flammam emicuiſſe, domeſtici notârunt: quod prodigium Priſci Tarquinii Regis uxor Tanaquil admirata, Servium ſervâ natum, in modum filii educavit, & ad regium deinde faſtigium evexit. De L. Martio duce duorum exercituum, quos interitus Publii & Cornelii Scipionum in Hiſpania debilitaverat, Livius ex Antiate ſcribit, flammam concionanti fuſam è capite, ſine ipſius ſenſu, cum magno pavore circumſtantium militum. Alexandro Magno in ardore pugnæ caput ſcintillaſſe, & Tiberii equum quondam flammigeraſſe ſcribunt.

Ignis ſcintillæ è capite quorundam erumpentes.

Cardanus lib. 14. Variet. cap. 69. *Cuidam amico noſtro*, ait, *cujus nomen propter dignitatem ſilentio prætereo, cùm domum veniſſet horâ primâ noctis exactâ, in pallii conſueta depoſitione, ſcintillæ à dorſo petaſi ſparſim proſilierunt; iterumque repoſito pallio dum amoveretur, denuò eruperunt. Unde geminato timore perculſus eſt. Infra quindecim dies accuſatus veneficii ab inimicis, & quæſitus ut occideretur, voluntarium ſuſcepit amicorum conſilio exilium.* Item lib. 8. Variet. cap. 43. *Inter miracula*, inquit, *hominis magnum illud cenſeri debet, quod cuidam monacho Carmelitani Ordinis, per annos tredecim perpetuos evenit: nam quoties capitium reducebat ad occiput, ſcintillæ ignis è capillis erumpebant. Atque ea de cauſa ad convivia frequenter vocabatur. Caſu fiebat, quod etiam arte facere licet: in obſcuro faciliùs, quoniam & ſine igne multa ſplendorem ignis emittunt.* Hæc Cardanus.

Andreas Libavius lib. 1. de Orig. rerum narrat, Jenæ puerum detractâ per occiput interulâ, ſcintillas copioſas unà deterſiſſe. *Caumontia Heroina, in mediis tenebris capillus, dum pectitur, ignem vomere videtur, inquit* Scaliger *Exercit.* 174. & addit, equum ſe habuiſſe è Calabria candidum, ad cataphracti uſum, qui in tenebris ubi ſtrigile fricaretur, ſcintillas ejaculari videbatur. Alia ſimilia exempla paſſim occurrunt. Atque hos vocant *Ignes lambentes.*

§. II. Cauſa Ignis lambentis.

Ignis lambentis cauſa.

VArii ſunt in hujus ignis cauſa adſignanda Auctores: alii enim ad naturales, alii ad incognitas referunt. *Tobias Tandlerus* in Meteor. Diſp. 3. Theſi 41. ait, idem quod de Caſtore & Polluce Plinius cenſuit, recondita hæc eſſe in Naturæ majeſtate, quaſi divina de viris præcellentibus præſagia. At quale præſagium divinum eſſe potuit in Servio Tullo, cùm impro-

improbabile omnino non ſit Magicum aliquid interveniſſe? In Carmelitano illo *Fromondus* lib.2. Meteor.cap.2.art.3. ſanctitatem nullam agnoſcit, quia ſæpe ad prandia, à miraculi curioſis invitatus, itabat: *magni autem ſancti non tam facilè vadunt pranſum foras*, ſubjungit idem. Idem cenſendum de reliquis exemplis. *Cardanus* loc.cit.de amico ſuo loquens, ait: *Hæc non omnino contra naturam exiſtimo, quandoquidem nullâ divinitate fiunt: nec tamen ad cauſas naturales traducere novi.*

Alii meliùs naturales, easque varias adſignant cauſas. *Conimbricenſes* Tract.2.in libros Meteor. Ariſt.cap.2. ajunt, Ignem lambentem aliud non eſſe, quàm flammam genitam ex rara ſubtilique exhalatione; oririque nonnunquam ex ſudore animalium præcalidi temperamenti, cùm velociori agitatu incaleſcunt, & pinguem viſcoſumque humorem ex ſe proferunt; qui ſimiliter atque ignis fatuus incenditur. *Daniel Sennertus* in Epitome Natural. Scient. lib.4. cap.2. ait, oriri ex ſubtili & pingui exhalatione per aërem diſperſa, & animalium pilis aut veſtibus adhæreſcente; vel ex ſudoribus animalium calidioris temperamenti,aut vehementi motu excalefactorum, ἀντιπεριστάσει vel motu incenſa. Conſentit *Jonſtonus* in Thaumatograph.Claſſe 2. cap.4. *Fromondus* loc.cit.

Addit *Fromondus*, irâ aut vino æſtuantia capita faciliùs hunc ignem circumfulgere, quia illis pori aperti, & ſpiritus plures ac magis ignibus idoneos ſuppeditant in flammam. Hinc Alexander quia vinoſus, & igneæ complexionis, aptus & proclivis hiſce inflammationibus fuit.

Sed quid dicemus de capitibus puerorum, puellarum, aliorumque recenſitorum ſcintillantibus? item de equo ſtrigilato ſcintillas emittente? *Scaliger* loc.cit. cauſam refert in candoris reflexionem in aëre. *Candidi* enim *natura*, inquit, *quàm maximè accedit ad naturam lucis. In cubiculo enim undique clauſo micant fulgores enſium, ac ſpeculorum.* Itaque quòd equus ille ſcintillas emittebat, *id erat ſquama, ſive furfur candidum è ſudore ſicco, quod diſtrictum exiliret.* Haud abſimilia habet *Jonſtonus* loc.cit. dicens,cauſam aliquos ponere refractionem luminis in ſubjecto lævi, ſicut in aëre rorante guttulæ ſunt quaſi ſingula ſpecula, ita in capite piloſo, pingui, viſcido, ſquamoſo pili & ſquamæ.

Haud improbabilia hæc ſunt. Veriſimilius tamen puto, in his quoque exemplis ſpiritus commotione erumpentes luxiſſe, tametſi ſine flamma. Exiſtimo enim cum *Fromondo*, non rarò ſpiritum ſine vera flamma & igne lucere, ut patet in felibus, quas ſi adverſo pilo vehementer frices, ſcintillas, ut apparet, excuties; quæ tamen non ardent. Pari ratione ſi ſaccharo in denſis tenebris cultrum affrices, flammas perpetuas, vix irrito ullo ictu, emicantes videbis: quod non ſemel expertum ſe teſtatur Fromondus. Propter eosdem ſpiritus ad oculos irâ, aut vini potu lar-

giore, aut morbo aliquo accenſorum confluentes, ardere ſubinde oculi videntur. Dictatori Syllæ, Cajo Mario, & Tiberio Cæſari, crudelibus & ſanguinariis Principibus, oculi collucebant. Cuidam à largiore potu vini Hiſpanici experrecto, nox viſa collucere, teſte Fromondo. Comitiſſa quædam in morbo oculorum, omnia per tenebras, ut claro meridie, cernebat, ut *Schenckius* refert lib. 1. Obſerv. Cuidam peſtifero Collegium Lovanienſe, in quo Fromondus, ardere videbatur; Febri ardentiſſimâ exæſtuans juvenis robuſtiſſimus, rutilâ inſuper comâ, & facie rubeâ à Natura dotatus, die clariſſimâ tectum conclavis in quo jacebat, igne colluſtratum clamabat, & Spiritum Sanctum ignis formâ adventare ſibi exiſtimabat, ut alibi retuli.

Spiritus igitur clari & luminantes, dictarum cauſarum aliquâ in homine accenſi, oculisque ac poris capitis confertim erumpentes, ignis lambentis ſpeciem facere poſſunt, ut bene concludit Fromondus.

§. III. Ignis lambentis quidditas, & adjuncta.

Ignis lambentis quidditas, & adjuncta.

MEteorum ergo igneum eſt *Ignis Lambens*, ex rara ac ſubtili exhalatione, aut ex calidis atque ardentibus ſpiritibus è corpore animalis emiſſis ortum. *Locus* ejus eſt infima aëris regio, in qua videlicet degunt, quos allambit. *Cauſa accendens* eſt eadem quæ Ignis fatui. Innoxius eſt, ob materiæ tenuitatem; ſimilis nimirum flammæ vini aduſti, quæ ob raritatem ſpirituum, qui ejus materia & pabulum, linteum eo madefactum nihil uſtulat, contenta ſolum humorem exugere. *Tempus* quo apparent, eſt præcipuè nocturnum: interdiu enim ob majus Solis lumen hebetantur, aut prorſus ſupprimuntur.

CAPUT XII.

De Flamma ſeu Face, Capra ſaltante, Lancea, Pyramide ſeu Igne perpendiculari.

Meteora ignea varia.

PRæcedentium Meteororum ignitorum locus eſt ſola infima aëris regio; quæ hoc & ſequentibus capitibus explicabimus, in media & ſuprema, ac ſubinde etiam in infima contingunt. Varia ea ſunt, ut videbimus. Varietatis cauſam refert *Ariſtoteles* lib. 1. Meteor. cap. 4. in materiam, ex qua incenduntur. Nam ex multiplici diſpoſitione halituum ſecundùm raritatem, denſitatem, magnitudinem, paucitatem, figuram, ſitum, diverſarum figurarum ac nominum ignes accenduntur; cujusmodi ſunt Flamma, Fax, Bolis, Capra ſaltans, Lancea ſeu Jaculum, Trabs, Pyramis

Digitized by Google

ramis ſeu Ignis perpendicularis, Draco volans, Stella cadens, Stella diſcurrens, aliaque ſimilia, ut videbimus. Sed antequam progrediamur, lubet animi gratiâ præmittere.

§. I. Paracelſi deliria circa hæc Meteora.

Paracelſus Libello de Meteoris cap. 10. aſſerit, hæc & ſimilia ignea Meteora eſſe ſtellarum Firmamenti excrementa, è cœlo in terram ejecta. Sic enim diſcurrit. *De ſtellis id latiùs cognoſcendum eſt, eas cùm æſtate, tum hyeme purgare ſe, non per fulgura, vel coruſcationem, at per corpora quædam, hoc eſt; corpora de ſe rejiciunt; diciturque purgatio hæc, ſtellarum fluxus, vel ejaculatio, cujus origo talis eſt. In Firmamento ſuum habent nutrimentum, quo ſuſtentantur, ex ſuo quidem elemento: nam creatum eſt nihil, quod, æquè ac homo, ſuo carere poſſit alimento quotidiano. Sequitur inde, ſtellas ex elemento ſuo pariter edere, nutririque. Demum quòd cibo potuque ſuſtententur, excrementum de ſe dare neceſſum eſt. Et cùm igne ſolo nutriantur, ut homo terrâ, ex qua eſt; ex igne hoc ſuam ſugunt eſſentiam, veluti homo carnem & ſanguinem. Quod verò non eſt ex eſſentia, hoc ipſum fit excrementum ab ipſis rejiciendum. Quod ſi contingat interdiu, non videtur; ſi noctu, videri poteſt: Eſt quidem ignea ſtella, quæ producitur in longum, & à cœlo ſtellarum deſcendit; at à quàm alto cadat, videri nequit; ſolùm poſtquàm ad cœlum inferius & in aërem pervenerit, ibidem fit viſibilis. In terram decidit, & ſuper eam inſtar coaguli jacet. Multæ ſe repurgant aliàs, non ab igne flammeo, ſed etiam igne inviſibili. Quo fit, ut alibi ſtellarum fluxus inveniantur, à frigidis ſtellis ejaculati. Multi verò transeunt in pluviam, in nubium diruptionem, & in grandines: quæ tempeſtates, ſtellarum purgationes exiſtunt, in exitum actæ. Sed igneæ purgationes fiunt eâ ratione, quâ quis aquam potat, aquam etiam expurgat: non aliàs ignem, qui potat eum. Mox tamen atque terram attigerunt, fiunt etiam terreæ, non ignis ampliùs exiſtunt, & coagulum viſcoſum, ſub rubei vel flavi colorum &c.* Plura deliria in ſequentibus adducemus.

Paracelſi deliria circa Meteora ignea.

§. II. De Flamma, Face, & Bolide.

Cum multa exhalatio in longum ac latum æquè in aëre diſtenſa eſt, & ita ſubtilis, ut tota ſimul inflammari poſſit; igne correpta ſubitò inardeſcit, tanto nonnunquam ſplendore, ut diei ſpecies noctu luceat, inquiunt *Conimbricenſes* Tract. 2. Meteor. cap. 2. Et hæc concretio ignita dicitur *Flamma*. De hoc Meteoro loquitur *Plinius* lib. 2. Natur. cap. 33. *Lumen de cœlo noctu viſum eſt, C. Cœlio, & Cn. Papyrio Conſulibus, & ſæpe aliàs, ut diei ſpecies noctu luceret.* Hoc Meteorum vocat *Tandlerus* de Diſput. 3. Meteor. Theſi 29. *Ardorem Cœli*, aitque, noſtro tempore non eſſe infrequens, & in aëre ita humili, ut non longè abeſſe credatur: non rarò

Flamma Meteorum.

etiam

etiam igne taciti fulgoris inſtar decidente, à quo ædificia ſuccenduntur. De eodem intelligo, quod *Fromondus* ſcribit lib.2.cap. 5. initio dicens, alia etiam incendia non raro in terram venire, *adeo ut nuper lintea ſub dium expanſa Lovanii uſtulaverint. Hæc autem quæ flammam usq. ad terram ferunt, veriſimile eſt à propinquo rapuiſſe. Poteſt tamen, ut è nubibus, aut ſuprema etiam regione deſcenderint; ubi præſertim incendium vaſtum eſt, aut materia tenax, & ignium tolerans. Ita olim inter acies Mithridatis & Luculli, cœlo repentè diffiſſo, ingentis dolii flamma, coloris argentei fuſi, ait* Plutarchus *in Lucullo, in terram decidit.*

An huc pertinent ignes illi, quorum memini ſuprà lib. 6. cap. 4. in fine, qui anno 1660. in feſto corporis Chriſti, diverſis Germaniæ locis die clarâ, & cœlo ſereno, ex aëre in terram deciderunt?

Cùm eadem exhalatio in longum extenſa & gracilis eſt, atque ita æqualiter denſa, ut non ſimul, ſed paulatim inflammari poſſit; igne correpta ab una parte, reliquam nondum accenſam aliquomodo colluſtrat, & *Facis* ſeu *Candelæ* ardentis imaginem refert; cujus & nomen ſortitur. De hoc Meteoro *Plinius* lib.2. cap. 26. loquitur, dicens; *Emicant & faces, non niſi cùm decidunt, viſa, qualis Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente, præter ora populi meridiano tranſcurrit.* Videntur præcipuè nocte. Interdum etiam de die. Unde *Seneca* lib. 1. Natur.Quæſt.cap.1. *Noſtra certè ætas,* inquit, *non ſemel vidit diurnas faces, alias ab Oriente in Occidentem verſas, alias ab occaſu in ortum.* Apud *Julium* quoque *Obſequentem* legimus, bello contra Perſeum *Lavinii fax ardens in cœlo viſa.* Alia exempla invenies apud Lycoſthenem.

Fax Meteorum.

Harum Facium duo facit genera *Plinius* citato cap.26. quorum unum *Lampades*, alterum *Bolidas* vocat. *Diſtant* (inquit idem) *quòd Faces veſtigia longa faciunt, priore ardente parte: Bolis verò perpetua ardens, longiorem trahit limitem.* Hoc ultimum meteorum *Mutinenſibus malis viſum eſt,* ut idem Plinius teſtatur.

§. III. De Capra ſaltante.

Capra ſaltans.

CUm exhalationum materia facilè inflammabilis, in aëre collecta, paulò magis in longum quàm in latum protenſa, ac neutiquam interrupta; habet ad latera quaſi fila quædam inter ſed diſtincta, ad quæ, cùm ſimul accenditur, excurſiones quaſdam & veluti ſaltus flamma efficere queat modo ſcintillarum emicantium, quæ tamen cum tota materia continuentur; ſi accendatur, Meteora efficit, quæ à Græcis αἶγες, à Latinis *Capræ ſaltantes* appellantur, quòd propter excurſiones illas in modum caprarum deſiliant, inquiunt *Conimbricenſes* Tract. 2. Meteor. cap. 2. vel certè, ut *Olympiodorus*, *Philoponus*, & alii apud eosdem declarant, ſimi-

ſimilitudo capræ in eo eſt, quòd appendices emicantes, villorum ac barbularum capræ in morem à reliqua materia pendeant. Alii aliter apud eosdem hoc *Capra ſaltantis* meteorum declarant. Ajunt enim, tunc fieri Capras ſaltantes, cùm diverſæ ſunt exhalationes inter ſe ita disjunctæ, ut ſubtilioribus partibus cohæreant, per quas una alteri flammam celeriter communicet: quod cùm fit, videtur flamma huc atque illuc transilire, more ſaltantium caprarum, maximè cùm partes illæ ſubtiliores formam pedum repræſentant.

Recte etiam ſtatuit *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 5. art. 1. ſaltum hujusmodi Meteori poſſe eſſe verum, & poſſe etiam tantùm apparere. *Verus erit, ſi ſpiritus rarior materiam denſiorem identidem levet, & ſubitò deſtituat, expediens ſe & evaneſcens: apparens verò, ſi flamma corporis denſior & uberior, illicò ſe in barbitium, anteventulasque caproneas, & crinientes undique villos ejiciat; & iis ſtatim deflagrantibus & diſſipatis, iterum ſe (idque ſæpius interpolatis vicibus) in corpus exhalationis recipere appareat.*

Ex his ceſſat admiratio *Senecæ*, lib. 1. Natur. Quæſt. cap. 1. cur Ariſtoteles hujusmodi Meteorum *Capram* vocaverit. Idem *Seneca* ibidem ſubjungit hujus meteori exempla, dicens: *Talis fuit forma ejus, qui bellum adverſus Perſeum Paullo gerente, lunari magnitudine, apparuit. Nos quoque vidimus non ſemel flammam ingentis pilæ ſpecie, quæ tamen in ipſo curſu ſuo diſſipata eſt. Vidimus circa Divi Auguſti exceſſum ſimile prodigium: vidimus cùm de Sejano actum eſt: nec Germanici mors ſine denuntiatione tali fuit.* Quanquam, ut bene notavit Fromondus, non hæc omnia Capris, ſed quædam facibus, aut flammis, cometisvè elementaribus fortaſſis adſcribenda ſint. Notandum præterea, non rectè Senecam vocare hoc Meteorum globum, cùm non ſit ſphæricæ, ſed oblongæ figuræ, & ſpeciem capræ ob ſaltum referat. Capræ ſaltantis exempla.

§. IV. De Trabe, Lancea, Jaculo.

Cum materia exhalationum in aëre unitarum, extenditur magis in longum, quàm in latum, partes tamen æqualiter diſpoſitas habet, & accenſa non transcurrit, nec prætervolat, aut ſaltat, ſed commoratur, & in eadem parte cœli collucet; *Trabs ardens* vocatur, aut *Lancea*, aut *Jaculum*, propter ſimilitudinem. *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 5. art. 1. requirit ad Trabem, ut materia dicta incenſa ſit oblonga, & jacens, alioquin ſi ſtet, columnam potiùs nominandam. Sed alii hanc conditionem non requirunt, neque Ariſtoteles id exigit. Trabs ardens.

Plinius lib. 2. cap. 26. ait, Trabes ſimili modo ut Faces emicare, & Docos vocari ab aliis; ac unam comparuiſſe, *cùm Lacedæmonii claſſe victi, imperium Græciæ amiſere.* Anno 1560. die 17. Decembris, *viſa eſt ignea trabs,*

manè circa horam quintam. Eam præcipuè ſpectârunt Angli, & qui prope Inſulas, Namurcum, tractusque finitimos degunt. Ardebat cœlo ſummo conſpicua, per duas propemodum horas, ultrò citròq; diſcurrens, brachii longitudine, tanto fulgore, ut meridies videretur. Ita ſcribit *Cornelius Gemma* lib. 2. Coſmocritic. cap. 2. initio. *Fromondus* refert lib. 2. Meteor. cap. 5. art. 1. à fido teſte ſe audiviſſe, *autumno anni 1625. ingentem trabis molem, intempeſtâ nocte, ab Occaſu exortam, paulatimq; ad cœli culmen evectam, Lunam clariſſimè ſplendentem infuſcaſſe.*

§. IV. De Pyramide, ſeu Igne perpendiculari.

Pyramis ardens meteorum.

PYramis ignita (quam alii ignem perpendicularem vocant) fit cùm materia exhalationum eſt benè cohærens, habetque partes ſubtilitate & craſſitie inter ſe diſſimiles, ita ut ſubtiliores partes eleventur, ſimulque accendantur, craſſiores verò deorſum commeent. Unde fit ut pars inferior figuram baſis referat, ſuperior verò in conum ſeu turbinem abeat, adeoque tota flamma Pyramidem ardentem oſtendat.

§. V. De Stipula ardente, Clypeo, & aliis.

Stipula ardens meteorum.

STipulæ ardentes fiunt, cùm exhalatio rarior & non benè compacta, longè latèque per aëra particulis quibusdam exilibus diſſeminatur, & accenſa ſubinde relucet, ſubinde extinguitur, ſicque ſpeciem ſtipularum in agris flagrantium repræſentat.

Clypeus ardens meteorum.

Clypeus ardens fit, cùm exhalatio in orbem collecta, & ſimul accenſa, clypei formam refert. *Clypeus ardens ab Occaſu ad Ortum ſcintillans tranſcurrit, Solis occaſu, L. Valerio, & C. Mario Conſulibus*, inquit *Plinius* lib. 2. Hiſt. Natur. cap. 34.

Multæ aliæ ſunt Meteororum ignitorum ſpecies, à figura, quam diverſa materiæ diſpoſitio variat, denominatæ, ut Dolium, Turris, Navis, Crux accenſa, & alia.

Meteororum ignerorum cauſæ.

Cauſa materialis omnium, ut & præcedentium, ac mox ſubſequentium, eſt exhalatio inflammabilis; Formalis eſt figura, motus, aut ſitus, qui proximum fundamentum ſimilitudinis ſit cum re aliqua, cujus nomen adeptum eſt meteorum; Finalis eſt purgatio aëris, terror hominum, timor DEI; Efficiens, quæ meteorum ſuccendat, eſt Sol, attritus & confricatio halituum, ſcintilla ignis aliunde in materiam incidens &c.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Stella diſcurrente, volante, cadente.

MEteorum, quod ſtellam diſcurrentem, volantem, & cadentem vocant, & ſæpe ſerenis noctibus conſpicitur ſtellæ diſcurrentis, aut volantis, cadentisvè in modum, duplici ratione fit.

§. I. Modus quo generantur.

P*Rimò* ſine vero motu ignis, ut cùm exhalatio ſulphurea ac facilè inflammabilis, in aëre longâ ſerie diſpoſita, ſed in multas quaſi particulas diſcerpta, diſtincta, ac diſſeminata eſt, & una pars poſt alteram accenditur. Stella diſcurrens, volans, cadens. Nam tunc prima pars inflammata communicat confeſtim ignem ſecundæ, & ſecunda tertiæ, tertia quartæ, & ſic deinceps; eo modo, quo candela ardens poſita ſupra candelam recens extinctam & adhuc fumantem, communicat inferiori flammam, ita ut ignis ſuperioris in inferiorem deſcendere videatur, cùm revera non deſcendat, ſed fumus intermedius accendatur, ac per eum ignis propagetur. Aptior tamen ſimilitudo eſt, ſi concipiatur pulvis pyrius longo ordine per terram diſſeminatus accendi ſecundùm unam extremitatem: tunc enim ignis à principio per totam ſeriem usque ad finem diſcurrere videtur, cùm tamen revera non diſcurrat primus ignis de loco in locum, ſed ſemper novus ac novus producatur continuatâ ſerie.

Secundo modo fit per verum motum, quando nimirum exhalatio accenſa revera ab uno in alium locum fertur. Quod fit, vel quia accenſa fit levior, & nullo obſiſtente in altum commeat, ſidus volans, aut aſcendens repræſentans; vel quia aëris, vaporisvè circumſtantis, aut nubis occurrentis frigore compreſſa, ac per antiperiſtaſin accenſa, concepto repentè igne aut in latus fertur, & ſidus diſcurrens repræſentat (quod tunc evenit, cùm impetus naturalis, quo in locum ſuperum nitebatur, ac violentia obſiſtentis aëris, vaporis, aut nubis, inter ſe æquis quaſi viribus certant) aut ſuperante vi compreſſionis prædictæ deorſum deſcendit, tantâ celeritate, ut ſideris de ſummo ad imum labentis imaginem oſtendat.

Tertio etiam modo fieri poteſt, ſi exhalatio inter ſe continuata longo ordine diſponatur per aërem, eo modo quo de pulvere pyrio diximus, & ignis primò unam extremitatem, tum ſubſequentes ſine interruptione partes corripiat; & dum poſteriores accenduntur, priores extinguantur.

Digitized by Google

P. Nicolaus Cabeus lib. 1. Meteor. tex. 20. quæſt. 1. addit alium modum, putatque impelli aliquando incenſam materiam eâ ratione, quâ pyroboli impelluntur ab accenſo intus pulvere. Sed neque rectè explicat cauſam motus pyrobolorum, nec (meo judicio) rectè applicat ad noſtrum caſum. Quo modo verò pyroboli accenſi ſurſum ferantur, explicavimus in Pyrotechnia noſtra 4. parte Magiæ lib. 2. Syntagm. 3. cap. 1. in Erotemate pyrobolico.

§. II. De loco & motu Stellarum prædictarum.

Stellarum cadentium locus, & motus.

EX dictis concludi poteſt, prædicta meteora non generari in ſuprema aëris regione, ſed infra eam, quoniam in ſuprema neque nubes ſunt, quæ exhalationem accenſam repellant, neque tanta ipſius aëris frigiditas, ut antiperiſtaſin efficere queat.

Sæpe quoque non longè à nobis fieri, ex eo patet, quòd ſubinde ad terram usque decidere viſa ſint, reſoluta in materiam viſcoſam, lubricam, & in modum ſpermatis ranarum compactam, illi prorſus ſimilem, in quam Robertus à Fluth reſolutum vidit Ignem fatuum, ut diximus ſuprà cap. 9.

Vicinitatem etiam colligit *Ariſtoteles* ingenioſè lib. 1. Meteor. tex. 22. ex velocitate motus, dum ait: *Omnia autem hæc ſub Luna fiunt. Signum autem eſt apparens ipſorum velocitas, ſimilis exiſtens iis quæ à nobis projiciuntur: quæ, quia prope nos ſunt, multùm videntur velocitate prætergredi & aſtra, & Solem, & Lunam.* Quò enim res, quæ movetur motu circulari aut transverſo in aëre, propinquior nobis eſt, eò apparet moveri velociùs cæteris paribus. Hinc Luna intra horam longè velociùs moveri videtur, quàm Sol; & Sol velociùs, quàm aſtra fixa &c.

Cur autem cùm Stellæ ardentes transvolant, aut cadunt, aut etiam deſcendunt, videantur longum iter igneum porrigere, etiamſi non ſemper totus exhalationum tractus ſucceſſivè accendatur, ſed ſæpe maſſa uno in loco accenſa transvolet ad alium; cauſam ait eſſe *Seneca* lib. 1. Natur. Quæſt. cap. 14. immenſam celeritatem. Loquens enim de hujusmodi Meteoris, ait: *Hæc velut ſtellæ exſiliunt, & transvolant, videnturque longum ignem porrigere, propter immenſam celeritatem: cùm acies noſtra non diſcernat tranſitum earum, ſed quacunque cucurrerunt, id totum igneum credat. Tanta enim eſt velocitas motus, ut partes ejus non diſpiciantur, ſed tantùm ſumma prendantur. Intelligimus magis quà appareat ſtella, quàm quà eat. Itaque velut igne continuo totum iter ſignat: quia viſus noſtri tarditas non ſubſequitur momenta currentis, ſed videt ſimul & unde exſilierit, & quò pervenerit. Quod fit in fulmine. Longus nobis videtur ignis ejus, quia citò ſpatium ſuum tranſilit, & oculis noſtris occurrit univerſum, per quod dejectus eſt.*

At

Digitized by Google

At ille non eſt extenti corporis, per omne quà venit. Neque tam longa & extenuata in impetum valent.

Motus earundem ſtellarum in fine plerumque tardior eſt una ex ſequentibus cauſis: vel primò, quia ſi exhalatio ſe in cœlum rectè aut obliquè evibravit, materiæ in fine deflagrârunt, & ſpiritus ignei molem ferentes ex majori parte jam exſpirârunt: vel ſi deorſum eſt motus, quia aër verſus terram perpetuò occurrit denſior, ac magis trajectioni reſiſtens: vel quia materia motu diſſilit, aut rareſcit, & pigrior in fine ad caſum fit. Aliquando etiam non movetur revera tardiùs, ſed ſolùm apparenter, ob rationem opticam, nempe quia dum fertur motu ad horizontem noſtrum parallelo, & ab aſpectu noſtro in averſam partem fertur; æqualia viæ ſpatia ab oculo remotiora apparent minora, quàm propinquiora, ideoque dum accenſa exhalatio tranſcurrit, illa æquali tempore, quo priora, videtur moveri tardiùs, quoniam tantum temporis inſumit, in minoribus (ut apparet) ſpatiis, quantum antea inſumpſit in majoribus.

CAPUT XIV.

De Dracone volante.

APparet ſubinde Meteorum ignitum, Draconis volantis ſpeciem referens, in medio videlicet latior, antè & retrò ſtrictior, aliſque hinc & inde expanſis. Hujus generationem nunc inquirimus. Draco volans.

§. I. Paracelſi nugæ de Dracone volante.

P*Aracelſus* Opuſc. de Meteor. cap. 10. ridiculè cenſet, Draconem hunc eſſe avem igneam, à cœlo productam, atque in hæc inferiora miſſam. Verba ejus ſunt: *Natura ſimiliter aves producit igneas, & volantes, nempe dracones dictas, & quæ ab uno monte ad alium jaculantur, & volant. Dracones iſti nonnunquam eſſentialis ignis exiſtunt, accenduntq; omnia prout fulmen; aliquando fiunt coagulum, ut ſtellarum fluxus; & quandoque prorſus conſumuntur; & nonnunquam inter conſumendum horribilem fœtorem efficiunt. Origo talis. Videris ex variis rebus animalia produci, & muſcarum genus, & aranearum ex aëre, quæ ſemen aliquod non habent ex quo naſcantur, ac ſic ſine eo ſpermatevè naſci debent, prout etiam Philoſophia docet. Aliàs etiam Olympus producit in ſuo Firmamento conditionem animalium, non ſolùm draconum, verùm etiam aliorum quæ vitâ pollent, intellectuque brutali, ad jaculandum atque volandum ab uno loco in alium, diu noctuque. Prout enim elementum Aqua, varia monſtra continet, miros terra vermes, aër verò muſcas admirandas; ita cœlum etiam ſuas habet ſalamandras in ſe, quæ naſcuntur ex igne ſuo veræ ſalamandræ, hoc eſt, ex* Paracelſi nugæ de dracone volante.

putrefactione ſulphuris adurentis. Unum hoc eſt ex quatuor admirandis quatuor elementorum operibus Olympi. Sunt enim animalia bruta quæ ſuo pollent intellectu, prout ea quæ in aqua, terra, & aëre ſunt. Eorum vita brevis. Dum tamen vivunt, remotiſſimo loco extare poſſunt, ac jaculari, ſcilicet in aliquot centena millia; non unico jactu, volatuvè, ſed uno tempore in aliquem uſq; locum, poſtmodùm ulteriùs in alium. Statim atq; reſident, igneæ fore non videntur: at cùm rurſus in aërem attolluntur, iterum igne fulgent. Dormiunt, & quieſcunt; eo tempore non fulgent, ſolùm in montibus volando &c. Hæc Paracelſus, oppidò ridiculè. Habet tamen, qui ſibi applaudant.

§. II. Vera ſententia de generatione Draconis Volantis.

Draconis volantis generatio. DUas invenio ſententias circa generationem hujus Meteori. *Primò* enim aliqui putant fieri, cùm exhalatio non nimis viſcoſa & calida, nec valde coagulata & compreſſa, in motu ſurſum occurrit frigidæ nubi, & ab ea repellitur, atque ita vel motu, vel antiperiſtaſi, parte ſummâ, quæ rarior ac levior eſt, accenditur. Quia verò hoc frigidæ nubis impulſu flectitur, ac velut in draconis ventrem curvatur; quia item ſubtilior eſt ex parte anteriori, videturque ſcintillas ardentes velut ex ore evomere, & pars poſterior repræſentat quaſi conſtrictam caudam; fit ut draconis volantis effigiem referat, & hoc nomine communiter vocetur. Ita rem explicant *Conimbricenſes*, & *Sennertus*.

Quia tamen durities nubis non eſt tanta, ut dictam exhalationem retorquere deorſum tam validè poſſit; *Secundò* aliter rem explicat *Fromondus*, aitque, refrigerationem quâ exhalatio in media regione, aut circa eam, condenſatur, & gravior aëre redditur, in quo pependit, vel certè exploſionem è nubibus, more fulminis, eſſe cauſam volatûs & obliqui delapſus ejus. Sinuoſo autem corpore effici ex illa exploſione, quia ſcilicet poſterior pars exhalationis grandiorem impetum, quàm prior, accepit, eamq; premendo in arcum aut gibbum deformavit, effecitque ut partes utrimque appoſitæ alarum imaginem, & ſcintillantis oris referant.

Ego exiſtimo, exhalationem, quæ Draconis volantis materia eſt, non explodi è nube, alioquin à fulmine non diſtingueretur hoc meteoron, quidquid dicat Fromondus; ſed obviantem nubi frigidæ, ab ea repelli, ac deorſum trudi, & in tali impulſu ac motu acquirere ſimul figuram draconis, & ſimul inflammari. Nam partes tenuiores in occurſu nubis præcedunt, & primum impetum excipiunt; hæ repulſæ pellunt ſubſequentes denſiores; hæ pulſæ arcuantur in ventrem, rariores verò partim diffunduntur ad latera, & alarum ſpeciem effingunt, partim ponè ſubſequuntur, & caudam exprimunt; dum laterales interim tum ob primum impetum, tum ob violentum motum deorſum, diſtrahuntur in ſcintillas velut ore volantis draconis exſputas.

§. III. Si-

Digitized by Google

§. III. Significatio draconis volantis.

DRacones hi ſigna ſunt peſtilentiæ & morborum (ait Fromondus) quia aërem multis exhalationibus infectum eſſe oportet, ut tantæ molis meteora generentur. Vulgus credit, moriturum qui viderit de-volantem. Sed hoc vanum eſt: ſciebat enim Fromondus, qui dudum viderat, & adhuc ſuperſtes erat dum ſcriberet.

Draconis volantis ſignificatio.

CAPUT XV.

De natura & generatione fulminis.

VUlgus putat, fulmen eſſe corpus quoddam ſolidum ad modum teli, ex alto per aërem in terram evibratum, quod impetu ſuo res tactas disjiciat atque comminuat, cujusmodi ſunt arbores, ædificia, & alia. Favent pictores, qui Jovem fulminantem pingunt triſulcâ cuſpide armatum. Sed quantum errent qui ita ſtatuunt, ex ſequentibus patebit. Sit ergo

§. I. Quid ſit fulmen, & quomodo fiat, ex Paracelſi ſomnio.

P*Aracelſus* lib. de Meteor. cap. 8. more ſuo delirans, aut ſomnians, ut fulminis naturam & generationem explicet, Ait primò, *DEUM in Firmamento poſuiſſe ſulphur, ſal, & mercurium, ex quibus materialiter omnia naſcuntur*. Et ex his tribus vult componi etiam fulmen. Ait ſecundò, inter alias ſtellas eſſe quasdam fulminales, ſolùm igneas, deque numero æſtivarum, at vehementiores aliis; adeo ut cùm aliæ ſint in primo, aliæ in ſecundo &c. gradu, fulminales ſint in trigeſimo ſecundo. Ait tertiò: *In ſtellis fulminalibus & ſulphur in ſupremo gradu, ſalpetra in ſumma pinguedine, mercurius autem in ſuprema contrarietate. Nam ſulphur eſt corpus ibidem, nitrum ſpiritus, & mercurius in ambobus contrarius, ut acrior nitro, ſulphureque vehementior exiſtat. Ex his tribus, tonitru, fulmen, & tempeſtates fiunt, quæ maxima totius Firmamenti ſunt actiones meteoricæ.*

Paracelſi de fulmine opinio.

His aliisque figmentis præmiſſis, ſic fulminis generationem explicat. *Cùm de fulmine dictum ſit ex quibus conſtet, jam quinam fiat animadvertendum. Exemplum hoc terrenum demonſtrabit absque fuco: nam cœleſtia vel meteorica non meliùs quàm terrenis ad oculum correſpondentibus probari poſſunt. Accipite igitur ſulphur, ſal nitrum, & mercurium terrena, quæ per artem in unum componite corpus: inde juxta conditionem terrenam invenietis admirandum impetum in terreſtri natura, firmamentali vehementiâ tyrannideque non comparandum,*

Digitized by Google

randum, & compoſitione ſimilem, ut à bombardicis pulveribus hoc loco non aſpernandis videre licet. Non aliàs in cœlo ſuperi, hoc eſt, Magiſtri vel Artifices accipiunt ſulphur, ſalnitrum, & mercurium æthérea, quæ ſimul concludunt in ſuum Aludel, id eſt, in ſuam ſtellam, ibidemque præparant in unam compoſitionem, ut ſuprà dictum, hoc modo videlicet. Primò ſulphur liqueſaciunt; poſtea ſalnitrum in eo, parvo tamen calore; poſtremò tandem mercurium, qui ſimul cum aliis unitur præter motum aut impetum, ab eisq; nihil recedit aliud quàm ſuperfluus caloris gradus ut ſuprà. Poſt ejuſmodi præparationem ſtella mox effundit in externas regiones, id eſt, in aërem, in quo nubem efficiunt, ob altitudinem ejus non bene viſibilem, ac propter præparationis ſubtilitatem, quouſque deſcendat, ſuper unum, tum demum ſuper aliud cadit; ſimulq; nubem craſſiorem efficiunt majorem aut minorem, juxta materiæ primæ quantitatem à ſtella contortam, ex uno magis quàm ex alio ſimul concurrunt, aut unum poſt aliud, etiam in uno ſolo quadam fulmina ſuper aliud, ſecundùm concordantiam, ſtellæq; naturam evenire poſſunt. Sunt etiam aliquando geminorum natura, ut binos ictus efficiant, quandoq; ternos &c. Cùm igitur in nubem ſimul conveniunt, in finem uſq; præparantur in aere: qui voluptas eorum & coquina præparationis eſt ad finem ordinatum à natura; ſic ut in ipſa natura, quod in Aludel non fieri poſſit, inter ſe ſe contraria ſic fiant, ut nitrum contra ſulphur exurgat, ac in eo manere nolit &c. in aëre paſſim ignis gradus aſcendunt &c. & ſalpetra ſcandit altiùs. Quod quoties inflammatur, maſſam in tremorem agitat, ut nubes etiam aperiatur, de ſeque fulgur evadat, aut fulgetrum, id eſt, igneum radium à maſſa demittat in terram &c. Hæc, & alia multa citatus Auctor; quæ retuliſſe, refutaſſe eſt.

§. II. Fulminis natura & generatio ex Plinio.

Fulminis natura & generatio ex Plinio.

P*Linius* lib. 2. Natur. Hiſt. cap. 20. docet, tanquam magnum ſecretum, & paucis cognitum, fulmina eſſe deciduos trium ſuperiorum Planetarum ignes, Saturni inquam, Jovis, & Martis; & ab iis exſpui cum crepitu, ut è flagrante ligno carbo. Jovem tamen, qui inter Saturnum & Martem eſt medius, dici præcipuè fulminatorem. Verba Plinii recito. *Latet pleroſq;* inquit loc. cit. *magnâ cœli aſſectatione compertum à principibus doctrinæ viris, ſuperiorum trium ſiderũ ignes eſſe, qui decidui ad terras fulminũ nomen habeant; ſed maximè in iis medio loco ſiti: fortaſſis quoniam contagium nimii humoris ex ſuperiore circulo, atq; ardoris ex ſubjecto, per hunc modum egerat. Ideoq; dictum Jovem fulmina jaculari. Ergo ut è flagrante ligno carbo cum crepitu, ſic à ſidere cœleſtis ignis exſpuitur, præſcita ſecum afferens, ne abdicatâ quidem ſui parte in divinis ceſſante operibus. Idq; maximè turbato fit aëre, quia collectus humor abundantiam ſtimulat; aut quia turbatur quodam ceu gravidi ſideris partu.* Supponit Plinius, ſtellas vaporibus paſci atque nutriri; quod quia jam antiquatum eſt, ſtare hæc ſententia non poteſt.

§. III. Ariſto-

Digitized by Google

§. III. Ariſtotelis & noſtra ſententia de fulminis natura & generatione.

A*Riſtoteles* lib. 3. Meteor. tex. 4. & ſeqq. quem Peripatetici & Nos ſequimur, ita fulminis generationem, & ex generationis modo naturam explicat.

Fulminis natura & generatio ex Ariſtotelis & noſtra ſententia.

Ex rebus ſublunaribus, vi caloris vehementioris reſolvuntur & evolant partes aliquæ ſpiritoſæ ac tenues, ut diximus ſuprà cap. 1. præſertim §. 4. Hæ quoniam tenues & calidæ ſunt, confeſtim feruntur in ſublime, ſeu ſolitariæ, ſeu vaporibus miſtæ; & quoniam ſulphuris & nitri ſpiritus admixtos habent, facilè accendi poſſunt. Sublatæ in altum, dum nubibus occurrunt, & tranſire prohibentur; colliguntur in unum intra ipſas nubes, idque vel caſu, vel naturæ conſenſu; propter ſimilitudinem quam inter ſe habent. Nubibus incluſæ, & agitatæ, ſi ex aliqua cauſa accenduntur, nempe vel ex motu & attritione mutua & cum vaporibus nubium (ex quo motu & attritione aliquæ ſpiritoſiſſimæ particulæ purgatiſſimi ſulphuris ignem facilè concipere poſſunt) vel ex antiperiſtaſi, modo explicato ſuprà cap. 7. vel denique ex refractione radiorum Solis, (qui tranſeuntes per aliquas ſuperiores partes vaporum ac nubium, ex accidentali & contingenti illarum figura, ex refractione uniuntur ita, ut ignem producere in materia apta poſſint) ſi inquam accendantur, & quidem omnes ſimul, & ſubitò, cùm omnes ſint ejuſdem rationis, & facilè inflammabiles; rareſcunt vehementiſſimè, & uno impetu mirum in modum excreſcere appetunt in maximam molem, non ſecus ac pulvis pyrius accenſus: quò fit, ut dum quærunt majora ſpacia, circumſtantes undique nubes magno impetu disjiciant, & exitu invento erumpant, atque ad terram usque deſcendant, edantque ſtrages illas, quas quotidie videmus fieri à fulmine. Erumpunt autem potiùs ex inferiori parte nubium quàm ſuperiori, quoniam dum incenſæ ſurſum naturâ ſuâ feruntur, à condenſatis & frigidis vaporibus fortiſſimè repulſi, reflectuntur validè ad inferiores, easque perrumpunt. Dubium tamen nullum mihi eſt, quin ſuprà, & ad latera erumpant.

Rectè ergo fulmen ita definiri & explicari poteſt. *Fulmen eſt exhalatio ſpiritoſa, intra nubes accenſa, & magno impetu excuſſa.* Qua in definitione innuitur materia, & efficiens fulminis; quæ ſequenti §. explicabimus.

§. IV. Materia, & Efficiens fulminis.

M*Ateria* fulminis eſt exhalatio ſpiritoſa ac ſulphurea, è rebus ſublunaribus in nubes ſublata. Hoc inde patet, quòd fulmina ac tonitrua

Fulminis materia.

Digitized by Google

plerumque contingant poſt dies ferventiores, quibus plurimæ exhalationes fuêre extractæ, atque in altum ſublatæ. Quod autem ſpiritoſæ, ſulphureæque exhalationes ſint illæ quæ fulmini materiam præbent, conſtat ex eo, quòd circa montes ignivomos frequentiſſima & impetuoſiſſima ſunt fulmina & tonitrua; utique non alia de cauſa, quàm quia dicti montes exſpirant multos halitus ſulphureos ac bituminoſos. Expertus id ſum ipſemet ſex annorum ſpatio, quibus partim Mœnis, partim Calataierone in Sicilia, in Ætnæ ignivomi montis conſpectu habitavi: nullibi enim in tota Sicilia, quam annis novemdecim incolui, tam frequentia, horribilia, & periculoſa notavi tonitrua ac fulmina, quàm in dictis urbibus, & quidem non autumnali & hyemali tantùm tempore, quo alibi etiam per Inſulam audiuntur, ſed æſtivo, & in ſummis caloribus, quando aliis in urbibus ne nubecula quidem apparet, nedum quòd tonitrua ac fulmina dominentur. Nullibi vidi tam frequentes hominum & aliarum rerum ſtrages à fulmine factas, quàm in dictis urbibus: nullibi tantam incolarum trepidationem quàm ibidem. Pulſantur non ſolùm campanæ, ut apud nos, & alibi, ſed templa aperiuntur, & hominum omnis ſexus & ætatis concurſus fit, pectora tundentium, & DEI opem ac miſericordiam implorantium. Exemplum fulmine ibidem ictorum infrà dabo.

Fulmina frequentia circa Ætnam.

Efficiens cauſa fulminis eſt illa, quæ materiam prædictam intra nubes accendit. Harum tres innuimus præcedenti §. motum ſeu attritionem exhalationum nubibus incluſarum, antiperiſtaſin, & refractionem luminis ſolaris. *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 3. art. 2. addit duas alias, ſcintillam videlicet aliquam cum exhalationibus aſcendentibus elevatam, illasque nubibus jam receptas atque concluſas incendentem; & ſtellas diſcurrentes, aliaque ignita meteora è ſuperiori aëris regione in ſtationem nubium dejecta, & exhalationem ibi conglobatam incendentia. Huic ſecundò non contradixerim: primum non credo, quoniam credibile non eſt, ſcintillam ſpiritoſis illis & facilè inflammabilibus halitibus incluſam, illos non accendere antequàm nubibus recipiantur & conſtringantur; aut tam diu durare, donec cum iisdem aſcenderit.

Fulminis cauſa efficiens.

Corollaria.

COlligitur hinc I. fulmen non eſſe lapidem igne ex nubibus delatum, ut vulgus putat apud Ariſtotelem lib. 3. cap. 1. alioquin non eſſet tam ſubtile, ut corpora ſine læſione trajiceret, & intus latentia disjiceret, ut poſtea videbimus. Non nego tamen, poſſe ac ſolere aliquando exhalationes intra nubem concreſcere in lapidem, qui unà cum fulmine tanquam bombardæ globus cum pulvere pyrio accenſo, deorſum trudatur; de qua re poſtea.

Fulmen non eſt lapis.

Colli-

Digitized by Google

Colligitur II. non rectè *Bodinum* lib. 2. Theat. putare, fulmina ac tonitrua fieri à Dæmonibus aëra incolentibus, eò quòd explicari rectè non poſſit, quomodo exhalatio intra nubes incendatur, & incenſa tantum fragorem edat, cùm nubes ſint corpora mollia, humida, & facilè cedentia. Sed ſi Genii fulminatores ſunt ſemper fulminum cauſa, cur apud nos non fulminat hyeme, in regionibus calidis æſtate? cur non ſereno cœlo, niſi rariſſimè, ut prodigii loco id habeatur? Poſſunt quidem ac ſolent Dæmones, tum per ſe, tum per Magos excitare tonitrua, & fulmina, ut ſuprà lib. 1. probavimus; at ſemper id facere, negamus. Fulmina non fiunt à dæmone.

CAPUT XVI.

De Fulgure, Fulguratione & Coruſcatione.

FUlgur ſeu Fulgetrum eſt ignis ille qui è nubibus, ſeu cum tonitru, ſeu ſine tonitru, effulget, & mox, antequàm ad terram deveniat, extinguitur. Itali vocant *Lampo, & Baleno*, Hiſpani *Reſplandor del relampo*; Galli *L' eſclair*, Germani Bliz. Fulgur.

Fulguratio ſi concretim ſumatur, idem eſt quod fulgur: ſi abſtractim, eſt fulguris è nubibus emiſſio, ſeu fulguris productio. Hæc ſi frequens ſit, & non adeo copioſum è nubibus ignem ejiciat, dici ſolet *Coruſcatio*; quæ propriiſſimè eſt jactus ſeu vibratio tremuli luminis ab exhalatione in nube accensâ. Qui quidem jactus non eſt localis & proprius, ſed metaphoricus: eſt enim revera productio tremuli iſtius luminis. Coruſcatio.

Itaq; Fulgur & fulguratio non niſi accidentaliter à Fulmine & Fulminatione differt; in materia autem, & in modo quo producuntur, conveniunt, ut bene notavit *Seneca* lib. 2. Natur. Quæſt. variis in locis. Nam cap. 12. ait: *Fulguratio oſtendit ignem; fulminatio emittit. Illa (ut ita dicam) comminatio eſt, & conatio ſine ictu; iſta, jaculatio cum ictu.* Et rurſus *cap. 16.* ait: *Quid ergo inter fulgurationem* (concretim & pro fulmine ſumptam) *& fulmen intereſt? Dicam. Fulguratio, eſt latè ignis explicitus; fulmen, eſt coactus* atque coarctatus *ignis, & impetu jactus.* Iterum *cap. 18.* ait: *Quid eſt ergo ipſa fulguratio? aëris diducentis ſe, corruentiſque jactatio, languidum ignem, nec exiturum aperiens. Quid eſt fulmen? acrioris denſioriſq; ſpiritus curſus.* Ulteriùs *cap. 21.* utriusque naturam adſignans, ait, *Fulmẽ ignem eſſe: æquè fulgurationem: quæ nihil aliud eſt quàm flamma, futura fulmen, ſi plùs virium habuiſſet. Non naturâ ſuâ, ſed impetu diſtant.*

Eſſe illum ignem, calor oſtendit; qui ſi non eſſet, oſtendit effectus. Magnorum enim ſæpe incendiorum cauſa fulmen fuit &c. Ergo & utramque rem ignem eſſe conſtat: utramque rem inter ſe meando diſtare. Fulguratio eſt fulmen, non in terras uſque perlatum. Et rurſus licet dicas, fulmen eſſe fulgurationem uſque terras productam &c. Fulmen eſt quiddam plus quàm fulguratio. Vertamus iſtud. Fulguratio eſt penè fulmen.

Fulguris duplex genus.

Ex his deducit *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 3. art. 4. duplex eſſe genus fulguris: unum, quod more fulminis nubem terebrat quidem, & erumpit, ſed ad terram non venit, vel quia impetu non ſatis valido erumpit, vel quia ignis in jactu diſſilit, aut in obliquum nimis deflectit: alterum, quod ignem tantùm in nube rara oſtendit, non emittit. Atque hoc ſecundum eſt propriiſſimè coruſcatio, quod Germani Wetterleuchten appellant.

CAPUT XVII.

De variis Fulminum differentiis, & adjunctis.

FUlminis adjuncta ſeu accidentia ſunt motus, tempus, odor, aliaque ſimilia. Hæc paucis indicabimus. Sed priùs varias fulminis diviſiones ſeu differentias videamus ex Ariſtotele, Seneca, Plinio, & aliis. Incipio ab ultimo.

§. I. Fulminum differentiæ.

Fulminum differentiæ.

PLinius igitur lib. 2. Natur. Hiſt. cap. 43. dividit ea in *bruta fulmina, & vana, ut quæ nullà veniant ratione Naturæ. Iis percuti montes, iis maria, omneſque alios irritos jactus. Illa verò fatidica ex alto, ſtatiſque de cauſis, & ex ſuis venire ſideribus.* Sed hæc ſine dubio vana eſt, & ex antiquorum ſuperſtitione orta fulminum differentia. Aliter *cap. 51. idem Plinius* dividit fulmina in Sicca, Humida, & Clara. *Quæ ſicca veniunt, non adurunt* (ait ipſe,) *ſed diſſipant. Quæ humida, non urunt, ſed infuſcant. Tertium, quod clarum vocant, mirificæ maximè naturæ* eſt, *quo dolia exhauriuntur &c.* quæ paulò pòſt referemus.

Cæcinna apud *Senecam* lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 39. *Genera fulminum tria eſſe ait: Conſiliarium, Auctoritatis, & quod Status dicitur.* Singula explicat ipſe Seneca, & concludit, hæc non eſſe fulminum genera, ſed ſignificationum. Ipſe verò *Seneca cap. 40.* alia tria diſtinguens, ait: *Nam fulminum genera ſunt illa, quod terebrat, quod diſcutit, quod urit. Quod terebrat, ſubtile eſt, & flammeum, cui per anguſtiſſimum fuga eſt, ob ſinceram & puram flammæ tenuitatem. Quod diſſipat, conglobatum eſt, & habet admixtam vim ſpiri-*

Digitized by Google

ſpiritus coacti & procelloſi. Itaque illud fulmen per id foramen, quod ingreſſum eſt, redit & evadit; hujus latè ſparſa vis, rumpit ictu, non perforat. Tertium illud genus quod urit, multùm terreni habet, & igneum magis eſt, quàm flammeum. Itaq, relinquit magnas ignium notas, quæ percuſſis inhæreant. Nullum quidem ſine igne fulmen venit; ſed hoc propriè igneum dicimus, quod manifeſta ardoris veſtigia imprimit. Hæc, & plura alia Seneca, ingenioſè & verè; qui & capite 41. ac ſequentibus, varias alias Hetruſcorum diviſiones affert, ſed ſuperſtitioſas, nec dignas quæ referantur.

Ariſtoteles lib. 3. Meteor. tex. 4. ad duo tantùm genera revocat omnia; quorum unum vocat *Non adurens*, & *Clarum*; alterum *Adurens*, & *Fumoſum*. Utrumque explicat his verbis. *Si autem in ipſa nube multus & tenuis extrudatur ſpiritus, hic fit fulmen: ſiquidem valde tenue fuerit; non* adurens, *propter tenuitatem, quod Poëta* Clarum *vocant: ſi autem minùs;* adurens, *quod* Fumidum *vocant. Illud enim propter tenuitatem fertur, propter velocitatem autem prævenit pertranſire antequàm igniat, & moram faciens denigret: hoc autem tardiùs, coloravit quidem, non autem exuſſit, ſed prævenit pertranſiens. Quapropter & reſiſtentia quidem patiuntur aliquid; quæ autem non, nihil &c.* Hæc Ariſtoteles, quæ meliùs explicabuntur in ſequentibus.

§. II. Motus Fulminum.

IN motu fulminum duo conſidero, & quòd deorſum feruntur ex nubibus in terram, & quòd plerumque obliquè ac irregulariter feruntur. Utriuſque cauſam rimari conabor. Fulminum motus.

Motûs deorſum cauſam adſignavi cap. præcedenti §. 3. Aliam adſignat *Cabeus* lib. 3. Meteor. tex. 6. quæſt. 1. dicens, ſpiritus illos ſubtiles nubibus incluſos, atque accenſos, habere admixtas partes quaſdam corpulentiores; quæ cùm ob gravitatem occupent inferiorem locum, ſubtiliores partes ſubitò accenſæ, ac vehementer rarefactæ, cùm exitum non inveniant ex ſuperiori nubium parte, impetum convertunt in partes illas corpulentiores, eaſq; magno cum impetu ac fragore repellunt deorſum. Pulchrè autem hoc probat Cabeus binis experimentis, quæ omitto.

Movetur tamen deorſum motu plerumque obliquo, & valde irregulari; tum quia exhalationem incenſam, & è nubibus erumpentem ſequitur præitque halitus plurimus, & flatus conglobatus, quo in varias partes reſilit, ut notant *Conimbricenſes* tract. 2. Meteor. cap. 5. ex *Alberto Magno* tract. de Fulmine cap. 21. tum quia natura ignis ſurſum vocat, impetus autem deorſum trudit, ideoque in utramque viam fluctuat, vincente tamen impetu conatum ignis, ut notat *Seneca* lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 28.

Digitized by Google

§. III. Tempus fulminis.

Fulminis tempus.

TEmpora fulminum non ſunt ubique terrarum eadem: alia enim ſunt in calidis, alia in frigidis regionibus. Hæc cauſa eſt, cur Auctores tam variè de ea re loquantur. *Plinius* lib. 2. cap. 50. *Hyeme*, ait, *& æſtate rara fulmina, contrariis de cauſis, quoniam hyeme denſatus aër nubium craſſiore corio ſpiſſatur, omnisque terrarum exhalatio rigens ac gelida, quidquid accipit ignei vaporis, extinguit. Quæ ratio immunem Scythiam & circà rigentia à fulminum caſu præſtat: & è diverſo nimius ardor Ægyptum; ſiquidem calidi ſicciq; halitus terræ, raras admodum tenuesq; & infirmas tenuantur in nubes. Vere autem & autumno crebriora fulmina, corruptis in utroq; tempore æſtatis hyemisq; cauſis. Quæ ratione crebra in Italia, quia mobilior aër mitiore hyeme, & æſtate nimbosâ, ſemper quodammodo vernat vel autumnat. Italia quoq; partibus iis, quæ à Septentrione diſcedunt ad teporem, qualis eſt Urbis & Campaniæ tractus, juxta hyeme & æſtate fulgurat; quod non in alio ſitu.* Hæc Plinius. Eadem habent *Conimbricenſes* loc. cit.

Fromondus lib. 3. Meteor. cap. 3. art. 13. ait, in Belgio fulmina fine veris, & initio autumni, aut æſtatis exitu maximè frequentari. Rationem dat, quòd tunc Sol multas & ad fulminis generationem aptas exhalationes educit; quas tamen hyeme educere non valet, æſtate verò eductas digerit atque conſumit. Idem aſſerit, in Anglia raró fulminare, licet Anglicani cœli temperies ſit longè mitior Belgico, adeo ut quoties in Anglia fulminatum, inter illius anni prodigia recenſeat *Polydorus Virgilius* apud ipſum, qui hoc adſcribit qualitati exhalationum ſoli Anglicani, quod cretaceum eſt, & ſulphureos ac nitroſos ſpiritus non exhalat.

In Germania noſtra, teſte experientiâ, æſtate potiſſimùm fiunt fulmina, raró in vere & autumno, rariſſimè in hyeme. Imò quò æſtuoſior eſt æſtas apud nos, eò frequentiora ſunt fulmina. Cauſa eſt, quòd tunc plurimi & vapores & exhalationes ſimul elevantur, illique concreſcunt in nubes, hæ in fulmina, incluſæ nubibus: neque enim tantus eſt apud nos æſtus, ut utrique halitus ante aſcenſum ad ſecundam aëris regionem abſumantur. Contingunt tamen ſubinde & hyeme apud nos fulmina; ſed ferè prodigii loco habentur, cujusmodi fuêre, quæ hoc anno 1661. paſſim in multis Germaniæ locis fuerunt audita. Certè hujus ipſius anni menſe Januario Stetini tonitrua & fulmina tam fuêre horribilia, ut templi præcipui turrim incenderint, ac tandem globum æneum turris faſtigio impoſitum dejecerint, ut ex litteris eodem ex loco, eodemque menſe acceptis retulit mihi Generoſiſſimus Dominus Colonellus Gorgas. In Belgio quoque rariſſimum eſt hybernum fulmen, habetque illud Levinus Lemnius pro certo ſigno ſecuturæ mox ingentis tempeſtatis.

Digitized by Google

In Sicilia hyeme ferè fulminat, rariùs æſtate, niſi in locis circa Ætnam montem, ut ſuprà dixi. In aliis tamen montanis urbibus ab Ætna remotiſſimis ſubinde etiam æſtate contingunt. *Curtius* quoque lib. 8. de Alexandro Magno meminit fulminum hyemali tempore.

Olaus Magnus lib. 1. Hiſtor. Septent. cap. 12. refert, in Septentrionalibus regionibus frequentiſſima eſſe fulmina, fulgura, ac tonitrua, adeo ut plures homines ſublimiora loca inhabitantes interimant, excelſas turres, & ædes conſumant, altas arbores findant, aut confundant. Idem ibidem refert, apparere ſæpiſſimè in partibus Aquilonis ſub ſereno cœlo totis noctibus in Septembri clara atque continua fulgura: vulgi tamen opinionem eſſe, ſplendorem illum nocturnum oriri ex reflexione infinitorum halecum, qui continuo reflexu ac ſaltu tantum ſplendorem nubibus immittant, ut coruſcatio de cœlo cadere credatur. Vide quæ diximus lib. 10. cap. 9. de Halece.

§. IV. Odor fulminis.

Fulminis odor.

FUlmina ſulphuris odorem exhalant. *Omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt*, inquit *Seneca* lib. 2. cap. 21. Et *Plinius* lib. 35. Hiſt. Natur. cap. 15. *Fulmina*, inquit, *& fulgura quoque ſulphuris odorem habent: ac lux ipſa eorum ſulphurea eſt*, quoad colorem ſcilicet. Et *Olaus Magnus*, loco proximè citato refert, quòd *ceſſante fulmine, ac pluviâ, quandoque ſulphur in campis colligitur ſpiſſitudine taurina cutis, licèt nulli ſit accommodum.* Cauſa ſulphurei odoris eſt, quòd exhalationes è terra extractæ admixtos habeant ſpiritus ſulphureos. *Conimbricenſes* addunt, ſulphur in aëre gigni, non minùs ac in viſceribus terræ.

CAPUT XVIII.

De admirandis fulminum effectis.

Fulminis effectus varii & miri.

MIri ac multi fulminis effectus à variis Scriptoribus enumerantur, eorumque cauſa inquiritur. Sunt tamen qui de nonnullorum veritate dubitant. Ego præcipuos ex probatiſſimis Auctoribus recenſebo, & pauca quæ ipſe vidi, vel audivi, adjungam, ſimulque cauſam ſingulorum brevisſimè inſinuabo.

§. I. Effectus fulminis ex Ariſtotele.

ARiſtoteles lib. 3. Meteor. tex. 4. ait, aliqua tacta fulmine deſtrui, alia non deſtrui; ut ſi feriatur fulmine clypeus, ferrum conſumi, ligno non conſumpto. Similiter veſtimenta quandoque non comburi, ſed tantùm

veluti

Digitized by Google

veluti atteri. Cauſam conjicit in diverſitatem materiæ eorum, quæ fulmine tanguntur: quia enim materia fulminis tenuis eſt, & ſubtilis; ſi inveniat materiam raram ac poroſam, per quam ſe poſſit inſinuare, ac liberè tranſire, illam non deſtruit, ſed quaſi inoffenſo pede tranſit; ſi verò materiam duram inveniat, quam ita liberè tranſire nequeat, vi viam ſibi aperit, ac rem deſtruit. Verba Ariſtotelis ſunt: *Quapropter & reſiſtentia quidem patiuntur aliquid; quæ autem non, nihil: ut clypei jam æramentum quidem liquefactum fuit, lignum autem nihil paſſum fuit: propter enim raritatem prævenit ſpiritus penetrare, & pertranſire. Et per veſtimenta ſimiliter, non combuſſit, ſed velut attritionem fecit.* Ex quibus patet etiam, fulmen non eſſe lapidem, ſed ignem, ut ſuprà quoque notavimus.

§. II. Effectus fulminis ex Plinio.

Fulminis effectus ex Plinio.

PLinius lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 51. ait, tertium genus fulminis, quod clarum vocant (de quo cap. præced. §. 1.) mirificæ naturæ eſſe, ut *quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ſigno cera. Marcia princeps Romanorum icta gravida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud incommodum vixit.* Primum affirmat etiam *Lucretius* lib. 6. Secundum *Plutarchus* lib. 4. Sympoſ. quæſt. 2. narrat ſuo tempore accidiſſe militi Romæ excubias agenti. Expertus quoque id dicitur L. Scipio, cùm aurum in viminea ciſta haberet, referente *Jonſtono* in Thaumatogr. Claſſe 2. cap. 5. *Cauſa primi eſt*, quia dolii materia poroſa, ac latera ejus compaginata, facilem tranſitum dant fulminis ſubſtantiæ rariſſimæ, ac ſubtiliſſimæ; quæ admiſſa, acerrimo ſuo calore vinum exſiccat atque abſumit, & per apertos poros ac latera vaporem extrudit. *Cauſa ſecundi eſt*, eadem quæ præcedentis effectus. Tertium plùs admirationis habet, quàm credibilitatis. Fortaſſis matrona illa ex caſu vicini fulminis abortiit, & narrationi illi occaſionem dedit. Si tamen vera eſt hiſtoria, *Cauſa* tertii fuit, quòd ſpiritus fulminei ſufficientem virtutem habuerint ad lædendum corpuſculum tenerum partus in utero latentis; non item ad offendenda membra ſolida matris.

Fulmen cur vinum abſumat dolio intacto.

§. III. Effectus fulminis ex Seneca.

Fulminis effectus ex Seneca.

SEneca lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 31. *Cæterùm mira*, inquit, *fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubii relinquentia, quin divina inſit illis & ſubtilis potentia. Loculis integris ac illæſis conflatur argentum. Manente vaginâ, gladius liqueſcit. Et inviolato ligno, circa pila ferrum omne diſtillat. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat. Illud æquè inter annotanda ponas licet, quòd & hominum, & cæterorum animalium quæ icta ſunt, caput*

caput ſpectat ad exitum fulminis: quòd omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtulæ ſurgunt. Quid, quòd malorum ſerpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur. Unde, inquis, ſcis? In venenatis corporibus vermis non naſcitur; fulmine icta, intra paucos dies verminant. Hæc Seneca.

Primum jam vidimus narrari etiam à Plinio, Lucretio, & Plutarcho. Secundum confirmat exemplo domeſtico *Muretus* in Notis ad dictum Senecæ caput; ubi ait: *Mihi hoc contigit, ut paucis menſibus antequam Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis, qui ita de me meritus eſt, ut perpetuò animæ ipſius bene precari debeam, ex hac vita diſcederet, fulmen in palatium ipſius decidens, ad mea uſq; cubicula pervenerit. Ibi gladii qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ipſum ita colliqueſecit, ut in globulum converterit, vaginâ prorſus illæſâ.* Fulmen gladium intra vaginam liquefacit.

Revertor ad Senecam, qui citato libro cap. 53. repetit eadem ferè, & addit, fulmen *vinum gelat, ferrum & æs fundit. Illud eſt mirum, quòd vinum fulmine gelatum, cùm ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit.*

Cauſa primi, ſecundi, & tertii patet ex dictis §. 1. & 2. *Cauſam quarti* (quod etiam *Albertus Magnus* in tract. de Tonit. cap. 22. & omnes Meteorologici referunt) ita explicant Conimbricenſes. *Calor poteſt liquores addenſare, ſi ii ſiccam exhalationem, &* viſcoſitatem quandam *admiſtam habent: hac enim ratione gignitur ſal nitrum, ſulphur,* ſaccharum, *aliaq; id genus. Igitur cùm fulmen vinum calidis exhalationibus* & viſcoſitatibus *conſperſum attingit, nec id ob liquoris copiam aliamvè cauſam penetrat; extimas illius partes circumquaque addenſat & durat, quibus totum vinum quaſi corio incluſum detinetur eo modo, quo aqua cùm exteriùs gelaſcit, per ſe tota conſiſtit, nec diffluit.* Hoc idem declarat Albertus experimento. Nam ſi pſillium (herba eſt, quam vulgus noſter pulicarem, Germani Flöhekraut/ vocant) vino admiſceatur, replet ipſum humore quodam viſcoſo, quem vinum inſito calore ad extremitates diffundit; ſicque obducitur vino quædam veluti cruſta, quâ per aliquot dies cohibetur, nec dilabitur etiam fracto vaſe. Eadem porrò vis quæ vini partes exteriores indurat, totum etiam vinum ad centrum usque congelat. Neque hoc mirum, cùm etiam modicum coaguli calore ſuo totum lac, cui injicitur, coagulet. Fulmen cur dolio fracto illæſum relinquat vinum.

Cauſa quarti eſt, quòd homo & animalia omnia naturali inſtinctu dirigant ſe contra nocumenta advenientia, ut vel experiantur qualia ſint, vel contrà nitantur. De voce haſtulæ, quâ Seneca ibi utitur, tricantur Critici. Fortunatus & Pincianus volunt legendum *aſſulæ* pro *haſtulæ*: Opſopœus ait, utramque vocem idem ſignificare, nimirum feſtucas; & in Veteri Codice ſcribi *abſtulæ*, convenireque Iſidori etymologiæ, qui

lib. 17. cap. 6. ait, haſtulam à tollendo nuncupatam quaſi abſtulam; eſſeque fomitem quæ ab arboribus excutitur, à fungis nomine accepto, quòd ita capiat ignem. Hoc ſi verum, haſtulæ contra fulmina ſurgunt, quia ad flammam adventantem erectæ fuerunt, cùm ſomes naturaliter ad vicinam flammam currere nitatur.

Cauſa quinti (ſi verum eſt quòd venenum auferat venenatis) fortaſſis eſt, quòd fulmina devehant qualitates venenatas, veneno autem pelli venenum, non eſt inſolitum. Mallem tamen dicere, venenata animalia fulmine tacta verminare (quòd aliàs non faciunt) quia alio veneno ſuæ temperiei contrario ex fulmine infecta ſunt.

Cauſam ſexti, quòd vinum fulmine congelatum, exanimet potum, aut dementes reddat, conjicit ipſe Seneca loc. cit. in venenatas ac peſtiferas qualitates quæ fulminali exhalationi inſunt; quod quidem colligitur ex tetro & ſulphureo fulminis odore.

§. IV. Effectus fulminis ex Plutarcho.

Fulminis effectus ex Plutarcho.

P*Lutarchus* lib. 4. Sympoſ. ſeu Convival. Quæſt. q. 2. ex Hermanni Cruſerii interpretatione, ſic loquentem introducit Dorotheum oratorem: *Mihi certè conſtat, fulmen in domum apud nos delapſum, multa miracula edidiſſe. Vinum ex doliis exhauſit vaſe illæſo: hominemque ſomno ſtratum transvolans, neque illum offendit, neque veſtem attigit; ſed ejus cinctum, in quo ſuccinxerat nummos æreos, liqueſecit & fudit totum.* Et paulò pòſt. *Accepi etiam, militis qui Romæ ædem ſacram cuſtodiebat, fulmen quod propè delapſum fuit, ambuſiſſe calceamentorum corrigias, neque aliud quidquam incommodi attuliſſe. Ac pyxidularum argentearum, quæ ligneis incluſæ capſulis erant, argentum quidem colliquatum & conflatum fuiſſe, lignum intactum & integrum inventum. Atque hæc quidem credas, vel non credas licet. Omnium autem miracula ſuperat, quod cunctis ferè nobis eſt notum, fulmine ictorum non ſentire corpora putredinem. Siquidem multi eos neque cremant, neque humo tegunt, ſed relinquunt circumſepta, ut conſpiciantur cadavera perpetuò à putredine ſarta tecta.* Hæc Plutarchus.

Cauſam primi jam adſignavimus §. 2. Ex ibidem dictis conſtat cauſa, cur cincto intacto liquefacti fuerint nummi ærei.

Cauſam *ſecundi* ipſe Plutarchus dat, *quòd firmiora ſunt & compactiora vigilantium corpora, occurruntque validiùs, quòd membra ſint cuncta referta ſpiritu, à quo & ſenſus circumagente velut in organo & conſtringente validum redditur, ſecumque cohærens & ſpiſſum animal. In ſummo diffluit, fitque pumicoſum, inæquale, infirmum, diffunditur, ac ſpiramenta obtinet multa, flaveſcente & fatiſcente ſpiritu, quæ & voces & odores penetrant, nullumque ſui ſenſum præbent. Quod enim non renititur, & renitendo accipit plagam, id non occurris incur-*

cur-

Digitized by Google

currentibus, ac minimè iis, quæ minùs ſunt robuſta, munit natura viribus, quæ ægrè patiantur, his prætexens eis duritias & denſitates. Quorum verò eſt invicta vis, ab his ea quæ cadunt, quàm quæ reluctantur, injuriam minorem accipiunt. Adde his, inquam, rem non contemnendam, conſternationem, timorem, tremorem, ex quibus nonnulli citra ullum incommodum eo ipſo, quòd horrent, expiravêre. Etenim pecudes docent paſtores, quando tonat, ſeſe conglobare, & contrahere in unum. Quæ enim diſperſæ ſunt, elidunt ſœtum pavore. Ac innumeros jam à tonitru videre eſt peremptos, quorum in corporibus nullum vel plagæ vel ignis veſtigium apparent; ſed ex metu, animâ nimirum avis modo ex corpore avolante. Multos namque, ut ait Euripides, levis tonitrui efflatus perdidit. Atque alios inter ſenſus præcipuè eſt auditus patibilis, maximaſque metus & perturbationes ex ſtrepitu procellas in animo excitant. Adverſus quæ dormienti propugnaculi vice eſt ſenſus privatio: cùm vigilantes & animi perturbationibus antè, quàm vulnerentur, conficiantur, & metu corpus conſtringente revera, & cogente, & conſtipante, ictum renitendo efficiant validum. Hæc Plutarchus. Mihi probatur ſecunda ejus ratio, non prima: nam in dormientibus extremæ corporis partes potiùs rigent & condenſantur, calore in interiora retracto, ſaltem communiter. Deinde dormientium ſaltem oſſa non aperiuntur & laxantur.

Cauſa tertii & quarti, de militis corrigiis ambuſtis, & pyxidulis argenteis colliquatis, patet ex dictis §. 1.

Cauſa quinti eſt, quòd acerrimus fulminis calor momento omnem corporis humiditatem abſumit, & totum reddit ſiccum & exangue, ac proinde putredini minimè obnoxium.

Quæ de dormientibus à fulmine immunibus dixit Plutarchus, confirmantur exemplo Regis Mithridatis, cujus pharetra lecto appenſa, icta aliquando fuiſſe dicitur, arſiſſeque in ea ſagittas, Rege ipſo dormiente, atque innoxio manente. Ejusdem pueriles cunæ fulminatæ fuêre, perſtrictâ ſolùm infantis fronte.

§. V. Fulminis effectus ex Cardano.

CArdanus lib. 8. Variet. cap. 43. *Mirum quoque eſt*, inquit, *id quod Scopeliano, Pontificis Aſiæ filio atq; oratori accidit. Nam dum in cunabulis eſſet, à fulmine occiſo fratre, qui unà cum illo natus erat, ipſe evaſit omnino incolumis, atq; per maximos labores ad extremam etiam pervenit ſenectutem.* Et paulò pòſt. *Referunt enim, in Lemno Inſula, ubi inſulæ cornu dividitur, octo meſſores ſub quercu cœnantes, à fulmine percuſſos, atq; exanimatos manſiſſe ſub ea ſpecie, qua diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere. Cùmq; nigri omnes eſſent, imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant. Tantum in his fulminis vis potuit, tam parum in illo.* Fulminis effectus ex Cardano.

Cauſa primi non fuit ſomnus, & in ſomno aut pori aperti, aut metus abſentia, ut paulò antè ex Plutarcho retulimus, cùm uterque dormierit (niſi dicere velimus, eum qui periit, vigilaſſe; hunc qui evaſit, dormiviſſe: quod tamen non conſtat) ſed vel quia bonus Genius ab hoc fulmen avertit; vel quia exhalatio fulminalis bene collecta & gracilis, unum ſolum perſtrinxit, alterum non attigit. Nam ſi attigiſſet, non ſine miraculo evaſiſſet, ut ex dicendis conſtabit.

Cauſa ſecundi fuit, quia exhalatio fulminalis peſtifera fuit, & ſimul calidiſſima: quæ proinde ſimul calorem vitalem ſuffocavit, ſimul humorem omnem exſuxit, & in arida cadavera convertit meſſores.

§. VI. Fulminis effectus ex variis Auctoribus.

Fulminis effectus ex variis Auctoribus.

FUlmen tacta hominum corpora redigit in cinerem. Patet exemplo quod *Wolgangus Meurerus* in Comment. Meteorol. apud Sennertum in Epitome Scient. Natur. lib. 4. cap. 2. refert, nimirum *Miniſtrum quendam ita ſubitò ereptum ex hominum oculis, ictu fulminis, in via quâ Lipſia itur Torgam, ut poſtea nunquam apparuerit.*

Cauſa utique fuit, quòd totus, quantus fuit, carnes, oſſa, veſtes ipſæ, in cineres & ventos abierunt: nam fieri poſſe, ut fulminis efficaciâ non ſolùm comburantur, ſed ſtatim calcinentur, & in cinerem redigantur corpora aliqua, accenſo ſpiritu totam humiditatem momento quaſi abſumente, dubium eſſe non poteſt. Redacto autem corpore in cineres, hi vel ab ipſo impetu fulminis, qui aërem rapidiſſimè ſecum trahit, vel à ſubſequente vento diſperguntur in auras.

Hoc eodem modo fortaſſis ſublatus è vivis fuit Romulus Urbis conditor, qui, ut Livius & alii narrant, cùm ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet, ſubitò coorta tempeſtas cum magno fragore tonitribusque tam denſo Regem operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit; nec deinde in terris Romulus fuit, creditumque in cœlum ſublatum, quem fulmen aut turbo diſſipaverat.

Fulmen pilos humani corporis exurit, veſtibus & corpore toto intacto. Aſſerit id *Virgilius Wellenderffer* in Decalogio Serm. 7. cap. 5. ubi inter alios effectus fulminis, de hoc ita ſcribit: *Sed quartus eſt, incinerare crines ſub aſcellis, hoc eſt, ſub brachiis, & in capite, & circa alia loca ſecretiora, corpus tamen non lædendo. Ratio, quia vapor ille divaricatus, hoc eſt, diviſus in partibus, debiliſſimus eſt: igitur talia ſolùm accendit, quæ ſunt facilis incenſionis, ut capilli, qui ſunt de materia terreſtri & ſicca; & per tactum alicujus humoris vapor ille extinguitur.* Novi ego Panormi in Sicilia Religioſum natione Gallum, qui hujus rei luculentum præbuit in ſe ipſo experimentum, ut alibi

me

me ſcripſiſſe memini. Celebrabatur anno 1637. primâ Dominicâ Decembris, in Collegio noſtro S.Franciſci Xaverii, magnâ ſolemnitate, magnoque hominum concurſu,dicti Sancti feſtum,antepomeridiano tempore; quo tempore dictus Religioſus in laterali quodam templi Sacello, inter confertam hominum turbam orationi vacabat. Ingruit interim ſæva tempeſtas, & fulmen ſpectantibus cunctis cadens in templum, ſerpit per ſuperiores parietes,atque in dictum Sacellum deſcendens proſtrat in terram quotquot aderant, ſed neminem unum lædit. Solùm deprehendit poſtea dictus Religioſus, omnes totius corporis pilos veſtibus tectos, fuisſe ambuſtos atque conſümptos, reliquis cum veſtibus illæſis.

Fulmen quos afflat, ſæpe aut dementat, aut mortifero veneno inficit. Refert *Cardanus* lib.2.Subtilit.fulmen omnia animalia præter hominem ſolo contactu occidere, hominem verò nec unquam evadere; evaſiſſe tamen Joannem Mariam Cardanum,& ſupervixiſſe raro miraculo. Novi tamen qui afflati evaſerunt,& qui occiderunt. Afflati erant procul dubio omnes quos paulò antè dixi, qui tamen omnes evaſerunt. Ennæ, qui mons eſt editiſſimus, in Siciliæ umbilico, ac monti impoſita urbs, quam nunc *Caſtro Giovanni* appellant, quidam è Societate noſtra in ipſo Collegio noſtro, dum gradus conſcenderet, fuit à fulmine proſtratus, ac per annos aliquot dementatus, qui tamen paulatim primò ex parte, deinde ex integro fuit valetudini priſtinæ reſtitutus. Contrarium evenit juveni robuſtiſſimo, meo in Philoſophia diſcipulo Mænis in Sicilia. Sedebat is cum aliis multis præ foribus templi in montis, cui impoſita eſt urbs, ſupercilio, ſpectabatque fumantem Ætnam, & crebra è nubibus fulmina, atque tonitrua, impluvio cœlo; cùm ecce fulmen in turrim primùm,ac deinde ante fores templi deſcendit, & in turri quidem duos pueros colludentes confeſtim exanimat, ſedentes verò præ foribus diſiicit. Currunt omnes ad templum, DEI auxilium imploraturi: meus autem diſcipulus, arrepto ambabus manibus capite proprio, lymphato ſimilis, diſcurrit per templum, & voce lamentabili caput ſibi reddi petit,caput ſe perdidiſſe indentidem clamitans. Accurrunt cæteri, conſolantur, reficiunt, domum deducunt, metum depellunt omnem,& menti reſtitutum relinquunt. Redit is die poſterâ, ac ſequenti etiam, lætus ad lectiones, at die tertiâ ex improviſo extinguitur. *Cauſa* utique venenum mortiferum, quo vitalia infecerat præcedens fulmen.

Non itaque verum eſt quod Cardanus ait, hominem fulmine afflatum vix evadere. Unde meritò vapulat à *Scaligero* Exercit. 13. ubi cùm Cardanum acerbè irriſiſſet, ſubdit: *Utriuſque verò eventûs habemus nos exempla penè innumerabilia, quæ noſtris oculis perſpecta ſunt. Nam & ſolo afflatu aliquot extinctos vidimus, in quibus nulla uſquam ictûs veſtigia apparebant:*

Digitized by Google

& plures ſuperſtites ſine miraculo etiam nunc ſalutamus, virgines, maritos, milites, ſacrificos, bubulcos, campanarum, quæ adverſus fulmina pulſantur, ventilatores. Quorum maximæ parti ad incommoda, quæ obvenerant aut ex ictu, aut ex afflictatione, aut ex uſtione, medicas manus juſſo noſtro miniſtri adhibuêre. Bubulcum unum in Taurinis percontati ſumus, quo haberet auctore auriculam perforatam (pertuderat enim fulmen tenuiſſimâ trajectione) at ille amens atque attonitus, nunquam rectè ſapere, aut loqui poſtea valuit. Hæc Scaliger, qui addit, fulmen in Taurinorum agro, ad vicum Cereſolam, interfeciſſe equitem, qui ſeſe ſub arborem contulerat, intacto ſuperſtite equo.

Omitto multos alios fulminis effectus ab aliis relatos, præſertim ab Alberto Magno, à Virgilio Wellenderffer ſuprà citato, à Gregorio Reiſch in Margarita Philoſ. à Titelmanno in Phyſica, à Majolo in Canicularibus Colloq. 1. & aliis; omitto inquam, vel quia non omnes ſunt æquè veritati conſoni, vel quia ratio eorum ex jam dictis patet.

CAPUT XIX.

De Lapide fulmineo.

Fulmineus lapis.

Vulgi opinio, quòd fulmen lapis ſit è nubibus evibratus, non omni careret fundamento: nam videmus fulmina hinc inde diſcurrere, & relinquere veſtigia curſus; hàc intrare, illàc exire, à loco uno in alium ſerpere, & mille mæandris per domus, per templa huc illuc vagari, ac tandem terris ſe abſcondere. Similes fulminis vias ac veſtigia ipſemet non ſemel, nec ſine periculo, ante ipſos ferè pedes deſignari vidi. Aſſervantur quoque non paucis in locis lapides, quos fulmineos appellant, & è nubibus fulminante cœlo excuſſos dicunt. Talem teſtatur Avicenna *apud Averroëm* lib. 2. Meteor. cap. 2. delapſum Cordubæ in Hiſpania, & à ſe viſum. Hac ipſa etiam in urbe noſtra Herbipolenſi unus aſſervatur in templo D. Jacobi trans Mœnum, in Monaſterio Scotorum (cui olim Joannes Trithemius Abbas præfuit) catenulâ è columna templi ſuſpenſus. Lapis ergo eſt fulmen, dicit vulgus.

Fateor cum Vicomercato, Fromondo, Cabeo, aliiſque multis Meteorologicis, lapidem aliquando è nubibus cum fulmine cadere, qui dicitur etiam telum, aut cuneus fulminis, numerarique inter effectus fulminis poteſt: nego tamen id ſemper contingere, etiam tunc, quando tam luculenta veſtigia poſt ſe relinquit fulmen: nec enim ſemper tunc fulmini adeſt lapis, ſed ſatis eſt ad illos effectus fulmineam flammam dejici è nubibus in materia craſſa & conſiſtente accenſam. Raró enim, tametſi extent veſtigia prædicta, lapides reperiuntur fulminei, cùm tamen conſtet, & Plinius etiam fateatur, nunquam altiùs quinque pedibus intra terram penetrare fulmina.

Lapis

Digitized by Google

Lapis porrò fulmineus generatur ex terreſtri viſcoſa diverſarum rerum exhalatione, & humore vaporum, efficaciſſimâ illâ fulmineâ flammâ repentè concretis partim in ipſa adhuc nube, partim in deſcenſu per aërem. Neque hoc mirum videri debet, cùm in ipſis etiam furnulis Chymicorum ſæpe concreſcat materia non in lapides ſolùm, ſed etiam in metalla. Unde aliquando non lapis, ſed ferrum, aut aliud metallum cum fulmine cadit, quando videlicet ſulphureæ exhalationi argentum vivum eſt contemperatum. Teſtatur id *Georgius Agricola* lib. 5. de Ortu Subterran. ex Avicenna, dicens: *Avicenna verò inquit, in Perſia decidunt, cùm coruſcat, corpora ærea & ſimilia ſagittis hamatis, quæ in fornacibus non liqueſcunt, ſed eorum humor in fumum reſolvitur, terra autem reſidua fit cinis. Decidit quoque prope Lurgeam ferri maſſa quinquaginta librarum, quæ præ duritia frangi non quivit; cujus pars ad regem Ioratı eſt miſſa: is verò, ut enſes inde cuderentur, juſſit; ſed illa nec frangi, nec cudi potuit.*

Lapis fulmineus quomodo generetur.

Ferrum è nubibus lapſum.

Fromondus lib. 2. Meteor. cap. 3. art. 7. ait, lapides fulmineos plerosque eſſe leves, & ſimillimos pumicibus illis aduſtis, quos interdum eructant flammivomi montes. Sed hæc ut credam, adduci nequeo. Vidi & contrectavi ad radices Ætnæ per circuitum lapides iſtiusmodi, quos ingenti copiâ non ſemel, etiam me ipſo inſpectante, evomuit dictus mons, implevitq; campos omnes ad ipſa uſque mœnia Catanenſis urbis, ipſumque mare, ubi portum qui olim viſebatur, implevit penitus. Sunt leves, & friabiles, & ſi cum impetu in dura impinguntur corpora, diffringuntur. Ejusmodi ergo ſi eſſent fulminei lapides, non haberent tantam vim ad obvia quæque perſtringenda ac disjicienda. Meliùs ergo *Cabeus* ait lib. 3. Meteor. tex. 6. quæſt. 3. fulminis lapidem eſſe duriſſimum, & ad ferream vergere naturam. Talis certè eſt, qui in D. Jacobi Monaſterio ac templo viſitur, ut ſuprà dixi. Idem Cabeus ait, figuram lapidis eſſe inconſtantem, & in diverſis quos viderat (ſi veri erant fulminis lapides) fuiſſe diverſam. Noſter eſt parallelepipedi formâ, haud abſimilis cotibus, ad quas phlebotemici lanceolas ſuas acuunt; niſi quòd longior & craſſior ſit.

CAPUT XX.

De rebus quæ à fulmine dicuntur eſſe immunes, aut ipſi magis obnoxiæ.

Plerique qui de Meteoris ſcribunt, tria à fulmine immunia faciunt, laurum, vitulum marinum, & aquilam. Aliqui addunt hyacinthum lapidem, & ficum arborem. Cauſam tamen pauci indagant; nec nos ad modum

Digitized by Google

modum ſolliciti erimus ad illam indagandam, quoniam de effectu certi necdum ſumus. Omnibus præiviſſe videtur Plinius.

§. I. Quæ à fulmine immunia dicantur.

Fulmen quæ non ferire dicatur.

PLinius lib. 2. Hiſt. Natur. cap. 55. inquit: *Ex iis quæ terrâ gignuntur, lauri fruticem non icit* fulmen *&c. aut tabernacula è pellibus belluarum, quas vitulos appellant, quoniam hoc ſolum animal ex marinis non percutiat; ſicut nec è volucribus aquilam, quæ ab hoc armiger hujus teli fingitur.* Ac de lauro quidem communis perſuaſio fuiſſe videtur apud antiquos. Nam eodem *Plinio* lib. 15. cap. 30. teſte, *Tiberium Principem tonante cœlo coronari eâ ſolitum ferunt contra fulminum metus.* Et *Columella* de Re ruſt. imperat, folia lauri gallinæ incubanti contra fulmen & tonitrua ſubjici.

Cardanus lib. 7. Subtilit. addit prædictis hyacinthum lapidem, aſſeritque & ipſum, & eum geſtantes, eſſe à fulmine immunes. *Hyacintho*, inquit, *tribuunt non paucas laudes viri auctoritate digni, inter quos Serapio, quem nos Joannem Damaſcenum in Commento ſuper Artem medicam eſſe docuimus: quod à fulgure tutos reddat geſtantes, atque adeo tutos, ut vel cera quæ illius cælaturæ ſubjecta fuerit, etiam illud geſtata arceat: Expertumq; eſſe in regionibus illis, in quibus plures fulmine pereunt, cùm nemo qui hyacinthum ferat, tangatur ab eo.*

§. II. An laurus ſit immunis à fulmine.

Laurus an à fulmine immunis.

QUod antiqui tam conſtanter aſſeruêre de lauro, recentiores in dubium revocare audent. Unde *Fracaſtorius* lib. de Sympath. & Antipath. cap. ult. *Nam & de lauro traditur non feriri ipſam à fulmine; quod non ſatis certum eſt.* Similia habent Conimbricenſes, Fromondus, Cabeus & alii. Dato tamen, quòd immunis ea ſit, indagat Fracaſtorius cauſam, & hanc adſignat, *quòd laurus rotunda admodum eſt, & corticis denſi ac lævis; à quibus omnibus fit, ut incidens vapor non inhæreat: propter quam rationem nec columnas à fulminibus tangi videmus, quod rotundæ terſæq; ſint.* Sed hæc Fracaſtorii ratio, atque confirmatio, omnino debilis eſt: nam & aliæ multæ arbores rotundos duros, ac læves habent truncos, & tamen fulmine feriuntur; & ſubinde ipſæ quoque marmoreæ ac duriſſimæ columnæ tanguntur. *Nam Florentiæ*, inquit Cardanus lib. 2. Subtil. *in æde maxima, ſeu potiùs in ædis ambitu, vidimus columnam fulgure percuſſam, ac violatam.* Tametſi igitur non tam frequenter feriantur columnæ (quod Cardanus etiam loco cit. fatetur) feriuntur tamen. Cur ergo lauri immunes erunt ob trunci rotunditatem ac duritiem? Adde quòd lauri plerumque in frutices, rarò in magnos ac teretes truncos excreſcant.

Fulmine tanguntur etiam columnæ.

Sed fruſtra aliam cauſam inquirimus, cùm effectus jam non ampliùs dubius,

Digitized by Google

dubius, ſed omnino falſus habeatur. Scribit enim *Vicomercatus* Comment. ad cap. 10. lib 3. Meteoror. Ariſtotelis, paucos ante annos (ſcripſit ſub initium præcedentis ſæculi) laurum de cœlo tactam fulmine. Et fortaſſe millies aliàs hoc contigit, nec tamen aut ab hominibus animadverſum, aut à Scriptoribus monumentis librorum commiſſum. Laurus fulmine tacta.

Famam tamen immunitatis inde ortam ſuſpicantur citati paulò antè Auctores, quòd è lauro, præſertim virenti, ſpirent halitus quidam ſpiritoſi ac vehementes, qui venenatos ac peſtilentes ſpiritus, aërem inficientes, abigunt, & contagioni reſiſtunt. Unde Commodus Imperator, *Herodiano* teſte, conſilio Medicorum, tempore peſtis in laureas ſilvas olim ſeceſſit. Poteſt autem contingere, ut laurini iſti ſpiritus & effluvia opponantur quoque peſtiferis fulminum odoribus & ſpiritibus, illosque abigant. Et hac de cauſa fortaſſis Columella præcepit, ut gallinarum incubantium cubilibus ſupponantur laurina folia, ut ſulphureos fulminum halitus abigant, ne ova inficiant. Eâdem fortaſſis de cauſa in peſtis periculo lauri ramos affigebant foribus domorum; & ne tonitru vina perverteret, doliis eadem imponebant. Ut tamen iidem laurini ſpiritus avertant fulmina toto impetu è cœlo delapſa, ne aut lauros, aut lauro coronatos percutiant, fieri nequit.

§. III. An Vitulus marinus ſit à fulmine immunis; uti & ficus.

NEc vitulum marinum (qui & Phoca nominatur) nec pellem ejus à fulmine tangi, aſſerit præter Plinium §. 1. citatum, *Plutarchus* lib. 5. Convival. Quæſt. quæſt. 9. ubi eandem virtutem tribuit hyænæ, & ficui arbori. *Jam ſi, ut fama tenet* (inquit) ficus *non tangitur de cœlo; & id quoque acritudini & aſperitati trunci acceptum feras. Creduntur namque arbores ejuſcemodi fulmine non afflari, ut neque vituli marini vel hyænæ corium.* Idem de vitulo marino credebat Auguſtus Imperator olim, qui, ut refert *Tranquillus* in Octav. cap. 90. tonitrua, & fulgura paulò infirmiùs expaveſcebat, ut ſemper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio; atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum & concameratum locum ſe reciperet. Hunc poſtea imitatus Imperator Severus, lecticam etiam ſuam tali corio integi præcepit. *Palladius* de Re ruſtica extendit virtutem contra grandinem; ait enim: *grandini creditur obviare, ſi quis crocodili pellem, vel hyænæ, vel marini vituli per ſpatia poſſeſſionis circumferat; & in villa aut cortis ſuſpendat ingreſſu, cùm malum viderit imminere.* Et rurſus: *Vituli marini pellis in medio vinearum loco uni ſuperjecta viticulæ, creditur contra imminens malum totius vineæ membra veſtiſſe.* Hæc Palladius apud *Geſnerum* lib. 4. de Aquatilibus cap. de Phoca. Vitulus marinus an à fulmine immunis.

Sſſſſſ Cauſam

Cauſam quoad vituli marini pellem attinet, putant aliqui raritatem ſeu poroſitatem ejus eſſe, quæ fulmen transmittat, ideoque à fulmine non lædatur. Sed ſi hoc, jam non erit immunis vitulus ipſe, nec qui tabernaculo aut lecticâ ex pellibus ejus factâ tegitur: permeabit enim exhalatio fulminea, & perimet quod abſconditum inveniet.

Vituli marini corium, cur immune à fulmine credatur.

Ego exiſtimo, & hanc virtutem non modò dubiam, ſed etiam falſam eſſe. Famam verò & opinionem inde ortam, quòd ut vidimus ſuprà lib. 10. cap. 35. tantam habet marinus vitulus cum mari ſympathiam, ut pili etiam excoriati animalis, ſi mare turbatum in fluctus ſurgit, erigantur; ſi deſidit, ſternantur: ex quo factum, ut ex horum pilorum mutatione, aëris mutatio colligeretur tam mari, quàm terrâ. Ut igitur mutationem aëris cognoſcerent, & inſtantem tempeſtatem fugerent, quibus modis poſſent, tum mari, tum terrâ; ſolebant nautæ in navibus, alii domi & foris pellem marini vituli circumferre. Hinc factum paulatim, ut ea vim habere averruncandi fulmina crederetur, ideoque ſummæ velorum partes, & tabernacula, & lecticæ eâ tegerentur.

Ficus an à fulmine immunis.

Quod de corio Phocæ dictum fuit, intelligi etiam debet de pelle hyænæ, vim videlicet avertendi fulmen nullam habere, & famam ex ſimili occaſione fuiſſe ortam.

Quòd ficus de cœlo non tangitur, id amaritudini ejus acceptum referri debere, putat *Cælius Rhodiginus* lib. 18. Antiquit. cap. 9. Sed hæc ratio quàm ſit futilis, nemo non videt. Quanto enim potiore jure multæ herbæ & frutices à fulmine immunes eſſe deberent, utpote ficu longè amariores? Fabula ergo videtur eſſe de ficu.

§. IV. An hyacinthus ſit à fulminis ictu immunis.

Hyacinthus an à fulmine immunis.

C*Ardanus* loco ſuprà §. 1. citato, cauſam modumq; quo hyacinthus à fulmine hominem tueri poſſit, inquirit his verbis: *Id ergo quot modis fieri poſſit, doceamus. Vel enim prohibet ne veniat; vel ut conſilium gerentis dirigat; aut quòd ſolis his in mentem veniat hyacinthum ferre, quos nunquam fulmen læſurum eſt; vel ut prohibeat nè lædatur qui fert hyacinthum, etiamſi fulmine tactus fuerit. Plures excogitari modos poſſe non video. Tangi fulgure, nec lædi, vix eſt veriſimile: necque qui ſcribunt, non lædi, ſed non tangere ſcripſére. Rurſus prohibere etiam ne veniat, majus miraculum erit, quàm hoc: actiones enim ſaltem conſpicuæ & magnæ contactu fieri ſolent. Fato verò ita eſſe conſtitutum proximum fabulæ eſſe videtur. Illud igitur melius eſt dicere, exhilaratum ſpiritum cordis etiam hoc commodi aſſequi, ut hominem eò dirigat, quò omnino à fulgure tutus ſit. Dicere autem, quòd etiamſi tangatur, non lædatur, medicum eſt ac magis naturale; quanquam miraculo evidenti proximius ſit.*

Has

Digitized by Google

Has Cardani rationes ridet *Scaliger* Exercit. 113. dicens,nihil eorum quæ Cardanus dixit, verum eſſe. *Quis enim tam bardus fuerit*(aitScaliger) *ut pro certo habeat, tantam vim arceri poſſe tantulo fruſtillo neſcio cujus vitri? Ejus præſentiâ Jovis iram debilitari; abſentiâ, aut amotione, reſumere vires, animum colligere?* Idem ſentit *Fromondus*, & ego.

Neque etiam credo, aquilam à fulmine, ob peculiarem aliquam qualitatem inſitam, aut ob antipathiam quampiam, immunem eſſe; neque ullas apud quempiam rationes aut experientias legi. Potiùs crediderim cum Cabeo, velocitatem aquilarum, quâ ſe ingruentibus tempeſtatibus ſubducunt, ac fortaſſis intra rupium profundiſſima latibula abſcondunt, immunes illas reddere. **Aquila an à fulmine immunis.**

§. V. Quæ fulmini magis obnoxia ſint.

DEcantatum apud omnes eſt, & experimento frequenti comprobatum, quòd *feriunt altos fulmina montes, &* **Fulmini quæ ſint obnoxia.**

Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit

Jupiter. Hinc quia in urbibus nil excelſius templorum turribus,in campis & montibus nil elatius excelſis arboribus, utræque ſæpiſſimè feriuntur. Eſt Argentinæ Alſatiæ urbe nobiliſſimâ ac liberâ,ad Cathedralem Eccleſiam turris 574. pedes geometricos alta, affabrè elaborata; at vix annus præterit, quo non à fulmine tangatur,& ſubinde fœdè dilaceretur quoad ſuperiores partes, ſemper tamen à Magiſtratu urbis non ſine ingentibus expenſis reſtauratur. De arboribus canit *Claudianus.*

Incubuit nunquam cœleſtis flamma ſalictis,
Nec parvi frutices iram meruêre Tonantis:
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.

& ilices, & æſculos, aliasque ſimiles proceras arbores, maximè in montibus.

Cauſam plerique, & benè, adſignant motum obliquum fulminis,de quo ſuprà: nec enim lineâ perpendiculari (niſi rariſſimè)ſed transverſariâ, ſeu,ut Ariſtoteles loquitur, diametrali ad terram venit. Hinc facilè incurrit in eminentiora, ad terram autem ipſam plerumq; vires jam fractas ac debilitatas refert.

Monet hoc loco *Cabeus*, ingruente tempeſtate, & imminente fulmine, non eſſe tutum ad feneſtram aut ſimilem patentem locum ſe conferre, quòd, ut ex multis hiſtoriis conſtat, frequentiùs ſe fulminis flamma per hujusmodi patentes aditus inſerat,ſecuta aëris motum, quàm clauſos perrumpat.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De natura & generatione tonitru.

TOnitrui nomine quid intelligatur, neminem latet, ſonus nimirum ac bombus ille, quem è nubibus ad noſtras aures deferri ſentimus, aliquando cum fulmine præcedente, aliquando ſine fulmine; ſive is ſonus fiat totus ſimul velut exploſæ bombardæ, ſive producatur & continuetur per modum decurrentis currus per tabulatum. Hujus igitur naturam & generationis modum inquirimus.

§. I. Anaximenis opinio de tonitru.

Tonitru quid ſit ex Anaximene.

VAriæ ſunt Philoſophorum antiquorum placita de natura & generatione tonitrui apud *Senecam* lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 17. *Plutarchum* lib. 3. Placitor cap. 3. *Plinium* lib. 7. Hiſtor. Natur. 43. *Lucretium* lib. 6. *Albertum Magnum* tract. 3. de Meteor. & alios. Unum aut alterum referam.

Anaximenes igitur apud *Senecam* libro & capite citato exiſtimat, tonitruum oriri ex eo, quod ſpiritus igneus in nubem incidens extinguatur, ad eum modum, quo cùm ferrum candens, aut carbo accenſus in aquam immergitur, atque extinguitur, ſtridor quidam & ſtrepitus excitatur, ob luctam inter ignem & aquam. *Quidam* (ait Seneca) *exiſtimant ipſum ſpiritum per frigida atq; humida eundem ſonum reddere. Nam ne ferrum quidam ardens ſilentio tingitur. Sed quemadmodum ſi in aquam fervens maſſa deſcendit, cum multo murmure extinguitur; ita, ut Anaximenes ait, ſpiritus incidens nubibus, tonitrua edit; & dum luctatur, per obſtantia & interciſa vadens, ipſâ ignem fugâ accendit.* Sed vel aurium judicio hæc ſententia refutatur: audimus enim, cùm tonat, in nubibus corporum colliſionem fieri potiùs, quàm ignem aut ſpiritum extingui. Deinde ſi tonitruum fieret extinctione ignis in nube, non appareret nobis coruſcatio & fulguratio ignita ac flammea, ſed vel fumida & obſcura, vel nulla. Tertiò, quia ſi extinguerentur illi ignes in nubibus, non ſequeretur ſonus ille, ut bene notat Cabeus. Quòd enim immiſſus carbo ardens in aquam ſtridet, inde fit, quia affuſa aqua exhalationes, quæ in accenſo carbone includebantur, obſidet, ut præfocet: illæ autem dum fugiunt, rumpunt aquam, & fit ſtridor ille. Quare etiam ſtrepitus fit in nubibus ex fuga ignis aut ſpirituum accenſorum, non ex extinctione, ut Anaximenes volebat.

§. II. Senecæ opinio de tonitru.

Tonitru ex Senecæ opinione.

S*Eneca* lib. 2. Nat. Quæſt. cap. 27. 28. & 29. primùm ex aliorum opinione diſtinguit duo genera tonitruorum. *Unum eſſe genus* ait, *cujus ſit grave murmur,*

murmur, quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremente. Et hoc ait *ita fieri. Cùm ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concavis partibus earum volutatus aër, ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum & æqualem, & continuum. Aliud genus eſt acre, quod crepitum magis dixerim, quàm ſonum; qualem audire ſolemus, cùm ſuper caput alicujus diſrupta veſica eſt. Talia eduntur tonitrua, cùm globata diſſolvitur nubes, & ſpiritum quo diſtenta fuerat, emittit &c. Hic fieri illo quoque modo poteſt, ut incluſus aër cava nube, & motu ipſo extenuatus diffundatur: deinde cùm majorem ſibi locum quærit, à quibus involutus eſt, ſonum patitur.*

Addit deinde ſuam opinionem, his verbis: *Quid autem? Non quemadmodum illiſæ manus inter ſe plauſum edunt, ſic illiſarum inter ſe nubium ſonus poteſt eſſe magnus; quia magna concurrunt?* Putat ergo, tonitru oriri ex colliſione nubium inter ſe. Objicit ſibi, nubes impingi montibus, nec ſonum fieri. Reſpondet: *Primùm omnium non quocunque modo illiſa ſunt, ſonant, ſed ſi apta ſunt compoſita ad ſonum edendum. Averſæ inter ſe manus colliſæ non plaudunt, ſed palma cum palma collata plauſum facit. Et plurimùm intereſt, utrum cavæ concutiantur, an plana & extenta. Deinde non tantùm nubes ire oportet, ſed agi magnâ vi, & procelloſâ. Etiam mons non ſcindit nubem, ſed dirigit, & primam quamque partem ejus ſolvit. Ne veſica quidem, quocunque modo ſpiritum emiſit, ſonat. Si ferro diviſa eſt, ſine ullo aurium ſenſu exit. Rumpi illam oportet ut ſonet, non ſecari. Idem de nubibus dico: niſi multo impetu diſſiluere, non ſonant &c. Debent ergo nubes utrimq; diſſecari, & cava & intenta.*

Hæc Senecæ ſententia eſt, quam *Fromondus* lib. 2. Meteor. cap. 3. art. 9. ex eo impugnat, *quia nubes corpora mollia ſunt, quæ omni impetui facillimè cedunt, & ſtatim confundunt figuram.* Deinde quia non videmus in omni tonitru nubes inter ſe adverſis frontibus arietare & concurrere. Secus ait eſſe in manibus: ſi enim cavitates complodantur, aër deprehenſus ſoliditate manuum offenſus, neceſſariò rumpi debet, & ibi trucidari cum ſonitu. At hæc oppugnatio ex hoc capite, quòd nubes ſint corpora mollia, imbellis eſt, quoniam ad ſonum ex colliſione duorum corporum eliciendum, non requiritur ut ambo ſint ſolida ac dura, quia dum gladius, aut virga per aërem celeriter circumrotatur, ſonitum edit. Poſſent ergo & nubes vehementer inter ſe colliſæ ſonitum edere tonitruo ſimilem, maximè ſi apta figura accedat. Majorem vim habet altera impugnationis pars, quòd non in omni tonitru videmus nubes inter ſe concurrere.

§. III. Paracelſi opinio de tonitru.

HUnc animi gratiâ refero, ut videat Lector, quàm miram det Helvetiis ſuis (inquit Fromondus) Philoſophiam. Paracelſus igitur Opuſculo de Meteor. cap. 8. poſtquàm narraſſet, quæ ſuprà de generatione fulminis dixit, *Tonitru ex Paracelſi opinione.*

dixit, quoties nimirum ſalpetra inflammatur, & maſſam illam in Aludel præparatam exagitat in tremorem, *ut nubes etiam aperiatur, deſeque fulgur edat, aut fulgetrum, id eſt, igneum radium à maſſa demittat in terram*; addit, talem horum conflictum & reſiſtentiam fieri aliquando *ita vehementer ac ſæpe, donec ultimò calor tantùm augeatur, ut mercurius etiam in maſſam incidat, hoc eſt, in actionem; qui mox atque alia tetigerit, radium excutit igneum à maſſa violentiſſimum trans nubes omnes, quæ ſumus eorum tantùm exiſtunt niger, & varii coloris, ut multorum ſulphur, ſal, & mercurius etiam colorum ſunt. Statim poſt ejuſmodi radium igneum à mercurio pulſum, tonitru ſequitur in hunc modum, ſcilicet quòd unum in aliud ruens concutitur, nullumque ſocium pati vel admittere velit. Concuſſio talem ſonum edit, ac ſi quis in argentum fuſum aut liquefactum crudum injicit mercurium: Strepitus iſte reſonat per totum Firmamentum, non aliter ac ſi bombarda ſub teſtudine laxaretur; ita cœlum eſt iſtorum echo reflexionisque teſtudo. Fulgur igitur, & fulmen ignis eſt ex tribus primis ætheris, & tonitru concuſſionis ex contrarietate reſonantia ſulphuris, mercurii, ſalisque nitri, quæ ſimul concordare foreq. nequeunt.*

Hæc ſine dubio riſu potiùs digna ſunt, quàm refutatione. Si enim ſtrepitus à maſſa in ſtellis elaborata, atque incenſa, debet primùm ad firmamenti concavum ſolidum (quod nullibi eſt) illidi, indeque ad nos in terram reflecti; quantum temporis intercedere deberet inter coruſcationem aut fulgurationem viſam, & tonitru auditum? Sed mittamus iſta.

§. IV. Carteſii ſententia de tonitruo.

Tonitru ex Carteſio.

RENatus de Cartes Opuſc. de Meteor. cap. 7. cauſam tonitrui, ſimulque fulguris, fulminis, ac turbinum inquirens, *non dubito*, inquit, *quin oriantur ex eo, quòd cùm plures nubes tabulatorum inſtar una alii ſuperſtratæ ſunt, interdum contingit ſuperiores magno impetu in inferiores delabi &c.* quando videlicet aër calidior (ut ipſemet explicat) circa ſuperiorem fertur quàm circa inferiorem, & illam reddit ponderoſiorem, ac paulatim ſolvit. Pergit: *Eodem modo*, inquiens, *quo in alpibus olim circa menſem Majum me vidiſſe memini, vi Solis calefactâ nive, & ponderoſiori redditâ, minimum aëris motum ſubitò magnas illius moles devolviſſe; quæ in vallibus reſonantes, ſatis bene tonitrui ſonitum imitabantur.* Ex his liquere ait, cur hyeme rariùs apud nos tonet, quàm æſtate, quia ſcilicet in hyeme non tam facilè calor ſufficiens nubibus diſſolvendis ad ſuperiores usque pertingit. Alia, quæ ex eadem ſua opinione deducit, omitto.

Hæc ſententia rationi repugnat, & experientiæ. Rationi repugnat, quia aut nunquam, aut rariſſimè tantus poteſt oriri in media aëris regione calor, ut totam ſimul nubem ſolvat, ac uno impetu decidere faciat. Si autem decidit ſuperior in inferiorem per floccos, aut per partes exiguas; non

Digitized by Google

non poteſt tantum excitare ſtrepitum, qui ad nos usque perveniat, & tonitru præ ſe ferat. Deinde ſi ſuperior nubes primùm condenſata, deinde facta gravior, ac tandem diſſoluta cadit cum impetu in inferiorem; tota maſſa ex ſuperiori & inferiori erit gravior, quàm ut ab aëre ſuſtineatur, præſertim cùm accedat impetus à ſuperioris caſu inferiori impreſſus; tota ergo maſſa ſimul decidet; quod non contingit. Repugnat etiam experientiæ, quia videmus ante tonitru fulgurare, ac deinde inchoatum ſemel bombum diu continuari, ac de loco uno nubis ad alium propagari, ac ſi currus per tabulatum traheretur: ergo tonitrui ſonus non oritur ex caſu ſuperioris nubis in inferiorem, alioquin non tantùm initio, ſed quàm diu tonitru continuatur, hoc eſt, quàm diu ex Carteſii opinione caſus durat, videri deberēt fulgura ac fulmina; non enim eſt major ratio, quare ad primum caſum compareant, quàm ad ſecundum atque tertium.

§. V. Ariſtotelis & noſtra ſententia de tonitru.

UT Ariſtotelis, Peripateticorum, noſtram, ac ſine dubio veram de tonitrui natura ac generatione ſententiam explicem, adverto, duo eſſe præcipua tonitruorum genera, quæ quilibet & ipſo auditu deprehendere ac diſcernere poteſt. Primum fit totum ſimul per modum crepitus ſeu bombi exploſæ majoris bombardæ. Et hoc voco tonitru crepans, ſeu (liceat ita loqui) bombans. Alterum producitur in longum per modum currus decurrentis per ſaxa, aut tabulatum, cum impetu ac tumultu. Et hoc voco tonitru tumultuans. Huic aliquando præcedit bombus, aliquando ſubſequitur, aliquando intermiſcetur, aliquando penitus abeſt. His poſitis.

Tonitru quid ſit ex Ariſtotelis & noſtra ſententia.

Tonitru duplex, bombans, & tumultuans.

Dico I. Tonitru bombans fit, quando exhalationes ſpiritoſæ & calidæ, intra nubem frigidam, aut frigidum aërem receptæ, ac velut obſeſſæ, huc illuc diffugiunt, & vel motu, vel antiperiſtaſi, vel utrâque cauſâ ſimul, magis incaleſcunt, ac rarefiunt, tandemque accenſæ, ut majorem locum acquirant, unico & maximo impetu nubem ut aërem circumſtantem rumpunt, novumq; aërem ipſis occurrentem validiſſimè repellunt.

Dixi, *intra nubem frigidam, aut frigidum aërem recepta*; quia aliquando fit tonitru bombans ſine nubibus, ut experientiâ conſtat, dum claro die & sereniſſimo cœlo, repentè auditur de cœlo bombus, uti hujus anni 1661. menſe Auguſto contigit ſupra urbem noſtram, non ſine multorum terrore. Rectè ergo nonnulli apud *Senecam* lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 30. (inter quos fuit Aſclepiodorus) arbitrati ſunt, etiam abſque nube edi poſſe tonitrua, qualia aliquando audita fuēre, cùm mons Ætna ingentem aduſtæ arenæ copiam eructavit, ac ſparſit in aërem: non enim tunc ſupra Ætnam, in tanto aëris fervore ac ſiccitate, nubes erant; ſed tantùm aër circum-

ſuſus,

fuſus, effundente ſe magno impetu è montis cavernis ignito ſpiritu, ſulphureâque materiâ, crepuit, ac bombos excitavit.

Explico Aſſertionem exemplo bombi, quem edit pulvis nitratus in tormento bellico accenſus. Infrà verò probabo, quòd tam hoc, quàm tonitru tumultuans, fiat accenſione exhalationum intra nubem, aut aërem. Sicut ergo, cùm nitratus pulvis intra tormenti bellici cavitatem concluſus, ignem concipit, & accenſus ſubitò, ac conſequenter vehementiſſimè rarefactus, ut majorem locum acquirat, ex bombarda ingenti impetu erumpit, atque in vicinum ac circumfuſum aërem incurrens eum disjicit, ac rumpit, eâque diſſectione ac diſruptione bombum illum ingentem, quem audimus, excitat; ita etiam exhalationes &c.

Dicunt, non eſſe paritatem, quia pulvis pyrius accenſus alliditur ad duritiem metalli tormenti bellici, & ſonum edit; exhalatio verò accenſa etiamſi allideretur ad nubem, non poſſet ſonum edere, quoniam nubes mollis eſt. Reſpondeo, ſonum illum non cauſari à metallo; nec ex alliſione flammæ pulveris ad metallum, alioquin alium ſonum efficeret tormentum ferreum, alium tormentum æneum; quod eſt contra experientiam. Cauſatur ergo ſonus ob cauſam antea dictam.

Dico II. Tonitru tumultuans fit, cùm aut exhalatio ſemel accenſa per nubem ruptam diſcurrit, aut una aliam ſibi proximam intra eandem aut aliam vicinam nubem accendit, & hæc aliam atque aliam. Patet judicio aurium, quæ palàm motum aliquem ex ſonitu mobili ac fugaci percipit. Bombus autem qui aliquando præcedit, aliquando ſubſequitur, aliquando intermiſcetur, oritur inde, quòd vel eadem, vel diverſa exhalatio diverſis locis è nube rupta eluctatur. Aliquando verò nullus fit bombus, etiam initio, ſed tantùm tumultus, quia exhalatio disjicit tantùm nubem, & transcurrendo ad latera ejus cava impellitur, nullibi verò eam perrumpit ita, ut eluctetur.

Dico III. Omne tonitru fit modis prædictis interventu exhalationum intra nubem aut aërem denſum incenſarum. Probatur, quia illis potiſſimùm temporibus & locis accidunt tonitrua, quibus magna ſuppetit exhalationum copia; illis nulla, aut rara, quibus nullæ aut raræ elevantur exhalationes, ut ex ſupradictis patet.

Dico IV. Non eſt neceſſarium ad tonitru efficiendum, ut exhalationes ſemper igneſcant intra nubes. Ratio eſt, quia ad ſonum edendum ſufficit colliſio corporum ad ſonum efficiendum idoneorum; & in caſu noſtro ſufficit, ut exhalatio intra nubes concluſa fortiter illidatur cavis ejus lateribus: hoc autem fieri poteſt, ſi exhalatio rareſit ac dilatatur, majoremq; locum quærens viam ſibi cum impetu aperit, disjiciendo nubes, etiamſi non accendatur. Sæpe autem hac ratione tonitrua contingere,

Digitized by Google

gere, patet ex eo, quòd ſæpe multa apparent antè, aut inter tonandum, fulgura, aut fulgetra. Imò in tonitru tumultuante ſemper ferè id contingit, quia non niſi principio apparent fulgura, ordinariè ſaltem.

Dico V. Poſſe oriri tonitrua ex ſolo vehementi conflictu nubium inter ſe, abſque exhalationum interventu; ſed hoc non contingit. Ratio primi eſt, quia non minùs aptæ ſunt ad ſonum edendum duæ nubes inter ſe colliſæ, quàm nubes & exhalatio, præſertim ſi hæc non accendatur juxta dicta præcedenti Aſſertione. Ratio ſecundi patet ex dictis Aſſertione 3.

Corollarium.

EX dictis colligitur, falſam eſſe ſententiam Joannis Bodini, exiſtimantis tonitru ſemper fieri ope dæmonum, moti ex eo, quòd ſereno cœlo & innubi quandoque tonat; & quòd fulgurat ſæpe ſine fragore. Refellitur enim inde, quòd alioquin quovis tempore & loco tonitrua fierent, & non ſolùm quando & ubi eſt copia exhalationum. Tonat quidem aliquando, ſed raró, cœlo ſereno & innubi, quoniam etiam vaporoſo aëri exhalationes includuntur. Fulgurat ſine tonitru, vel quia nos ob diſtantiam debiliorem ſonum non audimus, vel quia non ſolùm ex accenſione, ſed ex motu etiam ſolo exhalationum intra nubes & aërem craſſum exoritur tonitru, ut diximus.

Tonitru non fit ſemper ope dæmonum.

EPILOGUS
PARTIS II.

MUlta alia circa tonitru inquiri poſſunt, ac ſolent, ut cur poſt coruſcationem ſeu fulgurationem viſam audiatur tonitru, cùm tamen fragor, qui ex nubis ruptione, aut diſpulſione oritur, aut prior ſit, aut ſimul ſaltem cum fulguratione. Item quænam ſint tempora præcipua, & quænam ſigna tonitruorum; quique eorum præcipui effectus. Hæc tamen omnia omitto, partim quia facilia ſunt, partim quia incerta. Solùm adverto, fulgur videri antequam audiatur tonitru, quia lumen, cùm non habeat contrarium, momento temporis diffunditur per medium aërem; ſonus verò, aut ſpecies ſoni, non defertur de loco ad locum niſi per aëris fluctuationem & quaſi undationem; quæ non niſi cum tempore fit, ut fusè probavimus in Phonologia, quæ eſt liber primus partis ſecundæ Magiæ noſtræ.

Solet quoque Galaxiæ ſeu Circuli lactei tractatio connecti cum Meteoris ignitis, ob Ariſtotelis de Galaxia opinionem: quæ quoniam ex-

Digitized by Google

ploſa jam eſt, & conſtat Lacteum circulum nihil aliud eſſe quàm candorem luminis, ab innumerabilibus ſtellis circa plagam illam cœli altiſſimi, in qua diſperſæ ſunt ſtellæ iſtæ, ut tuboſpicillo clarè deprehenditur, nihil de ea dico. De Cometis quoque tam ſublunaribus, quàm ſuperlunaribus, cur hîc non agam, ſuprà dictum fuit. Tranſeo ergo ad Meteora aërea.

PARS III.

METEORA AEREA.

Meteora aërea.

AErea Meteora hoc loco appello, quorum materia vel aër eſt, vel ita aëri ſimilis, ut meritò talis à magnis alioquin Philoſophis cenſeatur, ut paulò pòſt videbimus. Hujuſmodi Meteora ſunt venti, ac procellæ, ut ex dicendis conſtabit. De his ergo agendum, indagandaque primò ventorum cauſa materialis, tum efficiens, pòſt formalis; denique varia ventorum ac procellarum adjuncta ſunt explicanda. De terræ motu nihil agemus hoc loco, tametſi à ventis terra incluſis ortum habeat, quoniam in rigore Meteorum non eſt, niſi quatenus materia ipſius aliquando in ſublimi gignitur, ut alibi videbimus.

Ventorum porrò tractatio cenſetur ab omnibus Philoſophis difficillima. Quod & Sacra Scriptura teſtatur. Regius Pſaltes David Pſal. 134. *Deum producere ventos de theſauris ſuis aſſerit, potentiâ videlicet ſuâ ſecretiſſimâ & ditiſſimâ eos efficiendo, ut Cardinalis Bellarminus Comment. in eum Pſalmum loquitur; vel quia tam abſconditos ac ſecretos illos tenet DEUS in cauſis, quàm ſolent homines theſauros ſuos in gazophylaciis.* Eccleſiaſtes *quoque* cap. 11. *comparat difficultatem cognoſcendi viam ſpiritus, id eſt, venti, cum difficultate cognoſcendi quâ ratione compaginentur oſſa in ventre prægnantis. Et Chriſtus ipſe* Joannis cap. 3. *ait, Spiritum ſeu ventum ſpirare ubi vult, & vocem ejus nos audire quidem, at neſcire unde veniat, aut quò vadat. Hæc eò dixerim, ut videat Lector, non alienam eſſe à Curioſa Phyſica ventorum tractationem, nec oſcitanter percurrendam.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De cauſa materiali ventorum.

VEntorum natura, quam indagamus, meliùs non cognoſcitur, quàm ſi cauſas eorum inquiramus, atque in apertum producamus. Inchoamus à materiali. In ea adſignanda varii ſunt Philoſophi Veteres ac Recentiores. Paucorum ſententias primò proponemus; deinde quid ſentiendum, definiemus.

Ventorum cauſa materialis.

§. I. Variæ aliorum ſententiæ circa ventorum materiam.

CElebris & pervulgata fuit antiquorum quorundam opinio, exiſtimantium, ventum nihil eſſe aliud quàm aërem agitatione commotum, atque adeo venti materiam eſſe aëra. Hinc *Hippocrates* lib. de flatibus ait, ventum eſſe aëris fluctum; & *Anaximander*, eſſe fluxum aëris, cujus tenuiſſimas, maximèque humidas partes Sol abſumpſerit; & *Seneca*, hoc tranquillum aërem à vento diſtare, quod à flumine lacus; & *Vitruvius*, eſſe aëris fluentem undam. Similia habent *D. Damaſcenus*, *D. Iſidorus*, *Copernicus*, & ex parte *Cardanus* cum aliis, ut videbimus. Imò *Ariſtoteles* Sect. 23. Problemat. ventum definit, ἀέρος ὦσιν, aëris impulſum.

Ventorum materia ex opinione aliorum.

Paracelſus lib. de Meteor. cap. 5. ſolitis ſuis nugis aſſuetus, ait, *Venti in ſtellis exiſtunt, & iſtæ matres eorum ſunt &c.* Et paulò pòſt: *Semen ex quo venti naſcuntur, eſt materia prima trium primorum, ut ſulphur, ſal, & liquor. Hæc tria mater ſunt ex qua flatus proveniunt, quos vocamus ventos. Et prout natura trium primorum fuerit, ſimiles eorum fructus erunt, venti ſcilicet. Habent igitur venti ſuum in ſtellis ortum & augmentum pro tempore &c.* Et infrà: *Ex operationibus apud nos adducamus exemplum ad originem ventorum faciens. Videtis aquam in olla ferventem emittere ventum &c. Pariter Vulcanus igneus exiſtens in ſtellis tria prima bullire facit pro ſua natura: inde ventus exurgit cum proprietate, non aliàs quàm igneus Vulcanus apud nos per ligna ſimile quid operatur &c.* Piget plura addere, quæ toto illo capite non ſine intelligentium riſu proſequitur.

Paracelſi nugæ de ventorum origine.

Ariſtoteles & Peripatetici communiter docent, materiam ventorum eſſe exhalationem calidam & ſiccam. Probant *Primò*, quia quibus temporibus major ſuppetit exhalationum copia, ut vere & autumno, matutino tempore dum Sol oritur &c. crebriores ſunt venti. *Secundò*, quia idem accidit dum nix liqueſcit, quòd ei permixta ſit multa exhalatio, quæ diſſolutâ nive excernitur. *Tertiò*, quia igneus color in aëre ventos denuntiat, non alia de cauſa, niſi quòd aër tunc plenus ſit fumidâ & torridâ

Digitized by Google

exhalatione. *Quartò*, quia venti plurimum exſiccant, ideo utique, quia calidâ & ſiccâ exhalatione conſtant.

Conimbricenſes tract. 6. Meteor. cap. 2. aſſerunt, ventorum materiam non eſſe puram exhalationem, ſed interdum, ac frequenter etiam, vapores exhalationibus permiſtos. Probant *Primò*, quia aliquando per integros menſes ſpirant venti è mari; quod etiamſi multùm habeat exhalationum, ob terrenæ concretionis admiſtionem, ut ejus ſalſedo teſtatur; tamen non eſt veriſimile, tantam exhalationum copiam ex eo naſci, quæ ſufficiat tot ac tantis ventis. *Secundò*, quia non minùs vapores, quàm exhalationes, ad mediam aëris regionem perveniunt; ergo ut hæ, ita & illi poſſunt inde repelli, & degenerare in ventos. *Tertiò*, quia venti è mari flantes, humidi ſunt; ergo vaporum naturam habent. *Quartò*, quia experientiâ conſtat, ventos oriri inde, unde vapores naſcuntur. Hinc cùm Occaſus cæruleum præfert colorem, qui vapores è mari elevatos indicat, ſæpe venti è mari exoriuntur.

Carteſius lib. de Meteor. cap. 4. ait, tametſi omnis aëris agitatio ſenſibilis appelletur ventus, ut eſt aër ex follibus eliſus, aut flabello impulſus; tamen ventos latiùs diffuſos, terrasque & maria perflantes, nihil eſſe niſi vapores motos, qui dilatati, ex loco arctiori, in quo erant, in alium ubi faciliùs expandantur, tranſeant. Itaque ventos ſtatuit fieri eâdem ratione à Natura, qua per Artem fiunt ex Æoli pilis, quas deſcripſimus fusè in Mechanica noſtra Hydro-pneumatica.

§. II. Noſtra ſententia de Ventorum materia.

Ventorum materia ex noſtra opinione.

EGo exiſtimo, nec ſolum aërem, nec ſolam exhalationem, nec vaporem ſolum, eſſe ventorum materiam, ſed omnia tria, aliquando quidem ſola ac ſolitariè ſumpta, aliquando verò miſta inter ſe. Unde ſtatuo ſequentes Aſſertiones.

Aſſertio I.

Aër ſolus aliquando eſt materia ventorum.

Ventorum materia aliquando eſt ſolus aër commotus.

AËrem ſolum hîc voco, non qui purus eſt, & nullis permiſtus halitibus; talem enim apud nos non dari, ex dictis ſuprà de rerum effluviis in aërem receptis conſtat; ſed qui præter ordinarios halitus, quibus ſemper repletus eſt, nullos alios in extraordinaria copia, ab extraordinaria aliqua cauſa productos habet. Ut probem Aſſertionem (quam & *Cardanus* lib. 1. Variet. cap. 1. & *Cabeus* lib. 2. Meteor. tex. 30. quæſt. 1. docent) Suppono cum Cabeo, ſicuti aër movetur flabello, & excitatur aura (quæ aliud nihil eſt quàm aër impulſu flabelli commotus) ita poſſe ac ſo-

Digitized by Google

ac ſolere à multis aliis cauſis eundem aërem moveri, & in hanc vel illam partem concitari. Nunquid enim ſi cubiculi janua aperitur, aut clauditur, ingreditur aut egreditur aër adeo ſenſibiliter, ut candelas accenſas extinguat, chartas menſis impoſitas diſflet, aliaque commoti aëris ſigna edat? Obſervavit etiam ſæpe *Cabeus*, & quilibet deprehendere quotidie poteſt, dum in cubiculo aliquo excitatur ignis vehementior & luculentior, & è regione januæ aperiatur feneſtra ejusdem cubiculi; aërem inſinuare ſeſe per januam apertam, aut etiam per januæ rimas, idque adeo ſenſibiliter, ut cortina januæ oppanſa ſimul introrapiatur. Cauſa eſt, quòd ignis extenuat aërem, & extenuatum expellit ſurſum per caminum apertum; aër autem expulſus rapit ſecum aërem vicinum, & hunc ſequitur aër extra cubiculum januæ circumfuſus, ut vacuum in cubiculo vitetur. Præterea ſi domus, aut turris, aut aliud quodpiam magnum onus corruit, aër circumſtans tam vehementer commovetur, ut vicina corpora proſternat, aut ad latus abripiat. Multæ aliæ experientiæ quotidie occurrunt. Hæ autem, ac ſimiles aëris commotiones communiter dici ſolent venti. Aër quoque, quem folles efflant, ventus appellatur. Hoc ſuppoſito,

Probatur Aſſertio Primò, quia in prædictis exemplis commotus aër eſt & dicitur ventus, etiam apud doctos, & tamen materia ejus eſt ſolus aër; ergo &c.

Secundò, quotiescunque eſt magnum incendium, ut dum pagi integri, & integræ urbes, ut non rarò contingit, comburuntur, aut dum agrorum ſtipulæ ad fœcundandam terram incenduntur; ſolet oriri vehemens ventus, quem omnes fatentur eſſe ab incendio. Qui ventus adeo plerumque invaleſcit, durante incendio, ut longè latèque ad vicinas domos, hortos, ac ſilvas flamma diffundatur. Nec ſemel contigiſſe memini in Sicilia, ut, dum ſtipulas ruſtici comburerent, ac ſerpentem flammam aut minùs cautè cuſtodirent, aut compeſcere non valerent, hortos, vineta, ac ſilvas, irreparabili damno perdiderint. Hinc inibi ſub capitis pœna prohibitum, ne ante certum tempus (initium, ni fallor, Octobris eſt) ſtipulæ à quoquam incendantur, antequam videlicet ex hortis & vineis fructus ſint collecti. Hic iterum venti materia aër eſt. Nec enim ſunt exhalationes ab incendio excitatæ; ſic enim ventus ex loco incendii quaquaverſum effunderetur, & non ad locum incendii conflueret. Quod ultimum tamen fit, & ideo fit, quia flamma vehemens partim abſumit, partim ſurſum pellit aërem circumſtantem & ſuperincumbentem; hic abſumptus ac pulſus attrahit alium vicinum, & hic alium, ad vacuum vitandum. Hinc ergo commotio aëris, & hinc ventus verſus incendium flans; ergo &c.

Tertiò, quia plerumque manè ſub auroram, præſertim diebus ſerenis,

Digitized by Google

excitatur ventulus quidam ſuavis, qui fertur verſus orientem Solem ut plurimùm. Quod ideo contingit, quia Sol exoriens calore ſuo aërem proximum calefacit & extenuat; hic extenuatus aſcendit, ſecumque rapit vicinum; huic ſuccedit alius atque verſus orientales partes. Inde ventulus ille frigidiusculus ac ſuavis. Ergo iterum materia venti eſt aër.

Quartò, quia quando in aliqua parte aëris adunantur nubes, & effunditur copioſa pluvia, ſtatim ſentitur ventus verſus pluviæ locum properans. Hoc ideo contingit, quòd aër à nubibus ac pluviâ infrigidatus, ac denſatus, minorem occupat locum; unde neceſſariò accurrit alius atque alius, verſus pluviæ locum properantes. Ergo & in hoc caſu venti materia eſt commotus aër.

Omitto multa alia experimenta, quæ adferri poſſent; ad quæ ſi adverterent Philoſophi noſtri, næ longè ſolidiorem Philoſophiam Scholæ noſtræ profiterentur. Quæ autem ſit cauſa movens aërem, patebit ex dicendis infrà. Ex dictis experimentis conſtat, efficientem cauſam in hoc caſu vel rarefactionem, vel condenſationem.

Aſſertio II.

Non omnis ventus eſt ſolus aër commotus.

Venti materia non ſemper eſt ſolus aër commotus.

PRobatur Primò, quia venti aliqui ſunt adeo vehementes & concitati, ut arbores, ſilvas integras, turres, domos, jumenta, & homines proſternant in terra, & aliquando transportent de loco in locum; in mari verò naves ingentes, ac velut portatiles urbeculas disjiciunt, confringunt, ac ſubmergunt, uti magno ubique per totam ferè Europam damno, hoc ipſo anno 1661. in variis locis ac maribus experti ſumus. Hi autem non poſſunt eſſe aër commotus rarefactione aliquâ, aut condenſatione, aliavè naturali cauſâ; nam aër ut facilè commovetur, ita facilè quoque ſedatur. Nec ulla apparet cauſa quæ tam vehementer illum rarefaciat, aut condenſet, alitervè commoveat.

Probatur Secundò efficaciùs, quia quidam venti ſunt valde ſicci; aliqui ſalubres, alii noxii, ut quotidianâ experientiâ conſtat: experimur enim corporis & humorum alterationes tales flantibus certis ventis, quales nunquam aliàs in eodem aëre viventes experimur. Vidi ſæpe Panormi in Sicilia, flante vento quem Siroccum appellant, & ex Africano mari per Inſulæ mediterranea eò defertur, homines exſertis linguis præ æſtu & ſiccitate obambulantes; clauſiſque feneſtris ac portis omnibus domorum, intra loca obſcura aquis conſperſa languore tantùm non enecatos ſedentes. Nec ego immunis à malo eram, toto inſuper corpore & venis omnibus penè exhauſtus, & graviſſimo capitis dolore vexatus. Aliàs verò aëre

fruebar

Digitized by Google

fruebar ſaluberrimo, uti revera eſt. Non ergo ſolus aër commotus ventos facit.

Tertiò, quia ſæpe nautæ juxta alta littora in mari navigantes, aut nullos, aut placidiſſimos experiuntur ventos; quamprimùm verò ad humiliora littora deveniunt, ſentiunt vehementiſſimos ac turbulentiſſimos ventorum flatus, è mediterraneis erumpentes. Cùm è Sicilia Neapolim, ac inde Romam proficiſcebar, legebat navicula, qua vehebar à ſex validiſſimis nautis Neapolitanis, littus Inſulæ Septentrionale, quod Tyrrhenum reſpicit mare, ac placidiſſimè provehebatur, dum Mylæ promontorium (quod Siculi *capo di Milazzo* appellant) circumlegebat. Vix prætervecti eramus, cùm è mediterraneis, quæ antea ob littora altiora non conſpexeramus, tam validus repentè irruit in nos ventus, ut momento ferè naviculam in altum verſus Lipparenſes Inſulas propelleret, nec niſi poſt longam colluctationem & ingentes labores littus denuò attingeret. Erumpebat nimirum ventus è mediterraneis, quem in aëre libero non deprehenderamus. Non ſolus ergo aër erat. Omitto alias rationes quæ occurrunt.

Aſſertio III.

Ventorum materia aliquando ſunt exhalationes, aliquando vapores.

Utrumque patet ex jam relatis qualitatibus nonnullorum ventorum: ideo enim venti aliqui tam vehementer ſunt calidi, & exſiccant, quia conſtant calidis & ſiccis exhalationibus: ideo alii ſunt humidi, quia vaporibus conſtant; ideo aliqui ſunt ſalubres, alii noxii, quia ſalubres aut noxios halitus deferunt. *Venti materia aliquando ſunt exhalationes, aliquando vapores.*

Verùm nec exhalationes, nec vapores, ſoli & ſine aëre permiſto deferuntur: ſæpe tamen exhalationes ſine vaporibus, & ſæpe vapores ſine exhalationibus, & ſæpe utrique halitus inter ſe permiſti. Et prout ſoli ſunt, aut miſti hi halitus, aliis atque aliis qualitatibus affecti ſunt venti.

Eſſe autem præter aërem, etiam prædictos halitus ventorum materiam, multa convincunt. *Primò*, quia venti validi qui è mediterraneis locis ſpirant in mare, validiſſimi ſunt prope littora, languent verò in alto mari, tantò magis, quò longiùs provehuntur. Unde nautæ minùs periculi timent majoribus navibus in alto, quàm prope littora. Et quia Chriſtophorus Columbus, primus Indiarum Occidentalium repertor, notavit, è mari Occidentali ſatis validos ac feroces ventos afflare verſus Europam, conjecit regiones alias ultra Atlanticum Oceanum non adeo procul ab Europa eſſe. *Secundò*, quia pluviam plerumque ſequi ſolet

ventus;

ventus; quando nimirum è terra humectata multi aſcenderunt vapores. *Tertiò*, quia rubedo cœli, orta ex abundantia exhalationum aduſtarum, ventos plerumque denotat futuros. *Quartò*, quia niſi exhalatio & vapor materia ventorum eſſet, cauſa nulla foret, cur certis anni temporibus eteſiæ, & alii ſolemnes venti, è certis regionibus adſpirarent.

CAPUT XXIII.

De cauſa efficiente Ventorum.

Ventorum cauſa efficiens.

UT commotus aër, vapor, exhalatio, ſit & dicatur ventus, non ſufficit ut quacunque ratione moveantur, rectà videlicet aſcendendo aut deſcendendo, ſed neceſſarium eſt, ut moveantur transverſaliter, ſeu motu obliquo. Cauſa hujus obliqui ac tránsverſalis motus, eſt cauſa efficiens ventorum, quam hîc inquirimus.

§. I. Angeli non ſunt ordinariè cauſa efficiens Ventorum.

Non ſunt Angeli ordinariè.

EX Sacra Scriptura, hiſtoriisque ſacris ac profanis conſtat, DEUM excitare ſubinde, aut regere ventos, miniſterio Angelorum. Nam *Jonæ* cap. 1. legimus, Dominum miſiſſe ventum magnum in mare, & ſuſcitaſſe ingentem tempeſtatem: & *Exod. c. 10.* Dominus dicitur induxiſſe ventum urentem totâ die ac nocte, qui manè facto levaverit locuſtas, & projecerit in mare. Quæ utique miniſterio Angelorum patravit Dominus, ut ſæpe alia extraordinaria; ut propterea *Pſalmo 77.* plagæ Ægyptiorum dicantur *immiſſiones, per Angelos malos.* Dæmones etiam permiſſione DEI ventos excitare, patet ex *Jobi cap. 1.* ubi narratur, ope dæmonis repentè ventum vehementem irruiſſe à regione deſerti, & concuſſiſſe quatuor angulos domus. S. Joannes *Apocal. c. 7.* vidit quatuor Angelos *ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.* Et certè dæmones habere magnam poteſtatem in aëra, patet ex Apoſtolo Paulo, à quo *aëreæ poteſtates, & principes aëris hujus* vocantur.

Venti à Magis excitari poſſunt.

Suprà lib. 1. cap. 19. & 34. ex *Olao Magno* lib. 3. cap. 16. retulimus de Finnis & Lapponibus, eos olim mercatoribus ventos venales exhibuiſſe, ac tres nodos magicâ arte conſecratos tradidiſſe, quorum primo ſoluto habituri eſſent ventos placidos, ſecundo vehementiores, tertio vehementiſſimos. Sopater Philoſophus ultimo ſupplicio fuit affectus, quòd carmine magico ventos vinxiſſe diceretur, ne annona Byzantium deveheretur. Teſte *Theophraſto* libro de Ventis, & *Victorio* lib. 19. Variar. lect. cap. 21. Ariſtæus in Cæa maris Ægæi Inſula, deficientes aliquot annis eteſias, ſacrificio Jovi peracto, revocavit, *Plutarchus* in

Lucullo

Digitized by Google

Lucullo refert, cùm Mithridates Rex Ponti validâ claſſe urbem Cyzicum premeret, Proſerpinam (dæmonem videlicet) nocte apparuiſſe Ariſtagoræ, ac dixiſſe: *Cras tubicinem Libycum cum tubicine Pontico committam*; ac die poſtero Auſtrum ferociſſimum à Libya adſpirantem disjeciſſe claſſem Ponticam.

Ex his, aliisque auctoritatibus & exemplis deducit *Joannes Bodinus* lib. 2. Theatri, & quidam *Lovanienſes Philoſophi* apud Fromondum, Angelos, ſive bonos, ſive malos, omnium omnino ventorum, cauſam efficientem eſſe, qui nimirum materiam à cauſis naturalibus aut à ſe collectam motu transverſario concitent, & ventos excitent. Quod multis aliis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, ac nonnullis rationibus ſtabilire nituntur apud *Fromondum* lib. 4. Meteor. cap. 2. art. 3. & apud *Cabeum* lib. 2. Meteor. text. 33. quæſt. 1.

Nos fatemur, poſſe Angelos, ac etiam ſolere ſubinde excitare ventos; negamus tamen id ordinariè facere. Ratio unica eſt, quòd non eſt Philoſopho in effectibus phyſicis recurrendum ad cauſas liberas & inſenſibiles, quando aſignari commodè poteſt cauſa phyſica ſeu naturalis & corporea: at ventorum, ſeu obliqui motus aëris & halituũ adſignari commodiſſimè poteſt phyſica & corporea cauſa, ut patebit ex dicendis; ergo &c.

§. II. Cauſa efficiens ventorum non eſt anima Terræ.

Antiquorum nonnullorum opinio fuit, neſcio an ſeria, terram eſſe animal, ac reſpirare per montium crateres & caminos, ceu os aut nares. Renovavit hanc ſententiam *Keplerus* lib. 4. Harmonices cap. 7. ubi ſeriò & multis probat, terram ingens quoddam animal eſſe, & exſpirando inſpirandoque aërem, ventos efficere, hoc eſt, cauſam eſſe cur aër & halitus obliquè ſuper terram moveantur. *Nec anima terræ.*

Sed hæc ſententia non indiget longâ refutatione, quia jam dudum exulavit è Scholis, nec Kepleri auctoritas tanta eſt, ut eam reintroducat, quippe qui quàm bonus eſt Mathematicus, tam malus Philoſophus eſt, ut jam ſæpe ab aliis eſt pronunciatum. Adde quòd venti ſæpe ab alto mari, aut è locis mediterraneis adſpirent, ubi nulli ſunt camini, nullaque inſignia ſpiracula. Præterea terræ ſpiracula ſunt ordinariè in montium cacuminibus, & ſurſum ſpectant, non ad latus: quare dato etiam quòd reſpiraret terra, halitus ejus non obliquè ſuper terram reflecteretur, ſed directè in cœlum iret. Certè ſi ullibi eſt inſigne terræ ſpiraculum, in Ætna Siciliæ monte eſt; cujus tamen crater cœlum rectà reſpicit, & halitus ſurſum ad aliquod ſpatium fertur, deinde verò ad latus flectitur, nunc quidem verſus Meridiem, aliàs verſus Septentrionem, aut aliam plagam mundi, prout diverſi flant venti, adeo manifeſtè, ut ad ſpatium 60. aut 70.

 milli-

Digitized by Google

ventus; quando nimirum è terra humectata multi aſcenderunt vapores. *Tertiò*, quia rubedo cœli, orta ex abundantia exhalationum aduſtarum, ventos plerumque denotat futuros. *Quartò*, quia niſi exhalatio & vapor materia ventorum eſſet, cauſa nulla foret, cur certis anni temporibus eteſiæ, & alii ſolemnes venti, è certis regionibus adſpirarent.

CAPUT XXIII.

De cauſa efficiente Ventorum.

Ventorum cauſa efficiens.

UT commotus aër, vapor, exhalatio, ſit & dicatur ventus, non ſufficit ut quacunque ratione moveantur, rectà videlicet aſcendendo aut deſcendendo, ſed neceſſarium eſt, ut moveantur transverſaliter, ſeu motu obliquo. Cauſa hujus obliqui ac transverſalis motus, eſt cauſa efficiens ventorum, quam hîc inquirimus.

§. I. Angeli non ſunt ordinariè cauſa efficiens Ventorum.

Non ſunt Angeli ordinariè.

EX Sacra Scriptura, hiſtoriisque ſacris ac profanis conſtat, DEUM excitare ſubinde, aut regere ventos, miniſterio Angelorum. Nam *Jonæ* cap. 1. legimus, Dominum miſiſſe ventum magnum in mare, & ſuſcitaſſe ingentem tempeſtatem: & *Exod. c. 10.* Dominus dicitur induxiſſe ventum urentem totâ die ac nocte, qui manè facto levaverit locuſtas, & projecerit in mare. Quæ utique miniſterio Angelorum patravit Dominus, ut ſæpe alia extraordinaria; ut propterea *Pſalmo 77.* plagæ Ægyptiorum dicantur *immiſſiones, per Angelos malos.* Dæmones etiam permiſſione DEI ventos excitare, patet ex *Jobi cap. 1.* ubi narratur, ope dæmonis repentè ventum vehementem irruiſſe à regione deſerti, & concuſſiſſe quatuor angulos domus. S. Joannes *Apocal. c. 7.* vidit quatuor Angelos *ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.* Et certè dæmones habere magnam poteſtatem in aëra, patet ex Apoſtolo Paulo, à quo *aëreæ poteſtates, & principes aëris hujus* vocantur.

Venti à Magis excitari poſſunt.

Suprà lib. 1. cap. 19. & 34. ex *Olao Magno* lib. 3. cap. 16. retulimus de Finnis & Lapponibus, eos olim mercatoribus ventos venales exhibuiſſe, ac tres nodos magicâ arte conſecratos tradidiſſe, quorum primo ſoluto habituri eſſent ventos placidos, ſecundo vehementiores, tertio vehementiſſimos. Sopater Philoſophus ultimo ſupplicio fuit affectus, quòd carmine magico ventos vinxiſſe diceretur, ne annona Byzantium deveheretur. Teſte *Theophraſto* libro de Ventis, & *Victorio* lib. 19. Variar. lect. cap. 21. Ariſtæus in Cæa maris Ægæi Inſula, deficientes aliquot annis eteſias, ſacrificio Jovi peracto, revocavit. *Plutarchus* in Lucullo

Digitized by Google

Lucullo refert, cùm Mithridates Rex Ponti validâ claſſe urbem Cyzicum premeret, Proſerpinam (dæmonem videlicet) nocte apparuiſſe Ariſtagoræ, ac dixiſſe: *Cras tubicinem Libycum cum tubicine Pontico committam*; ac die poſtero Auſtrum ferociſſimum à Libya adſpirantem disjeciſſe claſſem Ponticam.

Ex his, aliiſque auctoritatibus & exemplis deducit *Joannes Bodinus* lib. 2. Theatri, & quidam *Lovanienſes Philoſophi* apud Fromondum, Angelos, ſive bonos, ſive malos, omnium omnino ventorum, cauſam efficientem eſſe, qui nimirum materiam à cauſis naturalibus aut à ſe collectam motu transverſario concitent, & ventos excitent. Quod multis aliis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, ac nonnullis rationibus ſtabilire nituntur apud *Fromondum* lib. 4. Meteor. cap. 2. art. 3. & apud *Cabeum* lib. 2. Meteor. text. 33. quæſt. 1.

Nos fatemur, poſſe Angelos, ac etiam ſolere ſubinde excitare ventos; negamus tamen id ordinariè facere. Ratio unica eſt, quòd non eſt Philoſopho in effectibus phyſicis recurrendum ad cauſas liberas & inſenſibiles, quando aſignari commodè poteſt cauſa phyſica ſeu naturalis & corporea: at ventorum, ſeu obliqui motus aëris & halituū adſignari commodiſſimè poteſt phyſica & corporea cauſa, ut patebit ex dicendis; ergo &c.

§. II. Cauſa efficiens ventorum non eſt anima Terræ.

Antiquorum nonnullorum opinio fuit, neſcio an ſeria, terram eſſe animal, ac reſpirare per montium crateres & caminos, ceu os aut nares. Renovavit hanc ſententiam *Keplerus* lib. 4. Harmonices cap. 7. ubi ſeriò & multis probat, terram ingens quoddam animal eſſe, & exſpirando inſpirandoque aërem, ventos efficere, hoc eſt, cauſam eſſe cur aër & halitus obliquè ſuper terram moveantur. **Nec anima terræ.**

Sed hæc ſententia non indiget longâ refutatione, quia jam dudum exulavit è Scholis, nec Kepleri auctoritas tanta eſt, ut eam reintroducat, quippe qui quàm bonus eſt Mathematicus, tam malus Philoſophus eſt, ut jam ſæpe ab aliis eſt pronunciatum. Adde quòd venti ſæpe ab alto mari, aut è locis mediterraneis adſpirent, ubi nulli ſunt camini, nullaque inſignia ſpiracula. Præterea terræ ſpiracula ſunt ordinariè in montium cacuminibus, & ſurſum ſpectant, non ad latus: quare dato etiam quòd reſpiraret terra, halitus ejus non obliquè ſuper terram reflecteretur, ſed directè in cœlum iret. Certè ſi ullibi eſt inſigne terræ ſpiraculum, in Ætna Siciliæ monte eſt; cujus tamen crater cœlum rectà reſpicit, & halitus ſurſum ad aliquod ſpatium fertur, deinde verò ad latus flectitur, nunc quidem verſus Meridiem, aliàs verſus Septentrionem, aut aliam plagam mundi, prout diverſi flant venti, adeo manifeſtè, ut ad ſpatium 60. aut 70.

milliarium veſtigia ſua in aëre relinquat, ut ipſemet multorum annorum tempore cum admiratione notavi.

§. III. Cauſa efficiens ventorum non eſt gravitas halituum, & gyratio aëris.

Nec gravitas halituũ, & gyratio aëris.

QUi halitus, hoc eſt, exhalationes & vapores materiam ventorum ſtatuunt, ajunt cauſam obliqui motus dictorum halituum ſuper terram, eſſe naturalem ipſorum gravitatem, quâ rectâ deorſum relabuntur, & motum obliquum aëris rapti in gyrum à cœlo moto ab oriente in occidentem. Et halitus quidem pondere ſuo deorſum ruere, multis probant; ſed opus non erat tanto molimine, cùm libenter concedamus. Nam halitus ſunt eſſentialiter vel terra, vel aqua, ac proinde ex naturâ ſuâ graves, ac deorſum tendentes: ſublatâ ergo causâ extrinſecâ quæ illos elevat, & elevatos ſuſtentat (qui eſt calor adſcititius, qui in ſecunda aëris regione frigida expellitur) pondere ſuo relabuntur deorſum. Quo in lapſu cùm in transverſum rapiuntur ab aëre moto ab Ortu in Occaſum motu cœli, conſurgit motus obliquus halituum, atque adeo ventus. Patet ergo quæ ſit cauſa efficiens ventorum, gravitas nimirum halituum, & motus eorundem in transverſum.

Multa diſplicent in hac ſententia: unum tamen præcipuè manifeſtæ falſitatis eam arguit, quòd ſequeretur, omnes ventos ab Oriente in Occidentem ferri, quandoquidem illo motu ſolùm aër rapitur, ſi à cœlo rapitur; quod tamen eſt apertè falſum. Adde quòd omnes venti eâdem ferè velocitate in transverſum prædicto motu agerentur, utpote ab eadem cauſâ, & ejusdem virtutis, nempe ab aëre moto à cœlo in gyrum: nec enim ex eo quòd unus halitus ſit altero gravior aut levior, oriri poſſet inſignis diverſitas. Omitto alia.

§. IV. Cauſa efficiens ventorum non eſt æquilibrium virtutis motivæ halituum.

Nec æquilibrium virtutis motivæ halituum.

ALii qui halitum ſtatuunt materiam ventorum, ajunt cauſam obliqui motus illorum ſuper terram eſſe æquilibrium virtutis motivæ eorundem. Hoc æquilibrium aliqui ſic explicant. Virtus motiva ſurſum in halitibus, quæ oritur ex levitate impreſſâ illis per accidens à calore extrinſeco extenuante, adæquat aliquando virtutem motivam deorſum eorundem, quæ oritur ex gravitate innata: aliquando verò illa eſt major quam hæc, aliquando minor: ſi major eſt levitas quàm gravitas halituum, aſcendunt rectà ſurſum: ſi minor, deſcendunt rectà deorſum: ſi æqualis, nec ſurſum moventur, nec deorſum; Ergo in transverſum eunt, & fit ventus.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc ultima illatio, in qua vis argumenti conſiſtit, eſt apertè falſa. Nam ſi nec ſurſum moventur halitus, nec deorſum, non neceſſariò moveri debent transverſim (quia non neceſſariò moventur) ſed poſſunt quieſcere, donec vel accedat cauſa aliqua illos in transverſum agens, vel prævaleat alterutra vis motiva ſurſum aut deorſum.

Idem æquilibrium virtutis motivæ alii explicant ſic. Halitus illi non ſunt homogenei, ſed heterogenei, compoſiti nimirum ex partibus diverſarum naturarum, quarum aliquæ petunt moveri ſurſum, aliæ deorſum: Ergo dum unaquæque conatur ſuum motum efficere, reſultat motus in transverſum.

Hæc etiam conſecutio illegitima eſt. Nam etſi eſſent heterogenei illi halitus, non ſequitur motus transverſalis, ſed vel motus prædominantis, vel quies. Probat id Cabeus hac experientiâ. Fiat globus ex cera & plumbo, & ponatur intra aquam. Si cera prævalet plumbo, feretur globus ſurſum ad ſuperficiem aquæ: ſi plumbum prævalet ceræ, feretur deorſum usque ad fundum aquæ: ſi fiat æquilibrium inter ceram & plumbum, non movebitur globus transverſim intra aquam, ſed tenebit ſitum ſibi ab initio datum, uti ex Hydroſtatica conſtat. Eodem modo philoſophandum eſt in caſu noſtro.

§. V. Cauſa efficiens ventorum non eſt ſola gravitas halituum deſcendentium, & occurſus aſcendentium, aërisque inferioris denſitas.

F*Romondus* lib. 4. Meteor. cap. 2. art. 5. poſt longam meditationem circa efficientem ventorum cauſam, eò devenit, ut dicat, cauſam obliquantem halitus (quos ventorum materiam agnoſcit) eſſe motum naturalem illorum deorſum ob recuperatam in ſublimi gravitatem priſtinam, & occurſum aliorum aſcendentium, & craſſitiem ſeu denſitatem aëris prope terram obſiſtentis motui halituum deorſum. Vult igitur, cùm exhalationes ſint eſſentialiter terra, elevatos ad ſecundam aëris regionem amittere calorem, tum ob frigus extrinſecum loci, tum quia naturâ ſuâ reducunt ſeſe ad nativum frigus; infrigiditatos deſcendere rectà verſus terram; in deſcenſu offendere alias aſcendentes, ſimulque ipſum aërem craſſiorem, & ideo in transverſum agi, & ventum efficere.

Noc ſola gravitas halituum deſcendentiũ, & occurſus aſcendentium aerisque denſias.

Cabeo multa diſplicent in hac ſententia, ejusque explicatione: quam & fusè impugnat. Ego ſponte do omnia prædicta Fromondo, & puto multùm juvare ad motum obliquum halituum, cujus cauſam inquirimus; ſed addo, illa ſola non eſſe prædicti obliqui motus cauſam. Quòd juvent ad motum obliquum illa, quæ Fromondus ponit, dato quòd infrigiditatæ exhalationes reddantur graves, & naturali pondere relabantur

 deorſum;

Digitized by Google

deorſum; bene probat ipſe, & per ſe ſatis patet, quidquid dicat Cabeus. Quòd autem illa ſola non ſint ventorum cauſa, patet ex eo, quòd etiam in ſummis montibus, ac ſupra illos, ſpirant venti in transverſum acti (ut ex dictis §. 2. de Ætna patet) & tamen ibi non ſunt exhalationes rectà deorſum ruentes, & ab occurrentibus aliis impeditæ, quia deberent ruere ex ſuprema aëris regione, ubi tamen non poſſunt infrigidari.

§. VI. Cauſa efficiens ventorum non eſt impetus reflexus halituum deſcendentium, & aëris motus obliquus.

Nec impetus reflexus halituum deſcendentium.

C*Abeus* lib. 2. Meteor. text. 33. quæſt. 1. examinatis ac rejectis aliorum ſententiis, circa cauſam efficientem motus obliqui materiæ ventorum (quam ponit eſſe exhalationes & ſpiritus ſubtiles rerum ſublunarium) ſupponit, quòd ſicut grave, dum deſcendit, motu illo deſcenſus impetum concipit, quo non ſolùm perveniret ad proprium locum naturalem ſibi debitum ex ſua gravitate, ſed etiam ulteriùs tenderet quàm natura ipſius poſtularet, iterumque rediret ad locum eundem, ac tam diu circa illum fluctuaret aſcendendo, donec extincto impetu quieſceret in illo; ita etiam dum corpus leve aſcendit, ex illo motu impetum concipiat aſcendendi, ita ut ad altiorem locum aſcendat quàm poſtulet natura ipſius. Videmus enim, inquit, ſi lignum aquâ levius, & vi detentum intra profunditatem aquæ, dimittatur liberum; aſcendat non ſolùm usque ad ſuperficiem aquæ, ſed etiam ultra elevetur, ac deinde relabatur, & aliquamdiu aſcendendo ac deſcendendo fluctuet, donec requieſcat in ſuperficie juxta naturæ ſuæ exigentiam. Hoc ſuppoſito ait, dum exhalationes ſeu ſpiritus ſubtiles à corporibus ſeparantur, quia ſunt ex ſua ſubſtantia leviores noſtro aëre, aſcendunt, & in aſcenſu impetum concipiunt, illoque impetu ad altiorem locum perveniunt quàm natura illorum requirat; ex quo fit, ut illo eodem impetu, quo altiùs aſcenderunt, quaſi reflexo iterum deſcendant. Et hanc putat eſſe veram ac phyſicam, cur halitus iſti deſcendant. Et quia aër, per quem aſcendunt ac deſcendunt, ſemper movetur, ideo aſcenſus ac deſcenſus halituum non eſt rectus ac perpendicularis, ſed obliquus, quia ab eo moto trahuntur ad easdem partes, ad quas ipſe movetur.

Ego puto, non improbabile eſſe ſpiritus illós altiùs aſcendere, quàm eorum natura requirat, ac deinde iterum deſcendere; & tam aſcendendo, quàm deſcendendo huc atque illuc à moto aëre moveri; hunc tamen duplicem motum non ſufficere ad ventos, ſaltem non ad omnes efficiendos. Nam ideo aſcendunt ſpiritus, & quidem altiùs quàm requirat eorum natura, quia ſunt magis leves noſtro aëre, & ob id ab aëre ſuſpelluntur, & quidem altiùs quàm ipſis debeatur; ergo etiam ideo ite-

iterum deprimuntur, quia ſunt minùs leves quàm aër ille intra quem rejecti fuerant. Vel ergo deprimuntur pondere ſuo, vel depreſſi ab aëre leviore: non pondere ſuo, quia Cabeus nullum illis pondus concedit, & acriter impugnat Fromondum gravitatem aliquam illis tribuentem; ergo depreſſi ab aëre leviore deſcendunt. Si hoc; ergo ut antea iterum à graviore aëre ſurſum pelluntur, non verò ad latus abripiuntur. Alia ergo cauſa adeſſe debet, quæ illos ad latus abripiat, ſive dum aſcendunt, ſive dum deſcendunt.

Adde quòd aër fluctuat in omnem partem, niſi ab alio movente ad unam potiùs partem moveatur; venti autem ſæpe longo tempore ſpirant verſus eandem partem; ergo non ab aëre, ſed ab alia cauſa, halitus ad obliquum motum detorquentur.

§. VII. Noſtra ſententia de cauſa efficiente Ventorum.

EGo puto, cauſam detorquentem halitus, qui ventorum materia ſunt, in obliquum, ac ventos efficientem, non eſſe unam ſemper, ſed aliquando illam, quam Fromondus, aliàs illam, quam Cabeus adſignavit, frequentiùs tamen & univerſaliùs impetum halitibus à frigore ac denſitate mediæ regionis aëris impreſſum. Dum enim halitus, ob extrinſecum calorem attenuati in altum aſcendunt, & mediam regionem aëris frigidam, vaporibus ac nubibus refertam offendunt; ab illa tanquam inimico validè repelluntur, nunc ad angulum acutum deorſum, nunc ad rectum in latus, nunc ad obtuſum ſurſum, prout nimirum figuratus eſt vapor & nubes frigida, quam offendunt. Hinc tam varii exſurgunt motus ventorum; ut aliquando in ſublimi in nubes dominentur, cùm tamen apud nos omnia ſint tranquilla; aliquando inferiora ſusque deque vertant, cùm tamen ſuperiora tranquilla ſint. Exiſtimo igitur, ad ventos placidos ſufficere cauſam à Fromondo & Cabeo adſignatam, ad vehementes ac turbulentos omnino neceſſariam eſſe cauſam à nobis allatam.

Ventorum cauſa efficiens ex noſtra ſententia.

Ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia omnibus difficultatibus facilè ſatisfacit, vel ſaltem faciliùs ac meliùs quàm aliæ. Eam docent *Conimbricenſes* tract. 6. Meteor. cap. 3. eſtque ad mentem *Ariſtotelis*, qui lib. 2. Meteor. text. 33. ait, cauſam obliqui motus exhalationum, quas agnoſcit ventorum materiam, quærendam eſſe in parte ſuperiori, non verò in inferiori prope terram.

CAPUT XXIV.

De cauſa Formali ac Finali ventorum.

Ventorum cauſa formalis, & finalis.

FOrmalis ſubſtantialis cauſa ventorum eſt eadem quæ exhalationis, vaporis, & aëris, quas conſtituimus eorum materias. Forma accidentalis, conſtitutiva tamen ventorum ut meteora ſunt, eſt motus obliquus per aërem, & ſuper terræ ſuperficiem.

Finalis ventorum cauſa eſt utilitas quam afferunt: quæ multiplex eſt. Nam aërem ventilant & purgant, nubes huc atque illuc pellunt ad pluviam procreandam, navibus Oceanum permeabilem reddunt, & humanum commercium promovent, molendina circumagunt &c. Sed hæc levia ſunt, nec digna quibus immoremur.

Alia multa, quæ de ventis tractari ſolent, omitto, nempe de ventorum numero ac diviſione; de Eteſiis ſeu ventis anniverſariis, eorumque cauſis; de ventis Provincialibus, Apogæis, & Auris; de ventorum proprietatibus; de ſeptentrionalium, meridionalium, orientalium, occidentalium qualitatibus; ex qua parte Mundi venti ſint vehementiores; ex quo horizonte prodeant exhalationes quæ ventum creant; aliaque his ſimilia, de quibus alii.

CAPUT XXV.

De Procellis.

Procellæ, earumque tres ſpecies.

PRocellas vocant Philoſophi repentinos quoſdam flatus deorſum rectà inſtar fulminum è nubibus excuſſos, qui & ſubitò oriantur, & ſubitò deſinant. Itaque de genere ventorum ſunt quidem procellæ, earum tamen generatio & natura à communium ventorum generatione ac natura recedit, & ferè ad fulminum ſpeciem accedit: cauſas quippe eaſdem ferè habent, quas fulmina. Materia eſt exhalatio, ſed paulò crudior, quàm fulminum: Forma eſt exploſio illa è nubibus, & motus deorſum: efficiens eſt eadem quæ fulminum, idemque finis, nempe metus & reverentia Creatoris &c.

Tres procellarum ſpecies enumerat Ariſtoteles, Ecnephiam, Typhonem, & Præſtera. Singulas breviſſimè perſtringemus.

§. I. De Ecnephia.

Ecnephias.

ECnephias ſic oritur. Cùm multæ exhalationes crudiores, & ad concipiendum ignem ineptiores, aſcendunt, & in cavam nubem recipiuntur;

tur; antiperiſtaſi, aut motu atque attritione mutuâ calefactæ rareſcunt, ac libertatem majorem quærunt; tandemque per diſruptam nubem more fulminis magno impetu, ſed ſine flamma, & ſine gyro, rectà deorſum ruunt. Unde ſic definiri poteſt. *Ecnephias eſt exhalatio copioſa & cruda, tota ſimul ex nubibus excuſſa magnâ vi deorſum, ſine gyro, & ſine inflammatione.* Dicitur à Græcis Ecnephias, eò quòd ἐκ τῶν νεφῶν, id eſt, è nubibus erumpat.

§. II. De Typhone.

Typhon, qui Latinè Turbo dicitur, ſic fit. Exhalationes prædictæ aliquando è diverſis nubibus vicinis, vel ex diverſis ejuſdem nubis partibus excuſſæ, inter ſe conglobantur, & dum in diverſa nituntur, durante pugnâ in ſe retorquentur, ac retortæ in gyrum faciunt verticem; ac ſimul conglobatæ, ac in gyrum actæ, magno impetu deſcendunt, & obvia quæque, navigia præſertim in mari, disjiciunt, aut abſorbent, & ſecum rapiunt. Sic autem definiri poteſt. *Typhon eſt exhalatio copioſa & cruda, exploſa è nubibus ſine flamma, ſed cum gyro deorſum vibrata.* Typhon ergo ſeu Turbo eſt Ecnephias vertiginoſus & gyrans. Poteſt etiam oriri inde, ſi in ecnephiam excuſſam è nubibus, ac deſcendentem, incurrat validus ventus, eamque circumagat, ac ad terram usque comitetur. Typho.

§. III. De Præſtere.

Quòd ſi contingat, ut exhalationes prædictæ inter ſe aut cum vento implexæ, ex rixa & attritione in via, vel ex antiperiſtaſi intra ipſas nubes, inflammentur, & accenſæ deorſum devolvantur; fit Præſter. Itaque *Præſter eſt Typhon inflammatus.* Hic proxima quæque non ſolùm proſternit, ſed etiam incendit, & ejus incendio nonnunquam mare efferveſcit. Differt tamen à fulmine, quòd hoc plùs flammæ, & minùs flatuum habet; illud è contrario plùs flatuum, minùs flammæ: deinde quia materia fulminis ſubtilior eſt; & quia non gignitur niſi præeunte tonitruo. Præſter.

§. IV. Effectus Procellarum, & remedia.

Frangunt, turbant, disjiciunt obvia, non autem ita penetrant ut fulmina. Navigia, animalia, aliaque ſecum in excelſum rapiunt. Ædificia, arbores ingentes eradicant. Procellarum effectus.

Plinius ait, compeſci procellam infuſo in adventantem aceto, cui eſt frigidiſſima natura. *Fromondus* ſcribit, nautas noſtrates in Oceano explodere tormenta in adventantem, ut globo & aëris impulſu exhalationem diſſipent: torquere autem ſe hanc, & circinare longiſſimè per ſuperficiem maris, ſpecie aliquot modiorum calcis diſſolutæ in fumos: ſimplicio-

Digitized by Google

res nautas exiſtimare fumum illum à dæmone intus animari, & rotari. *Conimbricenſes* ajunt, Luſitanos ſub Æquinoctiali navigantes ſubinde experiri procellas, iisque viſis confeſtim demittere vela, perituros ni faciant.

In Japoniam è Sinarum regione navigantibus tantæ cientur procellæ, ut non niſi miraculo effugiatur naufragium: in regione S. Vincentii ſilvas extirpant: in Hiſpaniola ad ſtadii ſpatium ſublatos transferunt homines: in Inſula Ormutio fervore interimunt obvios, & occiſorum carnes ab oſſibus disjungunt. Hæc ſufficiant de Aëris Meteoris: transeo ad Aquea.

PARS IV.

METEORA AQUEA.

Meteora aquea.

AQuea Meteora ſunt, quæ ex aqua generantur, ex aqua conſtant, & in aquam reſolvuntur, nec formam ſubſtantialem habent ab aqua differentem. Hujusmodi ſunt Nubes, Pluvia, Ros, Pruina, Nix, Grando, Nebula, Mel quoque & Manna, & ſi quæ ſunt alia. Accenſent aliqui Maria, Flumina & Fontes. Nos hæc excludimus, quoniam in ſublimi non fiunt, & alibi à nobis in conſiderationem venient. De Prioribus igitur ſolis agimus, & à Nubibus incipimus.

CAPUT XXVI.

De Nube, ejusq; adjunctis.

NUbis adjuncta ſunt locus, figura, vis ſuſpenſiva in aëre, altitudo à terra, & alia his ſimilia. Naturæ ejus cognitio à cauſarum cognitione pendet.

§. I. Nubis generatio, & natura.

Nubis natura & generatio.

N*Ubium materia* eſt vapor, multâ exhalatione contaminatus, & in ſublimi concretus, non tamen planè conſtrictus atque denſatus, ut in aqua & glacie, ſed adhuc rarus ac ſpongioſus. Quòd autem multâ exhalatione ſit vapor ille permiſtus, patet ex aquæ pluviæ & nivalis impuritatibus, in quas nubes reſolvuntur.

Gene-

Generantur in hunc modum. Calor Solis, aliorumque aſtrorum, ac ignium etiam ſubterraneorum, ex aquis & terris humentibus evocant vapores exhalationibus permiſtos: hi calore attenuati ad mediam usque aëris regionem elevantur, ibique adventitium calorem, partim quia ex infima & calida aëris regione emerſerunt, partim quia mediam frigidam ſubierunt, deponunt, & ad nativum frigus ſe reducunt: premente frigore concreſcit paulatim vapor in corpus rarum ac ſpongioſum, ac tandem in nubem addenſatur. Itaque *efficiens nubium* cauſa eſt illa, quæ vapores evocat, elevat, atque addenſat. *Locus nubium* eſt media aëris regio, illa nimirum, ad quam radii reflexi Solis non pertingunt, quibus incaleſcant. Sic ergo definiri poteſt *Nubes, eſt vapor exhalationi miſtus, & in mediam aëris regionem elevatus, ibique frigore citra congelationem addenſatus, & hærens.*

§. II. Vis ſuſpendens nubes in aëre.

Nubes qua virtute ſuſpendantur in aëre.

EST earum levitas major quàm aëris mediæ regionis. Ratio enim propria & unica, quare unum corpus ſtet naturaliter, hoc eſt, nullâ vi externâ detentum, ſupra aut infra aliud corpus, eſt gravitas & levitas, non præciſè ſpectata, ſed comparata ad gravitatem & levitatem alterius, datâ paritate molis, ut fusè probavimus in Hydroſtatica noſtra, quæ eſt liber 5. partis 3. Magiæ noſtræ. Hac enim de cauſa lignum ſupernatat aquæ, ſaxum verò demergitur, quia lignum levius eſt, ſaxum gravius, quàm aqua æqualis molis cum ligno & ſaxo. Eo ipſo autem quòd lignum aliquod gravius eſt, aut ſaxum levius, quàm tantundem aquæ in mole; illud deprimitur, hoc ſupernatat.

Quia igitur nubes, quantævis ſit molis aut magnitudinis, levior eſt quàm æqualis moles aut magnitudo aëris ſecundæ regionis; ideo ibi hæret, & liberè ſuſtentatur: & quantò ſit levior iſta nubes, eò altiùs aſcendit, ut ſit ſupra corpus gravius ſe; quantò autem ſit gravior, eò magis deſcendit, ut ſit infra corpus ſe levius. Et ſi repentè tota nubes adeo concreſceret & condenſaretur, ut fieret gravior, quàm tantundem aëris infimæ regionis, cui ſupernatat; confeſtim tota ſimul ſubſideret in terram.

Fabuloſum ergo eſt quod dicit *Antonius Berga*, & *Scaliger* Exercit. 79. nubes ſuſpendi à Sole vi quadam magneticâ: quia ſic nocte, quando nubes ſunt ſupra, Sol infra horizontem, nec ampliùs illuminantur à Sole, univerſæ ruerent in terram. Falſum quoque quod *Meurerus* ait apud *Fromondum* lib. 5. de Meteor. cap. 5. art. 1. ſuſpendi nimirum nubes à DEO; quoniam DEUS naturales effectus non præſtat ſine cauſis ſecundis.

Digitized by Google

Sed nunquid nubes ſunt eſſentialiter aqua? & hæc nunquid eſt in tota ſpecie ſua gravior aëre? quomodo ergo poteſt nubes fieri levior quàm aër, & intra illum ſuſpendi propter levitatem? Reſpondeo, eſſe quidem nubem eſſentialiter aquam, ſed conſtare ſolùm partibus tenuibus ac levibus, non partibus fixis ac gravibus aquæ: tenues autem partes aquæ ſunt leviores aëre, uti experientiâ ab ipſâ nube deſumpta conſtat.

Nunquid præterea denſiores ſunt nubes quàm aër? Solem enim per aërem videmus, per nubem non videmus: ſi denſiores ſunt nubes quàm aër, ergo & graviores, quoniam quò denſius eſt corpus, id eſt, quò magis compactas habet partes, quibus conſtat, eò gravius eſt. Reſpondeo, nubes eſſe quidem opaciores aëre, propter rationem adſignatam; non tamen denſiores: non enim quod opacius eſt altero, eſt eodem denſius, alioquin ligna & pumices eſſent denſiora quàm aqua, quia ſunt opaciora. Gravitas autem ſequitur denſitatem, non opacitatem; & ubi major eſt denſitas, major eſt gravitas, cæteris paribus. Vide quæ diximus in Hydroſtatica Erotemate 2.

§. III. Figura nubium.

Nubium figura.

De nubium figura ita ſcribit *Cardanus* lib. 17. Subtilit. *Nubes omnes planas eſſe, haud dubium eſt; tum quia tales ſunt videnturque in montibus; tum quia ventis rectà feruntur, quod verò orbiculatum eſt, ſi rectà feratur, intus inflectitur ac diſrumpitur; tum etiam quia nulla eſt cauſa quæ hanc rotunditatem efficere poſſit.* Hæc aliaque multa Cardanus. Vult igitur, nubes in utraque ſuperficie, ſuperiore cœlum ſpectante, & inferiore ſpectante terram, eſſe planas, & plano horizontali parallelas.

Contrà tamen *Fromondo* lib. 5. Meteor. cap. 5. art. 2. certum videtur, *nubes æqualis ponderis in eodem circulo componi circa terram, ſi tamen aër, in quo una & altera pendet, ſit uniformis denſitatis.* Ratio ipſius eſt, *quia niſi denſitate diſpares ſunt, per medium uniforme æquè altè ſcandunt à terra ſuperficie: hæc autem circularis & rotunda eſt; igitur & nubium circa eam catena debet eſſe talis.* Putat ergo Fromondus, nubium ſuperficiem ſuperiorem eſſe convexam, inferiorem verò concavam, utramque Terraqueo globo concentricam.

Ego exiſtimo cum *Cabeo* lib. 2. Meteor. tex. 44. quæſt. 12. nubium figuram eſſe omnino irregularem, & inconſtantem, eò quòd materia earum non ſit homogenea, & ejusdem prorſus ſecundùm omnes partes levitatis & gravitatis, ut propterea omnes debeant æqualiter à terræ ſuperficie diſtare. Patet ex eo, quòd nubes aliquando ſunt remotiores, aliquando viciniores terræ. Item quòd ſæpe videmus in cœlo quaſi geminas nubium acies, quarum una infra alteram transcurrat. Demum ipſis oculis manifeſtè

Digitized by Google

niſeſtè cernimus, ſuperficies inferiores ſæpiſſimè exhibere ingentes hiatus ex una, & maximas inſtar montium extantias ex altera parte.

§. IV. De Altitudine nubium.

Quid de nubium altitudine ſentiat Cardanus, & Fromondus, vidimus ſuprà cap. 5. ubi & noſtram ſententiam inſinuavimus, meliùs tamen hîc explicandam. Nubium altitudo.

Dico I. Altitudinem nubium eſſe inſtabilem, ideoque incertam. Inſtabilis eſt, quia neque omnes nubes ſunt ejuſdem raritatis aut denſitatis; nec aër in quo ſuſpenduntur, omni loco ac tempore æquè rarus ac denſus eſt, ut per ſe patet: eò autem ſunt altiores nubes, quò ipſæ ſunt rariores, & aër denſior, eò humiliores, quo ipſæ denſiores, & aër rarior; ergo &c.

Dico II. Certum videri, infimam altitudinem multarum nubium eſſe minorem quàm quingentorum paſſuum. Nam experientiâ conſtat (quod & quilibet deprehendere poteſt) ſæpe ex montibus aut collibus, quorum altitudo perpendicularis eſt certiſſimè minor quàm quingentorum paſſuum, apparere nubes infra verticem illorum. Nec dicas, illas non eſſe nubes, ſed nebulas. Nam vapores concreti qui reſolvuntur in pluvias, nubes ſunt: iſti autem vapores, de quibus loquor, ſæpe in pluvias reſolvuntur: nam ſæpe contingit, ut in montium iſtorum vertice ſit ſerenum cœlum, in planitie verò, & ad radices ſit pluvia, decidens ex illis vaporibus concretis; ergo &c. Alia argumenta, & demonſtrationem geometricam hujus rei, vide apud *Cabeum* lib. 1. tex. 46. q. 11.

CAPUT XXVII.

De Pluvia, ejusque accidentibus.

Nubium aliquæ ſunt ſteriles, & à ventis agitatæ diſſipantur in vapores ex quibus concreverunt, & quaſi in aërem abeunt: aliæ verò ſunt fœcundæ, & in pluviam reſolvuntur. Fit hoc, quando nubes magis denſatur quàm antea erat, ideoque majorem acquirit gravitatem, quàm ut ab aëre ſuſtentari queat, ac proinde in aquam converſa guttatim decidit.

§. I. Pluvia quid ſit, & quomodo fiat.

Itaque *Pluvia eſt nubes paulatim in aquam converſa, & guttatim decidens.* Pluvia quomodo fiat.

Addenſantur autem magis nubes, quando magis calor ab iis recedit, & majus frigus iiſdem advenit. Hoc fit, dum in ſecunda aëris regione hærent: deficit enim calor extrinſecus radiorum reflexorum Solis, &

 acce-

Digitized by Google

accedit frigus aëris ambientis. Hinc eſt quòd in aquam reſolvitur nubes, non tota ſimul, ſed per partes; & gravior fit, quàm ut in aëre ſuſpendi queat. Non deſcendit autem tota nubes ſimul (niſi rariſſimè) ſed per partes, quia non tota ſimul addenſatur, & in aquam reſolvitur. Hujus autem cauſa eſt, quòd nubes non eſt corpus homogeneum, neque æqualem habet calorem. Cùm enim vapores nubium ex diverſis rebus ſint educti, diverſo etiam calore attenuantur: diverſus autem iſte calor ibi faciliùs & citiùs expellitur, ubi minor eſt. Hinc oritur, ut paulatim reſolvatur nubes in pluviam, & guttatim decidat. Adde quòd inferiores nubis partes ſint denſiores, quàm ſuperiores (alioquin non manerent infrà) ideoque illæ primò, deinde ſubſequentes aliæ atque aliæ reſolvuntur, ac decidunt. Inde fit ut diu duret aliquando pluvia.

§. II. Pluviarum differentia.

Pluviarum differentia.

PLuviarum tres ſunt differentiæ, ſeu ſpecies; Stillicidium, Imber, & Nimbus. *Stillicidium* eſt pluvia illa minutiſſima, quæ vix guttas diſtinguit, & inſtar pulveris decidit; unde & pluvia pulverulenta dicitur, quia potiùs pulveris quàm guttarum ſpeciem refert. Hæc cadit ex nube viciniſſima, prope terram ferè exiſtente, & ſæpe montem aſcendentes perpluit. *Imber* eſt pluvia, quæ grandioribus guttis, & ſenſibiliter apparentibus decidit, & dicitur propriè pluvia. *Nimbus* eſt pluvia, quæ maximis guttis ruit è cœlo.

§. III. Pluviæ ſanguineæ, lacteæ, laneæ.

Pluviæ ſanguineæ.

EXtraordinariæ pluviæ ſunt ſanguineæ, lacteæ, carneæ, laneæ, aliæque, quæ non aquâ, ſed materiâ ab aqua diverſâ conſtant. Quæ tamen non omnes propriè dici poſſunt pluviæ, quia non omnium materia in nubibus generatur. Nonnullas indicabo.

Sanguineas pluvias vocant & vulgus, & Philoſophi, ſi aqua rubricata decidat. Quod ſæpe contigiſſe ſcribitur, & naturaliter fit, dum vapores minio, aut rubricâ, aut etiam ſanguine tincti elevantur, & in nubes concreſcunt. Quòd ſi verus aliquando ſanguis decidit (quod non facilè negaverim) prodigium fuit, nec naturaliter, ſed miraculo contigit, ob fines DEO notos. Sanguinei imbres frequentiſſimi recenſentur à Lycoſthene ex Livio, Obſequente, Dione, & aliis. Teſte quoque *Gemma Friſio* lib. 2. Coſmocrit. cap. 2. ſanguine pluit in Weſtphalia anno 1543. & Lovanii anno 1568. ipſo die Pentecoſtes; & in Emdenſi ditione apud Friſios Orientales anno 1571. quadam *nocte ſanguinem pluit copiâ tantâ, ut ad quinque vel ſex milliarium ſpatium herba & veſtes expoſita in apricum, ex albo colore penitus in purpureum ſint mutata. Multi ad rei memoriam plenos*

Digitized by Google

plenos cyathos aſſervârunt: fruſtra quibuſdam ad cædem boum, aliaſq; cauſas phyſicas referre volentibus. Sanguinem aliquando pluiſſe in Boruſſia, ſcribit *Thuanus* lib. 27. *In Suevia anno 1534. aër inficiebat veſtes cruce rubrâ: id contigit pulvere cum imbribus delato; forma crucis verò ob fila, quæ crucis formam, dum texuntur, referunt, apparuit,* inquit *Cardanus* lib. 16. Subtilit. Quæ tamen Cardani ratio nimis frigida videtur *Fromondo* lib. 5. Meteor. cap. 6. art. 3. & meritò: non enim ſola aliqua particula veſtis, ſed tota eſt filis in modum crucis cancellatis contexta: nec evenire unquam videmus, ut ſi ſanguis in veſtimentum effundatur, in crucis figuram diffundatur. An tamen aliquid divinius & majoris monſtri fuerit, ut Fromondus exiſtimat, non auſim affirmare.

Sanguineæ cruces in veſtibus apparentes.

Sine dubio tamen prodigioſum fuit, quod ibidem refert de *crucibus Germanicis & Belgicis, quæ anno 1501. paſſim depluerunt in veſtes, etiam ciſtis incluſas; imò corpora etiam ipſa, & cutem hominum ſignabant: duravitq; toto triennio hoc prodigium; ſecuta verè anno ſtatim 1502. diriſſima lues. Pepla verò fœminarum maximè obnoxia erant huic ſanguineæ picturæ.* Exemplum memorabile addit ibidem Fromondus, diligenter & cum cura examinatum à Sereniſſimo Leodienſium tunc Principe Joanne Horneo, de quadam Leodienſi puella annorum viginti duorum, cujus pepla perpetuò mutata, ſtatim tamen iterum ſanguinabant, ut dictus Horneus ſcribit ad Maximilianum I. Cæſarem.

Plura ſanguinearum pluviarum exempla refert *Majolus* Colloquio 1. ex variis Auctoribus, quos ut inſpiciam, tempus nunc non ſuppetit. Nam *ſanguine pluiſſe,* inquit, *biduo in area Concordiæ Romæ, habet Livius Decade 4. lib. 9. in fine. Et in Tatii cæde pluiſſe ſanguinem, teſtatur Zonaras tom. 2. Quibus fides adhiberi poteſt, quandoquidem etiam hoc noſtro ſæculo teſtatur Surius in ſuo Comment. anno Domini 1543. circa finem, in Diœceſi Monaſterienſi ad caſtrum Saſſemburg, haud procul à Barendorp, ſanguine pluiſſe. Platina in Adriano II. Pontifice tradit, apud Brixiam ante ejus Pontificis mortem tribus diebus ſanguine pluiſſe. Sed & apud Britones in Gallia in oppido Rocello pluiſſe ſanguinem anno Domini 1163. memorat Robertus de monte, ejus temporis Auctor.*

§. IV. Pluviæ animalium.

Pluviæ ranarum.

De ranarum pluvia ſermonem habuimus ſuprà lib. 7. cap. 18. §. 1. ex Æliano, Athenæo, & aliis. In Amelandia, quæ ranam nullam patitur, ranis pluiſſe, refert ex Præceptore ſuo *Jonſtonus* in Thaumatogr. Claſ. 3. cap. 8. De Animalculis Lemmer dictis, è nubibus decidentibus, vide quæ diximus lib. cit. cap. 7. §. 2. In Velanniis tantum erucarum unâ nocte decidit de cœlo, ut *Dalecamp.* ad lib. 2. Plin. cap. 56. meminit, ut eas in domos reptantes, biduo toto accensâ paleâ urere neceſſum fuerit, vix ad id ſufficiente hominum mulierumque turbâ. De ranarum pluvia *Scaliger*

Digitized by Google

Exercit. 191. ita ſcribit: *Nonnè ranis pluere vidimus nos? Quas qui è lacunis à nubibus hauſtas arbitrantur, non vidère quod vidimus nos, complutam terram ſolâ aquâ ſine ranis, gyrinulis tamen poſt ſemihoram ſcatere totam. Eſt in Santonibus oppidum Mirambellum, cujus via & angiportus ranarum (alii bufones fuiſſe dicunt) pluviâ tam referti fuère, ut primùm horror perculſerit oppidanos: deinde ſtupor ceperit: tum faſtidium ex illuvie: poſtremò lues ex odore malo putrefactorum.* Joannes Maria Gignochius, Doctor Patavinus, apud *Fromondum* lib. 5. Meteor. cap. 6. art. 4. teſtatur, ſe menſe Julio aquæ cœleſtis guttam pulveri illapſam vidiſſe, quæ illicò in ranæ formam ſe induerit. *Fallopius* quoque lib. de Foſſilib. cap. 9. vidiſſe ſe aſſerit, recidiſſe guttas aquæ magnas in pulverem, & ſtatim obortas eſſe ranulas. *Fromondus* loc. cit. teſtatur, anno 1625. ad portas Tornacenſes deciduo in aridiſſimum pulverem repentino imbre, tantum ſubitò ranunculorum per ſiccum ſaltantium exercitum extitiſſe, ut undique nihil penè aliud cerneretur: omnes uniusmodi magnitudinis & coloris fuiſſe.

De pluviis piſcium legi poteſt Athenæus lib. 8. cap. 2. vitulum aliquando pluvialem decidiſſe, multi ex Avicenna referuntur.

§. V. Pluviæ variarum rerum.

Pluvia variarum rerum.

Ferrum in Perſide cecidiſſe, & prope Lurgeam maſſam quinquaginta librarum, vidimus ſuprà cap. 19. ex Avicenna. Argenteam pluviam ſub Imperatore Severo Romæ in forum Auguſti defluxiſſe, ſcribit *Dion*: qui tamen addit, ſe rore illo argenteo nummos aliquot æreos oblíviſſe, colorem ſolùm tres dies manſiſſe, quarto evanuiſſe quidquid oblitum fuerat. In inſula Pelagia aurum, in Lucania ferrum pluiſſe, ante bellum Parthicum, refert ex *Ammiano* lib. 17. Jonſtonus in Thaumatogr. Annonam in Carinthia horarum duarum ſpatio, ad duo ampliùs milliaria, ex qua panis pinſebatur, idem recitat ex *Thuano* lib. 5. de anno 1548. Cinerem tempore Leonis, qui palmæ minoris altitudine in tegulis jacuit, narrat *Nicephorus* lib. 15. c. 20.

Lacte, ſanguine, carne, ferro, lanâ, lateribus coctis, lapidibus pluiſſe, memorat *Plinius* lib. 2. Hiſt. Natur. cap. 56. & 57. his verbis. *Præter hæc inferiore cœlo relatum in monumenta eſt, lacte & ſanguine pluiſſe M. Acilio, C. Porcio Conſulibus, & ſæpe aliàs carne, ſicut L. Volumnio, Servio Sulpitio Conſulibus, exque ea non putruiſſe quod non diripuiſſent aves. Item ferro in Lucanis, anno antequam M. Craſſus à Parthis interemptus eſt, omneſq; cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies quæ pluerat, ſpongiarum ferè ſimilis fuit: Aruſpices cavenda præmonuerunt ſuperna vulnera. L. autem Paulo, C. Marcello Conſulibus, lanâ pluit circa caſtellum Cariſſanum, juxta quod poſt annum T. Annius Milo occiſus eſt. Eodem cauſam dicente lateribus*

Digitized by Google

bus coctis pluiſſe, in ejus anni acta relatum eſt. Hæc capite 56. ſequenti deinde capite 57. ait: *Celebrant Græci, Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ ſecundo anno, prædixiſſe cœleſtium literarum ſcientia, quibus diebus ſaxum caſurum eſſet à Sole. Idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Aegos flumen. Qui lapis etiam nunc oſtenditur, magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. Quid ſi quis prædictum credat, ſimul fateatur neceſſe eſt, majoris miraculi divinitatem Anaxagoræ fuiſſe, ſolviq; rerum naturæ intellectum, & confundi omnia, ſi aut ipſe Sol lapis eſſet, aut unquam lapidem in eo fuiſſe credatur. Decidere tamen crebrò, non erit dubium. In Abydi gymnaſio ex ea cauſa colitur hodieque, modicus quidem, ſed quem in medio terrarum caſurum idem Anaxagoras prædixiſſe narratur. Colitur & Caſſandriæ, quæ Potidæa vocitata eſt, ob id deducta. Ego ipſe vidi in Vocantiorum agro paulò antè delatum.* Hæc Plinius.

§. VI. Pluviæ Lapidum.

PRæter memoratas jam lapidum pluvias à Plinio, aliàs quoque Lapides de cœlo cecidiſſe Romæ, aut in Italia, frequentiſſimè *Livius* memorat. Nam in Picœno id accidiſſe, teſtatur Dec. 3. lib. 1. ad finem (ſi fideliter citat Majolus) & ad Sinueſſam Dec. eâdem lib. 3. & Ereti eâdem Dec. lib. 6. & 9. Idem *Livius* Dec. 1. lib. 1. ait, in Albano eodem impetu pluiſſe lapides, quo cum grandinem glomeratam in terras agunt venti. Et Dec. 3. lib. 5. ſcribit, biduum continenter pluiſſe ibidem lapidibus. *Platina* in Joanne XIII. ſcribit, ſæviente ventorum & imbrium procellâ, lapidem miræ magnitudinis è cœlo cecidiſſe in Italia. *Modognotus* in vita M. Aurelii Imperatoris lib. 1. cap. 25. teſtatur, Conſtantinopoli ſub Valentiniano Imperatore adeo lapidibus pluiſſe, ut jumenta campeſtria ferè omnia fuerint extincta, atque civium non pauci interierint. Anno 1509. *Surio* teſte, ceciderunt è cœlo lapides ovi gallinacei magnitudine. Hæc omnia Majolus Colloquio 1. An ex fide, jam non licet inquirere. *Vidimus anno 1510.* (inquit Cardanus lib. 14. Variet. cap. 7.) *cùm cecidiſſent è cœlo lapides circiter 1200. in agrum fluvio Abduæ conterminum, ex his unum 120. pondo, alium 60. Delati fuerunt ad Regis Gallorum Satrapas pro miraculo plurimi. Color ferrugineus, durities eximia, odor ſulphureus. Præceſſerat in cœlo ignis ingens horâ tertiâ. Decidentium lapidum ſtrepitus horâ quintâ exauditus. Ut mirum ſit, horis duabus tantam molem in aëre ſuſtineri potuiſſe.* Pluviæ lapidum.

Alia adhuc exempla lapideæ pluviæ congerit *Majolus* loc. cit. Refert enim ex *Oroſio* lib. 5. c. 18. ſeptem diebus aliquando pluiſſe lapidibus: & ex *Vincentio Belluac.* lib. 29. cap. 56. anno Domini 1190. in pago Belluacenſi

lapides

Digitized by Google

lapides ovorum gallinaceorum magnitudine pluiſſe quadrangulari formâ, arbores villasque obruiſſe, & abſumpſiſſe. Item ex *Linturio* ad Faſcicul. an. 1496. lapides eâdem magnitudine, exactâ Divæ Margaretæ ſolemnitate, juxta oppidum Munckperge decidiſſe, & viſos in eis hominum vultus, & diademata. Omitto plurima alia exempla, quæ ibidem congerit Majolus.

§. VII. Cauſæ prædictarum pluviarum.

Pluviæ lapidum cauſa.

PAracelſus mira ſomniat de pluviarum tam ordinariarum, quàm extraordinariarum origine & cauſa, in libello de Meteor. cap. 6. quæ piget referre. *Daniel Sennertus* lib. 4. Epitom. cap. 6. pleraſque prodigioſas pluvias *cauſis ſuperioribus, DEO ſcilicet de futuris malis homines commonefacienti, & Diabolo ejusmodi prodigiis homines in errores & ſuperſtitiones inducere conanti* adſcribit. Nonnullas tamen etiam ad naturales cauſas referri poſſe ait. Omitto aliorum opiniones.

Ego cum *P. Nicolao Cabeo* lib. 5. Meteor. tex. 47. quæſt. unicâ exiſtimo, non omnia, quæ recenſuimus ex alto decidiſſe in terram, verè & propriè depluiſſe. Sicut enim pluvia propriè eſt aqua illa, quæ ex nubibus generatur, & cadit; ita pluere propriè ſolùm dicuntur ea, quæ in nubibus genita ſunt. Ejusmodi autem non eſſe omnia quæ ex alto de cœlo cadunt, certum mihi eſt; confirmatque exemplum ridiculum, quod *Cardanus* refert lib. 16. Subtil. ſibi contigiſſe. Dum enim Apenninum eques tranſiret, ſubitus ventorum turbo pileum illi abripuit, ac velut ſagittam è ſcorpione emiſſam detulit cum impetu, *parumq; abfuit nè portenti vice decideret cum pluvia in proximas villas. Tranſtulit & equum, cui inſidebat, ad duos paſſus, ut fermè præcipitaretur.* Si fuiſſet ibi exercitus hominum, & omnibus vel multis eodem impetu turbo pileum abripuiſſet, & aſportaſſet in villas ad montis radices poſitas; juraſſent ruſtici pileis pluiſſe, nec defuiſſent Hiſtorici qui id libris ſuis conſignaſſent. Æquè ridiculum eſt, quod *Cabeus* loc. cit. narrat contigiſſe Mantuæ circa annum 1618. ventum nimirum vehementiſſimum inter alia abripuiſſe mulierem lavantem pannos ad lacum, & per aëra longiſſimè aſportaſſe.

Ajo itaque, *Vitulum* Avicennæ non fuiſſe in nubibus generatum, ſed à vento aliunde abreptum decidiſſe cum pluviâ alicubi, indeque natam fabulam pluiſſe vitulo. *Lana* quoque non fuit in nubibus genita, ſed aliunde abrepta, & eò tranſlata, atque in terram cum pluviis delata. *Lapides* quod attinet, non abnuo cum Cabeo, in nubibus ſæpe materiam eſſe ſufficientem, ex qua poſſint mixta conſurgere: nec enim ibi ſolùm ſunt partes volatiles, ſed ſæpe etiam craſſiores & fixæ. Poſſunt ergo in lapides concreſcere. Poſſunt fortaſſis & in argentum, & aurum, & ferrum. At ut cre-

Digitized by Google

ut credam, genitum ibi lapidem librarum 120. & hæſiſſe per duas horas, ut Cardanus volebat, adduci non poſſum. Idem dico de ferro tanti ponderis. Ratio eſt, quia mixta illa generantur actione phyſicâ, quæ non fit in inſtanti, ſed in tempore, nec tanto temporis ſpatio in aëre ſuſpenſa manere poſſunt, propter inſitam gravitatem.

Sanguis verus ſi aliquando decidit, non naturaliter, ſed miraculosè fuit in nubibus generatus; nec enim naturaliter generari poteſt niſi in animali. Idem ſentio de lacte. Puto plerùmque fuiſſe humorem aliquem rubeum, ex vaporibus è terra rubea elevatis concretum, & in aquas reſolutum, ut ſuprà etiam dixi: vulgi autem opinione fuiſſe dictum ſanguinem.

Sed quid dicendum de ranis, & ſimilibus animalculis? Suprà cap. 18. §. 1. inſinuavi, non ſolùm ex aqua pluvia & pulvere in terra naſci ranas, ſed etiam in ipſis nubibus. Reclamat tamen *Cabeus* loc. cit. cum *Scaligero*, *Falopio*, & *Fromondo* locis citatis §. 4. Ratio Fromondi & Cabei eſt, tum quia nunquam aut in tectis, aut in tabulatis, aut in aquis depluentes ranæ apparent, ſed tantùm in pulveribus inſperſis aquâ pluviâ in æſtate & ſummis caloribus: tum quia in aëre & nubibus non apparent partes materiæ fixæ, quæ requiruntur ad tantam ranarum multitudinem, nec quomodo potuerint in aëre coaleſcere partes, & ibi ſuſpendi, dum diſponuntur aliquanto temporis tractu ad ſubitam animationem. Vidit etiam Cabeus adhuc juvenis anno 1600. in agro Ferrarienſi, cadentibus è cœlo maximis guttis in arentem pulverem, ſubitò extitiſſe turbam ranarum, quæ omnes erant ejuſdem magnitudinis, exiguæ valde, colore ad nigrum vergente; nec tamen cùm ipſe eſſet in agro, ſupra verticem aut indumentum cadebant ranæ, ſed ſolùm aquæ guttæ. Ego quoque cùm anno 1634. Calataierone in Sicilia, ſummâ æſtate, & maximo calore, è campis domum per viam pulverulentam redirem, vidi nubem ſupra caput prætervolantem maximas aquæ guttas ſupra veſtes, & circumjacentem ad aliquot paſſus campum effundere, & ſubitò in pulvere, non verò in veſtibus, nec in aliis campi locis, ranas virides, magnitudine nucis avellanæ, magnâ copiâ apparuiſſe, ac per pulveres illos ſaltitaſſe.

Pluvia ranarum quomodo fiat.

Ex his veriſimilius apparet, non in nubibus generari ranas, aut alia animalcula ſimilia imperfecta, nec cum aqua pluvia decidere, ſed naſci in terra aquis pluvialibus fœcundis ac ſpiritoſis fœcundata. Si nihilominùs tueri lubeat (quod graves Auctores faciunt, ut ſuprà citato loco vidimus) etiam in nubibus ranas, aliaque animalcula imperfecta generari; dicendum erit, in aëre & nubibus eſſe halitus omnium rerum, ut ſæpe jam diximus, & ſemina omnium mixtorum; & conſequenter

Digitized by Google

poſſe ex illis halitibus & ſeminibus, ſi conjungantur cum convenienti materia, animalia conſtitui, cùm habeant in ſe virtutem formatricem animalium. Hinc eſt quòd aquæ pluviales faciliùs vermes generent, quàm fontanæ, ac fluviales, quia hæ non habent illos ſpiritus ſeminales admixtos, ut illæ.

Monitio ad Lectorem.

Humaniſſime Lector, dum hæc meditor, ac ſcribo, ingens ſtudiis meis impedimentum impendere video, ob iter longum ac moleſtum in Italiam ſuſcipiendum. Calamum ergo cohibeo, & quæcunque de Rore, Pruina, Nive, Grandine, Nebula, Melle, Saccharo, aliiſque Impreſſionibus Aqueis adhuc ſuperſunt; quæq; de Apparentibus Meteoris, Iride dico, Halone, Corona, Pareliis, Paraſelinis, Virgis, Spectriſque cæleſtibus ſuprà libro ſexto huc remiſſis, ſcribere decreveram, omitto. Ex his tamen nonnulla aliis Opuſculis, ſi vita & otium ſuperfuerit, DEO volente propalabo. Interim ſequentem librum, quem confectum jam habebam, hiſce ut adnectam, æqui bonique conſule, Lector, & vale.

LIBER

Digitized by Google

LIBER DUODECIMUS

De

MIRABILIBUS MISCELLANEIS.

PROOEMIUM.

FErcula hactenus poſuimus, nunc damus bellaria. At quænam illa? Labores juventutis noſtræ, & primos Philoſophiæ noſtræ fructus; præcoces illos quidem, ac fortaſſis etiam immaturos, ſed, uti ſperamus, non omnino ingratos, quoniam nobis charisſimos. Sunt hi varia Theoremata, ac Problemata, ſeu Practica Corollaria, decerpta ex Naturali Philoſophia univerſa, tradita nobis Juvenibus olim in hac Alma Herbipolenſi Univerſitate à R. P. Engelberto Ewick SOC. JESU, Viro Religioſiſſimo, ac Profeſſore meritiſſimo, publicæque Diſputationi expoſita, hoc Titulo:

OCULUS NATURÆ

PRO

DISCERNENDIS ERRORIBUS,
DETEGENDIS IMPOSTORIBUS,
DECLINANDIS TERRORIBUS,

Naturalibus rerum principiis adverſantibus; Omnibus Chriſtiani populi Curionibus utilis, ac neceſſarius; propugnatus

Digitized by Google

AB INGENUIS ET ERUDITIS ADOLESCENTIBUS PHYSICÆ STUDIOSIS, AA. LL. AC PHILOSOPHIÆ BACCALAUREIS IN CELEBRI APUD HERBIPOLENSES ACADEMIA,

RADIANTE VBIQVE

GRATIÆ } ET { FAVORIS
SOLE } ET { LVNA
IESV } ET { MARIA

Placuit ea huic loco inſerere, ac iisdem verbis, eodemque ordine diſpoſita, quo tunc ea dedimus, proponere, ut videat Lector, quibus jam tum ſtudiis fuerimus delectati. In Capita tamen diſtinguemus, quæ tunc in varias Theſes & Corollaria digeſſeramus, ut Libri formam acquirant. Occurrent in Corollariis nonnulla acerbiùs dicta in eos, qui aut minùs rectè, aut ſecus quàm nos, ſentiunt; at quia confidimus, prudentem Lectorem ea juvenili ardori adſcripturum, ac non invitum excuſaturum, non mutamus. Poſt ſingula capita paucas addemus Annotatiunculas, quibus vel corrigemus, quæ minùs rectè dicta nunc cenſemus, (ſunt enim poſteriores curæ prioribus ſaniores;) vel explicabimus dilucidiùs, quæ obſcuriùs prolata; vel ſupplebimus, quæ omiſſa. Sit ergo

CAPUT I.

Vera ſcientia; & varia Corollaria inde deducta.

Scientiæ definitio, ac diviſio. PHiloſophandi cauſa nulla eſt homini, niſi ut beatus ſit, *a* inquit aureus *Aurelius Auguſtinus.* Quem finem illi tandem attigiſſe putandi ſunt, qui cognoſcunt res ut ſunt, *b* vel à priore per cauſas primas, veras, immediatas, neceſſarias, & quas impoſſibile ſit ſe aliter habere; vel à poſteriore per effectum. Præſtat hoc cognitio duplex: *c* Practica, quæ pro opere exequendo rationi conformia præcepta tradit; & Speculativa, quæ ſolâ veritatis contemplatione contenta eſt. Practica continet Moralem, Politicam, Oeconomicam: quarum prima privati hominis, ſecunda civi-

Digitized by Google

civitatis, tertia domûs praxin dirigit. Poſterior Metaphyſicam, Phyſicam, Mathematicam genuinas ſoboles agnoſcit. Metaphyſica abſtrahit ab omni materia re & ratione; Mathematica à materia univerſali & ſingulari, non tamen ab intelligibili; Phyſica tantùm à materia ſingulari. d Hæc habet pro objecto adæquato corpus naturale, ſeu omnem ſubſtantiam corpoream; unde veluti ſagax Naturæ oculus omnia ejus arcana rimatur & perſpicit, ut falſa à veris ſpuria à genuinis, fucata à naturalibus, quàm apertè, tam verè diſtinguat; ut illis larvam detrahat, ac hominum diris & execrationibus exponat, hæc nativo ſuo ſplendore fulgida omnium deſideriis & votis proponat, commendet, ac defendat.

a *S. Auguſtinus lib. 19. de civit. cap. 1. ex Platone.* b *Ariſtoteles 1. Poſter. textu 5. & 6. Ethic. c. 3. & 4.* c *Franciſc. Suarez diſp. 44. metaph. ſect. 13 num. 19. & ſeqq.* d *Petrus Hurtado de Mendoza in proœmio diſp. phyſ. §. 1.*

ERGO.

1. Errant, qui Cabalam, Judæorum Philoſophiam omnium rerum doctrinam myſticè & ſymbolicè callere putant. Fœtet illa, jam ſatis vanitatis promiſſorum tantorum & falſitatis convicta. Vide *Pererium* lib. 1. Magiæ natur. cap. 10. Cabala Judæorum vana.

2. Ex Medeæ ſchola prodeunt Mænades iſtæ divinatrices, quæ feſtis Sanctorum tam infeſtè pro occultorum cognitione acquirenda abutuntur; quæ pridie S. Andreæ panem in menſa averſum relinquunt; & hypocauſtum averſo corpore verrunt, ut vel ſponſum intrantem, vel cultro invitantem aſpiciant (in quo facinore ſi non expreſsè fœdus cum dæmone ineant, id tamen terrere debet, quòd omnem pudorem exuere cogantur;) quæ carminibus Theſſalicis recitatis, ſi in ſomno acum videant, ſartorem ſuum ſponſum; ſi aſciam, fabrum &c. futurum credunt; quæ ſcopis inſidentes haram ingrediuntur, ut ſi porcum grunnientem audiant, ſenem; ſi porcellum, juvenem maritum ſe habituras ſciant. His omnibus ſuperſtitionibus una S. Andreæ dies inceſtatur. Ejuſdem cenſuræ ſunt, quæ à mulierculis nuptiarum avidis fieri ſolent nocte & in aurora S. Joannis Baptiſtæ, & habentur apud *P. Sanchez* tom. 1. mor. lib. 2. c. 40. num. 19. Superſtitiones ex feſtis.

3. Idem ſentiendum de iis, qui tribus diebus Jovis ante Nativitatem Chriſti mira prædicere de futuris ſe putant; quorum alii in ſomno, alii vigilantes umbram vident, alii in cæpis aut ſchedulis ſub lecto collocatis, alii in rapis aut ovis ſupra menſam ſuſpenſis, alii in filis manu ſiniſtrâ factis haruſpicinam faciunt. Item qui nocte Nativitatis putant jumenta in ſtabulis futura eloqui; & roſam, quam Ierichontinam vocant, quantum vis aridam ſponte diduci, ſi à certis perſonis aſſervetur; & mappâ tribus annis

Digitized by Google

hoc die menſis impoſitam, & nunquam interea lotam, contra morbum valere, aut ſcabellum recens in templum portatum ſagas allicere, &c.

4. Impoſtores & Necromantici ſunt Thaumaturgi circumforanei, qui ex pacto diaboli per ſigna in corporibus terreſtribus, ligno v.g. metallo, lapide apparentia, per aquam, aërem, ignem, homines arreptitios, exta animalium, dæmonum varias apparitiones, veluti per cauſas naturales divinant. Talis ille peregrinus, quem *Georgius Moltherus* Medicus malè ſanè in relatione ſua à Magia nigra defendit: quæ enim cauſa naturalis præſciendi, quid quivis interrogare velit? Theologiam, Philoſophiam, & omnium gentium linguas ſine ſtudio callendi? futura conſtellationum arcana, & remotiſſimis in locis geſta perſpiciendi? prohibendi ne dicta & geſta ipſius libris conſignata legi vel intelligi poſſint? omnia iſte permittit.

Necromantiæ variæ Species.

5. Ejuſdem farinæ eſt Tractatus ille, qui inſcribitur *Cabala, Speculum artis & Naturæ in Alchymia*, Typis Davidis Franci, ſumptibus Stephani Mechelspacheri impreſſus, qui promittit per gradus quosdam calcinationis, exaltationis, putrefactionis, cohibitionis, coagulationis &c. omnia Naturæ occulta & arcana ſe patefacere; imò & per ſpecula arte ſpagiricâ conjuncta DEUM, & omnia, cum pauperum gazis, perfectiſſimè, quando libet, intuitivè cognoſcere poſſe. Et Medicaſtri tales ſole, ſale, ſoloque Chriſtiani Imperii digni cenſeri defendique poſſint? Deleantur è numero viventium.

Annotatio ad Corollarium I.

De Cabala Judæorum agemus, DEO favente, in Technica Curioſa, ejusq; vanitatem, ſaltem prout nunc circumfertur, clarè oſtendemus. Memini, virum doctisſimum, & in Cabala verſatiſſimum, cùm vidiſſet hoc Corollarium typis evulgatum, antequam Diſputationi publicæ proponerentur Theſes, ſtrenuè adlaboraſſe ut caſſaretur, minis additis, effecturum ſe, ut in publico Doctorum hujus Univerſitatis conſeſſu, & concertantium fervore, palinodiam canere cogeremur: at nihil effecit; non minùs enim tunc, quàm nunc, vanam illam ac fucatam ſcientiam deteſtabamur.

Annotatio ad reliqua Corollaria.

Quæ reliquis Corollariis habentur, aliasq; innumeras malas Artes, ac ſuperſtitiones, fusè referemus ac refutabimus in citata Technica Curioſa, ſi temporis & Operis anguſtia permittet.

CA-

CAPUT II.

Natura, Habitus, & Ars; & varia Corollaria inde deducta.

PRima corporis naturalis proprietas eſt, eſſe mobile, ſeu moveri poſſe. *a* Movetur autem actu, vel ab innato principio, quod eſt Natura; vel ab acquiſito, quod Habitus dicitur. *b* Unde Natura definitur, quòd ſit principium & cauſa, ut id moveatur atque quieſcat, in quo primò per ſe, & non per accidens ineſt. Originem trahit ab Efficiente extrinſeco, ipſam Naturam ut Finem intendente. Partes verò conſtitutivas duas habet, *c* Materiam diſpoſitam tanquam motus principium paſſivum, & Formam tanquam activum. Ex horum duorum, veluti perfectivi & perfectibilis, actûs & potentiæ, conjunctione, ſicut compoſitum conſtituitur, ita motus omnis naturalis initium ſumit. Natura verò in adjumentum ſuum invenit, & frequenti uſu introduxit promptum & difficulter mobilem famulum, qui Habitus nuncupatur. *d* Generatur hic & corroboratur ab iteratis actibus ſingulis, etiam remiſſis; per actus verò contrarios formaliter expellitur. Quævis potentia nata rationi obedire, ipſi hoſpitium præbet. *e* Cum Natura concurrit indirectè ad actuum ſubſtantiam; non tamen ad intenſionem, niſi conſecutivè. Amplam habet familiam, *f* ex qua maximè paternum æmulatur & imitatur ſtudium ARS, quæ dicitur Habitus cum ratione factivus: nam modum motui naturali adhibens, & applicans activa paſſivis, jam ovum naturale capitis magnitudine efficit, jam in eadem vite recentes & antiquas uvas ſeſe conſalutare facit, jam reciprocis reflexionum ictibus imagines in aëre pendulas exhibet per ſpecula cylindrica non apparentia, jam pullum ſine igne coctum, jam anſerem vivum & coctum menſæ imponit, qui usque ad ultimum bolum vociferetur, *g* & mille ſimilia exprimit Mimi inſtar, in Naturæ æmulationem & emolumentum, pretioſa nimis & anceps in auri confectione, ob tot Magnatum opes irrito conatu in fumum evaporatas. *h* Nunquam tamen Naturæ opus efficere poteſt.

Naturæ definitio.

Habitus definitio.

Artis definitio.

a *Ariſt. 2. phyſic. tex. 1. & 2.* b *P. Franciſcus Toletus in 2. phyſic. tex. 3. quæſt. 1. fundam. 3.* c *Patres Conimbricenſes lib. 2. phyſic. cap. 1. quæſt. 3. art. 2.* d *Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. 3.* e *D. Thomas 1. 2. q. 46. a. 3. & 4.* f *Ariſt. 6. Ethic. cap. 4.* g *Joan. Baptiſta de Porta Mag. natur. lib. 4. & aliis paſſim.* h *Complutenſes diſcalc. Carmelitæ diſp. 7. Phyſ. quæſt. ult. num. 63.*

ERGO.

1. Non bene philoſophantur, qui inertes & ſine ratione factivos pro artifi-

artificibus habent, ut ſuprà nominatus *Moltherus*, & ejusdem fæcis Phyſiologi, qui per devotionis ſigna, & multa Naturæ arcana homines latentia, Ardeliones peregrinos defendunt; hoc enim clypeo omnes hypocritæ ſuperſtitioſi ſe tegunt.

Arte diabolicâ non quidvis fieri poteſt.

2. Vanè terretur & timet vir bonæ conſcientiæ, ne per radicis ſuffitum hypocauſto expellatur (quod ſuprà memoratus proletarius conabatur;) ne diabolicâ arte elementa ſuis locis dimoveantur; ne in alterata materia formæ ſubſtantiales producantur; ne ſine ſemine ex mandibula v.c. aſini, vulpes, & perfecta animalia exprimantur; ne puſillus ſubitò ſtaturâ magnus contra ſe armetur; ne mortui excitentur; ne impediatur agens naturale poſitis ad agendum requiſitis: hæc enim diaboli vires excedunt, ſicuti omnia vera miracula, ut docet ex SS. Patribus *Pererius* diſp. 28. in cap.7. Exodi, licèt multa per applicationem agentium & patientium poſſit in ſpeciem mira producere.

3. Non rationis normam, ſed ſub pallio artis vel medicinæ Dæmonis potentiam uſurpat *Alexius Pedemontanus*, qui in volumine artium à Jac. Weckero germanicè verſo, homines à natura ſive ab arte veneficâ fatuos, ex ſtultis novo Helleboro ſapientes facit; & ad bonam homini memoriam faciendam ſiniſtrum pedem animalis cujusdam certo loco alligari jubet: mirum ſi ablato pede memoria non auferatur.

4. Ex eadem Schola eſt ſuprà dictus tractatus, qui ſtramen, aliaque cremabilia ab ignis raptu defendere, mures ſcuticâ domo exigere, talpas è fundis eliminare docet; dignus qui ſcuticâ exigatur, & fundo Imperii eliminetur. Fatetur idem, ſe noſſe de albo ſerpente planè execrando, & abſconditis theſauris, & quomodo utrumque acquiri poſſet. Quis unquam, niſi ad malas artes auctoratus, talia jactitavit? aurifodinæ per herbas vel vapores, non theſauri in ciſtis & arcis reconditi naturaliter ſe produnt.

Theſauri naturaliter ſe non produnt.

5. Veneficâ arte dens ſi exciderit, vel poſt tergum conceptis verbis, vel in cœmiterium abjicitur, ut alius ſuccreſcat, cur non etiam cum Pyrrha & Deucalione ſaxa, aut cum Cadmo milites ſeminantur? Eâdem arte contra dolorem dentium aliquot piſa in furnum ſpargi jubentur, ut cadentia non exaudias: item in diſco ſcribitur: HIC JUDAS MACHABÆUS &c.

Oſtentatoribus non facilè credendum.

6. Ἀδιδάκτοι ſunt, & tam in judicando ſagacitate, quàm in explorando induſtriâ deſtituti, qui ſine uſu & exercitatione varias rerum ſcientias & artes jactantibus fidem quamprimùm & patrocinium tribuunt, ut *Moltherus* ſupradictus, & multi aulicis nutibus mancipati Domini. Aliter Sapientes. Thomas Morus, fuſo pro orthodoxa fide ſanguine, & feſtivi ingenii elegantiâ cœlo ſoloque clarus, cùm aliquando Legatus ad

Digitized by Google

ad Carolum V. Imper. Bruxellas iviſſet, incidiſſetque in omnium difficultatum jactabundum Oedipum, è jure Britannico quæſtionem illi propoſuit, utrum animalia capta in Withernamia, ſint irreplegibilia: oſtentator ne verba quidem intellexit, omniumque mox ſibilis & riſu eſt exceptus, teſte *Stapletono* in vita Mori cap. 13. Geminum huic eſt, quod P. Georgio Scherer è Societate JESU libris editis notiſſimo accidit Viennæ. Jactabat ſe illic Religionis, cui ſe addixerat, deſertor Paulus Florenius omnium idiomatum peritum. Huic Scherer obtulit ſchedam ad ſe delatam idiomate ignorabili ſcriptām, qualem dicuntur anus ad collum infantum ſuſpendere febris amuletum. Reſpondit ſciolus, eſſe idioma quo Sacerdotes Ægyptii utuntur in ſacris. Scherer gratias egit interpreti, & domum reverſus tres voces germanicas, Gäns gehen barfuß (*Anſeres eunt nudis pedibus*) inverſo ordine ſcripſit, unde voces emerſerunt, Sneg/ nheg/ ſufrab: accepit ſocium P. Chriſtianum, Theologiæ Profesſorem, explicans ei myſteria ſchedæ, monensque priùs labrum morderet ad comprimendum riſum: conveniunt interpretem; Scherer rogat ſuam in linguis infantiam adjuvet; Doctor Florenius ſchedam curioſè contuens mox pronuntiat, & illa, inquit, lingua eſt, quæ in chartula priore perſcripta; Ægyptiæ linguæ verba ſunt ſacrificulis illis ſolemnia. Socius vix prehensâ januâ foràs ſe ejecit, alioqui prorupturus in cachinnos; poſtea exaſciata hæc fabula eſt ab utriſque deriſa. Vide tom. 1. Controverſ. *Georgii Scherer* pag. 643. & Phaëtontem *P. Drexelii* cap. 12. §. 3. in lingua oſtentatrice, ac obſerva Philoſophiæ virorumque ſapientum de iſtiusmodi nugivendulis Sophiſtis judicium.

Annotatio ad Corollarium I.

NOn omnia quæ Ardeliones peregrini callent, & cum hominum, etiam peritorum, ſtupore oſtentant, vana ſunt, aut ſuperſtitioſa, atque è Diaboli ſchola petita, ſed plurima Naturæ limites minimè excedunt; mira tamen videntur, quia cauſa latet, aut modus operandi, quem dexteritate ac celeritate occultant, ut in ſunambulis patet. Multa ejusmodi paſſim dedimus in Mechanica noſtra Hydro-pneumatica, & in Magia naturali. Plura dabimus in Technica Curioſa, & in Joco-ſeriis.

Annotatio ad reliqua Corollaria.

QUæ in reliquis Corollariis enumerantur, pleraque aut falſa ſunt, ac pura puta mendacia, oſtentationis gratiâ à Molthero imperitis obtruſa; aut ſolis humanis viribus, ſine Dæmonis ope, ad effectum deduci nequeunt. Ejusdem fortaſſis farinæ cum Moltheri tractatu eſt Liber Anglico idiomate non ita pridē editus hoc titulo: Scots diſcouert of Wichcrafft, *id eſt,* Revelatio Veneficii; *quo in libro, ut ſcribit ad me Lugduno Batavorum Nobiliſſimus atq; Doctiſſimus Dominus*

minus Wilhelmus Schrotter, *Auctor omnes incantationes & veneficia illudit, & irrita eſſe aſſerit, imò veneficos eſſe planè negat: liber ſanè, ut prædictus Dominus ait, ad inſtruendos potiùs quàm deſtruendos veneficos aptior.*

Dixi, pleraque in prædictis Corollariis memorata, ſolis humanis viribus, ſine Dæmonis ope, ad effectum deduci non poſſe; non autem affirmo, Naturæ vires excedere: quæcunque enim Diabolus mira, & ut videtur nobis, ſupra Naturæ vires præſtat, nequaquam Naturæ excedunt limites, nec naturales ejuſdem Diaboli vires ſuperant; quandoquidem, ut ſuprà lib. 1. oſtendimus, ea vel motu locali, vel applicando activa paſſivis, vel præſtigiis hominum ſenſus perſtringendo efficit; quæ omnia ſunt naturalia: ad miracula verò efficienda, & quæ Naturæ vires ſuperant, non majorem habet vim ac poteſtatem, quàm nos homines. Naturam igitur imitatur Diabolus, non ſuperat, dum vel per ſe ipſum, vel per Magos, vel per alios ſuam opem implorantes mirabilia operatur, ut acutè notavit ſupradictus Doctiſſimus Schroterus. Bufones (ait ipſe) naſcuntur longo tempore, calore atque fœditate illos producentibus; quod Naturæ opus, ſuum tempus, aliud longius, aliud brevius requirit: ſi autem ſuccurrere Naturæ allaboramus; id quod multis hebdomatibus præſtat Natura, Arte trium dierum ſpatio efficitur: anatem enim duabus patinis impoſitam, atque in fimo reconditam, tertio die in bufones transmutatam experientiâ edoctus ſum. Tacebo alia multa, adque vitam humanam valde neceſſaria; inter quæ non ultimum locum ſibi vendicat, qua ratione infinita copia anguillarum poſſit produci. Harum artium haud ignarus mille ille artifex Diabolus, pro lubitu hoc vel illud ipſum producere poſſe videtur &c. *Hæc ille.*

CAPUT III.

Cauſa; & varia Corollaria inde deducta.

SUnt igitur Naturæ *a* quatuor capitales fontes, Materia, & Forma, Finis, & Efficiens Ideam complectens. *b* Cauſalitas efficientis eſt Actio, ſeu dependentia effectus à cauſa; ſive illa ſit *c* modus ab effectu diſtinctus, ſive (quod probabilius) *d* ipſe effectus prout agitur, ſeu virtute activâ agentis fit & exiſtit; ita ut effectus prout dicit dependentiam, dicatur Actio; prout receptionem in ſubjecto, Paſſio; prout connotat carentiam formæ in mobili, Motus; prout eum Materia ſubjectivè cauſat, Materializatio; quatenus ei dat eſſe ſpecificum, Informatio; quatenus conjungitur Materiæ, & fit compoſitum, Generatio, vel Unitio, vel Unio; ita ut eadem re ipsâ ſit Efficientis, Materiæ, & Formæ cauſalitas, ratione ratiocinatâ diſtincta. *e* Finis verò cauſalitas eſt actio voluntatis ut finis

gratiâ

Digitized by Google

gratiâ elicita eſt, ſeu ipſum moveri voluntatis: cujus motionis ratio formalis intrinſeca eſt voluntas; extrinſeca ſeu objectiva, ſola Bonitas Finis ut poſſibilis apprehenſa, quæ dicitur metaphoricè movere. Conditio ſine qua non, Finis quidem eſt *f* cognitio, vel *g* apprehenſiva perfecta, vel *h* judicativa practica; Efficientis verò, approximatio, *i* ita ut naturaliter nihil ſine contactu vel formali vel virtuali in diſtans agere poſſit.

a *Ariſt. 2. phyſ. cap. 7. tex. 68.* b *Suarez diſp. 18. ſect. 10. n. 5.* c *Petrus Fonſeca lib. 5. metaph. cap. 2. q. 13. ſect. 3.* d *Martinus Smigletius diſp. 9. Logica, quæſt. 4. d. 5. & Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2 puncto 5. & alii.* e *Antonius Rubius tract. 5. de cauſa finali q. 3. n. 27.* f *D. Thomas 1. p. q. 28. a. 4. Et 1. 2. q. 3. a. 4. ad 4. Et q. 9. a. 1.* g *Eſt multorum recentiorum, & admittit Tannerus, ſi poßit dari.* h *Tannerus 12. in quæſt.* 8. *D. Thomæ quæſt. 2. dub. 2. num. 16.* i *Hurtadus diſp. 13. Phyſ. ſect. 6.*

E R G O.

1. Multùm de rure ſapit quorundam ruſticorum cura, ne cùm quis ſibi ipſi laqueo gulam fregit, per eorum agros cadaver in Rhenum deportetur, putantium ſolum agri idcirco ſterile reddi. Quomodo efficitur ſterilitas? nec DEUS puniens licitum tranſitum, nec cadaver inanime arvis nocet. *Cadaver non eſt cauſa ſterilitatis, ſi per agrũ portetur.*

2. Plus plumbi in ingenio quàm in ſpeculo habent qui naturæ viribus adſcribunt, ſi abſentis ſpecies & imago in ſpeculo excitetur, eâq; punctim vulneratâ abſens vulneretur; cùm tamen ſenſus externus inter potentias cognoſcitivas infimus ſit, nec in rem abſentem ferri poſſit, ut probat *Franciſcus Aquilonius* lib. 1. Optic. propoſ. 94.

3. Non excuſandi ſunt, qui quovis audito concentu ad ſaltum ſe concitari fingunt: quia *Ariſtoteles* 8. Politic. cap. 5. ad certos concentus certos motus conciliari docet, v.c. Muſicâ Lyricâ miſtâ ad triſtitiam, Doricâ ad teneritudinem, Phrygiâ ad ectaſin mentes concitari, non tamen quemvis cantum ad ſaltandi libidinem excitare, ut fit in vagabundis, & pauculis fœminis. Si ad S. Vitum liberentur quidam vero morbo correpti, id Sancti precibus tribuendum eſt. *Concentus non quivis eſt cauſa ſaltus.*

4. Procul à veritate abſunt, qui, ut abſenti etiam in carcere conſtituto arcana mentis pandant, duas pyxides nauticas alphabeto circumſcribunt, ut moto uno magnete, vel ferro magnete illito, etiam alterum ferrum quantumvis diſſitum ſimili modo & motu moveatur, & ſic litteræ à longè diſſito conſpiciendæ in aëre deſcribantur, vel in charta deſcriptæ eâ motione deſignentur: experientia enim jamdudum refutavit tam improbæ artis patronum *Henricum Salmuth* in lib. 2. de memorabilibus Guidonis Pancirolli tit. 11. *Magnetis ope non poteſt abſentibus animi decretum patefieri.*

5. Non facilè probabitur, quaſdam familias illuſtres habere quaſdam notas & fatalia indicia, quibus moneantur de ſuorum morte, vel infortunio, etiam in remotiſſimis terrarum oris commorantium; vel Patre Pariſiis in Gallia aut alibi mortuo, filium Herbipoli phyſicè alterari, vel triſtitiæ quodam inſolito motu perfundi; vel canes, equos, aut alia domeſtica animalia eâdem mortis violentiâ occidi, quâ herus fato cedere coactus ſit etiam longè diſtans. Hæc, & ſimilia ſi aliquando facta ſunt, vel caſu acciderunt, vel ſpiritus nigri aut albi ope. Noctis ut plurimùm Erebiq; ſoboles talia effectui dant, ut animabus ſuperſtitionibus variis nimiùm credulis augurandi artes probabiles reddant, iiſque implicatas ſuaviter & ſine ſenſu, ſed efficaciter & ſine conatu contrario, ad inferos detrudant.

Terrores & occulti motus, vel cànum latratus, non indicant amici mortem, vel infortunium.

Annotatio ad Corollarium I. & II.

STerilitas ſi quandoq; illata fuit arvis, tranſvecto per illa cadavere hominis ſpontaneo ſuſpendio enecati, caſu contigit; ex quo ſimplices ac creduli nimiùm occaſionem arripuêre ſuperſtitioſi erroris. Si punctim vulneratâ abſentis imagine in ſpeculo, vulneratus fuit aliquando & abſens; mali Genii operâ id ſine dubio contigit, ob cauſam ibi inſinuatam.

Annotatio ad Corollarium III. IV. & V.

DE ſoni, vocis, & muſicæ vi & efficacia, ad motus animi aut corporis efficiendos, fusè egimus in 2. parte Magiæ toto ferè Opere; iterumq; in 4. parte Magiæ lib. 5. Syntagm. 2.

De vanitate artificii, quo promittunt nonnulli, ac verò etiam reipsâ ſubinde præſtant, ut duo longè diſsiti loquantur ſibi invicem, aut ſcribant, ope duarum pyxidum magneticarum, queis Alphabetum ſit circumſcriptum, egimus in Cryptographia noſtra, quæ eſt liber 1. partis 4. Magiæ Naturalis.

De terroribus nocturnis, de ſtrepitu, aliiſque ſignis aliquorum mortem præcedentibus, egimus ſuprà lib. 6. qui eſt de Portentis. Quæ ibi diximus, applicari debent aliis, quorum in Coroll. 5. fit mentio.

CAPUT IV.

Sympathia & Antipathia; & varia Corollaria inde deducta.

Sympathiæ & antipathiæ exempla.

CÆterùm efficiens, quo gravidæ fœminæ aliquando cretam, carbones, imò & araneas ſine noxa devorant, hædera vitem refugit, magnes ferrum,

Digitized by Google

ferrum, polus acum nauticam magnete illitam attrahit, pullus gallinaceus accipitrem, leo gallum gallinaceum & flammam, quidam homines cæpas, pirorum putationem, caſeum, pruna illa quæ Zwetſchen vocamus, mures plus quàm muralia tormenta exhorrent, Rheubarbarum bilem, Agaricum pituitam non fert; omnes Sympathiæ & Antipathiæ tribuunt. Hanc *a Alexander ab Angelis* vult eſſe in temperamento primarum quatuor qualitatum parum, vel plus, vel plurimum contrario, vel ſimili, ita ut quælibet res per emiſſionem quarundam tenuiorum exhalationum, vel arcanarum qualitatum, ut fit in pomis, vino, & aceto non tectis, contrarium vel ſimile contingat, ac vel Sympathicè vel Antipathicè agat. *b Antonius Zara* nullas occultas qualitates admittit, ſed tantùm primas, ita ut magnes ferrum trahat, quia calorem, & frigiditatem, & ſiccitatem ſimilem habent. *c* Alii influentias agnoſcunt, ſeu qualitates innominatas, in prima generatione ab aſtris inditas, pro varia diſpoſitione diverſas. *d Franciſco Suarez & e Murciæ* veriſimilius Sympathia eſt eſſentialis habitudo rei unius ad alteram, vel plurium ad invicem, ita ut ad unius actionem, vel paſſionem, vel præſentiam ſolam, altera etiam aliquid agat, vel patiatur, ſive deinde in ſe mutuo agant, ſive non. Antipathia eſt adverſaria affectio unius vel plurium rerum ad invicem, &c. Fit igitur utroque, vel altero agente, ut fit ferrum inter & magnetem; vel neutro, ut cùm pullus conſpectum accipitrem fugit; poſito enim tali ſigno contrario, æſtimat ſibi eſſe fugiendum, ſicut canis poſitâ tali diſpoſitione in ventre æſtimat ſibi cibum eſſe appetendum, vel relinquendum. Eſt autem illa habitudo, quædam inclinatio naturalis rei in ſuum bonum appetendum, & malum fugiendum, poſitis certis conditionibus, qualis eſt materiæ ad habendam formam, & caloris ad frigus fugiendum. Hæc autem inclinatio nihil ſuperaddit rei naturæ, ſed in paſſivis eſt capacitas ſuæ perfectionis, in activis naturalis facultas agendi, connotans certas conditiones ac diſpoſitiones. *f* In magnete v.c. Sympathia radicaliter & paſſivè conſiſtit in eo, quòd poſitis ipſius formæ ſubſtantiali debitis diſpoſitionibus, ſit proximè capax illius virtutis tractivæ ab aſtris recipiendæ: illa verò virtus eſſentialem reſpectum habet ad impulſum in ferro, & non in alio, producendum, cujus impulsûs vi ferrum poſtea movetur. Sympathia & antipathia.

a *Alexander ab Angelis libro 1. in Aſtrolog. cap. 28.* b *Antonius Zara de cultura ingenior. membro 4. ſect. 1.* c *D. Thom. in 2. de cœlo lect. 10. & in 2. diſt. 15. quaeſt. 1. a. 2. ad 5.* d *P. Franciſcus Suarez diſp. 1. metaph. ſect. 6. n. 3.* e *P. Franciſcus Murcia 3. de Anima diſp. 2. q. 1.* f *Forerus diſp. de Symp. num. 15. not 2.*

ERGO.

1. Fures ut plurimùm & magicis artibus imbuti ſunt, qui quosvis Coryli virtus effectus gæ uſus in

thefauris detegendis ſuperſtitioſus eſt.

effectus occultos Sympathiæ tribuunt. Tribus nigrum ⊖ præfigam. Ac primò quidem iis, qui theſauros monſtrant virgulis bifurcatis, quarum ſummitates decuſſatim, vel in crucis formam hæreant, & inferiores extremitates ipſi manibus compreſſis teneant, ut ita virgæ deorſum vergant eo loco, quo theſauri quærendi. Alii bifidum ſurculum abſcindunt, ex corylo, ſi aurum argentumque; ex fraxino, ſi æs quærunt. Hanc virgulam divinam dicunt, aut metallicam, quâ venas talium metallorum explorant, ita ut virgæ inclinent verſus eam partem, qua theſauri aut venæ metallorum quærendæ. Vim hîc Sympathicam agnoſcit *Majolus* part. 2. Colloq. 4. inter ſurculos & theſauros. Sed quænam? cur furca potiùs quàm alia figura adhibetur? cur non in omnium manibus vi exultantium arteriarum virgula inclinat, ſed tantùm in certis; cur ſurculi illi etiam in privatis ædibus argentum inveniunt? Nimirum Dæmon movet, quo auctore olim Numa Pompilius annulo vel jaſpide in vitrum aquâ plenum demiſſo, & ad latera utrimque alliſo hariolabatur, teſte *Pierio Valeriano.*

Ungnentũ armarium eſt à Satana armatum.

2. Fallunt, qui ſuadent, Magneticâ curatione ſine dolore etiam abſentium vulnera curari per Sympathiam, cùm unguentum quoddam, quod Vulnerarium & Armarium vocant, non vulneri, ſed inſtrumento quo vulnus impactum fuit, illinunt, & telum deinde faſciis circumligant, diligentiſſimè fovent, atque ſi corporis membrum eſſet; quo facto, ſtatim longiſſimè diſtantis vulnera curari ajunt, ſine omni moleſtia & impenſis: imo ſi quis unguenti copiam non habet, nihilominùs celerrimè ſanari dicunt, dummodò cultrum &c. quo læſus eſt, lardo recenti, ſeu porci adipi, aut certo cuidam ligno infigat. Quod defendit *Rudolphus Gochlenius* Profeſſor Marpurgenſis, *P. Joan. Robertus* in nervoſa ſua Gochleniani tractatus anatomia, & *Reymundus Miaderetus* experientiſſimus Phyſicus Auguſtanus in Threnodia ſua medica cap. 10. pag. 36. & ſeqq. & noviſſimè *Laur. Forerus* diſp. de Magnete, toto cap. 2. quàm clarè, tam ingenioſè, vanitatis & mendacii redarguerunt: 1. ex materia, quæ debet eſſe adeps & ſanguis humanus: 2. ex ritu, debet enim telum in loco mundo & calido poni, & attendi an cæſim vel punctim ſit factum vulnus. 3. ex auctore Theophraſto Paracelſo, qui dæmone utebatur familiari. *Vide Forerum loco citato.*

Medicandi ratio ſuperſtitioſa.

3. Fuge Circumforaneos, qui ſine applicatione activorum medelam ſpondent; ut eſt ille qui nuperis S. Kiliani nundinis num. 15. catalogo rerum memorab. promittit, ſe per Sympathiam, vel vi magneticâ, rupturas in ſenio gravibus, vel ætate floridis curaturum, quod alii ſine inciſione, unctione, aut emplaſtris vix ſint facturi, quaſi ſine applicatione externorum id effectui dare poſſit. Meliùs Belga quidam ramentis chalybinis potui

Digitized by Google

potui immiſtis,& exteriùs applicato magnete,fidem ſuæ artis facit. Ejuſmodi plura iſtic commemorantur, quæ Naturæ vim inferunt, & callidè aliis probatioribus immiſcentur.

4. Tam ſine ratione, quàm abſque auctoritate, Cabaliſtæ inter literas ſyllabasque, & cœlos atque Intelligentias quandam Sympathiæ connexionem ponunt, qua ajunt,verba dignioris linguæ efficaciora eſſe. Gratis hoc dicitur; nullam enim phyſicam qualitatem operativam vel linguæ dignitis, aut hominem inſtituentis probitas, aut rei ſanctæ ſignificatio, vocabulis inſeminare poteſt. Qui igitur vocabula emanantes à rebus radios appellant, vel vitam nominibus ineſſe dicunt; facilè parum rationalis vitæ ſibi ineſſe oſtendunt. Si oratores & poëtæ motus excitent, id rationum momentis, vel vocum flexibus, non occultis verborum viribus eſt tribuendum. Quare licet credi poſſit, & Delphinos ab Arione, ut *Solinus* c. 7. Polyhiſt. tradit, & muta animalia ab Orpheo naturaliter fuiſſe tracta,ob Muſicæ ſuavem modulationem: ſaxa tamen & quercus citharam ſonantem, & citharœdum cantantem eſſe ſecuta, vel fide poëticâ ſcriptum, vel Plutoniâ arte factum eſt. Neque cuiquam facilè *Philoponus* lib. 1. de anima perſuaſerit, ſaxa vivere. Et *Plinius*, dum verbis naturalem vim ineſſe probat, verba dat, non argumenta: exempla enim quæ lib. 28. nat.hiſt.cap. 2. cumulat, cùm fragili tibicine ſunt ſuffulta, tum ſuperſtitionibus refertiſſima: quis enim naturaliter fruges excantari, ſerpentes incantari, Marſosque bonos artifices eſſe, ſibi perſuadeat? Catholica fides piis ſacerdotum precibus, & Pontificum benedictionibus, per merita Chriſti & interceſſionem Sanctorum vim tribuere ſolet, non ex natura verborum. Ex comprecantis ergo bono affectu & probitate ſalutationes in ſternutatione, & operum, officiorum, annorumque initiis, ſunt æſtimandæ, quas Plinius adducit.

Literæ & vocabula non ſunt operativa ex ſe.

5. Non admittendi, qui,ut ſuis malis per literas & figuras arcana revelandi artibus excuſationem prætendant, bonorum artificum familiaritatem jactitant; qualis eſt Cornelius Agrippa, homo ab impiis artibus clariſſimè infamis, de familiaritate cum Trithemio, & Trithemianis artibus, apertè glorians. Ille jam pridem damnatus eſt, Trithemius verò à *R. P. Adamo Tannero* in Aſtrologia ſacra, & ab *Adm. R. Dn. Sigiſmundo*, doctiſſimæ virtutis præſule monaſterii Seon, in Trithemii ſui Vindice,, jure à Caroli Bovilli calumnia defenſus eſt, eò quòd Polygraphia non magis pro ſuſpecta habenda ſit, quàm olim ſcutula, vel ſcytale Laconica. *Equidem lubens volensque fateor*, inquit, *nominatus præſul*, *literas vel Latinas, vel Græcas, aut quovis idiomate ſcriptas, legi, & ſuo modo intelligi, imò quod plus eſt, etiam ſecundùm regulas & bonam Syntaxin ſcribi ac componi poſſe ab eo, qui (modo alphabetum nôrit) neque Grammatica neq; Syntaxi unquam*

Steganographia Trithemii non eſt Diabolica; non tamen cuivis legenda.

Digitized by Google

unquam ſtuduerit, rem eſſe primo intuitu adeo ſtupendam, ut omnium ſenſum, & communem hominum captum in admirationem trahat; attamen id facili negotio, & abſque ulla Magia vetita & Dæmoniaca fieri poſſe, Trithemiana opera, Steganographia & Polygraphia docent. Addit his *R. P. Georgius Stengelius* S. I. cap. 2. de bonis artibus in ſpecie, num. 14. Per Polygraphiæ artem, ſi quis Alphabeto quodam (quale magnæ vir eruditionis & amicitiæ ipſi dono miſerat) inſtructus, licèt Latinè nihil nôrit niſi legere, poſſe eum intra mediæ horæ ſpatium id conſequi, ut bonis verſibus omnes ſuas cogitationes alteri eandem artem ſcienti manifeſtare valeat; ita ut quicunque Latinæ linguæ gnarus verſus illos legit, Latinè ſcriptos intelligat, & laudet. Quæ res tota in eo ſita eſt, quòd vocabulis, è quibus metra concinnantur, ad libitum uti liceat; quod ſanè ut effectu facile eſt, ita non minùs videtur uſurpantibus ridendum, quàm ignorantibus ſtupendum. Qua de cauſa ipſe Trithemius monet, *ne aliter nos intelligas pollicitos, quàm pollicemur, &c.* vide loc. citat. Quia verò periculoſis omnino, & ad ſpeciem etiam valde ambiguis modis artes ſuas vel explicavit, vel intricavit Trithemius, ut tenebræ iſtæ indoctum vulgus arceant (quod ipſe auctor ſæpius teſtatur;) ideo illuſtris & famâ Sanctitatis celebris *Bellarminus* de Script. Eccleſ. dixit, librum Steganographiæ prohibitum meritò eſſe, & graviori cenſurâ eundem *Delrius* lib. 2. Diſq. quæſt. 3. aliique percuſſerunt.

Idengraphia licita.

6. IDENGRAPHIA non niſi ab ignorantibus rejicitur. Hæc eſt cognitio qua ex charactere & litterarum figuris, quibus quiſque utplurimùm utitur, indoles ejus utcunque conjici poteſt; eſtque Romæ publicè in lucem emiſſa, & à Proſpero Aldoriſio in publica diſputatione propoſita. Hujus fundamentum eſt, omnes aliquod in ſcribendo diſcrimen habere, quod ex diverſitate naturæ proveniat, cùm in ſcribendi operationem ſcribentium corpora influant, atque adeo etiam elementa, ex quibus corpora, mixtaque perfecta omnia componuntur. Hinc variæ gentes, ut mores, & leges, ita characteres diverſos habent; pueri & puellæ, viri & fœminæ, docti ac indocti, juvenes & viri ſcriptione diſcrepant. Verùm quia nonnulli omnis generis characteres effingere poſſunt, & naturâ diſſimiles ſimilem aliquando efformant characterem (quod Ratisbonæ accidit ad S. Emerani, ubi Codex Evangelicus à duobus fratribus ita ſimili calamo eſt abſolutus, ut nec lac lacti ſit ſimilius, teſte *Stengelio* cap. 3. loc. cit.) ideo ſicut Phyſiognomia, ita & Idengraphia probabilis tantùm, & ex conjecturis, non infallibilibus principiis acquiſita eſt ſcientia.

Annotatio ad Theſes.

DE Sympathia & Antipathia fusè egimus in Magia Sympathica lib. 4. partis 4. Magia Natur.

De

Digitized by Google

De Magnete, ejusque proprietatibus, ac miris effectibus, egimus eàdem 4. *parte Magiæ lib.* 3. *Quod dicitur hîc, polum attrahere acum nauticam magnete illitam, intelligendum eſt non de pólo cœleſti, ſed de terreſtri, modo quem explicavimus citato lib.* 3.

Annotatio ad Corollarium I.

AN *virgula corylacea ſympathiam habeat cum auro, aliisque metallis; & an vi naturali inclinetur ad illa intra manus eam circumferentium, fuſiſſimè diſcuſſimus in* 4. *par. Magiæ lib.* 4. *Syntagm.* 4.

Eodem libro Syntagm. 2. *diſcuſſimus pulſum annuli filo intra ſcyphum ſuſpenſi, & horas indicantis. Utrumque effectum contingere quidem conceſſimus, at non virtute virgulæ, aut annuli, ſed aut fraude utentium, aut motione occultà Cacodæmonis, vel fortaſſis etiam phantaſià manum in motum concitante. Univerſaliter autem aſſerere non auſim, Dæmonem ſemper utrumq; effectum præſtare, quoniam certò mihi conſtat, Viros Religioſos ac probiſſimos, experimentum non ſemel, & infallibili cum ſucceſſu tentaſſe. Qui quidem mordicùs defendunt, naturalem eſſe, nec fraudem ullam, aut ullam phantaſiæ emphaſin intervenire. Sed nondum perſuaſerunt.*

Annotatio ad Corollarium II. & III.

DE *Hoplochriſmate, ſeu Unguento armario, fusè egimus in Magia par.* 4. *lib.* 5. *Syntagm.* 1. *ubi ſtatuimus, tametſi effectus ſanationis ſæpe adhibità illà curatione ſequatur, minimè ſequi vi & virtute naturali illius unguenti, ſed vel ope Diaboli occultè aliis modis vulnus ſanantis, vel à Natura ipſa propter vulneris elutionem ac munditiem, quæ adhibetur à vulnerato.*

Quin tamen ſæpe vulnera, & morbi per ſympathiam rerum applicatarum, & quaſi vi magneticà, curari queant, dubium nullum eſt; & non rarò Circumforanei ejusmodi remedia callent, quæ ſi à Medicis ac Philoſophis examinentur, nihil ſuperſtitionis involvunt. Fuit præteritâ hyeme hîc quidam Colonienſis, qui aliquamdiu in Creta apud Venetos contra Turcam militaverat, ac deinde militiæ pertæſus in Palæſtinam trajecerat, & annis aliquot prope Hieroſolymam in ipſa valle Joſaphat, ut dicebat, habitaverat non illubenter, inter Turcas quidem, non tamen ſine Chriſtianorum, etiam Religioſorum ac ſacerdotum conſortio. Habebat is pulverem, cujus exigua portiuncula, quantum apice cultri ſuſtentatur, naribus impoſita, & ſine attractione retenta, proliciebat è naribus ac faucibus catharros ac fœtidos humores tantà copià, ſine ulla tamen violentia, ut qui curam patiebatur, ſentiret notabiliter, dictos humores è capite extrahi, atque ad nares & fauces confluere. Multis curam adhibuit, ſemper cum emolumento. Ajebat, pulverem confieri ex radice aliqua Arabia; nulli tamen aperire volebat vel nomen radicis. Sat magno pretio vendebat pulverem. Catharrorum extractio nova.

Digitized by Google

Putamus tamen, radicem, aut quidquid ſit, etiam apud noſtros pharmacopolas reperiri, qu a incredibile eſt, unicum hominem tantam ejus copiam è Palaſtina attuliſſe, ut ſufficeret in aliquot annos, & pro multis Germaniæ urbibus, in quibus medicamentum adhibuerat.

Annotatio ad Corollarium IV.

DE efficacia aut inefficacia vocum ad ſanitatem vel dandam, vel eripiendam, egimus paſſim in Magia totâ parte 2. & part. 4. lib. 5. Syntagm. 2. Plura fortè dabimus in Technica Curioſa, præſertim libro de Cabala.

Annotatio ad Corollarium V.

Trithemii Steganographia ſuperſtitione caret.

DE Trithemii Polygraphia egimus, eamque ſufficienter explicavimus, & ipſum Trithemium à Bovilli & aliorum calumniis vindicavimus in noſtra Cryptographia, quæ habetur lib. 1. par. 4. Magiæ noſtræ. Steganographiam explicare conabimur, quando in genuinum ejus exemplar (quod hactenus fruſtra quæſivimus) inciderimus: nam quæ hactenus vidimus, depravata ſine dubio ſunt, nec unum cum altero convenit. Explanatio dictæ Steganographiæ Trithemii, quam juvenis adhuc in Hiſpania ſcripſit doctiſſimus Caramuel, *mentem Auctoris non attingit. Cenſura quam* Bellarminus, Delrio, *& alii nonnulli eidem Auctori adponunt, acerbior eſt quàm ut de Viro doctiſſimo ac Religioſiſſimo enuntietur.*

Annotatio ad Corollarium VI.

Idengraphia vana eſt.

ITa ſcripſi tunc de Idengraphia, & ita credidi. At poſtquàm rem intimiùs introſpexi, & Romæ cum doctiſſimo P. Kirchero contuli; non poſſum non vanam ac futilem eam judicare: neque enim ullum video fundamentum, cur ex diverſitate naturæ oriatur diverſus ſcribendi modus. Ad ſummum ex ſcriptura colligi poteſt (nec tamen ſemper) auctorem eſſe virum, aut fœminam; puerum, aut virum; ſenem decrepitum ac tremebundum, aut hominem adhuc vegetum: at cujus ſit temperamenti, ad quæ inclinatus vitia aut virtutes, qualium morum, inde colligi non poteſt. Et qui id ſe poſſe aſſerit, ſplendidè mentitur. Nunquid unus & idem homo tempore eodem habet diverſa temperamenta, & diverſas inclinationes? Nemo hoc dixerit. Et tamen multi ſunt, qui valde diverſos formant eodem, & eâdem horâ, characteres, non ſolùm dum diverſo ſcribunt idiomate, ſed eodem. Ego certè aliter fingo ac formo litteras, dum celeriter, aliter dum tardè ſcribo; legibiliter, dum ſcribo Epiſtolas; admodum illegibiliter, dum libros compono.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Impulſus, & Linea directionis; variaq; Corollaria inde deducta.

SEd quo efficiente ſagitta, & plumbea glans in ſcopum fertur? trochus funiculo modicè tractus, in gyrum agitatur? &c. *a Ariſt.* videtur aëri ſubſequenti tribuere, corpori alioquin fluctuanti, & ad omnem partem indifferenti. *b* Alii meliùs tribuunt Impulſui, qui eſt qualitas ſecunda motrix, à projiciente projecto impreſſa, ex ſe ad omnem partem indifferens; determinatur autem à diverſa projicientis applicatione & directione, quæ eſt quaſi modificatio impulſus: eſt motus violentus, ſine contrario, ut lumen corrumpitur vel à gravitate ſecundaria reſiſtente in projectis ſurſum, & à reniſu terræ trepidantis in projectis deorſum, *c* ut vult *Vasquez*; vel, quod veriſimilius, per ſe ipſum ob ſolam ſubtractionem concurſus divini conſervantis, eò quòd poſtulet naturâ ſuâ paulatim corrumpi, ut ſonus. Ita *Rubius* quæſt. 4. de Impulſu, & *Forerus* theſ. 8. Quod autem impulſus in medio motûs ſit major quàm initio, cauſa eſt vel *d* ſolus ipſe impulſus paulatim intenſior factus ab impulſu in partibus projicienti vicinioribus priùs recepto; vel, ut probabilius, *e* aër ſubſequens cum impulſu: ille enim januâ in partem anteriorem violenter apertâ candelas à tergo inſequens extinguit, veſtes concutit, pileum dejicit. Nec opus eſt motu ad productionem impulſus: paries enim immotus pilam repellit fortiùs pro fortiori contactu, magnes ferrum ſecundùm unam partem rejicit, funis ramum inflexum retinet, lapis terit calceos, hebetatque aciem cultri per reactionem ſeu productionem impulſus, gladius & ramus curvatus redit ad rectum ſitum, *f* durities autem illum impulſum & reactionem producit: ſicut etiam quando charta convoluta, ſi aperiatur, iterum in ſe recurrit; libri poſt diutinam aperturam difficulter clauduntur; chartæ ex compreſſione complicatæ difficulter diducuntur; culter menſæ infixus, & leniter motus, diutiùs tremit.

Impulſus quid ſit. *Impulſus in medio major.* *Movens immotum poteſt movere.* *Durities eſt productiva impulſus.*

Quæ autem duritie carent, difficulter impetum producunt, vel recipiunt. Cujus defectu ovum recens non facilè lineâ rectâ per feneſtram ſuperiorem projeceris, ſi duodecim aut quindecim paſſibus diſtes, ſed altiùs feretur, ita ut fornicem potiùs quàm feneſtram tangat; ſecus eſt in cocto & æqualiter indurato.

Porrò quòd nemo totus ſupinus ſe poſſit erigere, niſi priùs corpus complicet; nemo ſurgere, quin pedes attrahat, caputque nonnihil in anteriora educat; nemo aliquid à ſe diſſitum è terra tollere, quin alte- *Linea directionis.*

rum pedem in poſteriorem partem extendat, &c. cauſa eſt linea directionis ſeu dirigens motum gravium. *g* Eſtque illa, quæ ducta concipitur à mundi centro per centrum gravitatis ipſius corporis gravis usque ad verticem illius.

b Hæc 1. ad quemlibet motum progreſſivum animalis mutatur; juxta hanc gravia non impedita directè deſcendunt; ab hac ſi corpus grave deflectat, inquietum eſt; propter hanc Naturæ Auctor, quibus volucribus longiora colla tribuit, iis etiam longiora crura dedit quibus ſe librent; vel ſi crura ſint breviora, collum inter volandum contrahunt; cùm anteriorem corporis partem ſurſum elevare volunt, poſteriorem deprimunt, & alas, id eſt, fulcra quibus ſuſtinentur, in anteriorem partem extendunt; cùm ad inferiora volatum dirigunt, in poſteriorem partem alas retrahunt; crura retrorſum explicant ad paſtum humi capiendum; homines verò antrorſum genua quaſi Numen ſuum adorabundi complicant, coxas verò retrorſum, quia non inſtar bruti humi legere, ſed à cœlo datum & paratum cibum expetere & exſpectare debent, ſæpius verò in poſteriorem ſe partem curvare.

Lineæ directionis effectus in volucribus, plantis, & animalibus.

2. Arbores, frutices, & ſimiles firmiores plantæ, niſi impediantur, rectà ſe erigunt. Hinc arbores in montibus ita excreſcunt, ut efficiant ad ſuperiorem ſuperficiem acclivem ipſius montis angulum acutum; ad inferiorem, obtuſum. Accedit quòd plantæ calorem & vitam à cœlo accipiant. Cucurbitæ verò, hederæ, portulacæ, & ſimiles infirmiores plantæ, cùm ſint valde graciles, ſuomet pondere in ſe ipſas recurvantur, ac deprimuntur.

3. Animalia ſi inter gradiendum utrumque dextrum pedem ſimul tollant, cadunt; cùm verò in poſteriores tantùm pedes ſe erigunt, ut equi ſolent, tunc poplites & magnam corporis partem in poſteriora retrahant neceſſe eſt, ut centrum gravitatis corporis ſui ad lineam directionis pedibus, quibus inſiſtunt, imponant.

a *Ariſtoteles 8. phyſ. tex. 82. & 3. de cœlo tex. 28.* b *Laur. Forerus in Virid. diſp. de Impulſu num. 2.* c *Vasquez in 1. 2. diſp. 81. cap. 3. num. 8. & 19.* d *Rubius 8. phyſ. cap. 6. q. 6.* e *Laurentius Forerus in Viridario diſp. de Impulſu, theſi 10.* f *Suarez diſp. 43. Met. Sect. 1. num. 15.* g *Joſephus Blancanus loc. Mathem. Ariſt. quæſt. 2. Mechan. de Libra.* h *Baptiſta Villalpandus tom. 2. in Ezechielem p. 2. lib. 1. de Ponderibus cap. 6.*

E R G O.

Superſtitiones variæ.

1. Rurſus vim naturæ facit nuperus circumforaneus, dum in lapidibus & ferro impedire reactionem conatur totâ hyeme, ut equorum ſoleæ ſemel benè affixæ non egeant reparatore.

2. Reſte

Digitized by Google

2. Reſte digni ſunt, qui Dominicæ diei filo manum dextram, aut reſte quo aliquis ſuſpenſus eſt, circumligant, ut certo impulſu glans plumbea ſcopum tangat. Crucem merentur, qui Chriſtum in cruce denuo vulnerantes, vel arma incantates certitudinem jaculorum (den Frey-ſchuß vocamus) ſibi promittunt; qui gladios quodam ſucco certis ceremoniis verſus mucronem inungunt, & ad fulminis lapidem affricant, ut eorum impulſus non minuatur, nullum tamen veſtigium in occiſo appareat, vel inevitabilia vulnera fiant; qui ad impetum frangendum interulam lineam horrendis imaginibus inſcriptam, quam inferni Camiſiam vocant, induunt; vel ſchedulas pictas, ſignisque ignotis inſcriptas, vel pilulas è farina ſubtiliſſimè confectas devorant, vel illud ANANI SAPTA &c. aut quod ab umbilico infantis reſciſſum, vel ſecundinam infantis, aut preces quas D. Leoni, aut Magna DEI nomina, quæ Carolo Magno mendaciter tribuunt, è collo ſuſpendunt. Armorum incantatio. Inferni Camiſia.

3. Ab Acherontico Vulcano loricati ſunt, qui nudata pectora mucroni exhibent ferienda, ut à carne alioquin molli, & ad impulſum reproducendum ineptâ, in ferientem inſtar ceræ reflectatur. Invulnerabilitas à diabolo.

4. Vanè terrentur, qui conſpicientes, quæ à funambulis, aliisq; ſaltatoribus paſſim fiunt, præſtigias metuunt: quanquam enim id genus hominum ſæpe faſcino aliquo curioſis imponere, & illudere conſuevit, celeritas tamen motus in illis quotidiano uſu exercitatiſſimis plerumque efficit, ut quamvis flexus ac motus membrorum, quibus nos in ſurgendo & ſaltando utimur, etiam exerceant, ſpectantium tamen oculos fallant. Funambulorum dexteritas.

Annotatio ad Theſes.

DE Impulſu multa occurrunt dicenda; ſed locus ac tempus non patitur, ut excurramus. Dabitur fortaſſis aliàs occaſio. Diſplicent exempla de pariete repellente pilam, & magnete rejiciente ſecundùm unam partem ferrum, aliaq; nonnulla quæ ſequuntur, ad probandum, non opus eſſe motu ad producendum impulſum. Pila à pariete obſtante reſilit, propter impulſum reflexum. Magnes qua ratione rejiciat ferrum ſecundùm unam partem, explicavimus in Magia Magnetica, quæ eſt liber 3. partis 4. Magiæ noſtræ.

De Linea directionis, & mirabilibus ejus effectibus, uti & de funambulis, fuſè egimus in 3. parte Magiæ lib. 1.

Annotatio ad Corollaria.

QUæ ad armorum incantationem, ad invulnerabilitatem, aliaq; ſimilia pertinent, diſcutiemus fuſiùs in Technica Curioſa, ſi tempus permittet. Aliqua etiam diximus ſuprà lib. 1. dum quæſivimus, an dæmon poßit reddere homines impenetrabiles.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Generatio, & Quantitas; ac varia Corollaria inde deducta.

Deus cum cauſis ſecundis conc[illegible]it.

COëfficiens agentis creati eſt auctor Naturæ DEUS Opt. Max. *a* qui verè & propriè, immediatione virtutis & ſuppoſiti, ſemper & ubique, ad eundem effectum concurrit, tanquam cauſa prima cum ſecunda, ita ut *b* ſecunda determinet primam quoad ſpeciem & exercitium, prima ſecundam quoad individuum. *c* Accidens verò eſt accidentis univoca cauſa, nunquam ſubſtantiæ ſe ſolo; unde animalia, ex putrefactione & ſemine naſcuntur, univerſalioris cauſæ influxum agnoſcunt. Non tamen omne accidens eſt activum;

Quantitas non eſt activa.

e quantitas enim, materiæ proprietas, & aliorum accidentium ſubjectum, non eſt activa, ſed dat materiæ formaliter rationem partium extra partes cum impenetrabilitate. Si *f* partes omnes ſint ſimul, dicitur ab ea corpus naturale Continuum, Menſurabile per partes aliquotas, Diviſibile in partes proportionales in infinitum: ſi non ſint ſimul, dicuntur plura corpora, *g* quæ per intellectum ordinata Numerum conſtituunt. Figura ab ipſa re indiſtincta, ac proinde nullius activitatis, ex terminis quantitatis à forma ſubſtantiali acceptis reſultat; quæ ſi cum coloris quadam ſuavitate proportionata ſit, Forma ſeu pulchritudo dicitur.

a *Antonius Rubius lib. 2. phyſ. Tract. 4. de cauſa effic. q. 4. n. 69. 70. & ſeqq.* b *Franciſcus Toletus 8. phyſ. cap. 2. quæſt. 3.* c *Franc. Suarez diſp. 18. metaph. ſect. 2. n. 21. & ſeqq.* d *Scotus in 4. diſt. 12. quæſt. 3.* e *Ferrarienſis 3. contra gentes, cap. 105.* f *Ariſt. 1. cœli cap. 1, tex. 2. & 6. phyſ. tex. 7. & alibi.* g *Idem 4. phyſ. tex. 131.*

ERGO.

Figuræ nihil agunt.

1. Malo genio, non Nectanabo inventore, figuris, characteribus, numeris activitas tribuitur, dum pro duellis & diſcordiis excitandis in gemma ſculpitur Orion, aut Dares, aut Entellus ceſtibus ſe demulcentes, ut ſimiles in cœlo figuræ Draconis, Leonis &c. vim talem in inferioribus excitent. Ubi tales figuræ in cœlo? unde illa vis figuræ? Afferunt ſimilitudinem citharæ, in qua fides una percuſſa, alteram tinnitu ſuo cogit concinere; ſed malè: in citharis enim requiritur à parte rei convenientia, ut nimirum chorda quæ vibratur, & altera quæ vibriſſat, contremitque, & conſonat, in eodem ſi tenſa tono, adſit debita propinquitas, fidium concinnitas, & ſimilis aëris criſpatio, quæ quaſi plectro ſonum eliciat. Nihil in his figuris ſimile.

Citharæ chorda cur intacta tinniat.

2. Eo-

Digitized by Google

2. Eodem auctore cum Pythagora & Alcmæone numerorum viribus omnia producta eſſe & conſervari docetur; quaternario & novenario Juſtitia; quinario nuptiæ; ſeptenario maturitas; pſalmo Davidico, eò quòd decimus ſit, aut centeſimus, vis major phyſica cum Cornelio Agrippa tribuitur.

3. Antiquæ ſuperſtitionis monumentum eſt, Criticis Medicorum diebus, & annis climactericis, & octimeſtribus partubus, & pilulis impare numero ſumptis vi numeri aliquid tribuere; numerus nihil agit, unde & imparitas illa numeri eliminanda eſt, auctore *Delrio* lib. 1. cap. 4. quæſt. 2. Non tamen negamus effectus, ſed cauſam; cauſa vera criſeos eſt humorum acrimonia & celeritas, qua vel quovis die, vel ſecundo, vel tertio, vel quarto, vel ſeptimo, vel octavo recurrunt, & ſubjectum invadunt, unde & differentiæ febrium ſumuntur. Ex his dierum acceſſionibus Medici conjiciunt quid ſit ſperandum de ægri valetudine. Annus verò climactericus ideo homini lethalis cenſetur, quia eſt naturalis quædam ratio complexionis, & periodus quæ certo tempore abſolvitur; præverti tamen liberè, vel produci, vel omnino evitari mutatio poteſt. Octimeſtres partus ideo non ſolent diu eſſe ſuperſtites, quia aliquando humanus fœtus ſeptimo menſe perficitur, & tunc poſt ſextum menſem conatur exire; quòd ſi non reperit magnam reſiſtentiam, tunc validus exit & robuſtus; ſi autem valde ei reſiſtitur, continuâ illâ menſis pugnâ debilitatur, & octavo menſe debilis prodit in lucem. Cùm autem nono menſe fœtus perficitur, ita plerumque validus fit, ut eum nulla uteri reſiſtentia debilitet. Ita *Hippocrates* lib. de octimeſt. part.

Critici dies cur ſic dicti ſint.

Annus climactericus cur fatalis cenſeatur.

Octimeſtres partus cur ſint brevis vitæ.

4. Execrandæ ſunt fabulæ *Joannis Taisneri*, quas de fictis palmarum lineis non minùs impiè quàm ſtupidè comminiſcitur libro de chiromantia. Dividit ille Chiromantes palmas in certas partes, ſingulaſque tribuit ſingulis Planetis, & naturaliter ex complicatione prima manuum in utero materno ortas lineas per Planetarum curſum & concurſum interpretatur, imminentemque mortis falcem, & alia quæ à libertate pendent, ex his vaticinatur; hinc & Planetarum regiones, & montes in manu, Veneris cingulum, Viam lacteam, Lineam ſolarem, Martis triangulum, lineam Saturni, felicitatis, vel apud principes favoris indicia, mendaciorum dives propola paſſim divendit, eò deteſtabilior, quòd cum aliis tam impiæ ſuperſtitionis patronum Sacram Scripturam adducat Job cap. 37. *Qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.* Abuſus maximus. Joannes Pineda locum iſtum ſic explicat: τὸ ſignat idem eſt quod obſignat, ſigillat, claudit, juxta phraſim Hebræam, & dicitur ſignat in manu, pro claudit manum, ſicut Oſeæ 4. dicitur interrogare in ligno, id eſt, lignum. Senſus ergo eſt, DEUS claudit

Chiromantia quænam ſit illicita.

manus

Digitized by Google

manus omnium hominum, quando tempeſtates, ventos, imbres &c. ſubmittit, ut ſciant omnes, agricolæ maximè, niſi DEUS det ſerenum cœlum, otioſis & complicatis manibus ſedere, & ab arando metendoque ceſſare debere. Ecce quàm diverſus ſenſus. Non nego tamen, ſigna naturalia & vero-ſimilia ex manibus ſumi poſſe juxta Phyſicorum & Phyſiognomorum normam. Sic *Ariſtoteles* & *Valleſius* docent, quòd manus glabra, rotunda, brevibus digitis, piloſa, non habens multas lineas &c. aliquid belluinum ſignificet; multis verò lineis deſcripta, magna, longis digitis ad proportionem naturalem inæqualibus, qui facilè adducantur & abducantur, ſapientiam ac bonos mores indicet. Juxta *Antonium Zaram* de Cult. ing. concava & curva, calidi; brevis & recta manus, frigidi humoris abundantiam arguit &c. Sed hæc impoſtoribus & chiromanticis ſuperſtitionibus nihil ſuffragantur.

5. Aſophi ſunt, & qualitatum vim activam ignorant, qui, ſi quem furibundum vident ſpectris agitari, ſomniis horribilibus vexari, tenebras quærere, obmuteſcere, ſine cauſa lacrymari & lugere, mortem appetere, aſſeverare quæ non ſunt, illum à Dæmone infeſſum ſuſpicantur, & ſacerdotes aliosque Eccleſiæ miniſtros pro exorciſmis ſollicitant; quod hoc anno non ſemel uſu venit. Qualitates melancholicæ, frigus & ſiccitas, humorumque & ſpirituum nigror in cauſa ſunt, ut docet *Schönlinus* ex Andrea Laurentii.

Melancholicæ qualitatis effectus.
1. Metus.

Melancholicus timet, quia id quod in cerebro conditum eſt, aſpicit, ſed ſub aliena ſpecie, ſiquidem ſpiritus & vapores nigri per nervos, venas, & arterias continuò à cerebro ad oculum defluunt, qui plurimas in aëre umbras & phantaſmata repræſentant: ab oculo dein ſpecies in phantaſiam deferuntur; quas cùm præſentes ſemper habeat, perpetuo metu percellitur, maximè ob frigus adjunctum, quod timidos, tardos, ſtupidos reddit, ut in mulieribus, pueris, ſenibus videre eſt. Sunt autem ſpecies nigricantes potiſſimùm, quia eſt quidam vapor in animali internus, qui cryſtallino pro coloris ſui varietate offertur; & ſi à ſanguine oritur, ruber; ſi à bile, flavus; ſi à melancholico humore, niger: hoc colore vapor imbutus primùm oculo, dein imaginationi ſe offert. Quare mille exorciſmis & ſacris amuletis hic metus & phantaſmata non pelluntur, niſi cauſa morbi Phyſici cujusdam periti operâ ceſſârit. Nunquam tamen ad præcipitia, funes, & gladios hæ qualitates ducunt, niſi timor in deſperationem abeat; quod Maniacis frequentiùs quàm Melancholicis accidit, ut patet in Empedocle Agrigentino in flammas Ætnæ montis ſe præcipitante, Ajace Telamonio ob rapinam armorum Achillis in beſtias debacchante, Cleamane propriâ clavâ ſibi vitam adimente, Oreſte matricidio Clytemneſtræ polluto, quem Pyladis integerrimi amici cuſtodiâ vix à præcipitio præ-

Digitized by Google

præſervavit; Saule, & nupero Falckenbergio Magdenburgenſium administratore, aliiſque prece vel precio violentas famulorum manus efflagitantibus.

Melancholici verò triſtes ſunt, ob accidens quod illos infeſtat: ſicut enim ſanguinei ut plurimùm læti ac hilares ſunt, quòd calidi & humidi commoderatâ mixtione potiantur; bilioſi anxii & acerbi, quòd calorem obtineant ſiccum, & velut acrimoniâ quadam pungentem; ita Melancholici timidi, moroſi, & caperatæ frontis, quia frigidi & ſicci. Hinc Bellerophon vagabundus loca deſerta planctu & lamentis complebat, Heraclitus Philoſophus Epheſius in perpetuo vivebat fletu, quòd, ut Theophraſtus teſtatur, melancholicus eſſet; hoc & ſcripta ejus confuſa, & velut atrâ obſcuritate obducta atteſtantur. 2. Triſtitia.

Suſpicioſi ſunt, quia ſemper inſidias timent. Errant, inquit Ariſtoteles, plerumque in rebus, quæ ab electione dependent: propoſitiones enim univerſales, in quibus honeſtum conſiſtit, ex memoria deponunt, & ſtultæ imaginationis ſuæ impetus conſectantur. 3. Suſpicio.

Inquieti ſunt, interrogati reſpondere nequeunt, & variato diſcurſu inconſtantes, ob diverſitatem objectorum, quæ ſibi proponunt. Dum enim ſpecies omnes reſpiciunt, eaſque ſub forma inconvenientis & noxii ſibi imprimunt; ſæpe variare, & novas ſcrutari ſpecies coguntur, quæ nihilo prioribus acceptiores, inquietudinem hanc alunt. 4. Inquietudo.

Crebrò ſuſpirant, quia anima phantaſmatum varietate impedita reſpirationis obliviſcitur, unde natura deinde tantum aëris uno ſpiritu attrahere cogitur, quantum duabus aut tribus ſuſpirationibus adduxiſſet; diciturque hæc major reſpiratio Suſpirium, quod velut duplicatus eſt anhelitus. Idem omnino accidit amantibus, atque iis quibus animus profundâ aliquâ contemplatione diſtinetur, v. g. picturæ elegantis aſpectu, qui inſigni ſuſpirio anhelitum reparare coguntur, voluntate ſcilicet (reſpirationis causâ effectrice) diſtractâ, & in ſola imagine intuenda occupatâ. 5. Suſpiria frequentia.

Somnum capere non poſſunt, quia ſomni cauſa materialis Melancholicis deeſt. Materialis eſt vapor ſuavis, qui à prima & ſecunda concoctione elevatus madore ſuo nervos relaxat ac obſtruit, & vacationem quandam feriarum vice ſenſibus ac motui indicit. Finalis eſt ſpirituum reparatio, quibus per vigilias diſſipatis quies neceſſe eſt, nè agitationis vigor prolabatur; quam obtinere non poteſt, niſi anima functionum omnium opifex tranquillitate aliquâ potiatur. 6. Inſomnia. Somni cauſæ.

Sic animi infelix turbatur Dido, nec unquam
Solvitur in ſomnos, oculiſvè aut pectore ſomnum
Accipit.

Digitized by Google

Forma conſiſtit in revocatione ſpirituum & caloris nativi à partibus exterioribus ad internas, ſive à circumferentia ad centrum. Inſtrumentalis eſt cerebrum, quod temperatum eſſet decet: ſi enim calidius ſit, ut in phreneticis; aut ſiccius, ut in decrepitis; placidus obrepere ſomnus non poteſt.

In Melancholicis materia deficit, anima quiete non fruitur, cerebrum malè eſt diſpoſitum. Materia eſt humor melancholicus cineris inſtar ſiccus, unde ſuavis benignusque vapor elevari nequit; cerebrum intemperatum eſt, penitusque reſiccatum; anima perpetuis turbis agitatur; timor enim horrendis eos ſpectris continuò arrodens, à jucundo ſomno excludit.

7. Somnia turbulenta. Somniorum ſpectrorumque turbulentâ concurſione horrendo nonnunquam ſomno prehenduntur ob humoris proprietatem: ſicut enim phlegmatico, in ſomno plerumque obverſatur aquarum eluvies, bilioſo incendium; ita melancholico funera, ſepulchra, funeſta omnia; ſiquidem imaginationi offertur ſpecies humori ſimilis, quâ dein memoria ſuſcitatur; aut ſpiritus obſcuri, & atro colore penitus imbuti per cerebrum volitantes, & usque ad oculos derivati, tenebroſa & opaca omnia phantaſiæ repræſentant.

8. Amor tenebrarũ. Tenebras amant, quia ſpiritus obtinent & humores luci contrarios. Sol lucidus eſt & calidus, melancholicus humor ater & frigidus.

9. Fuga hominum. Homines fugiunt, ne aliorum præſentiâ ab imaginatione, quàm ſibi fingunt & refingunt, diſtrahantur: perattenti ſunt, ob ſpiritus craſſos & velut immobiles.

10. Stupor. Oculis fixis & immotis incedunt, ob frigus & ſiccitatem organi, aurium tinnitu & vertigine nonnunquam vexantur.

11. Silentium. Silentium mirum in modum amant, ac ſæpe loqui neſciunt, non linguæ vitio, ſed pertinaciâ quâdam inſolenti, & abſurdâ imaginatione particulare aliquid ſibi objectum effingunt, quod non niſi temporis ſucceſſu aboletur.

12. Delirii varietas. Varietas delirii & imaginationis naſcitur vel ex diſpoſitione corporis, vel vitæ genere & ſtudio, vel occultâ quâdam causâ: ſicut enim ſomnia quædam ſunt Naturalia, quæ humoris dominantis naturam ſequuntur, ex quibus & Medici, juxta Galeni præſcriptum, eventum morborum prædicunt; quædam Animalia, quæ ex animæ affectionibus proveniunt, quibus interdiu geſta & cogitata objiciuntur; quædam, ſupernaturalia, quæ vel Divina ſunt, & abſcondita myſteria revelant, ut Abrahamo & Joſepho in veteri teſtamento, & tribus Regibus Orientalibus ac S. Paulo in novo; vel Diabolica, & in fraudem inducunt; ita melancholicæ imaginationes ſe habent. Et ſi aliquando futura præſignificent, quod docet

Digitized by Google

cet *Raſes* & *Trallianus*, aut inſolentes ac ſtupentes res præſtent, ut teſtatur *Avicenna*; id Dæmonis fit illuſione.

Uni igitur ex primis duabus cauſis tribuendum, quod quidam apud *Galenum* lib. 3. de locis affectis, ſe vas figulinum factum eſſe putârit, atque ideo, ne collideretur, obviantibus ceſſerit: Alius continuò timuit ne Atlas fabuloſus cœliger onus excuteret & ſe opprimeret: Alius, cujus meminit *Ætius*, ſe capite truncatum aſſeveravit; cui Philotimus Medicus impoſito plumbeo pileo, imaginationes perceptâ gravitate ademit: Alius naſum eâ longitudine ſibi excreviſſe putavit, ut veritus ne paſſim impingeret, loco ſe movere noluerit; cui Medicus alius appoſito farcimine, & præciſo, ut in ſubjectam pelvim partes incidentes audiret, ac tandem raſâ cute naſi, & dolore percepto, ſanitatem reſtituit. Artemidorus Grammaticus, brachio uno & crure ſe privatum eſſe, ſibi perſuadebat. Alii ſe mortuos exiſtimabant, ut cibum capere renuerent: quibus cùm ſe ſervus ſanus in lecto appoſuiſſet, qui itidem ſe mortuum ſimulabat, & is objectos cibos devoraret; perſuaſit, ut mortuos alimentis uti crederent, & manducarent. Alius vitreum ſe eſſe putabat, vir cæteroquin magnæ auctoritatis, & magno judicio diſcurrens, amicosque quorum conſortio gaudebat, rogabat obnixè ne propiùs ad ſe accederent. Alius celebris Galliæ poëta, etiamnum in vivis, ut putatur, narcotico quodam unguento, quod populneum dicunt, ex Medicorum præſcripto in febri adhibito, ita etiamnum fugit, ut omnes ad ſe accedentes hoc unguentum olere cenſeat, ideoque neminem niſi à longè ſibi loquentem admittat. Alius, teſte *Aretio* lib. 1. de longis morbis, ſe lateritium opinabatur, adeo ut potum omnem, ne liquore diſſolveretur, reſpueret. Ferrarienſis piſtor, ſe ex butyro compaginatum jurejurando affirmabat, & ignem omni modo declinabat, ne colliqueſceret. Alii ſe factos Reges, & Imperatores aſſeverabant. Alteri Senenſi cuidam nobili nullo modo perſuaderi potuit, ut urinam redderet; ajebat enim, inquit *Schönlinus* diſcurſu 1. cap. 7. ſi minxiſſet, totam urbem diluvio perituram; quem ut ad excernendum lotium Medici perducerent, in vicinam domum ignem injecerunt, & pulſantibus campanis ad inſanientem domeſticos dimiſerunt, urbis incendium denuntiantes, ut redditâ urinâ veluti diluvio concremati urbi ſuccurreret, reddidit quidquid veſicâ contentum ſervârat, & ſanitati redditus eſt.

Imaginationis ex melancholia læſæ exempla.

Tantum poteſt intemperies frigida & ſiccâ, quæ in arce hominis locum obtinuit, & ab inordinato rerum caducarum amore ut plurimùm originem trahit: honores enim & opes, dum vel poſſeſſa onerant, vel amata inquinant, vel amiſſa animum cruciant; gaudium ex cordis contubernio eliminant, & triſtitiam melancholici humoris procu-

Digitized by Google

ratricem aſſiduam advocant. Aliis mala domum vehementiùs infeſtantia cerebrum infeſtant, & inficiunt, quæ *Timpius* ſic recenſet in menſa Theophiloſophica.

Sunt mala terna domûs, imber, mala fœmina, fumus;
Quartum, cùm manè ſurgunt pueri ſine pane.
Drey ſeynd eim Haus überlegen /
Der Rauch / ein böß Weib / und der Regen;
Das vierd beſchwerts auch überaus /
Viel Kinder und kein Brod im Haus.

Divinum igitur eſt conſilium; Bene agere, & ſemper lætari. Proverb. 17.

Triſte cor ad mortis cogit te currere metas;
Spiritus exultans facit ut tua floreat ætas.

Annotatio ad Corollarium I. II. & III.

NUllâ ratione naturali probari poteſt, figuras & numeros præciſè ut tales, vim aliquam effectivam obtinere. Quare nec dies critici, nec anni climaterici, nec numerus menſium geſtati uteri, vim ullam habent ad effectus illos producendos, quos paſſim diebus, menſibus, & annis illis contingere videmus. Aliæ ergo ſunt illorum effectuum cauſæ; illæ nimirum, quæ in Corollario 3. breviter inſinuantur.

Annotatio ad Corollaria reliqua.

DE duplici Chiromantia, Phyſica ſcilicet, & Aſtrologica, ſatis fuſè tractavimus in 4. par. Magiæ lib. 8. ubi Aſtrologiæ vanitatem exploſimus; Phyſicam verò excuſſimus, & cenſuram noſtram adpoſuimus.

De ſomniis & divinatione ex iis, egimus citatâ 4. par. Magiæ lib. 6. De reliquis nihil occurrit dicendum; ſatis enim fuſè & accuratè ſunt enarrata quæ ad Melancholiam ſpectant. De vi mira imaginationis ſermo erit alibi.

CAPUT VII.

Locus, & Duratio; & varia Corollaria inde deducta.

Loci definitio.

ALiæ adhuc ſunt corporeæ ſubſtantiæ affectiones non operativæ, ut eſſe in Loco, & Durare. *a* Locus autem eſt ſuperficies corporis continentis immobiliter; ita ut locus primò contineat locatum; ſecundò ſit æqualis locato; tertiò conſervet locatum, ſi ſit naturalis; quartò ſit immobilis, idq; vel *b* ob certam diſtantiam à partibus fixis mundi, vel (quod

proba-

Digitized by Google

probabilius) *c* quia locus non aufertur cum locato. Exiſtentia autem rei in loco vocatur Ubi; quod aliquibus eſt *d* modus præſentiæ, aliis *e* probabilius ipſa Exiſtentia reſpectivè in ordine ad locum ſumpta; ita ut Latio ſeu motus localis non ſit actio productiva, ſed applicativa ejuſdem rei ad alium atque alium locum. *f* Unus autem locus, ſecundùm naturæ leges, niſi unum corpus; & unum corpus, unum tantùm locum admittit. *g* Duratio eſt permanentia rei in ſuo eſſe, vel modaliter, vel, ut probabilius, ratione à re permanente diſtincta. A[illegible] ſucceſſiva, quæ Tempus dicitur, eſtque *h* numerus motus (primi mobilis) ſecundùm prius & poſterius; & pendet ab intellectu, prout eſt actualis aliorum motuum menſura. Alia eſt permanens, quæ vel eſt Increata, & dicitur Æternitas; *i* eſtque tota ſimul independens & immutabilis duratio, ſoli DEO Opt. Max. propria; vel Creata, quæ duplex eſt, ævum & Modus ævi. Ævum eſt naturalis tota ſimul & ab intrinſeco invariabilis duratio; & convenit Angelis. Modus ævi eſt permanens & ab intrinſeco variabilis duratio. Hac nos, & creaturæ cæteræ, quoad Creatori allubeſcit, in eſſe perſeveramus.

Ubi, ſeu Locus in- tr[illegible]cus.

Latio eſt actio productiva.

Duratio rei.

Æternitas.

a *Ariſt.4.phyſ.tex.39.& 41.* b *D.Thom.lib.4.phyſ.ſuper text.41. & in opuſc. 52.* c *Benedictus Pererius lib. 11. de Loco, cap.6.* d *Hurtado de Mendoza diſp. 14. phyſ.ſect.§.1.* e *D.Thom.1.p. q. 110. a. 3. Et quæſt.6. de potent. a. 6. & 2. contra gent.c.13.* f *S.Bonavent. in 4. diſt. 44. art. de dote ſubtilitatis.* g *Ocham in ſecundo, quæſt.10.* h *Ariſt.4 phyſ.cap.11.tex.108.* i *Boëtius lib. de conſolatione, proſa 2.*

E R G O.

1. Ignorant naturam Loci, ſeu Ubi circumſcriptivi, qui ſagas per parvum foramen tranſire, vel, cùm Zonæ ſuæ auxilio in felis, muſtelæ, &c. formam ſibi aliiſque mutatæ videntur, per clauſas januas introire putant: Nam Diaboli vires ſuperat, ut faciat duo corpora eſſe in eodem loco: ſed per formas aëreas & imagines phantaſticas hæc fiunt, ut habet *S.Auguſt.* lib. 18. civitat. cap. 18.

Duo corpora ope Diaboli non poſſunt eſſe in eodem loco.

2. Nec Diabolus invulnerabiles reddere poteſt, niſi ictus prohibendo, avertendo, debilitando. Poteſt tamen facere, ut inter tormenta dormiant, aut doloris expertes videantur, vel per pharmacum ex opio, ſolano &c. ſoporiferum humores turbando, nervoſque obſtruendo, & ſenſus obſtupefaciendo, vel ſubducto veneficio, faſcinatiſque judicum oculis, truncum, aut aliud in locum rei ſubſtituendo. Errat autem *Joan. Bodinus* Andegavenſis in Dæmonomania lib. 4. cap. 1. dum putat, animam veneficorum à corpore ſeparari tantiſper, & pòſt reddi; quod per Angelum fieri nequit. Impoſtor eſt *Gochlenius*, qui Sanctorum reliquias, & ceram, vel medallia in quibus imagines crucis, JESU & MARIÆ ſalutifera

Digitized by Google

Figuræ certis locis inſculptæ, ut tales, nihil poſſunt.

nomina continentur, nullo in loco patitur; exiſtentiis tamen Aſinorum & Jovialium imaginum vim tribuit, ut Magnetiſmum unguenti armarii, & characteriſticam curationem defendat Tract. Offenbachii edito p. 391. *Si in argento,* inquit, *vel lapide albo figuram Jovis* (ecce imaginem) *ſculpis, & è collo* (adverte locum) *pendulam geſtaveris; nihil certius erit quàm ut maximis divitiis atque honoribus augearis, vitamq; in ævum producas: ſi effigiem hominis barbati inter duos tauros ſedentis ſuper aratrum* (en locum) *in lapide ſignaveris, pectorique appoſueris; haud dubiè fortunatiſſimus mercator eris: Si imaginem aſini in chryſolitho efformaveris; ingenii acumine omnium oculos, digitosque in te convertes, quin etiam præſcius futurorum quaſi divinum in vatem transmutaberis: ſi tauri imaginem præſico in lapide circumtuleris, nemo te in Magiſteriis, aliisque gradibus litterariis ſuscipiendis antevertet: ſi gallum in Achate delineaveris, non ſolùm hominum, ſed & DEI gratiam geſtanti conciliabit: denique ſi tintinnabulum in gemma cum Venere & Mercurio effigiaveris, caſtitate ac perpetuâ Virginitate donaberis &c.* Viden' quid loco, quid tempori, quid imaginibus tribuat, jam idololatra, jam Cabaliſta, nusquam Chriſtianus, rarò Philoſophus? Quàm ruderet, ſi Catholici imagini Chriſti & Deiparæ Virginis, vel precibus Eccleſiæ in Sacro Agno DEI id tribuerent? & aſinos ſimiles ſimilis ſuis diſcipulis permittit. Ita fit ubi quis vis pro libitu delirat. Vide plura apud *P. Laurentium Forerum* diſput. de Magnete num. 14.

Annotatio ad Corollarium I. & II.

DÆmones non poſſe efficere, ut corpora ſe mutuo penetrent, aut ut duo ſint in eodem loco, probavimus ſuprà lib. 1. cap. 24. & 25. An iidem poſſint reddere homines immunes à læſione, vulnere, dolore, diſcuſſimus ibidem cap. 28.

CAPUT VIII.

Fatum, Fortuna, & Caſus; & varia Corollaria inde deducta.

Fatum quid ſit.

E Cauſarum numero eximitur etiam Fatum, Fortuna, Caſus. a Fatum eſt diſpoſitio immobilis rebus mobilibus inhærens, per quam divina providentia ſuis quæque nectit ordinibus: ſeu, eſt ordo cauſarum ſecundarum divinam providentiam exequentium, b ita ut in DEO ſit Providentia, ſeu ratio ordinis rerum in divina mente exiſtens; in rebus Ordo cauſarum eo modo, quo fuerunt à DEO præordinatæ; cui omnia ſubjiciuntur, quæ ſubſtant cauſis ſecundis à DEO diſpoſitis, etiam humanum corpus, anima verò nequaquam; unde reſpectu DEI unum eſt fatum, reſpectu

Digitized by Google

reſpectu effectuum plura. *c* Fortuna eſt cauſa per accidens effectûs raro contingentis in his, quæ ob aliquem finem per electionem operantur, ut fodiens agrum ſi inveniat theſaurum non quæſitum. Caſus propriè eſt cauſa per accidens effectus rarò contingentis, in his quæ alicujus gratiâ operantur per naturam. Reſpectu DEI nihil eſt fortuitum, aut caſuale. Monſtrum eſt effectus caſualis reſpectu cauſæ ſecundæ; quod definitur eſſe Individuum animatum, habens à natura notabilem deformitatem toti ſpeciei extraneam. *d* Cauſæ ejus ſunt, vis formatrix, ſemen, tunica ſecundina, qualitates primæ, vel in exceſſu, vel defectu, Locus, vis imaginatrix &c. Fortuna quid ſit. Caſus quid ſit. Monſtrum quid, & unde ſit.

a *Boëtius lib. 5. de conſolation. cap. 6.* b *Complutenſes Diſcalceati Carmelitæ diſp. 13. phyſ. q. 4. n. 71.* c *Euſtachius à Sancto Paulo 1. part. phyſ. tract. 2. quæſt. 2.* d *Lavinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. 1. cap. 15.*

ERGO.

1. Ferendus non eſt Albumazar, qui DEUM fato ſubjicit, & aſſeverare audet, qui Lunâ Jovi conjunctâ in capite Draconis DEO ſupplicârit, eum quidquid petierit à DEO, certiſſimè impetraturum. Superſtitiones circa fatum & fortunam.

2. Æquè deteſtabiles nugones, qui ex nomine & literis de fortuna cujusque conjiciunt. Quid ſi conjectores tales Nebulones, ut merentur, nominarem, an idcirco fortunam mutarent? item qui pronuntiatis certis verbis vel cribrum è forfice pendens vertunt, ut furis nomen indicet; vel veſtigiis præambulantis ſuſpectæ inſiſtunt, credentes ſi ſaga ſit, vel ſubſiſtere, vel iter ſuum recalcare debere.

3. Huc ſpectant Genethliaci, qui planetas & geneſin conſiderantes, mores, fortunam, ſtatum vitæ, annos, prænuntiant. An ergo nuper Magdeburgenſes combuſti omnes eosdem planetas habuerunt? Item qui locum, aut teſſeras, aut chartas luſorias, aut annulum è catena patibuli in digitis variant, ut fortunam varient.

4. Denigrandus eſt *Jo. Jac. Weckeri* Baſileenſis Medici nimius candor, quo libro 3. de ſecret. cap. 1. fatetur, de fortuna cujusque anni facilè conjectari licere, ſi 12. 19. 8. 4. ac 30. præcedentes quis conſideraverit, & ad præcedentis anni conditionem comparaverit; v. g. conſidero annum 1535. in quo fui fortunatiſſimus, & confero cum præſenti, 1553. &c. certè Medicus hic prudentiam potiùs quàm per annos fortunam comparare debuiſſet. Si enim uno ex illis annis infirmum neglexiſſet, an etiam ideo tali anno interficere quempiam debet?

5. Pro Ardelionibus habendi, qui ad ſe fortunandos reticulum, in quo infans natus eſt, ſecum geſtant.

6. Ephe-

6. Ephesiæ ſunt preces, quæ certò promittunt recitantibus, eos futuros bene fortunatos, &c. Vide *Leßium* lib. 2. de Juſt. cap. 43. dubio 10. num. 63. Iniqui judices ſunt, qui ex cadaveris profuſione ſanguinis de occiſore ſententiam ferunt. Si aliquando id accidit, vel per accidens & caſu factum eſt, vel peculiari DEI judicio attribuendum. Quod enim aliqui ad occultas qualitates, vel tenues ſpiritus per commotionem flavæ bilis afflatos confugiunt, fundamento caret, cùm ſæpe amicus amicum inviſiſſimè caſu improviſo occidat.

Sanguis cadaveris non prodit homicidam.

7. Non bene philoſophatur *Avicenna*, qui totam activitatem in efformandis, vel maculâ quâdam notandis fœtibus monſtroſis phantaſiæ tribuit; & *Alchindus*, qui à phantaſia radios more ſolarium diffundi miraculorum opifices, & quaqua verſum ad libitum dirigi: quos communis ſchola oppugnat; ſiquidem ob Sympathiam & ſingularem connexionem in operando, qua potentia generativa matris ſeſe phantaſiæ cæco quodam quaſi naturæ ductu & impetu, quoad poteſt, conformat, & ob miniſtros ſpiritus ac humores in corpore matris, ob vim generativam in matre & formatricem in ſemine, ob peculiarem coordinationem partium matris ad partes prolis, pedis v.g. matris, quem durante imaginatione tangit, ad illius pedes &c. per aliquam è primis qualitatibus virtualiter in ea contentam membro efformando idoneam, quidlibet in utero effigiari poteſt ad imaginationem, ita tamen, ut imaginatio ſeu phantaſia non directè in fœtum agat, ſed habeat ſe inſtar conditionis neceſſariæ. His igitur cauſis attribuendum, quòd *Gen cap. 30.* oves Laban objectu in conceptione coloratarum virgarum factæ ſint verſicolores, & plura quæ refert *Franciſc. Valleſius* de ſacra Philoſophia cap. 11. Aliquando Europæa Æthiopem edidit, quia unum ex tribus Regibus; alia hirſutum infantem, quia S. Joannem Baptiſtam curioſiùs contemplatæ fuerant. Non ante multos annos, inquit *Laur. Forerus*, in Helvetia viſebatur imago Virginis cujuſdam, ex Ducum Allobrogum, ut dicebatur, ſanguine, quæ faciem totam jubis quaſi leoninis opertam per omnem vitam circumferebat, ex eo ſolùm, quòd mater prægnans conſpecto vivo leone, jubis ejus maximè perterrita, in eo terrore vultum manu deterſerit.

Non ſola phantaſia eſt cauſa monſtroſi partus.

Aliquot partus inſigniti.

Novi ego virum qui usque hodie genu dextro ceraſi maturi ſignum circumfert, quia mater prægnans ceraſa fortè conſpicata, & ſpe fruſtrata, genu, ut ſolet, percuſſerat. Alia gravida, cùm illi toroſior & lacertoſior quiſpiam occurriſſet, deſiderio flagrare cœpit morſum imprimendi ſuris pedum illius; quod ille ſemel atque iterum conceſſit, tertium tandem bolum cùm peteret, negavit. Poſtea factum eſt ut duos filios eniteretur ſanos, quorum uterque ſuum carnis bolum ore ferebat, tertius verò qui bolo carebat, etiam vitâ caruit. *Joannes Kentmannus* Dresdenſis Medicus

Digitized by Google

Medicus lib. de lapidibus in corpore humano natis, meminit cujuſdam, qui ex mori eſu dolorem capitis aſſiduum contraxit, in cujus demortui capite inventus eſt lapis formam mori accuratè exprimens, qui ſine phantaſiæ concurſu non crevit.

Annotatio ad Corollarium I. II. III. IV. & V.

Impium eſt, quod Corollario primo habetur; ſuperſtitioſum, quod ſecundo; vanum, quod tertio; delirum, quod quarto; futile & puerile ſimul, quod quinto continetur; nulla enim naturalis cauſa ineſt rebus ibi recenſitis ad promiſſos inibi effectus præſtandos. Sed hæc omnia, aut pleraque, meliùs diſcutiemus in Technica Curioſa, ſi permittet tempus.

Annotatio ad Corollarium VI. & VII.

De fluore ſanguinis ex cadavere hominis violenter occiſi ad præſentiam occiſoris, an naturaliter fiat, nec ne, & quomodo contingat, diſſeruimus in 4. parte Magiæ lib. 5. Syntagm. 2. cap. 4.

De mirabili vi imaginationis, & de ſignatura fœtus, agemus, DEO dante, in Joco-ſeriis, aut alibi.

CAPUT IX.

Mundus, & Cœlum; & varia Corollaria inde deducta.

Compages totius univerſitatis à magno illo opifice DEO *a* vernali tempore liberè eſt condita; Materia quidem, & Angeli, & Anima rationalis, *b* ex nihilo; reliqua ex præjacente *c* materia; diciturq; Mundus, Ens unum per accidens, complectens Cœlum, Elementa, &, quæ ex iis coaleſcunt, Mixta. Cœlorum nomine *d* alii ſuperlunarium orbium involucra undecim, *e* alii octo, alii (quod veriſimilius eſt) *f* tria corpora intelligunt, Empyreum, Sidereum, Aëreum. *g* Empyreum ſedes eſt beatorum. *h* Sidereum eſt quinta eſſentia, ſeu corpus ſimplex, tam in convexa parte, quàm in concava rotundum, ab omni elementari concretione purum; *i* vel ſolidum, *k* vel, ut probabilius, liquidum, ab aſſiſtente forma ſeu Intelligentia *l* per impulſus impreſſionem motum: in quo auricomæ illæ aſtrorum gemmæ (Errones vocant) *m* per ordinatos ſuos mæandros veluti triumphales arcus magnitudine mirabili, figurâ ſphæricâ, diſtantiâ maximâ circumferuntur; & tum per lumen innatum, licèt perexiguum, & calorem, tum *n* per arcanas quaſdam vires, quæ Influentiæ dicuntur, ſublunari huic mundo ſe communicant, metalla in viſceribus terræ generant, acum nauticam magnete illitam ad polum attrahunt, quibusdam variato aëre læſum aliquando crus convellunt, aliis ad variam

[Margin: Cœlum triplex eſt.]

[Margin: Influentiæ.]

Digitized by Google

lunam ſuperius oris labrum variè diſtendunt; partes radicis alicubi orientem ſpectantes antidotum faciunt contra venenum, ſpectantes occidentem ipſiſſimum ſunt venenum; implent conchylia, & ſponte nata, quæ nullo paris congreſſu enaſcuntur, in aquis anguillas, oſtrea, & cætera vado & ſaxis adhærentia ex putri uligine, teſte *Ariſt.* 6. de hiſt.anim. cap. 16. in lignis teredines, ex putrilagine limaces, cochleas, mures; ex fimo bubulo fucos, veſpas; ex aëreo madore erucas, papiliones, formicas, locuſtas, cicadas, aliaq; id genus, o tanquam inſtrumentariæ DEI cauſæ; plantas ut primariæ, ob peculiarem fœcunditatis prærogativam, & differentiæ ſuæ præſtantiam, producant. Quare quæ infra lunam à cœleſtium corporum motu & defluxu magna ex parte proveniunt, ut eclipſes, aſpectus & ortus ſtellarum, morbos, frigora, pluvias, &c. Aſtrologi p. probabiliter tantùm enunciare poſſunt; ſucceſſus verò contingentes, aut caſus fortuitos, & quæ à voluntate pendent, nequaquam.

a Cyrillus Hieroſol. *catech. 14. & omnes SS. Patres.* b *Eſt communis omnium Theologorum ac Philoſophorum ſententia.* c *Gabriel Vasquez 1. p. q. 45. a. 1.* d *Chriſtophorus Clavius comment. in cap. 1. ſphæra.* e *Omnes ferè Ægyptii & Chaldæi, & alii Aſtronomi ad tempora uſque Platonis & Ariſtotelis.* f *S. Clemens lib. 1. & 2. recognit. & alii SS. PP.* g *Iſaias cap. 66. & Pſalm. 10.* h *Ariſt. 1. cœli cap. 2. per totum.* i *Job. 37. v. 18.* k *Chriſtophorus Scheiner toto cap. 27. lib. 4. part. 2. Roſa Urſina, ubi maximo apparatu hoc probat.* l *Conimbric. 7. cœli cap. 5. q. 7. a. 2.* m *Hurtado diſp. 2. cœl. ſect. 1. §. 9. & 12.* n *D. Thom. 2. cœli lect. 10. ſub finem.* o *Durandus in 2. diſt. 15. q. 1.* p *Scotus in 2. diſt. 14. q. 1. §. Dico ad quæſt.*

ERGO.

Canicula non apparet in aqua.

1. Non benè philoſophantur, qui ſtellas, & ſingulariter Caniculam in ſpeculo convexo aquis immerſo, meridiano tempore oſtendunt: nam revera Sol eſt, ob convexitatem ſpeculi ad ſtellæ parvitatem contractus, & è fundo ad ſuperficiem aquæ infractione delatus, ibique apparens. Nam eo tempore Canicula ultra Æquatorem Auſtrum verſus excurrit, cùm tamen ibi appareat Borealis. Deinde quovis tempore in ſpeculo eſt diſtantia ſolis à ſtella apparente, quæ Canicula æſtimatur; quod in cœlo non contingit. Meliùs ex puteo in meridie ſtellæ videntur: inibi enim congregatur viſus ob profundiorem umbram, & majores tenebras, ne à ſuperfuſo lumine diſſipetur.

Luna non manifeſtat charta objecta inſtar ſpeculi.

2. Manifeſtè vim Naturæ inferunt, qui animi ſenſa ſanguine in charta conſignant, & Lunæ oſtendunt, ut Luna velut ſpeculum quoddam convexum, in alterius ſinum, velut ſpeculum legenda omnia refundat, etiamſi ſcribens Herbipoli in Franconia ſit, legens Madriti in Hiſpania; quaſi ſpecies literarum tam remotæ tanto ſpatio non evaneſcant, maximè à

ſphæri-

Digitized by Google

ſphærico corpore receptæ. Licèt enim plana ſpecula rem objectam æquè magnam exhibeant, & quò remotiùs recedas, eò minorem; convexa tamen etiam juxtà poſita rem minorem exhibent. Quantæ ergo literæ ſint oportet, quæ Lunæ corpori ſphærico, ac proinde convexo objectæ, in terris remotiſſimis arcana repræſentent? ſi trabales finxeris, craſſiùs mentiendum eſſe Philoſophia dicit, & *Aquilonius* lib. 5. optic. propoſ. 56. diſputat, unicâ, literâ B.C.

3. Impiè delirant, qui ſigna certa cœleſtia pro certis corporis partibus, Arietem capiti, Piſces pedibus, Mercurium pueris, viris Jovem, ſenibus Saturnum (reverâ Diabolum) conciliant, quaſi planetæ & cœli animati ſint. Quod falſum eſſe, & erroneum, ſi non hæreticum, *Eſpanceus* lib. de animatione cœlorum ſatis oſtendit, quidquid de Hebræis, Græcis & Ariſtotele quidam afferant. Signa cœleſtia non reſpondēt certis partibus corporis.

4. Divinis, Cæſareis, & Naturalibus legibus repugnant, qui ruſticorum Calendariis inſerunt, tali die bonum eſt ducere uxorem, res vili precio emere, grandi diſtrahere; hodie nuntii proſperè emittuntur, veſtes novæ feliciter induuntur; biſextili anno vineæ infauſtè plantantur; tempus hoc periculoſum eſt pro Eccleſiaſticis, quia Mars Jovis palatium occupat; die 18. Octobr. propter quadratos Jovis Martis, & Jovis Solis, erit inter Principes magna lis; hæc eclipſis excitat proditiones, doloſa conſilia, tumultum plebis. Quare ſtelliſpices illi etiam adulteria & mendacia ſua non tribuunt aſtris? Kalendaria ruſticorum deliria quæ aliquando contineant.

5. Nec plùs cerebri vel religionis veræ habent, qui Lydio more diarias ſuperſtitiones renovant, de quibus *Sanchez* lib. 2. Moral. c. 40. num. 16. die Solis natos, negant poſſe videre lemures; credunt aquam Dominicis poſt 4. tempora benedictam eſſe efficaciorem; Sternutantes ſæpius die Lunæ, totâ hebdomade fore ſerenos; inchoatum opus die Martis eſſe nefaſtum &c. ungues die Veneris præſectos, aut induſium mutatum, fortunam & valetudinem mutare, & ſic de cæteris maniacorum ſuperſtitioſis dierum Manibus. Vide etiam *D. Thomam* 2. 2. quæſt. 96. art. 3. in corpore. Diariæ Superſtitiones.

Annotatio ad Theſes.

De cœlo aliter nunc, quàm cùm juvenis eſſem, ſentio. Id triplex facio, ut tunc, Empyreum, Sidereum, Aëreum. Empyreum cujusmodi ſit, dicam in Mundo Mirabili. Nunc puto ſphæricum eſſe, tam quoad concavam, quàm quoad convexam ſuperficiem: tametſi ſpatium, quod Beati cum Chriſto regnantes occupant nunc, & poſt corporum reſurrectionem occupaturi ſunt, formam Civitatis in quadro poſitæ fortaſſis repræſentet, ut vidit B. Joannes in ſua Apocalypſi. Sidereum nō eſt quinta eſſentia, ſed ejuſdē cum aëre noſtro puro naturæ, puriſſimum ta- Cœlorum natura & numerus.

Digitized by Google

men, & ab omni terrenarum exhalationum fæce immune; unde & æther vocatur, qui nihil aliud quàm puriſſimus eſt aër. Non eſt ſolidum, ne quidem à firmamento ſurſum; ſed quantum quantum eſt, fluidum ac penetrabile. Nec ab Intelligentiis per impulſus impreſſionem movetur, per ſe, ſed ab iis moventur aſtra, tam erratica, quàm fixa, per metas à DEO præſcriptas ad bonum univerſi; & ad aſtrorum motum rapidiſſimum ac velociſſimum aliquæ cœli liquidi ac fluidi partes protruduntur in anteriora, aliæ ponè ſequuntur, & deſertum aſtrorum ſpatium occupant. Magna ergo eſt, & continua, Expanſi cœleſtis fluctuatio atque commotio; quâ commotione fit, ut & aër ſublunari cœlo contiguus non parum commoveatur, ut Libro præcedenti non ſemel inſinuavi. Præterea nulli ſunt in cœleſti illo ac permeabili Expanſo mæandri, per quos ſtellæ, ſeu erraticæ, ſeu fixæ moveantur, tanquam per arcus triumphales; ſed velut aves in aëre, aut piſces in mari per deſignatas à DEO ſemitas ab Intelligentiis deferuntur cedentibus antè, confluentibus ponè cœli partibus, non ſecus ac aër & aqua cedit antè, confluit retrò, dum aves ac piſces moventur in iis.

Magnetica acus ad polum terrenum convertitur.

Influentiæ aſtrorum non attrahunt acum nauticam magnete illitam ad polum cœleſtem, ſed hæc ad terreſtrem polum inſitâ ſympathiâ convertitur, tameſi alibi ſine, alibi cum declinatione à meridiana locorum, ut in Magia Magnetica 4. parte Magiæ explicavimus.

De influentiis cœleſtibus, & miris earum effectibus in ſublunari Mundo, alibi fortaſſis erit dicendi locus.

Eclipſes, aſpectus & ortus ſtellarum, certò prædicere poſſent Aſtronomi, ſi accuratas haberent obſervationes, & his ſuperſtructas Hypotheſes. At his deficientibus, prædicta non niſi probabiliter prædicunt; ut & morbos, frigora, pluvias &c.

Annotatio ad Corollarium I. & II.

QUæ Corollario primo dicuntur, ulteriori probatione non egent.

De Catoptrographia, tam vera ac licita, quàm inani & illicita, egimus toto lib. 8. part. 1. Magiæ noſtræ. Ubi etiam Syntagmate 3. cap. 1. diſcuſſimus, utrum in Lunari diſco aliquid legendum exhiberi poſſit arte Catoptricâ.

Annotatio ad Corollarium IV.

Kalendariis ruſticorum quæ inſerantur.

QUi primi Calendariis ruſticorum dicta Corollario quarto inſeruerunt, utiq; animi gratiâ id fecerunt, cùm id ſe poſſe facere ſine ullius detrimento crederent. Ea nihilominùs credita à ſimplicibus, in ſuperſtitionem poſtea abierunt. Quàm porrò parum fidei tum his, tum aliis ferè omnibus, quæ inſeruntur iiſdem ruſticorum (ac ſubinde etiam aliis) Kalendariis, vel ex hoc colligas, quod à Typographo quodam, ipſo mihi fatente, factitatum ſcio. Comparabat is ante novi anni initium quotquot poterat variis in locis, ac variis ab Auctoribus edita Calendaria, & ex omnibus unum aliquod, ficto præfixo nomine, concinnabat, ac majori lucro quàm omnia reliqua vendebat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

Ignis, Aër, & Meteora; variaque inde deducta Corollaria.

Aëreum cœlum *a* vocant Sacræ paginæ, quidquid interjicitur inter concavum Lunæ, & ultimam terræ ſuperficiem, ſcilicet locum ignis & aëris naturalem. *b* Ignis eſt elementorum princeps, ſummè calidus & ſiccus; in loco naturali ſub concavo Lunæ *c* non eget pabulo; non videtur ob raritatem & perſpicuitatem. *d* Aër ſecundas obtinet, humidus & calidus; qui tres habet regiones, Supremam, Mediam, & Infimam. Suprema eſt, quæ inter concavum ignis & paulò infra altiſſimorum montium faſtigia eſt intercepta. Media, quæ incipit à termino ſupremæ, & ſe extendit ad terminum radiorum à Solis reflexione è terra aſcendentium. Infima eſt, quæ nos ambit, & porrigitur usque ad illam partem, quæ Solis radiis non incaleſcit. Hæ regiones variorum Meteorûm ſunt officinæ, quorum Materia *e* eſt Vapor, Fumus calidus & humidus è terra elevatus, & exhalatio, Fumus calidus & ſiccus: Efficiens principalis in igneis calor, in aqueis frigus: *f* Forma eadem eſt, quæ elementi à quo elevantur, ſolo accidente diſtincta: finis intrinſecus, elementorum frigidorum cum calidis commiſtio, contemperatio, & perfectio, moderatio temporum anni, perfectio univerſi: extrinſecus, *g* converſio hominum ad Deum, *h* ſignificatio rerum venturarum, &c. In ſuprema regione, quia calidiſſima eſt, utplurimùm fiunt impreſſiones ignitæ, ut Cometæ: In media tanquam frigida & humida, generantur pluviæ, nubes, & interdum grandines: Infima humidorum fœcunda eſt genitrix, roris ſcilicet, pruinæ, & ferè ſemper grandinis.

Cœlum aëreum.

Regiones aëris tres.

Meteorûm cauſæ.

a *Geneſis 2. Exod. 9. v. 32. Pſal. 103. Jacob. 5.* b *P. Theophilus Raynaudus in Theol. Naturali diſt. 5. quæſt. 1. art. 6. n. 79.* c *Idem ibid. n. 80. & Laurent. Forerus diſp. de igne.* d *Petrus Nonius lib. de Crepuſc.* e *Ariſt. 1. Meteor. c. 2.* f *Albertus Magnus lib. 1 tract. 1 c. 7.* g *lib. 2. Machabæorum c. 5.* h *S. Damaſcenus l. 2. fidei cap. 7.*

ERGO.

1. A cacodæmone DEI ſimia edocti ſunt, qui circa meteora certis feſtis vaticinantur; v.g. ſi feſto S. Medardi pluat, 30. diebus continuandos imbres: qui ex igne Feſto S. Joannis excitato carbones contra fulmina futura colligunt: Feſto S. Martini de futura hyemis nive ex anſeris oſſe conjectant: qui Feſto Aſcenſionis Chriſti, quò Chriſtus ſub tholi aditum attractus ora vertit, inde tempeſtates futuras vaticinantur: qui Feſto Paſchatis ovum ſub lecto ponunt ad arcenda pericula; ſi Feſto S. Pauli pluat, famem;

Feſta Sanctorum non ſunt cauſæ meteororum.

famem; ſi ventus, bellum; ſi nebula cœlum obduxerit, peſtem inſtare judicant; & pluviam ejus diei excipiunt morbis & frugibus ſaluti futuram: ſi ventus non extinguat cereum Feſto Purificationis, vitam eo anno non extinguendam: ovum ſacrâ hebdomade, vel die Paraſceves partum, efficax eſſe contra incendia; cœlum tempeſtate ventoſâ lugere poſt ſuſpendium, aut voluntariam hominis deſperationem: primo tonitru poſt hyemem audito, volutationem per terras factam dolorem à tergo avertere; aut tribus grandinis pilulis in ignem injectis tempeſtates ſopiri, &c.

Periurgia impia.

2. Non Theurgia, ſed juxta S. *Auguſt.* lib. 10. Civit. c. 16. Periurgia & Mangonia vocanda eſt operatio, qua Dei claritatem per omnes regiones aëris & corporeum lumen videre & ſentire quoſdam docet Jamblichus, ſive ſit αὐτόπτης & ipſe evocator, ſpectatorque, ſive ἐπόπτης & ab altero ad id incitatus, ſive ἐνθιαστὴς & per quaſdam viſiones corporeas inſpiciens: quos omnes S. Auguſtin. loc. cit. cap. 10. à Satana in Angelum lucis ſe transformante illudi docet. Vide *P. Theoph. Raynaudum* Theol. Natural. diſt. 4. quæſt. 1. art. 3. num. 39. ex Pſello. Annis abhinc pluribus id toti Alſatico orbi patefecit vetula quædam, ob merita ſua & Deiparæ patrocinium, ut dicebat, ſemper virgo, ob virginitatem dono curationum cœlitùs prædita. Sanabat igitur plurimos infantes & adultiores ad ſe undequaque confluentes. Pater quidam è Societate JESU tunc vivus, & gratiâ concionandi in Germania inferiori percelebris, oculo Naturæ perſpicaciſſimo re cognitâ, coram judicibus eam interrogat de Virginitate, de curationibus, &c. Reſpondet ſe tam gratam ſuperis; ipſam Deiparam, & Angelos, alios flavos, alios albos, alios cœruleos &c. ſæpius collocutores habere, &c. Ridetur à prudentibus, aſſervatur, examinatur ſeriò, mox fatetur ſe à triginta annis ex pacto diaboli decimum quemque debuiſſe interficere, quorum numerus ad 300. fermè excreverat. Faſſa judicibus, confeſſa eſt de tota vita ſacerdoti, & multis pœnitentiæ ſignis libens rogum viva intravit, ne mortua intraret urenda, non comburenda, æternùm.

3. Supinitatis magnæ æſtimandus eſt Phyſicus Danæus, qui in ſua Phyſica tract. 2. cap. 7. & 9. negat dari aërem, cauſatus penetrationem ſecuturam vaporum cum aëre, & quòd in S. Scriptura aëris non fiat mentio; cùm tamen ſagitta per aërem volans, & Regibus aër communis *ibi* dicatur &c.

Annotatio ad Theſes.

De ignis loco naturali ſub Luna concavo aliter nunc ſentio: nullus quippe ibi ignis eſt propriè dictus, ſed merus aër, purior tamen quàm inferiùs, & ſubtiliſſimâ

liſſimis ac ſpiritoſiſſimis, ob idq; facilè inflammabilibus exhalationibus refertus, ut alibi ex profeſſo probabo, etiam ex Ariſtotelis ſententia.

Quæ de tribus aëris regionibus, & de Meteoris breviter hîc dicimus, fuſiùs libro præcedenti explicavimus.

Annotatio ad Corollarium I.

QUæcunque hoc Corollario referuntur, ſi primum excipias, manifeſtè ſine dubio ſuperſtitioſa ſunt. Primum ſine piaculo à ſimplicibus creditur, ob traditionem ab avis ac proavis acceptam, qui id fortaſſis olim obſervaverant contigiſſe, idq; ob ſtellæ cujuſpiam exortum, aut cum Sole conjunctionem. Nunc tamen tam hæc, quàm alia ſimilia antiquorum effata, temporum mutationem, tempeſtatum ingruentiam, ſterilitatum aut fertilitatum prædictionem concernentia, fallacia ſunt, quia neque juxta antiquum, neque juxta novum Gregorianum Calendarium veritatem habent, cùm longè alius nunc ſit ſtellarum exortus, aut cum Sole conjunctio.

Annotatio ad Corollarium II.

VErba D. Auguſtini lib. 10. de Civit. DEI cap. 16. quibus Periurgiam (rectiùs quàm Theurgiam) ac Mangoniam univerſam illius conciliatricis Angelorum ac Deorum diſciplinæ luculenter exponit, hæc ſunt: *Periurgiæ impietas.* Hanc nefariæ curioſitatis artem, vel Magiam, vel deteſtabiliore nomine Goëtiam, vel honorabiliore Theurgiam vocant, qui quaſi conantur iſta diſcernere, & illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos & maleficos vulgus appellat; hos enim ad Goëtiam pertinere dicunt: alios autem laudabiles reddi volunt, quibus Theurgiam deputant, cùm ſint utrique ritibus fallacibus dæmonum obſtricti ſub nominibus Angelorum. Nam & Porphyrius quandam quaſi purgationem animæ per Theurgiam, cunctanter tamen & pudibundâ quodammodo diſputatione promittit; reverſionem verò ad DEUM hanc artem præſtare cuiquam negat; ut videas eum inter vitium ſacrilegæ curioſitatis, & philoſophiæ profeſſionem ſententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tanquam fallacem, & in ipſa actione periculoſam, & legibus prohibitam, cavendam monet: nunc autem velut ejus laudatoribus cedens, utilem dicit eſſe mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium ſimilitudines corporum, ſed ſpiritali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quaſdam conſecrationes Theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri, atque aptam ſuſceptioni Spirituum & Angelorum ad videndos Deos. Ex quibus tamen Theurgicis teletis fatetur intellectuali animæ nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum DEUM ſuum, & perſpicienda ea quæ vera ſunt. Ex quo intelligi poteſt, qualium Deorum, vel qualem viſionem fieri dicat Theurgicis conſecrationibus, in qua non ea videntur quæ vera ſunt. Deniq; animam rationalem, ſive quod

magis

magis amat dicere, intellectualem in ſuperna dicit poſſe evadere, etiamſi quod ejus ſpiritale eſt, nullâ Theurgicâ fuerit arte purgatum. Porrò autem à Theurgo ſpiritalem purgari hactenus, ut non ex hoc ad immortalitatem æternitatemq; perveniat. Hæc & alia in hanc rem citato loco Auguſtinus. Vide etiam quæ ſcribit eodem libro c. 10.

CAPUT XI.

Aqua, & Terra; & Corollaria inde deducta.

AQua eſt corpus ſimplex, humidum & frigidum, *a* primo creationis die terræ circumfuſum. Terra eſt elementum infimum, *b* circa quod omnia moventur, ac proinde eſt centrum gravitatis univerſi, *c* non tamen magnitudinis in rigore, ob montium inæqualitatem; unde in partes æquales dividi nequit, nec proinde habet centrum magnitudinis. Ob exiguam autem differentiam inter magnitudinem & gravitatem univerſi, dicitur communiter idem centrum gravitatis & univerſi; ſicut reſpectu Firmamenti, Jovis, & Saturni terram inſtar puncti æſtimant, *d* licèt ipſam Lunam magnitudine Terra ſuperet, juxta Geographicam diſciplinam. *e* Ex terra & aqua unus globus componitur, eodem communi circulo, ob animalium, & hominum ſuſtentationem, tertio die creationis concluſus, ut ex lunari eclipſi, ob unam aquæ & terræ umbram, comprobatur; ita tamen ut aqua ſit nonnihil quàm terra depreſſior. *f* Semper quieſcit, & ſicut theſaurorum & metallorum eſt fœcunda parens, *g* ita & ventorum (qui ſunt copia calidi & ſicci à terra profuſi orbem percurrens) & terræ motuum (qui ſunt concuſſiones factæ ab exhalationibus mixtis intra terram calefactis, & exitum quærentibus) & ignium horribilium ex ſulphure & bitumine, à ſole, vel exhalatione incluſâ accenſorum; *h* quibus in Maurica Inſula viſis S. Xaverius, impiis æternas Tartari flammas inculcandas & timendas eſſe dicebat.

Aqua & terra unus globus.

Venti quid ſint.

Quid terræ motus.

a *Geneſis cap. 1. verſu 6.* b *Pimander cap. 11.* c *Rubius 3. de cœlo cap. 3. q. 2.* d *Joſephus Blancanus locorum Mathematicorum Ariſtot. lib. 1. Meteo.* e *Clavius in cap. 1. ſphæra.* f *P. Chriſtophorus Scheiner diſquiſ. Mathem. 12. contra Copernicum.* g *Ariſt. lib. 1. Meteo. cap. 13.* h *P. Petrus Jarricus tomo. 1. Theſauri rerum Indicarum.*

ERGO.

1. Hecate perſuaſit, terræ fruſta artificio compoſita, & benedictionibus inaugurata, vel patellam auream, ex qua Iris bibiſſe putatur, ad proſperè omnia agenda circumferre. Unde talis vis monetæ, quæ juxta Dilin-

Digitized by Google

Dilingam in agro Witeslegenſi ſæpius reperta eſt, ut teſtatur Georgius Stengelius Diſp. phil. cap. 2. §. 2. n. 26.? An quia Iris ex eâ bibit? Iris eſt arcus multicolor Soli oppoſitus in nube rorida & concava, ex reflexione radiorum proveniens; non ergo bibit; vel ſi biberet, majore opus eſſet patellâ. An quia in Iride naſcitur? tam citò id fieri nequit; & cur non decidit, cùm aurum terræ portio ſit ponderoſiſſima?

Iridis patella eſt ſuperſtitioſa.

2. Non benè philoſophantur, qui æris tinnitu apes, ſicut plebem ad balneum, vel jactis in eas pulveribus convocant, quod *Columella* cap. 10. & *Varro* lib. 3. ſuadent. Cur non potiùs Strobax tibiam utricularem ſuaviter inflat, ut melligerarum volucrum nubem attrahat? Rectè *Ariſt.* 1. Meteo. 1. negat apes ſonos audire poſſe, & potiùs pelvim pertuſeris, quàm ſurdas pulſu allectaveris.

Apes tinnitu non convocantur.

3. Diabolo auctore dextras infantium ex utero matris præmaturè exciſorum ſtriges, latrones, & id furfuris tenebriones avidiſſimè deſiderant, ut ex iis veluti terreis partibus igne gravidis flammas eliciant, & digitos earum de nocte accendant, quò in aliena domo impunè graſſari aut latrocinari poſſint, certi videlicet neminem è ſomno evigilaturum quàm diu funeſta & lethalis illa flamma arſerit. Generatim, quando per phyſicam ac immediatam applicationem ad paſſum, ut fit à probatis Medicis, non adhibetur materia ex humano corpore petita, Panurgi Tartarei technas time.

Uſus partium humani corporis eſt ſuſpectus.

4. Inſignem canonum ignorantiam fatentur, vel malitioſè vulgi ſuperſtitionem fovent, & Summorum Pontificum auctoritatem impugnant, qui probam, ut vocant, aquæ frigidæ, qua ſtrigibus explorandis in Germania quidam uſi ſunt, defendunt; inter quos eſt Wilhelmus Adolphus Scribonius, quem unà cum aliis fusè ex SS. Patribus & Eccleſiæ canonibus refutat *Delrio* lib. 4. Diſq. mag. cap. 4. quæſt. 5. Sect. 1. 2. 3. & oſtendit luce clariùs, probam hanc prorſus illicitam eſſe, etiam PP. judicio, inutilem, plebejam inventionem, peregrinum judicium, fabricationem invidiæ, ſuperſtitioſam adinventionem, deſtitutam Patrum documento, &c. vide loc. cit.

Striges illicitè per aquam & lançem probantur.

5. Ex pacto item dæmoniaco ſuperſtitioſus eſt modus probandi ſagas per pondera & lancem, quaſi ultra certum pondus (nempe librarum 14. vel 15.) deprimere non poſſint, quantumvis ſint proceræ & obeſæ: hanc probam idem *Delrio* loc. cit. quæſt. 6. & *Reckius* lib. de proba aquæ frigidæ num. 41. damnant, & meritò, quia contra naturam corpori terreo gravitas, & fluido ac liquido diviſibilitas aufertur.

Annotationes ad Theſes.

TErra, hoc eſt, centrum Terræ, eſt centrum gravitatis omnium gravium ſublunarium. An verò ſit etiam centrum gravitatis Univerſi, ut in Theſi aſ-

 ſeritur,

ſcritur, diſcutiemus in Mundo Mirabili. Veriſimile mihi eſt, Lunæ centrum ? centrum gravium lunarium, & Solis centrum gravium ſolarium &c. Vide :erim quæ de centro gravitatis & magnitudinis diximus in Magia Centrobaryca lib. 1. partis 3. Magiæ.

De Terræ magnitudine tum abſoluta, tum reſpectu Firmamenti &c. item de Terræ & Aquæ in unum globum coagmentatione, egimus in Aſtronomia Elementari lib. 7. Curſus Mathematici.

Annotationes ad Corollaria.

De Iridis patella agemus alibi. An apes audiant, diſputant Phyſiologi, interque illos Aldrovandus, *quem vide. Uſus dexteræ infantium ad ſopiendos homines, eſt manifeſtè diabolicus. Exempla dedimus alibi. De proba ſagarum per aquam agemus in Technica Curioſa, aut alibi.*

CAPUT XII.

Mixtorum ortus & interitus; & varia inde deducta Corollaria.

Generatio quid ſit. Mixta fiunt per Generationem, quæ dicitur mutatio totius in totum, nullo ſenſibili manente ut ſubjecto eodem. In illis *a* elementa virtualiter remanent. Quædam ſunt vitæ expertia, quorum ſecundùm naturam interitus, *b* juxta Ariſtot. eſt Putrefactio; cui opponitur combuſtio, tanquam interitus violentus. *Putrefactio quid ſit.* Putrefactio autem eſt corruptio ejus, quæ in unoquoque humido propriè & ſecundùm naturam caliditatis, ab aliena caliditate, quæ eſt ambientis. *c* Ita Ariſt. Unde quidquid propriè putreſcit, eſt humidum & calori expoſitum. Calor autem ambiens non deſtruendo poſitivè agit in calorem naturalem, ſed eum intendendo, donec major evadat quàm exigat natura mixti, & ob raritatem ac levitatem evaporet, mixtumque deſtruat.

Putrefactio duplex. Duplex eſt; perfecta, & imperfecta. Perfecta, eſt reſolutio mixti in elementa: quia enim per calorem ambientem partes calidiores & humidiores evocantur è miſto, ita ut deſtruatur nexus humidi cum ſicco, calidi cum frigido; putreſcere mixtum dicitur, & in Elementa reſolvi. Imperfecta putrefactio eſt, quando id quod putreſcit, vel non eſt perfectè mixtum, vel quando tantùm accidentaliter mutatur. Unde forma putredinis non eſt una aliqua forma ſimplex, ſed eſt aggregatum quoddam ex elementorum impurorum formis: ut cùm aliquis humor, ſanguis v.c. cadaveris in pus abit, pus illud eſt congeries quædam plurium elemento-

rum

Digitized by Google

rum impurorum; ex hac autem congerie deinde, mediante actione cœli, fit nova mixtio, dum generantur vermes.

Combuſtio autem per ſe non requirit humidum & calidum, ut ſi pura terra in ignem verteretur; ſed fit à calore ſicco valde intenſo, non mediocri & humido, ut putrefactio; unde Sol potiùs comburit quàm putrefacit, Luna contrà. Accedit quòd combuſtio humidum penitus conſumat, in putrefactione ſolùm ſeparetur, & fit per accidens ſi corrumpatur. Quare ſenectus eſt de genere putrefactionis, ſed imperfectæ, & via quaſi ad perfectam. Sed quomodo ligna in aquis à calore alieno putreſcunt? 1. Quia aër in ligni poris incluſus præcluſâ tranſpiratione agitat ſe, & incaleſcit per actionem quæ Antiperiſtica dicitur, ſeu roboratio vel intenſio qualitatis contrarii debilioris; ſicut ipſa Antiperiſtaſis eſt circumſcriptio debilioris contrarii à fortiore circum obſiſtente. Fortius obſiſtens hìc eſt aqua, debilius quod circum obſidetur, eſt aëris calor in ligni poris latitans, qui ſemet roborans vicinas partes calefaciendo putredinem generat. 2. Quia aqua emollit dura, facitque ut pori lignorum faciliùs aperiantur, ac humido, & calido egrediendi ſit major poteſtas.

Putrefactionis & combuſtionis diſcrimen.

Ligna cur in aquis putreſcant.

Antiperiſtaſis quid ſit.

Poma verò putrida fiunt, vel quòd contactu tranſpirationem interiorum partium impediunt, quo modo & herbæ hyeme putreſcunt; vel quia per contagionem ab aliis inficiuntur.

Poma cur putreſcant.

Quare ex putridis potiùs plura animalia, quàm unum magnum generatur? quia materia eſt ſiccioribus partibus interrupta, per quas ſicciores partes fit diſcontinuatio. Cur animalia potiùs, quàm plantæ? quia plantæ amant ſicciorem materiam. Cur ex *a* carne humana pediculi gignuntur, & in capite potiùs quàm alibi? quia caro eſt dulcis: ferunt enim, noſtro ævo fuiſſe qui artocreata & farcimina ex humanis carnibus, ut ſapidiora eſſent, confecerit; quæ per pluſculos dies ſervata mox ſcatere pediculis cœperunt, & auctorem ſceleris prodiderunt. Nidulatur autem libentiùs in longis capitis capillis hoc pecus, quia licèt caro deſit, eſt tamen ſanguis intercutaneus cum aliis humoribus putrefactis, propter interclusionem tranſpirationis ex capillorum prolixitate, unde vermes generantur, teſte *b* *Ludov. Septalio* in ſect. 1. prob. Ariſt. Non rubent autem, quia ſanguis priùs putrefit.

Caro humana faciliùs verminat.

Putrefactionis ſpecies eſt Contagio, & definitur quòd ſit putrefactio quædam conſimilis de uno in aliud tranſiens; vel, conſimilis quædam miſti corruptio ex uno in aliud tranſiens, infectione primò factâ in particulis inſenſibilibus. Unde patet Contaginem eſſe, quando ex miſto putrefacto inſenſibiles particulæ putridæ evaporant, & ob lentam ſuam humiditatem alteri adhæreſcunt, idque conſimili putredine afficiunt. Dixi (in aliud tranſiens) quia contagio eſt inter duo ſive contigua, ſive continua:

Contagio quid ſit.

 habet

Digitized by Google

habet enim nomen à contactu, qui inter contigua dicitur formalis, inter continua virtualis. Quædam verò ſolo contactu afficiunt, qualis eſt uvæ ad uvas, pomi ad poma; quædam contactu & fomite inficiunt, ut phthiſis, lepra, ſcabies, &c. Fomes dicitur lana, charta, ligna, aliaque foraminoſa, quæ conceptum virus ſæpè ad duos tresvè annos ſervant; particulæ enim inſenſibiles iis adhæreſcunt à primo putrido, vel aliis infectis receptæ, quæ deinde per fomitem in res varias levi contactu diſſeminantur, quo ferè modo odor è pomo citrio emiſſus, veſtigium ſui relinquit in manu ſe contrectantis. Alia denique contagio per aërem & in diſtans inficit, ut peſtilentiæ, lippitudines.

Fomes contagionis quid &c.

Peſtis maximè contagioſa eſt ob communem aërem ad reſpirandum neceſſarium, qui inficitur ſæpè, & imperfectè putrefit à vaporibus admixtis. Aër autem hic vitioſus, & vapor infectus, egreditur ex ſepulchretis, antris ſubterraneis, arculis clauſis; quibus apertis, & putridum halitum efflantibus, primùm pauci, mox plures, tandem plurimi eodem morbo corrumpuntur; quod ſub Marco Antonio Galeni tempore contigiſſe in Seleucia apud Julium Capitolinum legimus, ubi cùm in templo Apollinis aurea arcula à militibus Vidii Caſſii avidioribus in prædam fuiſſet aperta, halitus fœtidus egreſſus non modò Babyloniam totam, ſed & Parthos, ac Orbem univerſum peſtilentiâ ita affecit, ut tertiam humani generis partem abſumpſerit.

Peſtis cur ſit maximè contagioſa.

Variolæ (vulgò Kindsblattern) contagionibus adnumerantur à Fracaſtorio, quas inter decem millia vix unus effugit, teſte *Andrea Laurentio* lib. 2. anatom. Cauſam earum *Fernelius* tribuit aëri infecto, *Hieron. Mercurialis* impuritati materni ſanguinis, quo alitur fœtus in utero, ita ut carnoſæ partes ex illo ſanguine coagmentatæ ſemel in vita depurari debeant inſtar muſti. Redeunt verò interdum, quia priùs reliquiæ remanſerant, vel ob imbecillitatem virtutis expultricis, vel ob frigus externum, quo fuerunt intus repulſæ. Ita *Forerus*. Hoſtes putrefactionis celebrantur ſal, ignis, acetum, aloë, balſamus, myrrha. Sed de his Medici. Venenoſitas autem per ſe non eſt putrefactio.

Variolas cur tam pauci evadant.

Quædam ex mixtis vitam nacta ſunt, *e* quæ eſt permanentia animæ in corpore, mediante calore naturali, qui in humido ſibi proportionato conſervatur, ita ut vita in calore vitali & humido primogeneo conſiſtat. Quia verò calor vitalis perpetuò agit in humidum, & illud paulatim depaſcitur; neceſſe eſt, ut novo ſemper pabulo reparetur: & quia pabulum non æquè probum eſt atque humidum primogeneum (ut ante Protoparentis lapſum fuiſſe videtur) ſed propter admixtionem humidi adventitii illud paulatim debilitat, ut aqua vinum crebriùs ei admixta; neceſſariò ſequitur aliquando extinctio caloris vitalis in humido, quæ *f* juxta Galenum,

lenum, eſt Mors. Quamvis & hæc aliunde advenire poſſit, ſi nimirum humidum naturali calori, veluti oleum igni deficiat, ut fit in ſenibus; ſi humidum abundans vitale calidum, ſicut exuperans oleum parvam flammam, ſuffocet; ſi refrigeratio vel ab extrinſeco per ſubmerſionem aut ſtrangulationem, vel ab intrinſeco per pulmonis indurationem ex ſenio, vel febribus, crebris hauſtibus, & diſtillationibus craſſis natam impediatur. Mors quid ſit.

g Æger eſt, qui non habet proportionatas qualitates: brevis vitæ, qui parum habet caloris & humoris vitalis. Unde non idem eſt, eſſe valetudinarium, & eſſe brevis vitæ. Vitæ vel maximè adverſatur Venenoſitas, *h* quæ eſt vis quædam effectrix in aliquo corpore poſita, cordi ſingulariter noxia, & vitæ animalis directè corruptiva: *i* quam aliqui volunt originem trahere ab aſtris, & mirabilem cœleſtemque dicunt; *k* alii ex primarum qualitatum intemperie, vel caliditate vel frigiditate prædominante; *l* alii probabiliùs ex utroque in duobus venenorum generibus, ſicut & vita ipſa ipſi contraria teſte *Ariſtotele* 2. Phyſ. tex. 26. Ita ut cauſa ejus Subjectiva ſit corpus mixtum; Efficiens ſint aſtra, & intemperies qualitatum virtute àliqua cœleſti prædominante; *m* Finis, juxta S. Baſilium, varius, 1. Servire multis artibus ad uſum hominis excogitatis, v.g. arti tinctoriæ, ſutoriæ, &c. 2. Quibusdam animalibus cedere in cibum, ut ſturnis & capris cicuta, ſuibus hyoſcyamus & mandragora, hirundinibus cantharides. 3. Utilitatem ferre ad pellendos morbos, ut argentum vivum ad lepram, morbum gallicum, & ſcabiem, & pediculos abigendos, elleborum ad inſaniam curandam, aconitum ad Scorpionis morſum, arſenicum ad peſtem advertendam. 4. Salutarem hominibus timorem incutere ad agnitionem gravitatis peccati; nam ſine Protoparentis noſtri crimine venena, ſerpentes, & alia noxia animalia à DEO producta, homini pernicioſa non fuiſſent, ſicut nec calor metaphyſicè & moraliter pernicioſus eſt, & à cœlo producitur, licèt phyſicè frigori contrarius ſit & exitialis. Æger & brevis vitæ quis dicatur. Venenoſitas quid ſit. Veneni varii fines & cauſæ.

Ex complexionibus autem variis melancholia, non càlida & aduſta (quæ atra bilis nuncupatur, & furioſos homines reddit, atque ad munia inhabiles) nec ſanguine temperata, plùs tamen ſicci quàm humidi obtinens (quæ, juxta Ariſtot. eſt ingenioſa, &, juxta Medicos, negotiis graviſſimis aptiſſima) ſed terreſtris & craſſa, ſicca ac frigida, quæ Aſinina dicitur, eſt ſpiritibus vitalibus ob frigus & tenebras inimiciſſima; & definitur: Delirium ſine febre, cum metu & mœſtitia, ſine evidenti cauſa. Per Delirium autem intelligitur nobilis alicujus in anima potentiæ, rationis v.g. vel imaginationis depravatio. Unde in cerebro potiſſimùm ſedem figit cum conſenſu corporis, & abſolutè Melancholia dicitur. Si verò majore impetu corpus impellat, ut obvios unguibus invadat, Melancholiæ ſpecies. Melancholia delirans, & delirium quid ſit.

 Lycan-

Lycanthropia, & Erotica, & hypochondriaca quid ſint.

Lycanthropia; ſi à violenta Amoris paſſione derivetur, Erotica dicitur. Alia verò quæ ex hypochondriis ſuſcitatur, id eſt, à viſceribus in ipſis contentis, potiſſimùm ab hepate, liene, & meſenterio; cum addito Hypochondriaca aut flatulenta nominatur, nec adeo inclementer ſævit, & periodis certis & induciis conceſſis ægrum exercet.

Sanguineũ temperamentum eſt aptiſſimum ad longam vitam.

n Sanguineam complexionem vita longior comitatur, eò quòd ſanguis purus & integer calore & pinguedine præ cæteris humoribus probetur. Unde quidquid ſanguinem corrumpit vel minuit, vitæ vim infert. Aliquibus tamen temperamentum vitioſum eſt ab infecto materno ſanguine, quod eſt primum fœtus elementum; vel à parentum morbo, unde quantum in prima alimentorum concretione deficit æqualitas & ſymmetria, tanto vita brevior; *o* aliquibus ab immoderato cibo, labore, vinis, venere, voluptatibus, quæ ſpiritum & primogenium humidum exhauriunt, digeſtionem evertunt, mentem & ſenſus infirmant, corpus enervant, emolliunt, & iners efficiunt. Optima res eſt, cibis haud ſatiari, impigrum eſſe ad laborem, ſemen genitale ſervare, ait *Guil. Gratarolus*. Addo, vitia vitanda eſſe; Boni enim bis vivunt, &

Vitia ſunt cauſa brevioris vitæ.

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus, hoc eſt
Vivere, bis vitâ poſſe priore frui.

Ut dicebat Martialis. Mantuanus etiam Poëta quærens,

Cur tibi tam levis eſt, cur tam jucunda ſenectus?
Libera quòd vitiis tota juventa fuit,

Reſponſum tulit.

Ex vitiis enim offenſa DEI auctoris vitæ oritur; hanc remorſus conſcientiæ, triſtitia, metus, impurus ſanguis, morbi, mors non claudo pede ſequuntur; juxta illud: *Impii non habitabunt ſuper terram.* Prov. 10. & Pſal. 54. Unde majores noſtri, quàm victûs, veſtitûs, ſermonis, & fidei ſimplicis, tam veritatis apertæ, & germanæ virtutis viri paſſim inculcabant.

Vive DEO gratus, toti mundo tumulatus,
Crimine mundatus, ſemper tranſire paratus.

a *Ariſtoteles 2. de generat. tex. 84.* b *lib. 4. Meteor. cap. 2.* c *Eraſtus diſput. de putredine.* d *Ludov. Septalius in ſect. 1. probl. Ariſt.* e *Ariſtoteles libro de reſpiratione.* f *Galenus lib. 2. de temperamento.* g *Dandinus lib. 1. de anima cap. 34.* h *Forerus cap. 2. de ven. num. 22.* i *Hieron. Mercurialis lib. 1. de ven.* k *Galenus 3. ſimp. cap. 18.* l *Petrus Aponenſis de ven. cap. 1.* m *Baſilius hom. 5. ſuper Exodum.* n *Hieronymus Dandinus lib. 1. de anima cap. 37.* o *Conimbricenſes lib. de longitud. & brevit. vitæ cap. 1.* p *Guil. Gratarolus in coronide libri vitæ phil. vel de tuenda valetudine ex Ariſt. ſect. 1. probl. prob. 47. & Hippocrat. 6. Epid. par. 4. Aphor. 20.*

ERGO.

Digitized by Google

ERGO.

1. Suſpectæ fidei eſt nuperus circumforaneus Norimbergenſis, dum ſe frumentum fœtidum & putrefactum, planeque deſtructum, ſanitati reſtituturum dicit. An expulſam formam reducere, & à privatione ad habitum facere regreſſum poterit? reclamat Natura. *Alexius* etiam *Pedemontanus* Naturæ fines excedit in volumine ſecretorum, dum aquam aut ſuccum promittit, quo homines venuſti, ſani, robuſti conſerventur, & ſenectus impediatur, ſeptuagenarii revireſcant inſtar viri 36. annorum. An ſortè nectar, vel ambroſiam, vel nepenthen ex Deorum menſis furatus eſt? Novit, credo, quomodo Medea Æſonem recoquat apud Ovidium, & Bacchi nutrices rejuveneſcant apud Æſchylem. Fabulæ ſunt, vel Diaboli ſuturæ. Exempla quæ adferunt *Strozzius Cicogna* lib. 4. c. 7. de centenario, qui refloruit omnibus ſenſibus, & *Petrus Maffejus* de nobili Indo 300. annorum, qui juventæ florem arefactum ter renovâverit; id DEI Optimi Max. potentiæ adſcribendum eſt, in cujus manu ſunt vita & mors. Senectus arceri non poteſt.

2. Meritò enim Alchymiſtæ à Conimbric. 2. de Gener. c. 10. quæſt. 1. ridentur, qui per auri liquati quintam ſubſtantiam ſenectutem arceri volunt, cùm nemo ex iis hactenus fumis ſuis precioſis mortem vel corruperit, vel fugârit.

3. Huc ſpectant, qui, ut impediant augmentationem catelli, ter per tripodem agunt, ut parvulus permanet. Item qui tribus diebus equo impaſto vehi docent ſine ſanitatis equi læſione; quod promiſit nominatus Medicaſter Rosbergenſis in catalogo rerum mirabilium, Norimbergæ impreſſo apud Ludovicum Lochnern Anno 1627. hoc Anno 1631. Herbipoli vendito. Dignus ſanè qui ejus artis in ſe experimentum faciat.

4. Iniquis oculis Natura aſpicit hucusque, & tanquam violentam ſibi Univerſi finibus proſcribendam judicat medicinam illam, quâ ſemel epotâ ſubitò omnis ſerpentum horror cedit, ita ut quibus antè ad ſerpentis nomen pili horruerunt, ſummâ illos deinde delectatione oſculentur, bufones etiam ventricoſiſſimos & araneas ſucculentiſſimas exugant, idque ad triginta annos ſine detrimento; cùm tamen vel ipſi ſerpentes inter ſe bella gerant, & ſæpe lacerta ab angue, vel anguis à lacerta (quæ idcirco ophiomachus dicitur) & buſo ab aranea inficiatur & interficiatur. Quomodo medicina illa inter triginta annos nec cum ſudore fugit, nec à calore evaneſcit? ſi ſincera eſt, cur belli Duces & pacis Præſides hac tam utili arte non utuntur? cur tria ſerpentum corcula bibuntur, & non plura, vel unum magnum? cur pulveres ſæpe à perſonis tam ſuſpectis accipiuntur? cur utplurimùm, ipſi ophiogenes Anguivori ſuſpecti ſunt.

lurido

lurido & buxante ſunt vultu, & cachectici fiunt? nonnè quia cum offenſa Numinis ſanitatem ſuam hac medicinâ lædunt? cur nonnunquam nugivendi iſti, vel potiùs genimina viperarum deprehenſi ſunt remedia manifeſta magica chartis inſcripta, aut paſtillis incocta, eaque ſerpentum vel oſſa, vel corcula vendidiſſe? cur ſerpens toties irritatus non illos ferit, & manſueſcit? Dicunt quidam malæ cauſæ patroni, ophiophagos ita veneno præoccupari, ut venenum ſuperveniens nihil ampliùs in eos poſſit, adeoque ut nec medicina illis ampliùs proſit. Sed experientia repugnat, & aliis medicamentis ipſa antidota ab illis expelluntur, cur non his etiam medicamentis per corcula ſua reſiſtunt? nimirum Styx ibi teſſeram non agnoſcit. Meliùs fide & charitate præcellentes viri per gratiam à DEO datam ſerpentes tollunt, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocet, juxta promiſſum Chriſti *Marc.16.* quorum exempla de S.Patricio in Hybernia, de S.Udalrico prope Neresheim, de S.Paulo in Melitenſi Inſula veneniferas beſtias ſuis meritis arcente, aliiſque compluribus in hodiernum usque diem paſſim extant, ut videre eſt apud *R.P. Jacobum Gretſerum* lib.1. de Benedict. cap. 15. Illa verò, quæ Marſum docuit ſaliva ſanare tumentes crocodilino ſerpentinovè veneno, Circe ejus mater fuit, Sociorum Ulyſſis & Scyllæ puellæ metamorphoſi infamis; matrem hanc triveneficam Spiritus inſtruxit Præſtigiator, quo Magiſtro *Serpentes diro exarmare veneno eſt doctus Atyr, tactuque graves ſopire chelidros, Ac dubiam admoto ſobolem explorare ceraſte*, ut canit *Silius* lib. 1. Eodemque auctore, ut judicare pronum eſt, ſerpentinis exuviis tecto Ophiophagi ſeu Anguivori ſemel poto veneno venenata capta quamvis irritata tractant ſine læſione, oſculaque horrendis jungunt impunè venenis, adeò ut veneficæ beſtiæ, exporrectâ linguâ hoſtibus ſuis quaſi abblandiantur.

Sancti ſerpentes impunè tractant.

Venenum non ſemper nocet.

5. Magnæ in Philoſophia infantiæ eſt, terreri, ſi venenum contra venenum ſumendum à Phyſicis præſcribatur, vel ſumptum non noceat. Nam ſi dictæ ſuperſtitiones abſint, veneni violentia vel penitus infringi, vel certè impediri per accidens poteſt; ſiquidem 1. per medicamenta & adſcititias qualitates poteſt quis ita diſponi, ut venenis reſiſtat: 2. priùs poſſunt venena è corpore vel per vomitum, vel per ſudorem ejici, quàm agere poſſint: 3. poteſt non eſſe ſufficiens quantitas ad nocendum: 4. poteſt bona Naturæ conſtitutio reſiſtere viribus veneni; quod veriſimile eſt in ſerpentibus, araneis, & aliis venenoſis animalibus fieri, quæ etſi in partibus quibusdam corporis venena circumferant, ſimul tamen in aliis partibus antidota habent quibus roborantur contra malum intrinſecum. An autem in homines tam benevola Natura fuerit, non eſt facilè dijudicare. Exempla non deſunt qui ſine dictis ſuperſtitionibus & infamia

Digitized by Google

infamia magiæ nigræ impunè 30. drachmas cicutæ (ut de anu quadam Sextus Empiricus narrat) vel 4. drachmas opii hauſerint. Pſyllorum corporibus ingenitum fuiſſe virus ſerpentibus exitiale & ſoporiferum, refert *Herodotus* lib.4. & *Plinius* lib.7. cap.2. Athenagoras quoque Archivus à ſcorpionibus nunquam lædebatur.

Porrò Remedia & medicamenta Naturæ oculis non ingrata, & venenis profligandis idonea, à Medicis petenda ſunt. Certè caro viperarum tam potens eſt ad vincendum venenum, quàm earum venenum ad necandum; ut propterea caro illa ritè purgata, & in Trochiſcos redacta, ad Theriacæ compoſitionem adhibeatur; unde & nomen Theriaca accepit, teſte *Lorino* in cap.28. Actor. Apoſt. qui docet ab Arabibus viperam Therion dici, detorto vocabulo θηρίον, quod feram ſignificat. Hinc etiam ſcorpiones ictibus à ſe factis per ſuam ſubſtantiam ipſi medentur, ſi ſuper vulnere comprimantur. Plura retruſiora antidota Phyſici Practici ſeu Medici cognoverunt; Vulgaria hoc verſu Aponenſis expreſſit:

Theriaca unde ſit dicta.

Allia, nux, carica, pyra, raphanus, & ruta, capa,
Hæc ſunt Antidotum contra mortale venenum.

Antidota contra venenum.

Alii Bezoarticum lapidem commendant, & Carolum V. volunt Pimpinellam quotidie vino ſuo impoſuiſſe contra venena. *Scaliger* Exerc. 92. Vaſa Murrhina commemorat, quæ ab aliquibus Porcellanæ vocantur, ſed ex ſuperſtitione atque impoſtura mercatorum. Verius eſt unicornu, cornua cervi, & alia animalium cornua venenis adverſari; unde fortaſſe cornea ut plurimùm majoribus noſtris fuère pocula, & apud Græcos temperare vinum dicitur κεράννυσθαι, ἀπὸ τοῦ κέρατος, id eſt, à cornu.

Sunt cornua venenis inimica.

6. Meritiſſimè Joannes Theodorus Schönlenius, Sereniſs. Bavariæ Ducis Conſiliarius & Medicus, in diſcurſu ſuo philoſophico & medico de Melancholia & Catharro cap. 11. cum Andrea Laurentii damnat, & ex præſtigiis Satanæ, non medicinæ fontibus hauſtum eſſe dicit remedium, quo pro Erotica ſeu amatoria Melancholia avertenda ſanguis amantis aut amatæ hauriendus propinatur. Didicit id olim ſuo malo Fauſtina Marci Aurelii Imperatoris Uxor: hæc enim, ut refert *Julius Capitolinus*, cùm ſe gladiatoris alicujus amore captam viro confeſſa eſſet, & ex conſilio Chaldæorum Marco procurante amati ſanguinem lubens hauſiſſet, ſolutus quidem eſt amor, ſed viro ſuo filium edidit Commodum, non principem, ſed gladiatorem adeo diſſolutis moribus, ut nulli laniſtæ, nulli ſcenico, nulli arenario, nulli deníque ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concreto improbitate ceſſerit. Hæc eſſe ſolet cauda ſcorpii Tartarei. Certiora & tutiora paſſim antidota præſcribuntur. Juxta Poëtas Pallas, Diana, Veſta, id eſt, amor ſtudiorum & pugnæ, venatio, ac in-

Melanchólia Erotica non ſanguine curanda.

Digitized by Google

edia ſeu vitæ auſteritas, nullâ calliditate à Venere ſub dominii jugum trahi potuêre, & decantatum eſt illud Ovidii:

Remedia pro impuro amore & Erotica melancholia fugandi.

Ocia ſi tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & ſine luce faces.

Solet & aëris mutatio, vitiorum in re amata conſideratio, peccantis humoris depulſio, &c. à Medicis præſcribi. Efficaciora ſunt, & multorum millenorum experientiâ comprobata, quæ ab Aſceticis Auctoribus ſuadentur; 1. fuga illorum, quæ malum hoc fovent, ut ſunt

Ocia, Menſa, Libri, Vaga lumina, Verba, Sodales:
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc fuge, vita hos:

2. Uſus pharmacorum & antidotorum, quæ ſunt:

Lectio, Flagra, Preces, Confeſſio, Lympha, Labores,
Portarum excubia, Chriſti præſentia, pœna,

quorum omnium explicationem, uſum, & neceſſitatem apud *Hieremiam Drexelium* in Niceta ſeu triumphata incontinentia totis duobus libris legere potes, quisquis hic infirmus es, ſi velis. Ut autem velis, cogat te amor DEI, corporis tui, opum, animæ, ingenii, famæ, virtutum: nam (ut dictus auctor explicat cap. 10. lib. 1.) Incontinentia

Corpus, opes, animam, ingenium, famam, virtutes
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

7. Errant qui homines non firmæ valetudinis quamprimùm Charonti tranſmittunt, & tuſſi mortem vicinam quaſi advocare, non minùs imperitè quàm ridiculè dictitant: Sanis verò omnia tuta & ſecura temerè juxta ac adulatoriè vaticinantur. Secundùm bonam philoſophiam non idem eſt, eſſe ſanum, & longæ vitæ; neque idem, valetudinarium eſſe, & brevis vitæ. Non rarò enim accidit, inquit *Dandinus* loco citat. ut, cùm è duobus hominibus alter eſt ſanus atque robuſtus, alter valetudinarius, imbecillis, debilis; ille multò citiùs moriatur. Teſtatum id facit quodam loco exemplo hominis, qui cùm ad omnes horas exhalare animam videretur, ad octo tamen & octoginta annos vixerit. Accedit quòd fieri poſſit, quempiam calorem habere & humorem bene temperatos, ſed quantitate parvâ, cui proinde ſana quidem, ſed brevis erit vita; alium contrà multo abundare calido & humido, qui tamen aut à primo ortu, aut ex ſequenti victus immoderatione malos humores contraxerit, unde longam, ſed crebris conflictatam morbis, ac prorſus valetudinariam vitam traducat. Etenim ſanitas in debita proportione, longitudo aut brevitas vitæ in caloris & humoris quantitate conſiſtunt: Et pervulgatum eſt, valetudinarios diutiùs quàm ſanos & robuſtos vivere; quod aut ex majori calore & humore, quamvis minùs bene temperatis evenit, aut

Valetudinarii diutiùs vivunt quàm quidam ſani.

Sanitas & longitudo vitæ in quo conſiſtat.

aut ex accuratiore victus ratione, majoreque ſui conſervandi cura: ſiquidem ſani & robuſti nihil timent, audent omnia, pericula non reformidant, nec ullâ propemodum ſui curâ ſollicitantur, & ut virium robore morborum cauſis diutiùs reſiſtunt, ita graviſſimè tandem ſuccumbunt. At Valetudinarii verentur omnia, multoque meliùs ſeipſos cuſtodiunt, propter virium imbecillitatem leviſſima quæque morborum initia perſentiunt, à quibus diligenti curâ liberantur faciliùs, atque ita longiùs vitam protrahunt, ſæpiùs & penè continuò de morte & judicio divino admonentur, ut ſtent accincti ſemper tranſire parati. Quare utplurimùm valetudinarii ingenio & induſtriâ apud homines, ſanctitate & orationum frequentiâ apud DEUM, cautâ & intaminatâ vivendi ratione apud beatos cœleſtis aulæ incolas plùs valent, quàm corpore valentiſſimi; quod tamen potiùs fide divinâ irradiato, quàm ſolari & ingenitâ luce circumfuſo Naturæ oculo indubitatum eſt, & pateſcit

8. Parum doctæ mentis ſunt, qui ceruſſa, ſmegmate, & hydrargyro, ætatis florem & pulchritudinem reſtaurari credunt, ſiquidem,

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Bonum eſt bonis & malis, (juxta S. *Auguſtin.* lib. 15. de Civit. cap. 22.) commune à DEO datum, ut quàm temporale & infirmum bonum ſit, conſtet, vocaturque à S. *Nazianzeno* Orat. 31. temporis & morbi ludibrium. Fruſtra ſectaris formam, quam triduanæ febris igniculus diſſolvit, inquit *Boëtius* lib. 3. de Conſ. proſ. 8. Imò qui crocum, vel grana cumini, vel allii nucleolum demordet, & propiùs halitu accedit, mox mangonizatam, ceruſſatam, vel hydrargyro concinnatam faciem pallore & ſqualore obſoletam reddet, ut docet *de Porta* lib. 8. c. 30. Forma fucata quomodo cognoſcatur.

9. Ex Æſopi fabulis, vel Anicularum colis, vel Æſculapii pilis diducta & formata ſunt pro temperamento vel conſervando, vel proportionando medicamenta, quæ *Minderetus* Thren. med. cap. 12. multis refert & ridet, qualia ſunt v.g. ſi ungues febricitantium certâ lege abſciſſi fluvialis cancri dorſo alligentur, quem unà cum febri in amnem mittunt; ſi contra morbum regium accipiant icterici urinam, eamque indant cavo trunco ſambuci, & excoquant ad ignem donec omnino evaporetur & abſumatur. Alii additâ farinâ ex illa urina pultes coquunt, vel pinſunt placentas, easque canibus unà cum morbo devorandas objiciunt. Superſtitioſæ curationes quædam. Alii atrophiam membrorum transferunt ab homine in arborem, includendo ſuo tempore ſalici particulam è membro marceſcente reſectam: gibbos cum certa quadam præfatione ad lunam exponunt, eique ſuper iſta miſeria conqueruntur: catarrhos novis aut recèns lotis induſiis impre-

Digitized by Google

imprecantur. Alii, ut ſpaſma tollant, inſerunt digitis annulos ex ſuſpenſorum furum catenis fabricatos; capitis punctoriis ſeu punctivis doloribus & hemicraniis medentur, dum plumbum liquefactum per chartam duplicatam minutis foraminibus perviam effundunt, atque ex illa figura fruſtulorum caſu effectorum multa præſagiunt (dolores iſtos vocant ſagittarios & jaculatorios) Qui hemoragiâ ſeu ſanguinis fluxu laborant, illos jubent in manu tenere fruſtum ſceptri à judice ſupra mortis reum ſententiam ferente diffracti: qui pleuriti de lethali decumbunt, ſtatim debent laniorum cultros è carnificina potui immittere, ut ſic punctura frequens laterum pellatur. Alii ſingultum inverſo pane vel cultro quietant, febres obulo divendunt, paroxiſmorum numerum colligunt ex leproſis ſtipem petentibus, & ſimilia multa; quibus verba admiſcent, ut ait Seneca in Medea, venenis non minùs metuenda, plerumque ex Hebræo ſumpta, teſte Delrio, v.g. *ſpadix, ſpadix ſi laboras*, &c. vel *ante parante* &c. vel *Donata, Daries*, &c. vel *Abras, anota* &c. vel *Irioni, Khiriorbi*; vel *Hax, pax, max* &c. vel *Strigiles faceſque*, vel *Galbes* &c. *Galdes* &c. vel *Gibel, Got* &c. Alii ſolent legere Pſal. 108. juxta certam verſiculorum diſtributionem, aliter quàm exiſtat. Vide *Delrium* lib. 3. quæſt. 4. ſect. 8. & 9. literis m. & o. quæ omnia illegitima ſunt & ſpuria; nulla enim his cauſa phyſica ſubeſt, nec à DEO promiſſionem habent, nec utentis vel applicantis ſanctitas ſuadet miraculum fieri.

Annotationes ad Corollaria.

An viribus Naturæ, ac remediis Dæmoni ſaltem notis, reddi poſſit ſeni juventa, diſcuſſimus ſuprà lib. 1. cap. 29. §. 3. & in 4. parte Magiæ lib 5. Syntagm. 3. cap. 1. Affirmantem ſententiam utrobique amplexi ſumus. Unde exempla hic inſinuata, & à nobis citato loco Magiæ relata, non fuêre miraculoſa, nec ſupra Naturæ vires, quamvis nobis cauſa & operandi modus ignotus ſit.

Alchymicis medicamentis vitam poſſe decurtari, & prolongari, dubium nullum eſſe poteſt, cùm quotidiana id doceat experientia. Decurtant, ſi immodicè; prorogant, ſi moderatè adhibeantur. Erat in Romano Societatis noſtræ Collegio vir doctus, natione Helvetus, quem etiamnum in vivis eſſe exiſtimo. Is periculoſo ac lethali morbo ad mortis limen deductus fuerat, jacueratque jam multis horis animam agens, ac ſenſibus omnibus deſtitutus, operientibus circumſtantibus animæ è corpore egreſſum, nec ullum jam ab aliquo tempore remedium à Doctoribus Medicis adhibebatur. Aderat inter alios P. Athanaſius Kircherus. Petit à Medicis præſentibus, ſimulque à Collegii Rectore, liceat ſibi in tam deſperato caſu remedium adhibere; Permittitur. Curat itaque confeſtim è Pharmacopolio Collegii adferri Elixir Vitæ, *ut vocant, & non plùs quàm unam guttam inſtillat ori*

ori cum morte luctantis: & ecce, non poſt longam temporis moram aperit oculos plùs quàm ſemimortuos, & circumſpicit; tum audit; poſt linguam, balbutientem licèt, in vocem articulatam ſolvit, ac paulatim ita perfectè ſanitati reſtituitur, ut recuperatis viribus integris in Germaniam redeat, & ut dixi, etiamnum (ni fallor) vitæ uſurâ fruatur. Non ergo ridendi Alchymiſtæ, ſi auro liquato morbos avertere, ſed ſi ſenectutem omnino arcere præſumptuosè jactant.

Reliquis Corollariis nihil habeo quod apponam; longiorem enim tractatum quædam requirunt; alia ad Medicos ſpectant; alia in Technica Curioſa explicabuntur, aut refutabuntur; aut alibi fortaſsis.

EPILOGUS OCULI NATURÆ, ET TOTIUS OPERIS.

SUnt igitur hactenus recenſita meræ & deliræ ſuperſtitiones, & impoſtoriæ curationes, diabolicæ, minimè naturales, ex pacto implicito Diaboli; ut mirum non ſit, in ejuſmodi eliminandis & evacuandis inſcitiæ & ſuperſtitionum ſordibus SS. Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Arnobium, aliosque non minùs vitæ ſanctimoniâ, quàm inſigni eruditione præditos viros Principes, tanquam exhauriendo Augiæ ſtabulo labore plùs quàm Herculeo, linguâ, calamo, gladio, igne deſudaſſe. Videbant nimirum divino lumine circumfuſi Doctores, non ſine culpa & ſupremi Numinis injuria, vel ab idiotis per ignorantiam uſurpari, vel à Necromanticis per impoſturam & ſacrilegium ſuaderi, vel per conniventiam Chriſtiani populi Capitibus tolerari poſſe, quæ tam manifeſtè Naturalis Philoſophiæ principiis vim inferunt, & cœlitùs hauſtis Fidei Canonibus, ac Patrum decretis repugnant, atque dum à legirupis iſtis pro vita vel protrahenda, vel à moleſtiis liberanda adhibentur, perpetuæ mortis & omnium ærumnarum calamitatumque æternùm duraturarum ſententiam conciliant, accelerant, & animæ juxtà ac corpori inducunt. Ter miſeri, & ob ignorantiam commiſeratione, ob malitiam exilio, carcere, gladio digni! qui, ut corpore valeant (quod tamen vix quiſpiam

Amor vitæ eſt cauſa multarum ſuperſtitionum.

 aſſecutus

Diaboli dum ſanant, nocent.

Vitam vitat, qui per illicita media illam curat.

aſſecutus eſt, quia, ut loquitur Syneſius, calamitates mortalium convivia ſunt malorum dæmonum) nihilominùs ut corpore valeant, animam interimunt; ut carnis incommoda evitent, horrendis infamia pocula ſuccis inficiunt, illiſque Hecateia carmina miſcent, ut σαρκοκοσμοπνευματομαχίαν *longum illud longo verbo ſignificatum, & Chriſtianum, toties commendatum, ſpiritum inter & carnem mundumque, morte finiendum, cœlo præmiandum, bellum declinent, cum vitæ & mortis Domino, qui poſtquàm occidit, poteſtatem habet mittere in gehennam, cum DEO inquam, creatura inimicitias perpetuas gerere, & vindices ejus manus experiri malunt, nec vivere, ſed eſſe, non ut ſerò, ſed ut diu moriantur, in mundo morari quærunt. Quid juvat diu vivere, ſi invito DEO ope Diaboli vivas? quid prodeſt fugere febres, catarrhos, &c. ſi gehennam non effugias? Vive piè, & beatè vives, ſanctè morieris. Satis diu cucurrit, qui bravium comprehendit; ſat multùm certavit, qui coronam obtinuit; ſatis laboravit, qui denarium accepit; ſatis navigavit, qui portum obtinuit; ſatis expectavit, qui ad nuptias Agni intravit; ſatis diu vixit, & beatè vivit, qui DEO placet dum vivit & vixit. Ille eſt proborum animus, ut malint cum triſmyriadibus Sanctorum ſententiam mortis, quàm mortalis noxa conſenſum admittere;*

Juſti mortem non metuunt.

jumenta, liberos, familiam amittere, quàm orcina alexipharmaca & anicularum execrationes potiùs quàm benedictiones admittere; per anguſta ad auguſta penetrant, & mortem non tam funus quàm fœnus eſſe ducunt, nedum illicita antidota in ſe vel familiam ſuam inducant. Eos cùm mors rodit, ipſum cor ridet, & læti lethum vincunt, non plangunt, nec ſe angunt, ſed plaudunt quando vitam claudunt,

Senectus non optanda, ſed vita emendatior.

quia juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, Sap. 3. *In memoria æterna erit juſtus.* Pſal. 3. *Memoria juſti cum laudibus, vidit enim veram lucem, non fuit unus è multis,* Proverb. 10. verſ. 8. *Non quæritur quamdiu vixerit, dummodo ad immortalitatem vixerit, & juſtus fuerit:*

Juvenis poteſt eſſe perfectus.

ſicut enim in minore corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus, ſic & in minore temporis modo poteſt eſſe perfecta vita. Bonum non eſt in tem-

Digitized by Google

in temporis diuturnitate ſitum, ſed in virtute: neque enim, qui plurimùm citharâ cecinit, ſed qui benè, commendatur. Non qui diu vivit aut vixit, ſed qui DEI voluntatem fecit, DEO placet, & æternùm vivit. Creſcunt dies & anni, creſcunt rationes annorum. Eſſe hic alienum eſt; bonum Chriſtianum eſſe, proprium eſt. Quare cedro dignum eſt, & omnium Polychroniorum & βιοφίλων iſtorum oculis auribusque identidem ingerendum aureum illud Hipponenſis Præſulis dictum:

Vive diu, ſed vive DEO, nam vivere mundo
Mortis opus, viva eſt vivere vita DEO.

APPEN-

APPENDIX
Ad
LIBRUM DUODECIMUM.
De
MIRABILIBUS MISCELLANEIS.
PROOEMIUM.

NEc menſura eſt, nec numerus eorum mirabilium, quæ Natura divite penu includit. Exilia videri queunt, & pauca, quæ Democriti ſtudium, Ariſtotelis diligentia, Æliani curioſitas, Theophraſti, Alberti Magni, Vincentii Belluacenſis, Geſneri, Aldrovandi, Jonſtoni, Wottoni, Piſonis, Kircheri, Nierembergii, Sperlingii, aliorumque innumerabilium labor atque induſtria de Naturæ operibus ac miraculis ad poſteros transmiſit; nulla, quæ nos tum hoc, tum aliis noſtris Operibus enarravimus. Nam ut Aratus canit,

omnia nondum
Ex Jove mortales cognoſcimus; occulit ille
Plurima, dum libitum fuerit, quæ tradet &c.

Quanquam enim nunquam ita patuit Natura ut hodie, poſt novum detectum orbem, poſt tot orbis veteris de novo aditas regiones, poſt accuratiſſimam plurimorum ac doctiſſimorum Scriptorum in utriusque orbis miris ac miraculis perſcrutandis diligentiam, poſt tot ac tam rara Naturæ ejusdem arcana, ignota Indiarum animalia, plantas, metalla, lapides, aliaque mineralia cognita; ſolùm tamen dimidius ejus vultus eſt huc usque viſus, & velut ex obliquo reſpectus. Erit fortaſſis quando ſe integram exhibebit. Interim quæ aliorum labor nota nobis fecit, rimemur ſedulò, ita tamen ut ad Auctorem illorum mentem erigamus, nec tantùm quòd DEUS ſit, ſed quantus ſit, & quàm potens, ſapiens, munificus, cognoſcamus. Non per ſe vult Natura videri, ſed in ſe, aut ex ſe Auctorem ad tantum theatrum per

per tot ſpectacula introducit. Aliò nos remittit, & quaſi geſtu ac digito innuit ſe majora. Non eſt magnæ eruditionis, Naturæ vultum videre, ſed ſenſum agnoſcere; ſicut non magna doctrina eſt, verba Latina aut Græca legere, ſi non intelligas.

Ad hæc igitur divinitatis lineamenta contemplanda, ad hos luminis inviſibilis radios per creata translucentes introſpiciendos, ut excitem me ipſum, meumque Lectorem, ex innumeris quæ occurrunt, paucula quæ ſequuntur addenda præcedentibus duxi. Hinc ergo incipio.

PARS I.

MIRABILIA PLANTARUM.

Infinita plantarum miracula ſunt, quia infinita earum Sylva: nec enim ullibi fortaſſis Natura liberalior, laſciviorque, quàm in illarum productione ac fabrica. Hinc tantus arborum, fruticum, ſuffruticum, herbarum, (quæ ſumma ſunt plantarum genera) progenies; tot in omni ſingulorum generum ſpecie miracula; tam ingentia pro hominum victu, indumentis, medicamentis, delectamentisque commoda. De his quoniam in præcedentibus actum eſt nihil, pauca ac ſelectiora hic dabimus, præſertim ex novi Orbis Scriptoribus deſumpta. Præmittimus tamen Europam.

CAPUT I.

De prodigioſæ magnitudinis Tiliæ Neoſtadiana ad Cocharum fluvium.

Inter multas ac nobiles Würtembergenſis in Germania Ducatus urbes, non poſtremo eſt loco Neoſtadium ad Cocharum fluvium, non procul Heilbrunnâ. Celebrem eam reddunt hodie, præter monumenta nonnulla antiqua Romanorum, & Ducalem arcem ac ſedem, prodigioſa, ac totam per Germaniam famoſiſſima Tilia, tantæ magnitudinis, ut ab ipſa urbs, ad aliarum multarum ejuſdem nominis differentiam, nomen acceperit, ac paſſim Neuſtadt an der groſſen Linden / *Neoſtadium ad magnam Tiliam*, nuncupetur. Hujus Tiliæ viſendæ ac dimetiendæ cùm diu magno fla-

Neoſtadiũ ad Cocharum fluvium.

Fffffff

flagrâſſem deſiderio, ac paucos ante menſes urbem penes ipſam tranſiens voti compos fieri (quoniam properabam) non potuiſſem; petii per litteras ab Excellentiſſimo Domino *Joanne Matthæo Fabro* Doctore Auguſt. & Sereniſſimo Principi Friderico, Duci Würtembergenſi &c. eâ in urbe à conſiliis Medicis, illam ut menſuratam, delineatamque ad me mittere dignaretur. Fecit id pro ſuo in me meaque ſtudia affectu ſingulari & promptè & accuratè, verbis ac ſchematiſmis ſequentibus; quæ & poſteritati communicanda cenſui, quoniam à nemine, quòd ſciam, ſunt ſcriptis publicis conſignata. Sic autem ſcribit inter alia multa, in datis ad me nomine prædicti Sereniſſimi Principis Neoſtadio die 24. Febr. anno 1665.

§. I. Dimenſio Tiliæ.

Tiliæ Neoſtadianæ menſuræ.

Tilia noſtra icon eſt in primordiis. Quoniam autem non pauca monumenta ſaxeis inciſa pilis circumfert, paulò prolixior labor eſt; quem & tempus incongruum hactenus non parum impedivit. Hæc interim obiter: circumferentiam trunci eſſe pedum 27. digitorum 4. ambitum ramorum pedum 403. fere: Diametrum à Meridie in Septentrionem pedum 145. ab Ortu in Occaſum pedum 119. columnas pleraſque lapideas, variis Principum, Nobilium, aliorumque inſigniis ornatas, ac ramis ſuſtinendis diſpoſitas 82. quarum tamen numerum olim 100. majorem fuiſſe perhibent; nec à veritate diſſonare videtur, cùm veſtigia superſint quantum paſſa fuerit à militum petulanti ferro. Numerus annorum columnis inſculptorum remotiſſimus, eſt 1555. quo tamen tempore jam inſignem fuiſſe, è tabella prima conjicio. Deſcriptionem cum monumentis antiquis uno & altero, quæ è Romana vetuſtate retinuit hic locus, aliiſque notatu dignioribus, mittam quamprimùm fuerit poſſibile &c. Hactenus Dn. Faber. Cætera, quæ in eadem Epiſtola ſequuntur, dabo poſtea.

§. II. Ejuſdem Tiliæ ichnographia, & ſciagraphia, unà cum monumentis antiquis in urbe Neoſtadiana reſiduis.

Tiliæ Neoſtadianæ ichnographia, & ſciagraphia. Vide Icon. A. & B.

NOn diu pòſt, idem Excellentiſſimus Dominus Doctor miſit ad me ichnographiam ac ſciagraphiam ſeu proſpectum ejuſdem Tiliæ, prout è vicino Ducali palatio cernitur; nec non monumenta quædam antiqua, quæ partim in urbe, partim extra ipſam adhuc extant, manu propriâ delineata, additis hiſce inter alia verbis, in Epiſtola die 5. Aprilis data: *En tandem, Admodum Reverende Celeberrimeq; Vir, Tilia noſtra Neoſtadienſis (urbis antequam per terræ motum proſterneretur,* Helmbund *dicta, unde & hodie galea eſt in inſignibus) & dimenſionem, & proſpectum, qualis è Ducali Viridario ex proximo cernitur; manu licèt imperitâ, fideli tamen expreſſam. Quæ ſi materia elabo-*

Iconiſmus B.

Neoſtadij ad Kocharum



...rior orientalis.
...n antiquum
...ugale.
...iud Romanum
...ptum.

G. Introitus ad Tili...
privilegio ſubſcr...
H. Via Regia Hala...
Franconiā verſ...
I. Horti Ducatis...

...æ Nea-
...iana
...mnæ,
... ne-
...ibus
...ripcis.

Digitized by Google

facies et proſpectus per viciniam.



Tiliæ N
ſtadia n
menſus

Tili
ſtadi
ichu
phia
ſcis
phi
Vi
A.


iam cum
ripto.
am ſuev et
ſus.
introitus.

K. Domus Hortulanæ Pars.
L. Kochari fluuij portio.
M. Kochenthürn pagus.
N. Deſmeren pagus.

O. Stein et Preſteneck arxes et Pagus.
P. Lobenbach Villa.


Tiliæ Neoſtad

um ſuſtentatric



Tiliæ Neoſtadianæ columnæ, cum nominibus inſcriptis.

geometricorum.




Pag. 1 . . . L. pag. 1331.
fa . . . iensis, ejusq;
. . . um.



Tiliæ . . .
ſtadia . . .
menſu . . .



Tili . . .
ſtad . . .
ich . . .
phi . . .
ſci . . .
phi . . .
Vid . . .
A. S . . .
um cu . . .
ipſo.
m ſue . . .
ys.
ntroi . . .



Johann abt zu Schenthal 158.
. . . 156.
Eberhard von Gemmingen. 155.
David von Helmſtad Amtman
Graff Fridrich zu Mompelgard
Hans Heinrich von Lammersheim
Sigmund Sigmigee.
L. H. Z. W.
A 353. G. L. Marggraff zu Brandenb.
Georg Ernst Graff zu Henneb. Herr
Ascha und Albrecht Graff zu Lowen
ſtein Herr zu Scharpffeneck. 15
Michael Helmling Stattschreiber 155
Hans Ulrich von Steine . 15
Daniel von Helmſtatt zu Bo
penaw . . . 158
Stammd von Russbach 15
Wilhelm von Grombach 158
Bernolf von Gemmingen . 158
Hans Wolff von Gemmingen . . 15
Schweicker Wambold von Umſtatt 15
Heinrich Lerck Pfarrer zu . .
Andreas von Oberbach vorſt . .
zu Newſtatt.
Haubrecht Bergkeller zu Newſtatt.
Emberg.
Thomas Busch von Schorndorff
Wolffgang von Gemmingen 15
Fritz Kumeter Forſtmeister . 15
. . . 15
F

Digitized by Google



eſtito
nſio-
hen-

ſche-
ipſe-
tiam

t co-
i in-
rum
a in-

Tiliæ Neoſtadianæ columnæ, cum nominibus inſcriptis.

aſſe

oſſ.

Digitized by Google



Tiliæ
ſtadia
menſ

Tili
ſtadi
ich
phia
ſci
phia
Vide
A. &

am cu
ijato
m
ys
ni

Digitized by Google

elaborandæ grata pars erit, mihi de hoc ſaltem officiolo Reverentiæ Veſtræ præſtito gratulabor. Et ne dubitarem de pedis menſura, qua in priori dimenſione uſus fuerat, addidit filum, totum ambitum trunci Tiliæ comprehendens.

Plures porrò columnarum plantæ ſeu veſtigia reperiuntur in ſchemate ichnographiæ, quàm 82. (quot præcedenti Epiſtolâ eſſe perſcripſerat Auctor) quoniam ibi ſolùm in circulis ſeriatim diſpoſitas, hîc etiam extra circulares ſeries collocatas numeravit.

§. III. Inſcriptiones columnarum quæ Tiliam ſuſtentant.

TAm famoſum monumentum non dedignati fuerunt inſpicere, & columnis ſuſtentatricibus circumpoſitis nomina atque inſignia ſua inſculpere, quamplurimi Principes, Nobiles, aliique Viri Illuſtres, quorum nomina exhibet ſequens catalogus, tametſi nonnulla, ob temporum injuriam, aut manca ſint, aut penitus oblitterata. *Tiliæ Neoſtadianæ columnæ, cum nominibus inſcriptis.*

D. V. H. Z. W.
CLL - - Graff zu Leuchtenberg. 1591.
1583.
1575.
Albrecht von Roſenberg Ritter. 1591.
Wolff Keidel alter Furleutiun. 1555. Hunc ajunt plantaſſe Tiliam.
Hans Heinrich von der Tana. 1583.
Conrad von Flbeg. 1573.
Burkard Weiler. 1575.
Friz Herter von Hertenek. 1575.
Wirich von Gemmingen. 1575.
Hans Ulrich Herklenn. 1575.
Bartol - - mot. 1555.
Hans Funk der zeit Burgermeiſter. Die erſt 1555.
Hans Ulrich Stigelheimer zu Durathenig, Furſtlicher hr. Hoffmeiſter. 1591.

Præſul de Langheim rediens Ciſtertia ab Urbe,
Pyramidem hanc poſuit flammis cæleſtibus auctam.
Sentiat hæc etiam Numen ſpirabile toto
Pectore, & illius ſemper ſit munere fœlix.

Johann Abt zu Langh. 1601.
Johann Abt zu Schœnthal. 1584.
- - - - - 1565.

Eberhard von Gemmingen. 1555.
David von Helmſtad Amtmann.
Graff Fridrich zu Mompelgard.
Hans Heinrich vom Lammerſtein.
Sigmund Signiger.
L. H. Z. W.
A. 553. G. L. Marggraff zu Brandenb. 1562.
Georg. Ernſt Graff zu Henneb. Herr zu Aſchaffb.
Und Albrecht Graff zu Lœwenſtein, Herr zu Scharpffenek. 1575.
Michel Helmling Stattſchreiber. 1555.
Hans Ulrich von Steine. 1575.
Daniel von Helmſtatt zu Kappenaw. 1556.
- - Stamel von Reiſchach. 1575.
Wilhelm von Chrombach. 1588.
Bernolf von Gemmingen. 1588.
Hans Wolff von Gemmingen. 1588.
Schweiker Wumbold von Umſtatt. 1591.
Heinrich Link Pfarrer zu Uden.
Andreas von Oberbach Vorſtmeiſt. zu Neuſtatt.
Neubrecht Bart Keller zu Neuſtatt. 1557.
- - - - - Ernberg.
Thomas Buſch von Schorndorff.
Wolffgang von Gemmingen. 1588.
Feit Kumeter Forſtmeiſter. 1551. & 153[illegible]

CAPUT II.

De aliis notabilis magnitudinis arboribus Germaniæ.

Arbores notabilis magnitudinis in Germania.

ALiis quoque in locis Germaniæ noſtræ minùs ferè prodigioſæ magnitudinis arbores, frutices, ac ſuffrutices viſuntur etiamnum hodie. Aliquarum mentionem facit citatus præcedenti capite Excellentiſſimus Dn. Doctor Faber in litteris 24. Februarii datis, poſt Tiliæ deſcriptionem, his verbis.

Non tamen minùs notabilem autumo ſpina albæ ſtipitem, cujus primordia è Palæſtina circa Annum 1470. (ſurculum ſcilicet exiguum) reportavit Eberhardus I. Würtembergenſis Dux, atq; in ſylva Tubinga vicina plantavit eo loco, quo & Monaſterium S. Petri zu blauen Einſidel *dicti fundavit. Suſtinentur rami à 40. columnis lapideis, atque hodie etiamnum pulchrè viret.*

Sic

Sic etiam Avellanã arborem audio Fſorti extare, cujus truncus trium hominum abdomina juſta ambitu ſuperet..

Prope Eſslingam vidi Juniperum duorum ferè pedum diametrum habentem in trunco inferiori, & omnibus etiam ſylveſtribus arboribus longè eminentiorem, quam inertiſſimus opilio, quòd ventorum vi tecto ejus tandem irruituram metueret, exſcidit. Taceo quæ de Tilia Baſileenſi antiquiſſima quondam perhibebantur, forſan non omnino ſine fabula. Huc usque ille.

Hæc recentia ſunt exempla. Addo antiquum ex *Plinio* lib. 16. Hiſtor. Natur. cap. 1. ubi poſtquàm narraſſet, viſas Romanis in Septentrione gentes Cauchorum, omni carentes frutice, ulvâ & paluſtri junco funes nectentes ad prætexenda piſcibus retia, captum manibus lutum ventis magis quàm ſole ſiccantes, ac rigentia viſcera ſua urentes ad coquendos cibos; totam verò reliquam Germaniam replere ſylvas, addentes frigori umbras; addit: *Littora ipſa obtinent quercus, maximâ aviditate naſcendi, ſuffoſſaq; fluctibus, aut propulſa flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferunt; atque ita librata ſtantes navigant ingentium ramorum armamentis, ſæpe territis claſſibus noſtris, cùm velut induſtriâ fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopesque remedii illæ prælium navale adverſus arbores inirent.*

Idem *Plinius* lib. cit. cap. 2. loquens de Herciniæ ſylvæ magnitudine, ait: *In eadem Septentrionali plaga Hercinia ſylva roborum vaſtitas intacta ævis, & congenita mundo* (poſt diluvium univerſale reſtaurato) *propè immortali ſorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura, conſtat attolli colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu; aut ubi ſecuta tellus non ſit, arcus ad ramos usque, & ipſos inter ſe rixantes, curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant.*

De magnis Occidentalis Indiæ arboribus, & oleribus, agemus infrà capite 5. *Æneas Sylvius* narrat, Teutonibus, cùm Prutenos expugnarent Viſtulâ fluvio trajecto, caſtellum fuiſſe vetuſtam & latè patulam quercum, quam in caſtelli modum erectis propugnaculis juxta ripam munierant.

Attalus, qui primò regnavit in Attalica gente, pinum habuiſſe dicitur, cujus ambitus pedum erat viginti quatuor, altitudo à radice ſexaginta & ſeptem. Sed hæc ad aliarum extra Germaniam gentium plantas prodigioſas pertinet.

CAPUT III.

Admiranda variarum plantarum apud varias gentes.

§. I. Arbor illuſtris.

Arbor illuſtris.

IN Inſula Zeilan, in qua incolæ credunt paradiſum fuiſſe, arborem eſſe ajunt mediocrem, ſed craſſam, exigui folii & criſpi, quæ noctu coruſcet, & fuget tenebras; ideo *arboris illuſtris* nomen apud Scriptores invenit.

§. II. Arbor aurea.

Arbor aurea.

IN Hiſpaniola arborem quandam auri venas habere, ſcribit *Petrus Martyr* in Hiſtoria ſua, quam & fusè deſcribit. Multi quoque Scriptores referunt ex fide dignis Auctoribus, in Pannonia prope Danubium, maximè Schemnitii, repertas aliquando vites, quæ claviculos & folia ex puro auro candicantia habuerint, eaque Regibus ac ſummis Ducibus oblata. Cauſam putant auri fodinas ſub vite latentes, quæ cum pabulo aurum ad ſe attrahant.

§. III. Arbor triſtis.

Arbor triſtis.

IN nonnullis Indiæ locis, referente *Christophoro Acoſta*, præſertim verò in Malabar, frequentiſſima naſcitur arbor quædam magnitudine & forma ferè pruni, multis prædita ramis tenuibus, & certa per ſpatia nodulo diſtinctis, è quo utrimq; ſingularia folia enaſcuntur pruni foliorum magnitudine, mollia & lanuginoſa parte averſâ, quemadmodum ferè ſalviæ folia, neq; tam multis venis prædita. Singulorum foliorum ſede naſcitur pediculus, quinq; capitula ſummâ ſui parte ſuſtinens, quæ quatuor foliolis ſubrotundis conſtat; è quorum medio quinq; flores exiliunt candidi, elegantes, aureæ mali floribus magnitudine & figurâ pares, tenuiores tamen, elegantiores, & odoratiores, pediculo magis ad rubrum quàm ad flavum colorem tendente, quo in illis regionibus edulia tingunt, quemadmodum apud nos croco. Fructus magnitudine lupini eſt, vireſcens cordis effigie. Per medium ſecundùm longitudinem ſectus, continet in utraque parte quoddam receptaculum, in quo ſemen occluditur magnitudine ſeminis ceratii ſive ſiliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membranâ ſubvirente tectum, nonnihil amarum. Hæc elegantiſſima arbor conſpicitur nocte pulcherrimis, ſuaviſſimèq; olentibus floribus onuſta, & hilaris: at ſimul atque mane à Solis radiis illuſtratur, non modò flores omnes in terram abjicit, ſed tota arbor cum ſuis foliis quaſi marcida apparet. Hac de

Digitized by Google

de cauſa *Arboris triſtis* nomen obtinuit. Multi & arborem, & ſemen arboris in Europam tranſtulerunt,ſed fruſtrà & plantârunt, & ſeverunt.

§. IV. Mimoſa herba, & Acacia.

Differentem naturam à præcedenti arbore habet *herba mimoſa*, quæ planta eſt quinq; palmorum longitudinis, & vicinis arbuſtis aut parietibus incumbens, tenui caule, eleganti virore prædito, nec admodum rotundo, per intervalla exiguis & pungentibus ſpinis obſito, foliis ſuperioribus haud abſimilibus filicis fœminæ foliis minoribus. Hæc planta ſingulis noctibus Sole occidente ſeneſcit, & ſiccatur quodammodo, ſic,ut contabuiſſe videatur; oriente verò Sole vigorem denuò recipit; quandoque Sol magis fervet, eò magis viret, totoq; die folia ad Solem convertit. Eadem manu admotâ marceſcit,remotâ priſtinum virorem recipit: ideo *mimoſam* dictam putant. Mimoſa herba.

Notiſſimum eſt, & ſæpius à me ipſo obſervatum in horto domeſtico Colegii noſtri Romani, Acaciæ folia à media nocte uſq; ad meridiem unà cum Sole à Meridiano infero uſque ad Meridianum ſuperum aſcendente paulatim magis magisq; explicari;Sole verò à ſupero ad inferum Meridianum deſcendente paulatim contrahi & complicari, ita ut poſt Solis occaſum in graciles veluti ſpinas juniperi ad inſtar mutata videantur. Acacia.

§. V. Dutroa herba.

Dutroa herba, in omni India notiſſima eſt. Florem habet ejuſdem cum roſmarini flore coloris; cui decidenti folliculus papaverino ſimilis ſuccedit; qui intùs nucleis quibusdã melonum ſemen referentibus prægnans eſt.Hi aut ex aqua, aut ex vino,aut ex quovis alio liquore hauſti,aut cum oriza cocti eſitatique, aut quovis alio cum cibo ingeſti,hominis mentem ita percellunt & alterant, ut fatuo ſimilis perpetuò rideat, & nihil eorum, quæ in præſentia ſunt,aut geruntur,agnoſcat,diſcernatve. Quoſdam etiam in tam profundum ſomnum agunt,ut à mortuis nihil diſtent; quem ad horas perſæpè 24. protrahunt,niſi frigidâ illis pedes laventur ac fricentur: hoc enim pacto ante id tempus expergiſcuntur. Herbæ hujus uſus Indicis & Luſitanicis fœminis frequens eſt ad dementandos & conſopiendos maritos ſuos, quoties infami libidine pruriunt, & cum adulteris ſuis ſe permiſcere ſatagunt. Quamprimùm enim per dolum de herba iſta viro ſuo mulier propinavit, illicò ad conſpectum & latus ejus vir dementatur,adeo ut mulier coram ipſo quidlibet facere,barbam vellere,cornutum proclamare, aliaq; his ſimilia ſcurrilia addere audeat. Et licèt maritus apertis oculis illa omnia videat, nihil tamen ſtomachatur, ſed perpetuo riſu quatitur, & geſticulamenta morionum omnia æmulatur; nec quando expergefactus ad ſe redit, actorum recordatur, ſed dor- Dutroa herba mentem perturbans, & riſum movens.


Pag. 57. ... o
fa... ...enſis, ejusq;
...am.



Tiliæ
ſtadia
menſi

Tili...
ſtad...
ich...
phi...
ſcia...
phi...
Vid...
A. ...

...am cu...
...ipto.
...m ſue...
...ys.
...ntroi...



1565
Eberhard von Gemmingen. 1555
David von Helmſtad Amtman
Graff Fridrich zu Mompelgard
Hans Heinrich von Lammerſheim
Sigmund Sigmiger.
L. H. Z. W.
A 353. G. L. Marggraff zu Brandenb...
Georg Ernſt Graff zu Henneb: Herr zu
Ascha und Albrech Graff zu Lewen-
ſtein Herr zu Scharpffeneck. 157...
Michael Helmling Stattſchreiber 155...
Hans Ulrich von Sterne 157...
Daniel von Helmſtatt zu Rap-
penaw 1586
Stammd von Reiſchach 157...
Wilhelm von Grombach ... 158...
Bernolf von Gemmingen .. 158...
Hans Wolff von Gemmingen 15...
Schweiker Wambold von Umſtatt 15...
Heinrich Linck Pfarrer zu ...
Andreas von Oberbach Vorſtmeiſter
zu Newſtatt.
Haübrecht Berg keller zu Newſtatt ...
Emberg ...
Thomas Buſch von Schorndorff
Wolffgang von Gemmingen 15...
Fritz Kumeter Forſtmeiſter ...
...
R



[332]

eſtito
nſio-
hen-

ſche-
ipſe-
tiam

r co-
in-
rum
n in-

Tiliæ Neoſtadianæ columnæ, cum nominibus inſcriptis.

aſſe

off-

Eber-

Digitized by Google

fa uen:
am



Tiliæ'
ſtadia
menſi

Tili
ſta
ich
phi
ſci
phi
Vid
A. 8

am cu
ijato.
m ſue
ys.
ntroit



. 1530.

R

Digitized by Google

elaborandæ grata pars erit, mihi de hoc ſaltem officiolo Reverentiæ Veſtræ præſtito gratulabor. Et ne dubitarem de pedis menſura, qua in priori dimenſione uſus fuerat, addidit filum, totum ambitum trunci Tiliæ comprehendens.

Plures porrò columnarum plantæ ſeu veſtigia reperiuntur in ſchemate ichnographiæ, quàm 82. (quot præcedenti Epiſtolâ eſſe perſcripſerat Auctor) quoniam ibi ſolùm in circulis ſeriatim diſpoſitas, hîc etiam extra circulares ſeries collocatas numeravit.

§. III. Inſcriptiones columnarum quæ Tiliam ſuſtentant.

TAm famoſum monumentum non dedignati fuerunt inſpicere, & columnis ſuſtentatricibus circumpoſitis nomina atque inſignia ſua inſculpere, quamplurimi Principes, Nobiles, aliique Viri Illuſtres, quorum nomina exhibet ſequens catalogus, tametſi nonnulla, ob temporum injuriam, aut manca ſint, aut penitus oblitterata. *Tiliæ Neoſtadianæ columnæ, cum nominibus inſcriptis.*

D. V. H. Z. W.
CLL - - Graff zu Leuchtenberg. 1591.
1583.
1575.
Albrecht von Roſenberg Ritter. 1591.
Wolff Keidel alter Furleutiun. 1555. Hunc ajunt plantaſſe Tiliam.
Hans Heinrich von der Tana. 1583.
Conrad von Flbeg. 1573.
Burkard Weiler. 1575.
Friz Herter von Hertenek. 1575.
Wirich von Gemmingen. 1575.
Hans Ulrich Herklenn. 1575.
Bartol - - mot. 1555.
Hans Funk der zeit Burgermeiſter. Die erſt 1555.
Hans Ulrich Stigelheimer zu Durathenig, Furſtlicher hr. Hoffmeiſter. 1591.

Præſul de Langheim rediens Ciſtertia ab Urbe,
Pyramidem hanc poſuit flammis cœleſtibus auctam.
Sentiat hac etiam Numen ſpirabile toto
Pectore, & illius ſemper ſit munere fœlix.

Johann Abt zu Langh. 1601.
Johann Abt zu Schœnthal. 1584.
- - - - 1565.

Eberhard von Gemmingen. 1555.
David von Helmſtad Amtmann.
Graff Fridrich zu Mompelgard.
Hans Heinrich vom Lammerſtein.
Sigmund Signiger.
L. H. Z. W.
A. 353. G. L. Marggraff zu Brandenb. 1562.
Georg. Ernſt Graff zu Henneb. Herr zu Aſchaffb.
Und Albrecht Graff zu Lœwenſtein, Herr zu Scharpffenek. 1575.
Michel Helmling Stattſchreiber. 1555.
Hans Ulrich von Steine. 1575.
Daniel von Helmſtatt zu Kappenaw. 1556.
- - Stamel von Reiſchach. 1575.
Wilhelm von Chrombach. 1588.
Bernolf von Gemmingen. 1588.
Hans Wolff von Gemmingen. 1588.
Schweiker Wumbold von Umſtatt. 1591.
Heinrich Link Pfarrer zu Uden.
Andreas von Oberbach Vorſtmeiſt. zu Neuſtatt.
Neubrecht Bart Keller zu Neuſtatt. 1557.
- - - - - Ernberg.
Thomas Buſch von Schorndorff.
Wolffgang von Gemmingen. 1588.
Feit Kumeter Forſtmeiſter. 1551. & 153[illegible]

CAPUT II.

De aliis notabilis magnitudinis arboribus Germaniæ.

Arbores notabilis magnitudinis in Germania.

ALiis quoque in locis Germaniæ noſtræ minùs ferè prodigioſæ magnitudinis arbores, frutices, ac ſuffrutices viſuntur etiamnum hodie. Aliquarum mentionem facit citatus præcedenti capite Excellentiſſimus Dn. Doctor Faber in litteris 24. Februarii datis, poſt Tiliæ deſcriptionem, his verbis.

Non tamen minùs notabilem autumo ſpina alba ſtipitem, cujus primordia è Palaſtina circa Annum 1470. (ſurculum ſcilicet exiguum) reportavit Eberhardus I. Würtembergenſis Dux, atq; in ſylva Tubinga vicina plantavit eo loco, quo & Monaſterium S. Petri zu blauen Einſidel *dicti fundavit. Suſtinentur rami à 40. columnis lapideis, atque hodie etiamnum pulchrè viret.*

Sic

Sic etiam Avellanæ arborem audio Eforti extare, cujus truncus trium hominum abdomina juſta ambitu ſuperet.

Prope Esſlirgam vidi Juniperum duorum ferè pedum diametrum habentem in trunco inferiori, & omnibus etiam ſylveſtribus arboribus longè eminentiorem, quam inertiſſimus opilio, quòd ventorum vi tecto ejus tandem irruituram metueret, exſcidit. Taceo quæ de Tilia Baſileenſi antiquiſſima quondam perhibebantur, forſan non omnino ſine fabula. Huc usque ille.

Hæc recentia ſunt exempla. Addo antiquum ex *Plinio* lib. 16. Hiſtor. Natur. cap. 1. ubi poſtquàm narraſſet, viſas Romanis in Septentrione gentes Cauchorum, omni carentes frutice, ulvâ & paluſtri junco funes nectentes ad prætexenda piſcibus retia, captum manibus lutum ventis magis quàm ſole ſiccantes, ac rigentia viſcera ſua urentes ad coquendos cibos; totam verò reliquam Germaniam replere ſylvas, addentes frigori umbras; addit: *Littora ipſa obtinent quercus, maximâ aviditate naſcendi, ſuffoſſaq; fluctibus, aut propulſa flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferunt; atque ita librata ſtantes navigant ingentium ramorum armamentis. Sæpe territis claſſibus noſtris, cùm velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopesque remedii illa prælium navale adverſus arbores inirent.*

Idem *Plinius* lib. cit. cap. 2. loquens de Herciniæ ſylvæ magnitudine, ait: *In eadem Septentrionali plaga Hercinia ſylva roborum vaſtitas intacta ævis, & congenita mundo* (poſt diluvium univerſale reſtaurato) *propè immortali ſorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura, conſtat attolli colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu; aut ubi ſecuta tellus non ſit, arcus ad ramos usque, & ipſos inter ſe rixantes, curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant.*

De magnis Occidentalis Indiæ arboribus, & oleribus, agemus infrà capite 5. *Æneas Sylvius* narrat, Teutonibus, cùm Prutenos expugnarent Viſtulâ fluvio trajecto, caſtellum fuiſſe vetuſtam & latè patulam quercum, quam in caſtelli modum erectis propugnaculis juxta ripam munierant.

Attalus, qui primò regnavit in Attalica gente, pinum habuiſſe dicitur, cujus ambitus pedum erat viginti quatuor, altitudo à radice ſexaginta & ſeptem. Sed hæc ad aliarum extra Germaniam gentium plantas prodigioſas pertinet.

CAPUT III.

Admiranda variarum plantarum apud varias gentes.

§. I. Arbor illuſtris.

Arbor illuſtris.

IN Inſula Zeilan, in qua incolæ credunt paradiſum fuiſſe, arborem eſſe ajunt mediocrem, ſed craſſam, exigui folii & criſpi, quæ noctu coruſcet, & fuget tenebras; ideo *arboris illuſtris* nomen apud Scriptores invenit.

§. II. Arbor aurea.

Arbor aurea.

IN Hiſpaniola arborem quandam auri venas habere, ſcribit *Petrus Martyr* in Hiſtoria ſua, quam & fusè deſcribit. Multi quoque Scriptores referunt ex fide dignis Auctoribus, in Pannonia prope Danubium, maximè Schemnitii, repertas aliquando vites, quæ claviculos & folia ex puro auro candicantia habuerint, eaque Regibus ac ſummis Ducibus oblata. Cauſam putant auri fodinas ſub vite latentes, quæ cum pabulo aurum ad ſe attrahant.

§. III. Arbor triſtis.

Arbor triſtis.

IN nonnullis Indiæ locis, referente *Chriſtophoro Acoſta*, præſertim verò in Malabar, frequentiſſima naſcitur arbor quædam magnitudine & forma ferè pruni, multis prædita ramis tenuibus, & certa per ſpatia nodulo diſtinctis, è quo utrimq; ſingularia folia enaſcuntur pruni foliorum magnitudine, mollia & lanuginoſa parte averſâ, quemadmodum ferè ſalviæ folia, neq; tam multis venis prædita. Singulorum foliorum ſede naſcitur pediculus, quinq; capitula ſummâ ſui parte ſuſtinens, quæ quatuor foliolis ſubrotundis conſtat; è quorum medio quinq; flores exiliunt candidi, elegantes, aureæ mali floribus magnitudine & figurâ pares, tenuiores tamen, elegantiores, & odoratiores, pediculo magis ad rubrum quàm ad flavum colorem tendente, quo in illis regionibus edulia tingunt, quemadmodum apud nos croco. Fructus magnitudine lupini eſt, vireſcens cordis effigie. Per medium ſecundùm longitudinem ſectus, continet in utraque parte quoddam receptaculum, in quo ſemen occluditur magnitudine ſeminis ceratii ſive ſiliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membranâ ſubvirente tectum, nonnihil amarum. Hæc elegantiſſima arbor conſpicitur nocte pulcherrimis, ſuaviſſimèq; olentibus floribus onuſta, & hilaris: at ſimul atque mane à Solis radiis illuſtratur, non modò flores omnes in terram abjicit, ſed tota arbor cum ſuis foliis quaſi marcida apparet. Hac de

Digitized by Google

de cauſa *Arboris triſtis* nomen obtinuit. Multi & arborem, & ſemen arboris in Europam tranſtulerunt, ſed fruſtrà & plantârunt, & ſeverunt.

§. IV. Mimoſa herba, & Acacia.

Differentem naturam à præcedenti arbore habet ***herba mimoſa***, quæ planta eſt quinq; palmorum longitudinis, & vicinis arbuſtis aut parietibus incumbens, tenui caule, eleganti virore prædito, nec admodum rotundo, per intervalla exiguis & pungentibus ſpinis obſito, foliis ſuperioribus haud abſimilibus filicis fœminæ foliis minoribus. Hæc planta ſingulis noctibus Sole occidente ſeneſcit, & ſiccatur quodammodo, ſic, ut contabuiſſe videatur; oriente verò Sole vigorem denuò recipit; quandoque Sol magis fervet, eò magis viret, totoq; die folia ad Solem convertit. Eadem manu admotâ marceſcit, remotâ priſtinum virorem recipit: ideo *mimoſam* dictam putant. **Mimoſa herba.**

Notiſſimum eſt, & ſæpius à me ipſo obſervatum in horto domeſtico Colegii noſtri Romani, Acaciæ folia à media nocte usq; ad meridiem unà cum Sole à Meridiano infero usque ad Meridianum ſuperum aſcendente paulatim magis magisq; explicari; Sole verò à ſupero ad inferum Meridianum deſcendente paulatim contrahi & complicari, ita ut poſt Solis occaſum in graciles veluti ſpinas juniperi ad inſtar mutata videantur. **Acacia.**

§. V. Dutroa herba.

Dutroa herba, in omni India notiſſima eſt. Florem habet ejusdem cum roſmarini flore coloris; cui decidenti folliculus papaverino ſimilis ſuccedit; qui intùs nucleis quibusdã melonum ſemen referentibus prægnans eſt. Hi aut ex aqua, aut ex vino, aut ex quovis alio liquore hauſti, aut cum oriza cocti eſitatique, aut quovis alio cum cibo ingeſti, hominis mentem ita percellunt & alterant, ut fatuo ſimilis perpetuò rideat, & nihil eorum, quæ in præſentia ſunt, aut geruntur, agnoſcat, diſcernatve. Quoſdam etiam in tam profundum ſomnum agunt, ut à mortuis nihil diſtent; quem ad horas perſæpè 24. protrahunt, niſi frigidâ illis pedes laventur ac fricentur: hoc enim pacto ante id tempus expergiſcuntur. Herbæ hujus uſus Indicis & Luſitanicis fœminis frequens eſt ad dementandos & conſopiendos maritos ſuos, quoties infami libidine pruriunt, & cum adulteris ſuis ſe permiſcere ſatagunt. Quamprimùm enim per dolum de herba iſta viro ſuo mulier propinavit, illicò ad conſpectum & latus ejus vir dementatur, adeo ut mulier coram ipſo quidlibet facere, barbam vellere, cornutum proclamare, aliaq; his ſimilia ſcurrilia addere audeat. Et licèt maritus apertis oculis illa omnia videat, nihil tamen ſtomachatur, ſed perpetuo riſu quatitur, & geſticulamenta morionum omnia æmulatur; nec quando expergefactus ad ſe redit, actorum recordatur, ſed **Dutroa herba mentem perturbans, & riſum movens.**

dor-

dormiiſſe ſe credit & aſſerit. Eandem herbam ſervi quoq; & mancipia ſuis nonnunquam dominis admiſcent, ut illis ſopitis ciſtas & arces commodiùs expilent.

§. VI. Herba viva ſive ſentiens.

Herba ſentiens.

ALia quoque herba (inquit *Nierembergius*) eſt Indiæ ſatis nota, quam Luſitani ſentida, id eſt, ſentientem hac de cauſa nuncupant, quòd ad acceſſum hominum, aut contactum, aut quamvis pulveris obvii *inſperſionem*, illicò flacceſcat, & ſe conſtringat ac claudat, nec ſe pandat priùs quàm inde iterum diſceſſum ſit: quo facto, confeſtim & quaſi noviter vireſcit, & dilatatur ampliter. Et hoc contingit, quoties acceſſum & abitum inſtituis, jucundo intuentibus ſpectaculo.

Arbores ſentientes.

Pinahuithuitztle frutex eſt apud Indos occidentales, quatuor dodrantes longus, folia ſundens falcata. Hæc ad quemvis hominis aërisve attactum contrahuntur, junguntur inter ſe, atque marceſcunt. Alia in Inſulis Philippinis creſcit planta, cujus folia adeo offunduntur attactu flatuque hominum, ut attrectata digitis mœrorem quendam præ ſe ferant, ſtatimque decidant. Aliam ferunt naſci apud Malabares, quæ ſimiliter ad manus contactum contrahatur, foliis polypodii, ac luteis floribus. Nec deſunt in noſtro Orbe, quæ eundem præſtent effectum.

Lege quæ fusè ſcribimus ac diſputamus de his & ſimilibus arboribus in 4. Parte Magiæ, Syntagm. 4. cap. 2. ubi multa alia invenies.

§. VII. Arbor frondiviva.

Arbor frondiviva.

IN Inſula quadam Cimbubon Inſulæ vicina, teſte *Pigafetta*, naſcitur arbor, cujus folia cùm in terram deciderunt, gradiuntur perinde ac ſi viverent. Ea mori foliis multùm ſimilia ſunt, & parte utrâque binos pedes breves & acutos habent. Statim atque folium quis attigerit, movetur & abit. Pigafetta octo diebus unum in ſcutella habuit, quod cùm tangeret, circa ſcutellam ibat; nullâque aliâ re quàm aëre vivere exiſtimabatur. Vide quæ de eadem re diximus in 4. Parte Magiæ, Syntagm. 4. cap. 2. in Annotat.

§. VIII. Arbor ferrifera.

Arbor ferrifera.

S*Caliger*, & *Coſtinus* in Itinerario ſuo, referunt, in Java majore arborem eſſe, cujus medulla ferrea ſit, exilis illa quidem, cæterùm porrecta ab imo ad ſummum plantæ faſtigium. Ex ea fruſtum qui gerat, ferro eſſe impenetrabilem credunt.

§. IX. Her-

Digitized by Google

§. IX. Herba vitam & mortem indicans.

P. *Joannes Euſebius Nierembergius* lib. 14. Hiſtor. Natur. cap. 32. ex Hiſtoria omnium plantarum, & ex Monarde refert, Anno 1562. Comite de Nieva in Peru commorante, in ejus familia mulierem quandam illi ſervientem habuiſſe maritum gravi morbo decumbentem. Cujus causâ cùm ipſam admodum triſtem Indus quidam primarius conſpiceret, interrogavit an ſcire cuperet, utrum ex eo morbo periturus eſſet maritus, an non; herbæ ramum ſe illi miſſurum, quem in ſiniſtra mariti manu poneret, eamq; diutiùs deinde comprimeret: nam ſi ſuperſtes futurus eſſet, quàm diu eam herbam manu teneret, alacrem & lætum; ſin moriturus, mœſtum & anxium fore. Miſſum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimereque jubet: ſed illicò tanta mœſtitia & anxietas ipſum oppreſſit, ut illa metuens ne ſubitò extingueretur, ramum ex manu tolleret & abjiceret. Is deinde paucos poſt dies mortuus eſt. Herba vitam & mortem indicans.

Monardi cupienti ſcire, an vera iſta eſſent quæ de prædictæ herbæ virtute narrabantur, Nobilis quidam, qui multis annis in Peru vixerat, certum eſſe affirmavit, & uſitatum apud Indos in ægritudinibus id facere.

Nierembergius citato capite addit, Teoamatl quoq; eſſe vitæ & mortis indicem. *Nam ſi hujus herba vel fruticis ſuccum hauſtum evomat ægrotus, ſignum mortis eſt; ſi non evomat, vitam promittit.*

§. X. Ficus Indica miræ magnitudinis.

P*Linius* lib. 12. Hiſt. Natur. cap. 5. deſcribit ficum quandam Indicam tantæ magnitudinis, ut fabulæ ſimilis videri queat narratio, niſi recentium Scriptorum & oculatorum teſtium auctoritas accederet. Dabo primùm Plinii, deinde aliorum verba. Ficus Indiæ miræ magnitudinis.

Nunc eas arbores *exponam* (inquit Plinius) *quas mirata eſt Alexandri Magni victoria, orbe eo patefacto. Ficus ibi exilia poma habet. Ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram curvantur, ut annuo ſpatio infigantur, novamq; ſibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtivant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decorâ ſpecie ſubterintuenti; procul verò fornicato ambitu. Superiores ejus rami in excelſum emicant, ſylvosâ multitudine, vaſto matris corpore, ut ſexaginta paſſus pleraque orbe colligant, umbra verò bina ſtadia operiant. Foliorum latitudo, peltæ effigiem Amazonicæ habet: eâ causâ fructum integens, creſcere prohibet. Rarusq; eſt, nec fabæ magnitudinem excedens: ſed per folia ſolibus coctus prædulci ſapore, dignus miraculo arboris. Gignitur circa Aceſinem maximè amnem.* Hæc Plinius.

Reperitur in hodiernum adhuc diem hoc arboris genus non in India ſolùm Orientali, maximè circa Goam; ſed etiam in Occidentali. Orientalem

talem deſcribit *Cluſius* apud Nierembergium lib. 14. Natur. Hiſt. cap. 38. ex Fabricio Mordente oculato teſte, his verbis: *Eam porrò arborem in magnam altitudinem, unico trunco, eoque admodum craſſo aſſurgere ſolere aſſerebat; ramos deinde in omnia circum latera expandere; qui tenues quaſdam, eaſque ſingulares fibras ſive filamenta, cerei ſive aurei, dum recentia ſunt, coloris, deorſum mitterent, iiſque, ubi terram attigiſſent, firmarentur, novamque quaſi prolem generarent, & veluti in novos arborum caudices transirent: qui rurſus ſummâ ſui parte novos ramos in latera ſpargentes, novis denuò fibris deorſum miſſis ſe ſe propagarent. Sic alii deinceps rami in infinitum; ut interdum unica arbor, ſive omnium iſtarum prolium parens dijudicari nequeat, præterquàm ex trunci craſſitie: quam nonnunquam in matre tantam eſſe dicebat, ut trium virorum ulnis vix apprehendi quiret. Cæterùm non modò inferiores ramos ſimiles fibras ſpargere, ſed etiam in arbore ſummâ; ideoque unicam arborem denſiſſimam ſylvam efficere. Sub eas verò arbores aditum ſibi parituros incolas, fibras jam in truncos converſas, tenuiores ſcilicet, reſcindere ſolere, atque eâ ratione veluti concamerationes & umbracula facere, arcendi æſtûs gratiâ. Adeo enim denſis ramulis reliqui majores luxuriant, ut Solis radii nullâ ratione penetrare queant. Imò concavos iſtarum fornicum ſinus ſcindere inæqualiter inde reſultantem aërem; quæ cauſa eſſet, ut echo multis in locis ter atque etiam ſæpiùs humanas voces reddere affirmaret. Vidiſſe autem mihi referebat, interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipſe fuiſſet, unius hujuſcemodi arboris umbrâ tegi; ſed terna etiam hominum millia ſub tali arbore latere poſſe &c.*

Arbor hæc varia ſortita eſt nomina. *Ficus Indica* à nonnullis appellatur, ut vidimus; ab Hugone Lingotio *arbor de raiz*, à Ferdinando Lopez *caſtagneda mangue*, ab Oviedo & Nierembergio *mangle*. Creſcit uliginoſis in locis, & prope amnes, ac littora marina.

§. XI. Arbor crepitans.

Arbor crepitans.

ARbor eſt apud Indos magna, foliis mori, longè tamen amplioribus, & ſerratis per ambitum, fructu orbiculari, ex utraque tamen parte compreſſo, ac melopeponis inſtar ſtriato, includenteq; inter ſe duodecim aut ampliùs nucleos candidos, orbiculares, argenteo denario, aut verticillis quibus fuſa torquentur, formâ atq; magnitudine ſimiles. Eſt in hoc fructu mirabile, quòd cùm jam maturuit, ſtriis aliquot crepantibus dehiſcat, rumpaturque tanto impetu ac ſono, ut veluti tormento quopiam bellico jactatum quàm longiſſimè evolet. *Nierembergius* lib. 15. Hiſtor. Natur. cap. 10.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

Alia vegetabilis natura admiranda.

NOn minùs larga eſt Natura, vel Naturæ potiùs Auctor DEUS, ad divitias ſuas in vegetabilibus, quàm in animalibus, ad hominum eruditionem, utilitatem, ac delectationem oſtentandas. Ideo ut in illis, ita in his, admirandorum finis nullus. Pauca ex innumeris, præter hactenus dicta, addere lubet.

§. I. Arbor Copeiæ.

HÆc Inſularum Occidentalis Indiæ eſt arbor. Folium habet ſpithamæ latitudine, ac ferè rotundum. Fructus ſimilis pruno, parvus, palato & ſtomacho idoneus. Acu, aut ſpintere, vel ſtylo quovis, ferreo, vel ligneo, foliis inſcribunt Europæi, poſtquàm in illas oras appulerunt, non ineptiùs quàm chartæ. Riſu dignum eſt, quod Petrus Martyr refert; Europæos nimirum perſuaſiſſe Inſulanis, folia hujuſce arboris ipſorum imperio loqui. Miſſus enim aliquando ex urbe Dominica primaria Inſulæ S. Dominici, inſularis quidam à quodam Hiſpano ad ſuum amicum, cum utiis (cuniculorum genus ſunt) aſſis. In itinere ſive fame, ſive gulâ impellente, nuntius tres utias edit; ſunt enim muribus non majores. Folio reſcripſit amicus quot recepiſſet. Ad ſervum herus inquit: En quid? Ubi tua fides, fili? Potuitne tantum gula, ut creditas utias comederis? Tremens miſer, & admiratus, faſſus eſt, errorem; ſed unde id habuerit, herum rogat. En folium, quod tu ipſe affers, mihi recenſet: ſimulque quâ horâ ad amicum veniſſet, & iterum inde abiiſſet, folio internuntio narrat. *Ita lepidè falluntur ſtolidi inſulares* (ſubjungit citatus Auctor) *qui pro Diis habebant noſtros, quòd eorum imperio folia promant, quæ ipſi arcana eſſe putarunt. Sparſus per Inſulam rumor, quòd folia noſtrorum nutu loquantur, in fide depoſiti, retinet inſulares.* Utraque folii facies, uti noſtra charta, litteras ſuſcipit. Membranâ duplicatâ craſſius eſt, tenax mirum in modum, dum eſt recens. Litteras oſtendit albas in ſuo viridi. Quando ſiccatur, veluti tabella lignea candeſcit, dureſcitque, ſed characteres flaveſcunt. Minimè autem corrumpitur; nec, ſi madefiat, notas dimittit unquàm, niſi comburatur.

Arbor Copeiæ.

Hiſtoria lepida.

§. II. Jaruma arbor.

JUcaiæ Inſulæ arbor eſt *Jaruma* (ait Nierembergius lib. 14. Hiſt. Natur. cap. 104.) ficui ſimilis. Folia ejus miro vigent effectu, uti ex ſequenti patet eventu. Viri duo Hiſpani rixantes inter ſe digladiabantur:

Arbor Jaruma.

humerum unà & lacertum uno ictu gladii ferè disjecit hoſti alteri, ſubalari pelliculâ vix membrum ſuſtinente, quâ ilibus connexa. Accurrit vetula Jucaia; delapſum ſuo loco membrum ſiſtit, ejus arboris, nec alio medicamenti genere adhibito. Folia contuſa ſuperimponit. Paucos poſt dies ſe vidiſſe virum incolumem atteſtantur viri fide digni.

§. III. Beſucus palmes.

Beſucus palmes.

BEſucus ſive bezucus quidam palmes (inquit idem cap. 106. ex Petro Martyre) editis frequens montibus, per truncos arborum ſerpit, & ad culmen usque prorepit, more lupulorum. Tractabilis eſt, & funium rudentumque vices implet ad plurimos uſus, ad quoscunque magnos faſces colligandos, ad pondera ſuſtinenda, ad trabes etiam & domorum contignationes connectendas. Compactas bezuco commiſſuras ajunt præſtringi tutiùs, quàm quæ figuntur clavis ferreis, quòd neque putreſcat unquam imbribus, aut ſolibus areſcat, cedatque parumper infracta, ſi per typhonum furorem domus concutiatur, quæ ligneæ ſunt omnes. Nam quæ clavis ſunt compactæ, clavis erutis diſſolvuntur: quas verò bezuci nodoſa vincula complectunt, concuſſæ vacillant tantùm, ad locum dein ſuum redeunt compagine invectæ.

§. IV. Arbor inebrians.

Arbor inebrians.

BOrachera, id eſt, ebria aut inebrians dicitur ab Hiſpanis arbor quædam Indica admirandi floris. Hic excedit lilium magnitudine, æquat albedine. Odoriferus eſt, longus, extenſus, vacuefactus, ſine foliorum diſtinctione in extremitate. Folia arboris magna, quorum ſuccus hauſtus aquâ, oppidò inebriat.

§. V. Cohobba herba inebrians.

Herba inebrians, & in furorem vertens.

HÆc non tantùm inebriat, ſed in furorem vertit, ſi pulvis ejus contuſus per nares ſumatur. Cùm de belli eventu, de annona, de incolumitate, Zemen idolum regulus conſulit, domum Zemi dicatam ingreditur, ibiq; abſorptâ per nares cohobbâ, ſtatim in furorem vertitur: unde domum illicò tectis ad fundamenta verſis moveri, homines verſis veſtigiis ambulare ſe videre garrit. Ubi ceſſit inſania, brachiis demiſſo capite genua complectitur; quo in ſtatu attonitus pauliſper immoratus, caput veluti ſomnolentus elevat; atque oculos in cœlum attollens, intra ſe primùm confuſa quædam obloquitur. Cui tunc primarii aulici adſtantes (neque enim de populo quisquam ad ea ſacra admittitur) ſublatis vocibus gratias agunt, quòd jam à Zemis colloquio ad eos redierit; & quid viderit, percontantur. Ille autem os aperiens, Zemen eo tempore ſe allocutum fuiſſe delirat,

Digitized by Google

delirat, ſibique aut victoriam, aut perniciem, aut famem, aut ubertatem, aut peſtem, aut incolumitatem, & quidquid venit in buccam, prædixiſſe veluti lymphatus prædicat. Ita *Nierembergius* lib. 14. Hiſtor. Natur. c. 112. qui etiam ſuſpicatur, hanc herbam tabacum eſſe. Certè tabacum turbare mentem, præſertim inaſſuetis, docet indubitata experientia, & teſtatur *Neander* in Tabacologia. Novi virum, qui folii fruſtillo exiguo in ore aliquantiſper retento, ita fuit inebriatus, ac perturbatus capite ac ſtomacho, ut die integro crapulam nec edormire, nec alia ratione pellere potuerit.

CAPUT V.

De magnis Occidentalis Indiæ arboribus, & oleribus.

Melchior Barros in Expeditione Joannis Alvarez invenit, teſte *Nierembergio* lib. 14. Hiſtor. Natur. cap. 113. tam proceras arbores, ut æquarent impetum jactatæ ex arcu ſagittæ, & quarum truncos vix complecterentur ſex homines brachiis ac manibus extenſis. Arboris Indiæ Occidentalis miræ magnitudinis.

Petrus Martyr narrat, Occidentalis Indiæ Inſulas nutrire arbores tam proceras, ut inter earum ramos ædificare domos liceat indigenis. Trabibus enim inter ramos diſtentis, & connexis invicem, congeriem ſtruunt contra omnem ventorum vim tutam, & contra etiam fluviorum alluvies, quæ ibi crebræ ſunt. Eſt autem illarum altitudo tanta, ut nulla virilis lacerti vis ſit, quæ domum ædificatam jactu lapidis attingere ſufficiat. Ex illis arboribus plerasque dimenſi brachiorum ambitu Hiſpani ſeptem, interdum octo, ſtantes vix complexi ſunt. In ſolo tamen cellas vinarias habent, eo vino refertas quod ibi in uſu eſt: quia licèt ventorum furor minimè potis ſit domos illas diruere, aut confringere ramos; convolvuntur tamen, quamvis integræ, quacunque flatus trahat; unde vina perturbarentur eo motu. Reliqua ſecum habent in arboribus. Eundem ædificandi modum ſervant Reguli loci; eundem Magnates. Vina per gradus conſtructos, arbori inhærentes, famuli ad Regulum & primarios prandentes aut cœnantes recentia ſupportant, non tardiore greſſu, quàm plano pede noſtri pueri nobis ex abaco menſæ vicino miniſtrant.

Scriptor Anonymus, quo inter alios utebatur P. Euſebius Nierembergius in conſcribenda Hiſtoria Naturali, prodit, in Hiſpaniola arborem fuiſſe adeo vaſtam, ut octo homines extenſis brachiis concludere nequirent.

In Braſilia, ut pro Catholico Caſtellæ Rege poſſeſſionem acciperet, Didacus de Lepe, ſcripſit Regium nomen in arbore immani, quam decem

& ſex viri protenſis manibus complecti non potuêre, referente Nierembergio.

Eodem teſte, P.Hieronymus Perez noſtræ Societatis ſuccidi fecit immanem arborem, plus quàm centum & viginti pedum ambitu robuſtam, quæ ſedes fuerat ſuperſtitionum Indicarum.

Tam immenſæ magnitudinis in ea regione inveniuntur arbores (pergit idem) ut in earum cavitatibus domos ædificent. Intus quoq; convivia celebrantur magno Barbarorum numero.

Mexicanus Rex in Viridariis ſuis non unam arborem habebat, ſub cujus umbra mille homines ſederent.

Olera miræ magnitudinis.

Olera quæ Hiſpani primùm in Peruenſi regione ſeminârunt, adeo liberali fœcunditate creverunt, ut manu ultima folia contingi non poſſent. Inventus quoque raphanus, cujus umbra quinque equos ligatos complectebatur; ipſe raphanus vix extenſis brachiis comprehendi poterat; tenerrimus tamen fuit, & gratus guſtantibus. Viſi pepones plus quàm centum librarum. Frumenti granum unum ſeminatum quingenta reſtituit, trecenta frequentiùs. In Uraba à jacto ſemine cucumerum, & hujuſcemodi rerum, fructus eorum legitur intra vigeſimum diem; caules, betæ, lactucæ, boragines, & his ſimilia, intra decimum; cucurbitæ, melones, intra vigeſimum octavum. Hæc omnia *Nierembergius* lib. 14. cap. 113. & 114.

CAPUT VI.

Varia variarum plantarum admiranda.

NOndum enarratæ ſunt omnes vegetabilis Naturæ divitiæ, nec enarrari à quopiam poterunt, quoniam infinitæ. Pergo tamen.

§. I. Herba Baaras.

Baaras herba.

NOn nego, nonnullas virtutes ac operationes plantis adſcribi, quæ veritati nequaquam congruunt. Ejusmodi ſunt quæ *Joſephus* lib. 7. de Bello Judaico cap. 25. & ex ipſo *Zonaras* Tom. 1. Annal. atque ex utroque *Majolus* Colloquio 20. *Nierembergius* lib. de Mirabilibus Naturis Terræ Promiſſæ, *Forerus* in Viridario Diſputat. de Plantis num. 15. *Jonſtonus* in Thaumatographia Claſſe 5. cap. 9. & alii multi narrant de herba Baaras ſeu Babras, eam nimirum accedentes, & evellere cupientes fugere, nec priùs manere quàm ſi quis urinam muliebrem, aut menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. De hoc effectu quid ſentiant alii, quid ego, explicavi in 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 4. cap. 4.

§. II. *Vir-*

Digitized by Google

§. II. Virgula divinatoria.

Eodem libro & ſyntagmate cap. 1. egi de virgulæ corylaceæ ſympathia cum metallis; ubi & aliorum, & meam de illa ſententiam fusè explicavi. De eadem agit *P. Athanaſius Kircherus* in Mundo ſubterraneo lib. 10. Sect. 2. c. 7. ubi prorſus mecum ſentit. Addit, nonnullos conſtruere differentes virgulas pro diverſis metallis explorandis, nempe colurnam pro argento, fraxineam pro ære, piceaſtrinâ pro plumbo, iſatis caulem pro ferro &c. Aſſerit præterea, ſe ſæpius ejusdem rei experimentum inſtituiſſe, ſed ſemper ſpe ſua fruſtratum fuiſſe, ac luculenter animadvertiſſe, manifeſtam apud alios virgulis illis utentes illuſionem intervenire, dum imaginationis vi decepti putant, virgas ad metallum ſponte ſuâ vergere, cùm ipſi illas inadvertenter torqueant. Eandem imaginationis illuſionem ait intervenire in ſuſpenſione annuli ex filo intra vitrum, filo duobus digitis apprehenſo; de quo experimento fusè egi citata 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 2. cap. 4. ubi idem diximus quod P. Kircherus habet citato loco Mundi Subterranei, nempe annuli ad latera vitri alliſionem ac pulſum contingere ex pulſu venarum in extremis digitis agitatarum, dum filum fortiter premitur: nam ſi leniter prematur, ſine motu perſiſtit, ut non ſemel probavi. Hanc fallaciam demonſtravit apertè citatus P. Kircherus Romæ coram multis in quadam Academia (ut vocant) quam Princeps ille, cujus memini citato loco Magiæ, ea de re inſtituerat. Lege Kircherum loc. cit.

Virgula divinatoria.

Annulus filo ſuſpenſus intra ſcyphum.

§. III. Plantæ quæ aves producunt.

Suprà cap. 3. §. 6. & in Magia Parte 4. lib. 4. Syntagm. 4. c. 2. in Annotatione mentionem fecimus cujusdam arboris in Borneo Inſula repertæ, cujus folia in terram decidentia vivere ac moveri loco incipiant.

Plantæ productrices avium.

Ibidem, & in Phyſica Curioſa lib. 9. cap. 22. in Diſſertatione de Avibus Britannicis, vidimus ex multorum ſententia, aves illas ex arborum foliis aut ramis in aquam decidentibus naſci. Quid nos de illarum ortu ſentiamus, diximus in citata diſſertatione.

De iisdem avibus agit *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 1. cap. 9. ubi diverſâ à nobis viâ incedit. Ait enim, ad illarum volucrum geneſim tria concurrere, ſubjectum ſive materiam, ſemen, diſpoſitionem loci. Ad ſubjectum quod attinet, ex quo naſcuntur ejusmodi aves, ait, alios dicere eſſe folia arborum, alios putrida navium fragmenta, alios mucorem carinæ navium, alios conchas, alios viſcoſum marinorum ſcopulorum liquorem. Ipſe verò aſſerit, poſſe id eſſe vel putridorum lignorum fragmenta, vel arborum cortices & folia, vel mucoſas ſcopulorum rimas, vel denique conchas ipſas marinas. Ad

ſemen

Digitized by Google

ſemen quod attinet, dicit illud ex nulla dictarum rerum decidi, quòd nequeant producere animal perfectum (utpote ultra ſuas vires) ſed ſolùm Zoophyta quædam. Ipſe verò ſic diſcurrit. Ex Batavorum navigationibus ad Arcton inſtitutis conſtat, in mari glaciali innumerabilem anatum & anſerum multitudinem reperiri, qui tantam ovorum copiam in ipſa glacie deponunt, ut univerſæ Europæ alendæ ſufficere poſſint. Accidit verò, ut Sole Arietem Taurumque ſubeunte, diſruptâ glacie, ſimul univerſa illa ovorum congeries unà rupta, fluctibusque maris involuta, hinc inde quà maris impetus patet, ad obvias Inſulas depellatur. Cùm verò mari glaciali viciniores Inſulæ non ſint quàm Orcades & Hebrides Scotiæ, uti & Hyberniæ, Norvegiæ, Scricfinniæ, Finmarchiæ littora; accidit ut ubicunque ovorum ſpermaticus humor convenientem matricem invenerit, ibi vel diſpoſitione aëris, aut terreni, marisve conditione, ambientis tum intrinſeci, tum extrinſeci fotu, ex perfectæ volucris ſemine, perfectam volucrem cum tempore excludat.

Et ex his patere ait, quomodo iſtiusmodi anates ſeu anſeres ex tam differentibus ſubjectis naſci dicantur. *Si enim inquit iſtiusmodi ſemen hujusmodi ovis inexiſtens mari commiſſum diſſolutumq; fluctuum violentiâ, ad obvias littori arbores disjectum diſperſumque fliorum civitates, etiam vel minima particula muco maris pulveri terreno mixto illapſa, ibidemque calore fermentata, primùm quidem veluti in fungum dilatata, deinde membris efformatis in zoophytum vermem degeneret, & tandem illud plaſticâ ſeminis virtute mirum in modum negotioſâ impigrè in alas transformet, quarum agitatione veluti à trunco deciſum animal, mox intra mare natatum, in aëre quoque deinde volatum attendet, & tandem in perfectiſſimam anatis aut anſeris volucrem transformetur. Atq; hoc pacto ex arboribus originem ſuam dicta volucres nanciſci poſſunt. Si verò intra mucoſas, aut ſaxorum lignorumq; putridorum maris illapſum fuerit, inde pari pacto ex diſpoſitione materia illa produci neceſſe eſt. Rurſus ſi ſemen hujusmodi hiantibus conchis illatum fuerit, ibidem quoque veluti in matrice calore maris fermentatum, primùm quidem veluti in vermem, deinde plaſticâ ſeminis virtute alis aſſumptis conchaq; fiſſa, in anatem aut anſerem transmutatur.* Hæc Kircherus; quæ probabilia quidem fortaſſis ſunt, non tamen à ſententia ſuprà citatâ diſſertatione explicata deducunt; præſertim cùm difficile creditu videatur, tam perfectas volucres ſine matrum curâ educari, nutriri, ac creſcere usque ad volatum poſſe.

§. IV. Plantarum nonnullarum ſympathia & antipathia inter ſe, & cum aliis rebus.

Referam quæ apud varios Auctores legi. Non omnia approbo, quia ſcio alia eſſe dubia, ſi non falsa; alia ſuperſtitioſa; alia fortaſſis etiam manifeſtè

manifeſtè falſa. Pleraque etiam retuli in 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 1. cap. 1.

Braſſicam inter & vitem ingens eſt odium ſeu antipathia: vitis enim, cùm intortis claviculis omnia complecti ſoleat, ſolam refugit braſſicam; ideoque ſi eam propè ſentit, in adverſam ſe torquet partem; & ſi, dum coquitur braſſica, vinum vel modicum inſtilletur, illa nec probè coquitur, nec ipſius color conſtat. Eadem braſſica, quæ vitem fugat, à cyclamio fugatur ac deſtruitur: ſi enim juxta ſe plantentur, areſcit vel utraque, vel alterutra. Sympathia & antipathia herbarum.

Hedera etſi arbores omnes ad perniciem perducat, maximè tamen viti adverſatur, eamque lædit, habetque, ut fertur, ſtupendas vires ad vini fraudes deprehendendas: nam ſi fiat ex hederæ ligno vas, immittaturque in id vinum aquâ miſtum, exſudat vinum aquâ relictâ. Arundinis & filicis mira eſt diſcordia, ut altera alteram necet; crediturque filicis radicem contuſam, arundinea ſpicula corpori infixa ejicere; & ſi, filice vomeri impoſitâ aretur campus, arundinem in eo penitus non naſci.

Cicuta & ruta ſibi invicem adverſantur; & manuum prurigo ac tumor à cicutæ tractatione ortus, rutæ ſucco perſanatur; & potæ cicutæ venenum rutâ retunditur. Ficus arbor taurum ferocientem ſibi alligatum manſuefacit ac domat. Aproxis herbæ radix è longinquo attrahit ignem.

Palma maſcula & fœmina adeo ſe mutuò amant, & querunt, ut cùm ramum unius ramus alterius tetigerit, complicent ſe in mutuum amplexũ, nec fructum ferat fœmina ſine maſculo. Amygdala arbor ſolitaria minùs fœcunda eſt, quia ſociâ caret. Vites amant olivam, oliva myrtum ac ficum, & viciſſim. Vitis & ulmi celebratiſſima ſunt connubia.

Origanum comedit teſtudo, quando à ſerpente quæritur, & confortatur per illud. Origani paſtu ciconia contra ſerpentem quærit ſibi ſalutem. Rutam comedit muſtela contra regulum pugnatura. Rutam vel ſalviam adit bufo, quando alieno morſu & veneno læditur, & iis locum vulneris affricat, ac liberatur à veneni periculo. Chelidoniâ hirundines pullorum ſuorum oculis medentur. Lauri folium in nidum importat pica cùm ægrotat, & ſanatur. Lauri foliis ani faſtidium purgant palumbi, graculi, perdices, merulæ. Iiſdem corvi chamæleontis venenum extinguunt. Adianto ſibi medetur upupa, cùm uvis paſta eſt læſa. Dictamnum cervi ad ſagittam è corpore extrahendam adhibent in paſtum. Idem faciunt capræ Cretenſes. Seſelis herbâ cervæ paulò ante partum ſe purgant. Quercum, vel ut alii dicunt, Corvatiam quærunt corvi, cùm venenatos ſe ſentiunt toxico gallico. Quercus juxta glandem nucem conſita, extabeſcit. Eidem cum olea diſſidium eſt, ita ut altera in alterius ſcro-

bem depacta moriatur. Roſæ allium amant, & odoratiores prope id evadunt. Scilla eſt omnibus amica: quidquid enim eidem adplantatum fuerit, celeriùs gliſcit, ac germinat. Majoranæ radices amant mures. Herbâ ſiderite ſibi medentur anſeres, anates, cæteræque aves aquaticæ: herbâ Helxine columbæ, turtures, gallinæ: Junco grues. Aconitum contra medentur ſibi apri hæderâ, cervæ herbâ cinnaræ.

Rheubarbarum inimicitiam habet in choleram. De quo etiam hoc referunt Botanici, quòd ſi ſurſum evellatur, purget ſurſum per vomitum; ſi deorſum, purget deorſum. De hoc tamen dubitat, & merito, *P. Kircherus* in Mundo Subterr. lib. 12. ſect. 4. cap. 5. quoniam plerùmque, ſi non ſemper, ſurſum trahendo evellitur, & tamen ſemper deorſum purgat. Sambuci radicem eundem effectum præſtare, prout ſurſum aut deorſum evellitur, teſtatur Joannes Baptiſta Porta; ſed æquè res dubia eſt.

Origanum fugiunt formicæ. Idem contrarium eſt Soliſugis, & Salamandris reſiſtit; & cum braſſica tam pertinaci odio diſſentit, ut alternatim ſe conficiant. Cucumeres ſic oderunt oleam, ut in hamum ſe ſe incurvent, ne eam attingant. Apium ravinum fugiunt oves tanquam mortiferum, ocymum capræ. Oliva cum meretrice in tantum diſſentire fertur, ut ſi ab illa fuerit plantata, vel infructuoſa perpetuò maneat, vel omnino areſcat. Arundine tacta viſpera, ſtupet. Platani folia abigunt veſpertiliones: quare ciconiæ ea in nidos portant. Ricinus ſeritur in hortis, ut talpæ abigantur. Fraxino adeo inimici ſunt ſerpentes, ut nec umbras illius tangant. Rutæ ſucco ſi pulli gallinarum perfundantur, arcentur ab aviariis feles. Mala medica inſperſo in eorum cumulum pane, flacceſcunt. Scillæ bulbos contingens lupus, dicitur reſolutus fatiſcere; quem ut vulpes arceant à latebris, ſcillas eis apponunt. Alia exempla in ſequentibus referemus.

CAPUT VII.

Examinantur nonnulli plantarum effectus mirabiles.

Plantarum nonnullarum effectus mirabiles.

PRimò. Si intra concham aquâ refertam ponatur pars utraq; ſtolonis ſeu ſurculi cujuſpiam ſecti in duas partes, ſubereis alis ſeu fulcris ſuppoſitis fulcita; non niſi extremitatibus, in quibus ſectio facta fuit, confluunt: vel ſi dictis partibus ſeu extremitatibus non confluunt, parallelum inter ſe ſitum affectant. Ita *P. Kircherus* in Mundo Subterr. lib. 12. ſect. 4. c. 5. ſint ſtolonis A———B integri, partes ſectæ A—-C, D—-B, cujus extremitates *C* & *D* fuerint antea conjunctæ; ait Kircherus, ſi utraque pars libretur in aqua, & confluat una ad alteram, ſolùm puncta *C* & *D* confluxura, nunquam verò *A* & *D*, aut *C* & *B*, aut *A* & *B*. Rationem adſignat, quòd appetant conjungi eo modo, quo eas Natura ad earum conſervationem coalitas voluit, quia hoc modo meliùs ſe habent.

Se-

Digitized by Google

Secundò. Scribit Zoroaſtres in Geoponicis,ſi per multos annos ſterilis fuerit arbor aliqua, & venerit agricola accinctus acutâ bipenni ad arborem detruncandam; tunc ſi amicus pro ea rogaverit, & fide juſſerit ſequenti anno fructum laturam,ac ille amici verbis perſuaſus abierit; arborem poſtea ſine mora fructiferam exiſtere. Sed hæc fabula eſt, ut etiam *P. Forerus* agnoſcit in Viridario Diſput. de Plantis num 2. & P.Kircherus loc. cit. nam amici preces nullam arbori ſterili vim germinandi ac fructus ferendi conferre naturaliter poteſt. Quare ſi effectus ſequatur, dæmonis fraude ſequitur.

Tertiò. Xanthum Hiſtoricum in prima hiſtoriarum ſcripſiſſe ait Plinius lib. 25. cap. 2. occiſum draconis catulum herbâ quadam, quam Magi Balim nominant, à parente revocatum ad vitam. Eâdem herbâ Thylonem, quem draco occiderat, ſaluti reſtitutum. Item à Juba in Arabia herbâ quadam hominem ad vitam revocatum. Sed hæc non intelligenda ad litteram vult P. Kircherus, ſed virtute herbis inſitâ beſtias & homines è periculoſis morbis quaſi à morte ad vitam revocatos.

Quartò. Picum avem ad actum ſuis cavernis, quas in arboribus habet,cuneum admotâ quadam herbâ extrahere produnt. Æthiopidis herbæ tactu clauſa omnia aperiri,quibusdam admurmuratis cantilenis ajunt. Matthiolus affirmat, ſe vidiſſe Venetiis quendam ad ſuſpendium damnatum, cui fores omnes patefiebant disjectis ſeris, unâ tantùm herbâ admotâ ſignaculis quibusdam decantatâ. Idem aſſerit,talis ferè facultatis aliam haud incognitam inveniri in Italiæ montibus, quæ ab equis calcata continuò ferreos calceos ſeu ſoleas ſolvat; & ob id vocari paſſim *Scoſſocavallo*, eſſeque ſpeciem Lunariæ. Sed horum primum eſt fabuloſum. Secundum contigit per incantationem, ut ipſemet Matthiolus fatetur. Tertium tentavit P. Kircherus, ſed ſine effectu.

Quintò. Variis herbis varii & mirabiles effectus adſcribuntur. Nam,ut ajunt, Hemionitidis contactu ſplenetici ſanantur; Comitiali morbo laborantes ſuſpenſa è collo Pæoniæ Romanæ radice; Ictèrici ſubſtrato in calceis nudis pedibus majori chelidonio,aut Burſâ paſtoriâ Item Aconitum pardalianches fœminis necem affert. Rumicis ſylveſtris radicem qui ſecum habet, lippitudine non tentatur. Tamariſci lignum ardens qui ſuâ extinguit urinâ, deſinit cruciari ſtranguriâ.Taxus barbatus applicatus canali urinario,ſtatim laborantem difficultate urinandi liberat.Myrti ſurculum ſecum gerenti tumor inguinis non ſubcreſcit. Scordii contactu cadavera præſervantur.Innumerabiles alios aliarum plantarum effectus reperies apud Cluſium, Piſonem, Nierembergium, Majolum, aliosque qui de plantis tractant. Hæc autem & ſimilia incredibilia non ſunt, cùm conſtet experientiâ,& Botanicorum confeſſione,in herbis magnas latere virtutes.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Examinantur alii plantarum effectus admirandi.

Plantarum aliarum effectus miri. Colurna virgula cum regulo vertitur ſponte.

PRimò. Colurnæ virgæ ſi avicula, quam regulum vocant, deplumata infigatur, & fulcris ſuperpoſitæ carbones vivi admoveantur; vertitur ea ſponte, donec avicula aſſetur. Experimentum ſumpſi Romæ cum P. Kirchero, uti retuli in 4. Parte Magiæ lib.4. Syntagm. 4. cap. 1. Annot. 1. & iterum in Joco-ſeriis Centuria 1. Propoſ.20. Utroque loco cauſam refero non in aviculam, ſed in colurnam virgam, quæ fibras habet in longum compoſitas, atque contortas, quæ admoto calore contorquentur in partem contrariam. Effectus hic non eſt recens, & Romæ primùm à famulis cujuſdam Cardinalis notatus, ut putat P. Kircherus in Arte Magnetica, & iterum in Mundo ſubterr. nam & *Porta* lib. 14. Magiæ Naturalis cap. 10. eundem deſcribit ex Alberto Magno, qui & ipſe experientiâ eum deprehendit, ut ſcribit lib. 23. de Animalibus. Meminit ejuſdem effectus *Cardanus* lib. 7. Variet. cap. 36. *Scaliger* Exercit. 70 in Cardanum, *Aldrovandus* lib. 17. Ornithologiæ cap. 1. *Jonſtonus* in Hiſtoria Avium cap. de Regulo, & alii.

Plantæ ſenſitivæ, ſeu pudicæ.

Secundò. Plantæ quædam videntur ſenſu præditæ, quoniam ad hominum acceſſum, aut tactum fugiunt, aut marceſcunt; quæ ob id ſenſitivæ, & pudicæ appellantur à Scriptoribus, ut diximus in præcedentibus, & 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 4. cap. 2. ex *Emanuele Magnano*, *Laurentio Forero*, *Nicolao de Comitibus*, *Joſepho Acoſta*, *Scaligero*, *Majolo*, & aliis. Quid alii ſentiant de cauſa hujus effectus, dixi loco citato Magiæ. Ego cum Forero probabilius exiſtimavi, & etiamnum exiſtimo, plantas illas eſſe veras plantas, & non animalia, neque plant-animalia ſeu Zoophyta, ramoſque ac folia contrahere ſine prævia cognitione ac ſenſu, per ſolam antipathiam, quâ averſantur halitum aut effluvium ſpirituum accedentis hominis, cæterorumque animalium.

Frutex equos alliciens.

Tertiò. *Plinius* lib. 12. Hiſt. Natur. cap. 8. ſcribit de frutice quodam incogniti adhuc nominis, qui equos etiam invitos ad ſe trahat, & abducat, non tamen alia animantia: & hoc ait contigiſſe Alexandri Magni equitatui illa loca introeunti. Verba Plinii ſunt: *Contermina Indis gens Arriana appellatur &c. Ibi & frutex peſtilens raphani, folio lauri, odore equos invitante, qui pœnè equitatu orbavit Alexandrum primo introitu; quod & in Gedroſis accidit.* Hac de re egimus in 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 4. cap. 2. in Corollario, & Annotat. ubi diximus, *P. Forerum* exiſtimare, plantam illam aut magicam, aut fictitiam eſſe. Mihi videtur merum figmentum eſſe quod Plinius narrat. Si tamen vera eſſet hiſtoria, attractus eſſet ſympatheticus, allectis equis odore ipſis gratiſſimo.

Quar-

Digitized by Google

Quartò. De arbore Indica, cujus folia decidentia animari ac loco moveri dicuntur ex Pigafetta, ſermo fuit ſuprà, & in 4. Parte Magiæ loco citato, ubi dixi *P.Forerum* exiſtimare, facile fieri poſſe, ut poſt caſum foliorum vermiculus,aut aliud exiguum animalculum in illis naſcatur, & progrediens ſecum deferat velut involucrum aut domum ſuam. Ego verò exiſtimavi, ſi vera eſt hiſtoria, folia illa in ipſa arbore paulatim animari,atque in inſectum degenerare, & poſt animationem, & aliqualem efformationem, adcretis pedibus, decidere,& ambulare,ac deinde paulatim ob defectum pabuli emori. Confirmat hoc mirificè quod vidi olim in Sicilia, & quod P. Kircherus ſcribit in Mundo ſubterr. lib. 12. ſect.1. cap.9. ubi ait, ſe ſæpe ſæpius vidiſſe ex liburni, quam vitem albam vocant, ramulis prodiiſſe zoophytum ſex pedibus, & ſubtiliſſimo corpore conſtans, cum capite erucæ, progreſſivo motu aranearum ad inſtar incedens. Figuram vide apud ipſum. *Arbor Indica cujus folia decidentia moventur.*

Quintò. De frutice Tartarico Boramez dicto,quòd agni formam referat, egimus in 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm.4. cap. 5. ubi ex Sigismundo Herberſteinio, Haythone Armeno, Laurentio Surio, Scaligero, Majolo, Forero, Kirchero, Nierembergio diximus, apud Tartaros ſeri in agro ſemen melonis ſemini ſimillimum, ſed minus oblongum; ex eo ſatu prodire plantam ad pedum ferè duorum altitudinem, quæ in vertice gerat fructum, pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus, agnum repræſentantem; pro cornibus gerere pilos, ſingularis cornu ſpeciei; obduci corio tenuiſſimo, cujus detracti uſus ſit ad capitis tegmina incolis; ſi vulneretur, ſanguinem è vulnere effluere; internam pulpam gammari referre carnes; dulcore eſſe mirabili; vivere quamdiu vicinis obſidetur herbis; tabeſcere iis abſumptis; appeti à lupis, non ab aliis beſtiis. Hunc mirabilem agnum alii plantis, alii animalibus, alii plant-animalibus ſeu zoophytis adnumerant. Ego citato loco dixi, probabilius eſſe quòd ſit ſimplex planta, quæ agni formam referat. Ratio eſt, quia nihil novi eſt,plantas aliquas referre figuras animalium; cujusmodi ſunt orchides apiformes,& anthropoformes, aliæque multæ. Vide quæ ibi diximus. *Boramez frutex Tartaricus.*

Sextò. Plantæ quædam ita delectantur Solis præſentiâ, abſentiâ triſtantur, ut illo abeunte mori, redeunte reviviſcere videantur. Talis eſt acacia, de qua ſuprà cap. 3. §. 4. egimus. Talis etiam eſt Lotus Ægyptia, quæ Sole occidente comprimitur & tegitur foliis, oriente aperitur. Talis denique eſt mimoſa herba, de qua etiam ſuprà eodem cap. 3. §.4. *Plantæ Solis præſentiâ amantes, aut averſantes.*

Aliæ ad Solis præſentiam triſtantur & langueſcunt, ad abſentiam gaudent, & floreſcunt. Talis eſt arbor triſtis, de qua cap. 3. §. 3.

Aliæ Solis motum ſeu diurnum, ſeu annuum, ita conſtanter æmulantur,ut ob id meritò heliotropiæ ſeu ſoliſequæ appellentur; & nonnullæ *Plantæ heliotropiæ.*

Digitized by Google

etiam horologia ruſticorum dici mereantur. Talis eſt *Helenium*, quam *Jonſtonus* in Thaumatographia Claſſe 5. cap. 23. ait eſſe ſtirpem annuam, hominis ſtaturam ſuperantem, in caulis faſtigio capitulum gerere ſtrobili ſimile, quod ingentis diſci amplitudine in florem explicetur magnum, ſeſqui pedem aliquando excedentem, & foliis oblongis aurei coloris ceu radiis ſolaribus orbiculariter cinctum, mediâ planitie purpuraſcente. Hæc ſtirps cum Sole convertitur modò in Orientem, modò in Occidentem, & quidem mirabiliter: nam ad Solis ortum quaſi præ reverentia capite nutans reclinatur: & cùm ſurrexit, conſiſtit, Solem tamen ſemper reſpiciendo, donec occidat. Tale etiam eſt, (ſi diverſum eſt) *Heliotropium*, de quo *Plinius* lib. 22. Hiſtor. Natur. c. 21 quod cum Sole ſe circumagit, etiam nubilo cœlo, noctu verò velut deſiderio Solis contrahit cæruleum florem. Tale præterea eſt Heliotropium illud Inſularum Philippinarum, aliarumque adjacentium; cujus flos, ut diximus 4. Parte Magiæ lib. 4. Syntagm. 4. c. 5. ex *P. Kirchero* lib. 3. de Magnete Part. 5. c. 3. adeo conſtanter Solem intuetur, ut ne latum quidem unguem ab eo declinare videatur. Nam Sole primùm Æquatorem ſubeunte, atq; in ortivo puncto Horizontis conſtituto, flos veluti expergefactus ſomno ad eum convertitur, taliq; conſtantiâ toto eum die ſequitur, ut hemicyclum Æquatoris diurnum ad motum Solis deſcribat; Sole verò ſe condente veſperi, flos intra calycem ſuum abditur uſq; ad reditum ejuſdem. Sole porro auſtralia, aut borealia ſigna percurrente, dictus flos ad Auſtrum aut Boream converſus, deſcribit parallelos Auſtrales aut Boreales.

Cauſam hujus ad Solem converſionis in citato loco Magiæ adſignavimus hanc, quòd Solis radii & influentiæ ſint hujuſmodi plantis ac floribus peculiari modo beneficæ; propter peculiare ipſorum temperamentum. Quod *P. Kircherus* in Arte Magnet. lib. 3. Par. 5. & iterum in Mundo Subterr. lib. 12. ſect. 4. c. 5. p. 417. ita explicat. Scapus, flos, & ſemina heliotropiorum ſeu ſoliſequarum plantarum ita conſtituta ſunt, ut facilè torqueri queant. Hoc poſito, quoniam nocturno tempore multum humidi attrahunt, & ab illo tanquam ſibi noxio liberari appetunt; liberantur autem non aliter quàm à calore humidum exſiccante; naturali inclinatione ad Solem orientem ſe vertunt, eumque die toto ſequuntur, tanquam beneficum ſidus, à quo ab inimico humore liberantur. Confirmat hoc inde, quòd dictæ plantæ in loco umbroſo conſitæ, ubi à Solis radiis & calore feriri non poſſunt, eum non ſequuntur, ſed immotæ permanent. Confirmat præterea hujuſmodi experimento. Si planta ſoliſequa caule ſuo infigatur orbi ſubereo, & imponatur vaſi aquâ pleno, ita ut erecta maneat, & liberè verti queat; ſi ignis vaſi ſubjiciatur, planta verti in gyrum incipit; non aliâ utiq; de cauſa, quàm propter ambientem calorem. Sed an hoc experimentum

Digitized by Google

mentum adſignatam paulò antè cauſam converſionis confirmet, docti diſpiciant.

Qui plura volet de exoticis plantarum quarundam proprietatibus & effectibus, legat præter Botanicos P. Kircherum, qui in lib. 12. Mundi Subterr. non pauca habet exempla.

CAPUT IX.

De plantis artificioſis.

NOn Natura tantùm, ſed Ars quoq; in plantarum productione locum habet. Patet hoc manifeſtè in Arte emphyteutica ſeu Inſititia, quâ ad Naturæ exemplar tam aptè & concinnè diverſarum ſpecierum plantæ in unum truncum inſeruntur, ut flores & fructus aliquid præter naturam ſuam habeant, quod ipſius Naturæ vires ſuperare videtur. Hinc ſæpe videas ficum in moro vel platano hoſpitium habere, morum in caſtaneo, fago, pyro, aliis arboribus; quo conjugio candida naſcuntur mora. Si pyri, mali, pruni ſurculi moro infigantur, rubra proferuntur pyra, mala, pruna. De hac arte hic non agimus. Legat de ea, qui volet, Columellam, Palladiũ, Portam, Ferrarium, Kircherum in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 3. c. 4. Plantæ artificioſæ.

Patet idem in arte Spagyrica, quâ ſubinde intra phialas vitreas non arbores tantùm, aut herbæ, ſed integræ quaſi ſylvæ producuntur, jucundiſſimo ſpectaculo. Nonnulla exempla & praxes affero.

§. I. Arbor Philoſophica ad oculum creſcens.

PRaxin ejuscemodi arborem producendi propoſui alibi his verbis. *Accipe ☽ (argenti) puri ſeu cupellati drachmam dimidiam, & ſolve in aqua fortis drachma una. Accipe item ☿ (argenti vivi) drachmas duas, & ſolve in aqua fortis drachma una. Has duas materias commiſce, & immitte intra vas vitreum, atque affunde aqua communis libram unam, ac benè obtura. Videbis arborem quotidie ad oculum & notabiliter creſcere, tam in trunco, quàm in ramis.* Ita ibi, ex Secretis Manuſcriptis P. Kircheri, quæ Romæ legeram. Arbor philoſophica.

Eandem praxin proponit *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 5. par. 1. cap. 6. his verbis: *Accipe Luna puriſſima ſive per cupellam depurata unciam ½. Aqua fortis & Mercurii uncias 2.; in quibus ſolvatur argentum aſſumptum. Deinde haſce duas materias commiſce immiſſas in phialam: quibus ſuperaffundes libram aqua communis, & obtura benè; & videbis eam quotidie creſcere tam in trunco, quàm in ramis.* Obſcura aut dubia horum verborum explicari debent ex prioribus.

Hanc eandem praxin habet *Schvventerus* in Deliciis Mathemat. par 16. quæſt. 4. ſed vitioſè. Non nemo Norimbergæ talem arborem chymicâ arte produxit, ut olim ad me ſcripſit *Dn. Harſtorfferus.*

§. II. Alia

§. II. Alia Arbor Philoſophica.

Arbor philoſophica alia.

PRaxin docet citatus *P. Kircherus* citato loco Mundi ſubterranei, his verbis. *Accipe tincturæ Lunæ & Mercurii aquas partes; amalgama inde factum pone in vas benè obturatum, & relinquito, donec in pulverem convertatur, quod nigrum ſulphur vocatur: huic adde ſulphuris unciam & ſemis, atq; tartari, boracis, myrrhæ, unciam unam ex ſingulis: benè commiſceantur, & phialæ impoſita hermetico claudatur ſigillo: deinde ponantur intra arenam calidam; & intra duos aut tres dies pulchrum artis miraculum, arborem videlicet philoſophicam videbis.* Sic ille.

§. III. Arbor metallica in phiala vitrea.

Arbor metallica in phiala.

ET hanc praxin propoſui alibi, ex *P. Kirchero* lib. 3. Artis Magnet. part. 2. cap. 4. quæſt. 1. ubi dicit, ſe ejusmodi arborem vidiſſe Lugduni in Gallia apud eximium quendam Chymicum.

Argentum pro magnitudine vaſis vitrei, in quo arborem comparere & aſſervari cupis, diſſolve in aqua regia; vaporeque abeunte, in fundo ſedimentum quoddam unguenti ad inſtar reſidere comperies. Huic ſedimento ſuperaffunde aquam ab omnibus fæcibus benè depuratam, vasque vehementi motu circumduc, ut ſedimento aqua, quàm optimè fieri poteſt, commiſceatur. Hanc poſtea aquam in aliud vas vitreum infunde leniter, ne impurior aqua nitorem vitri inficiat. Huic adde argentum vivum, æquâ portione argenti; & ſtatim argentum vivum attrahet argentum, coituque iſto figura naſcetur veluti arboris cujusdam infinitis ramis ornatæ, & magnâ admiratione viſendæ.

Aliam praxin metallicam arborem producendi invenies infrà Parte 2. hujus Appendicis, cap. 2.

Annotatio.

FIt hæc arbor ab Arte ad imitationem Naturæ, quæ in quibusdam mineris metallicis ſimiles arbores, quas Exanthemata ſive Eﬄoreſcentias aliqui appellant, producit; quales olim vidi in Muſeo Kircheriano Romæ, miſſas ex ſodinis Tyrolenſibus. Sunt nonnullæ inſtar arbuſcularum cryſtallinarum, aliæ inſtar corallinarum, aliæ virides, albæ, croceæ, ex variis coloribus conſtitutæ; quæ per truncum in ramos multifidos expanduntur. Fiunt ex mercurialium ac ſalinorum ſpirituum radiatione, quâ mineralium corpuſcula juncta corpuſculis, in dictas figuras & colores diffunduntur.

§. IV. Arbor

§. IV. Arbor intra phialam deaurata, cum pomis granatorum inſtar.

ACcipe (*inquit Kircherus* in Mundo Subterr. loc.cit.) antimonii in pulverem redacti, aquæ fortis communis, & olei ſulphuris partes æquales, eaque affunde lapidi de tribus: hæc enim phialæ impoſita arborem cum tempore exhibebunt ramis aureis fulgentem, cui adnexas reperies punicei coloris guttulas, quæ poma granata exprimunt. Arbor deaurata intra phialam.

§. V. Arbor inſtar Cypreſſi intra phialam vitream.

HOc inter cætera etiam mirabile & pulchrum ſe inveniſſe ait *P. Kircherus* loco ex Arte Magnet. citato, Arboris videlicet Cypreſſi ad inſtar productionem. Ita autem ad eam producendam faciunt Chymici. Mercurium præcipitatum per amalgamationes intra tres aut quatuor menſes, forti igne adhibito, dum conficiunt; inveniunt, totam materiam in ipſo vitro in pulchras quaſdam excreſcentias Cypreſſi inſtar excreſcere, quas ita foliatas, non ſine intuentium admiratione ſpectandas proponunt. Arbor inſtar Cypreſſi intra phialam.

§. VI. Arbor Luna-Mercurialis.

ACcipe Lunæ puræ ſeu Argenti cupellati unciam unam cum ſemiſſe; Mercurii ſeu Argenti vivi unciam unam; diſſolve ſingula ſeorſim in ſpiritu nitri; diſſoluta conjunge in phiala capaci, & adde aquæ pluvialis diſtillatæ uncias duodecim, aut viginti, atque impone cineribus calidis ad digeſtionem unius horæ ſpatio: ſi non creſcit ſtatim, injice in illam ſolutionem ſalis Ammoniaci uncias tres, & habebis quod propoſui. Ex *P. Kirchero* loco citato in Mundo Subterraneo. Arbor Luna-Mercurialis.

§. VII. Integram regionem in phiala repræſentare.

ACcipe aquam fortem ſeu ſeparatoriam, factam ex alumine, ſalis petra, & vitriolo. In hac aqua ſolve ☽, ☿, ☉, ♀, id eſt, Argentum, Argentum vivum, Aurum, & Æs ſeu Cuprum. Poſtea ſolve ſeorſim in aqua ſeparatoria ſalis petram. Tandem ſolutiones confunde in phiala, probè miſce, & mixta pone digerenda ad Solem, donec creſcant. Quæ ſi creſcere ac floreſcere comperies, extenuatâ aquâ novam & limpidiſſimam affunde, ac relinque. Excreſcent montes, colles, valles, rupes, plantæ, flores, flumina, aliaque, quæ integram aliquam regionem repræſentabunt. Praxin inveni olim Romæ inter Secreta manuſcripta *P. Kircheri*, & nunc in Mundo Subterraneo loco citato. Regio integra intra phialam.

§. VIII. Arbores, cruces, ſtatuæ, aliaque ſimilia, ex Alumine.

Arbores ex alumine.

CUm *P. Athanaſius Kircherus* (ut ipſemet ſcribit in citato loco ex Arte Magnetica, & mihi oretenus Romæ narravit) fodinas & officinas aluminarias Tolfæ in Italia non ita procul Româ luſtraret, vidit inter alia multa admiratione digniſſima, arborem prorſus, ut apparebat, cryſtallinam, ab officinarum Præfectis & operariis, hac arte confectam. Lapides è fodina aluminis erutos, coctosque in calcem, reſolverant in aquâ frigidâ: calcem hanc conjecerant in fornacem, prægrandis cacabi figurâ efformatam, cujus fundus ex ære campano erat; validiſſimoque igne ſuppoſito, aquam in qua calx reſoluta fuerat, per canales in vaſa quædam ex aſſeribus quernis, aut ilicinis (aliud enim lignum huic operi ineptum eſt) ruditer compacta diduxerant: & ecce, lignum mox aquam attractam in alumen converterat, ita ut latera vaſorum tota cryſtallina eſſe viderentur, ſingulis fruſtulis aluminis in hexagonas figuras abeuntibus. Huic aquæ deinde ramuſculos quernos, cortice priùs exutos, unâ nocte impoſuerant, & poſtero die aluminariâ incruſtaturâ penitùs in cryſtallinas quaſi arbores converſos repererant. Eâdem arte cruces, & omnis generis figuras, ex querno priùs ligno effigiatas alumine ita veſtiri poſſunt, ut cryſtallinæ videantur. Crucem hujusmodi vidi Romæ apud P. Kircherum in Muſeo ſuo aſſervatam. Poſſunt hæc omnia in quovis fornaculo, fundo aeneo conſtante confici.

§. IX. Integram abietum ſylvam repentè intra vitream phialam enatam exhibere.

Abietum ſylva in phiala.

MOdum docet *Dn. Jacobus Dobrzenski de Nigro ponte*, Amicus & Fautor ſincerus, Parte 3. Philoſophiæ de Fontibus Propoſit. 1. quem propoſui in Technica Curioſa lib. 11. cap. 17. quod vide.

§. X. Plantæ fictæ artificiales.

ACcipe quamcunque herbam, potiſſimùm eam quæ multiplici fibrarum ductu pollet, verbi gratiâ urticam. Hanc in cinerem redige in olla quàm optimè lutata. Incineratione peractâ, cineribus aquam ſuperaffunde; fietque lixivium. Hoc in catinum effuſum, & nocti hybernæ expoſitum relinque, donec tenuem in ſuperficie glaciem contrahat. Quo facto, videbis cum admiratione, glaciem ita exactè folia urticæ exhibere, ac ſi impreſſa fuiſſent. Si verò hanc glacialem effigiem penitiùs tubulo ſmicroſcopico examinâris, videbis omnia puncta, & radios quosdam, jam plures, modò pauciores, rudi quadam ichnographiâ ad fabricanda corpora po-

Digitized by Google

ra polygona evolvi; ea verò quæ vaſis lateribus adhærent, ut plurimùm quadratas teſſeras exprimere. Ita *P. Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 8. ſect. 1. cap. 8. & alii Chymici. De Quercetano ſcribit *Libavius* Syntagmate Arcanorum Chymic. lib. 5. cap. 18. collegiſſe illum aliquando ſalem ex combuſta urtica transcolatione aquæ per cineres; & dilutum iſtud ſeu lixivium nocturno gelu concretum plantam exhibuiſſe ipſam, cujus tamen priorem ſenſibilemque formam deſtruxerat ignis. Cauſam hujus geneſis conatur adſignare P. Kircherus loc. cit.

CAPUT X.

Plantarum reſuſcitatio ex earum cineribus.

DE plantarum παλιγγενεσία ſeu reſuſcitatione ex cineribus illarum variæ & miræ circumferuntur hiſtoriæ, & exempla. Ajunt enim, *Albertum Magnum* tempore convivii coram Rege quodam Galliæ produxiſſe in vitrea phiala arborem cum foliis, floribus, fructibus. Quam tamen hiſtoriam putat *Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 4. cap. 5. carere fundamento, quoniam in rei veritatem magno labore inquirens, nil tale nec in ejus Vita, nec in Regum Galliæ geſtis reperire potuit, & Patres Dominicani, è quorum Familia erat Albertus, nil tale in Archivo ſuo reperiri fatentur; unde ſemper fabuloſam narrationem hanc credidit, ab Alchymiſtis cæteriſque curioſarum artium ſectatoribus, ad myſteriorum ſuorum veritatem ſtabiliendam, confictam. Ejusdem farinæ ſunt, ut alibi dixi, & conſentit etiam Kircherus, quæcunque referuntur de mirabilibus virtutibus quarundam herbarum in libello de Virtutibus Herbarum, qui falsò adſcribitur Alberto Magno; hic enim libellus, uti & alius de Virtutibus Lapidum, & alius de Secretis Mulierum, qui eidem Alberto adſcribuntur, prodierunt ex ſuperſtitioſa Arabum officina: quod tum primùm ſibi innotuiſſe ait P. Kircherus, cùm Salomonem Benbali Authorem libri de Natura rerum, cum intimâ quadam reflexione ad Libros Alberto Magno adſcriptos factâ evolvit.

Plantarum palingeneſia ſeu reſuſcitatio, an poſſibilis.

Scribit tamen *Joannes Cuſpinianus*, in Vita Guilelmi Cæſaris, prædictum Albertum Magnum Coloniæ in convivio quodam coram dicto Cæſare & Proceribus Imperii effeciſſe, ut arbores mediâ hyeme efflorerent, ob idq; magnis ejus Ordinem muneribus donatum. Verba Cuſpiniani ſunt: *Rediens Coloniam* (Guilel. Cæſar) *lautiſſimũ inſtituit Principibus convivium. In quo* (*ut fertur*) *quod admirandũ eſt, mirabili operâ Alberti Magni Philoſophi, arbores mediâ hyeme effloruerunt, & herbæ germinabant* (*ſi verũ eſt quod Scriptores ejus ætatis, & qui ſe vidiſſe commemorant, tradunt*:) *ob quod factũ Fratrib. ſui Ordinis in Trajecto prædiũ ingens cũ redditibus dicitur donaſſe, atq; Monaſteriũ conſtruxiſſe.*

Effecerit hoc Albertus (ſi effecit) per reſuſcitationem ex cineribus arborum & herbarum intra phialas vitreas, in menſa poſitas, ut ab omnibus ſpectarentur.

Præterea narrant *Guercetanus* in Defenſione ſuæ Chymiatriæ cap. 23. & *Gaffarellus* in libro de Inauditis Curioſitatibus, Medicum quendam Polonum in diverſis vitris variarum plantarum habuiſſe ens primum (nempe cineres, aut ſales) ex illoque parvo calore, ſine ullo negotio ſuis viſitatoribus, quam voluiſſent plantæ effigiem, ſolo applicato lucernæ calore produxiſſe. Alias hiſtorias in ſequentibus dabo.

Meritò ergò quærit *P. Kircherus* loc. cit. utrum revera fieri poſſit, ut plantæ verè & realiter per palingeneſiam ſeu reſuſcitationem ex cineribus educi poſſint. Reſpondet, poſſe. Cùm enim in cinere ſal, in ſale tanquam in centro lateat cujusque rei vegetabilis virtus ſeminalis, uti variis in locis citati Operis oſtendit; fit ut ſal ex plantis, arte non omnibus notâ extractus, quia ſpermaticâ virtute earundem plantarum pollet, ſi calore tenui & leni excitetur, innato quodam appetitu ad id formandum feratur, ad quod à Natura deſtinata fuit, ſalinis corpuſculis in illam formam & plantam, quam ſemen poſtulat, confluentibus. Sed nonnulla Experimenta afferamus.

§. I. Palingeneſia Cæſarea.

Palingeneſia Cæſarea.

DN. *Jacobus Dobrzenski de Nigro ponte*, Amicus & Fautor ſincerus, Parte 3. Philoſophiæ de fontibus Propoſ. 1. (uti in Technica quoque Curioſa lib. 11. cap. 16. dixi) refert, ſe in itineribus ſuis per Germaniam & Italiam apud eximium quendam Chymicum vidiſſe *floſculorum diverſorum veram & non imaginariam, intra vitreas phialas productionem, qui ex liquida quadam & quaſi uliginoſa materia intra vitreas phialas hermeticè clauſas contenta, modico adhibito calore illicò erigebantur, & in formalem plantam foliis & floribus onuſtam deſinebant, tamque diu perdurabant, quàm diu à calore fovebantur.* Qua autem id arte prædictus Chymicus effeciſſet, ait ſe reſcire non potuiſſe. Tandem amicum quendam chariſſimum pro ingenuitate ſua ſecretum, ſed non niſi ſub ſecreti ſigillo, ſibi pandiſſe. Longo pòſt tempore idem ſecretum reperit dictus Auctor in libro quodam Germanico, ideoq; à fide obligata liber, id proponit loco citato Propoſit. 2. eſtq; illud idem quod nos propoſuimus in Mechanica Hydro-pneumatica Parte 2. Claſſe 1. cap. 6. Machina 8. & vocavimus *παλιγγενεσίαν Cæſaream*, ſeu *Regenerationem plantarum in aquis phialæ incluſis, ex cujuscunq; plantæ ſemine.*

Germanici libri, cujus meminit Dn. de Nigro ponte, Auctor fortaſſis eſt *Dn. Georg. Philip. Harſtorfferus*, Patricius & Conſul Norimbergenſis, magnus olim

olim amicus, nunc vitâ functus, qui ſecretum prædictum enarrat To. 2. Deliciarum Mathemat. Par. 9. Quæſt. 26. aitque ejusdem meminiſſe Quercetanum, & Gaffarellum in Curioſitatibus inauditis. Citato Mechanicæ noſtræ loco diximus, ſecretum fuiſſe *P. Athanaſio Kirchero* trânsmiſſum à Cæſare FERDINANDO III. ideo vocavimus Cæſareum. At cùm Auctores alii diu antea ejusdem meminerint, ut vidimus; Cæſari impoſuit, quicunque id pro ſuo, ac recèns invento, ut apparet, vendidit.

Experientiam, ut ibidem diximus, P.Kircherus non fecit, quia multùm temporis requirit. Tentavit tamen *P. Balthaſar Conradus*, cùm adhuc viveret, Uratislaviæque Matheſin publicè doceret; at nullo ſucceſſu. Fortaſſis non omnes in operando circumſtantias, quæ multæ ſunt, ſervaverat. Certè Dn. de Nigro ponte non omnes enarrat, quas nos & Harſtorfferus habemus. Noſtra verò & Harſtorfferi deſcriptio in omnibus partibus conveniunt.

Quæ hîc ſcripſi, reperiet Lector etiam, ut dixi, in Technica Curioſa lib. 11. cap. 16. unà cum praxi Palingeneſiam dictam inſtituendi; quam & *P. Kircherus* inſeruit Mundo Subterraneo, lib. 12. ſect. 4. cap. 5. Experimento 1. ideo illam hîc non repetimus.

§. II. Palingeneſia Kircheriana.

Citato loco Mundi Subterranei fatetur *P. Kircherus*, diu multùmque ſe verſatum circa Experimenta reſuſcitandi plantas ex illarum cineribus, tandemque inveniſſe modum quendam, quo plantam intra phialam oblongi colli hermeticè clauſam ex ſuis cineribus reſuſcitavit. Phialam ſe in Muſeo ſuo ad decennium ferè Advenis cunctis ſpectandam unà cum plantula intus contenta exhibuiſſe, donec anno 1657. quo Sereniſſima Sueciæ Regina *Chriſtina*, cùm dictum Muſeum viſitatione ſuâ dignata fuit, ſummâ animi voluptate rem totam ſpectavit. Cùm verò poſt digreſſum ejus phialam extra feneſtram poſuiſſet, poſtero die reverſum inveniſſe illam fractam vi vehementioris frigoris Februario menſe. Palingeneſia Kircheriana.

Annotatio.

Cùm Romæ eſſem, aſſervabat ſimilem phialam cum plantula intra aquam ex cineribus reſuſcitata P. Kircherus in Muſeo ſuo: & cùm ab Eminentiſſimo quodam Principe diu ſollicitatus fuiſſet, ut ſimilem aliam ſibi concinnaret, nec tamen ob magnum laborem qui requiritur, & ob temporis anguſtiam id facere potuiſſet, donaſſe ſuam dicto Principi. Itaque illa, quam Sueciæ Regina exhibuit, vel alia fuit denuò ab ipſo concinnata, vel priorem illam receperit à Principe.

Non explicat P. Kircherus modum, quo dictam palingeneſiam perfecerit, ſed illum reſervat explicandum in particulari quodam Opuſculo de Plantarum palin-

geneſia ex cineribus, in quo totam praxeos executionem minutim deſcribere cogitat.

§. III. Palingeneſia Pragenſis.

Palingeneſia Pragenſis.

PAulò antea laudatus *Dn. Jacobus* Dobrzenski de Nigro ponte, loco citato Philoſophiæ de Fontibus, mentionem facit cujusdam aquæ mineralis mirabilis, in quam ſi plantam quamcunque unà cum radice ſua totaliter arefactam, ita ut in pulverem teri poſſit, ſolùm quoad radicem immittas, ibidemque relinquas horis tribus, aut quatuor; planta illa denuò vireſcit, quaſi tunc primùm de terra germinaret.

Eandem aquam ſi infundas intra vitrum, eique addas aquam deſtillatam ex herba, aut flore quocunque, item uncias tres de ſale ejusdem floris aut herbæ adjicias; vitri deinde reſiduum ſpatium aquâ priore impleas ad ſummum: intra duos aut tres dies creſcit intra medias aquas planta ei ſimilis, ex qua ſal & aqua principiò accepta fuit. Et planta illa moto vitro diſſipatur, eàdemque denuò quieſcente reſtituitur in priorem ſtatum.

Aquam mineralem verbis ipſiusmet Auctoris deſcripſimus in Technica Curioſa lib. 11. cap. 18.

§. IV. Palingeneſia Paracelſica.

Palingeneſia Paracelſica.

P*Aracelſus* lib. 6. de Natura rerum (uti à P. Kirchero citatur in Mundo Subterraneo) ait, tametſi difficile admodum ſit ex ligni combuſti cineribus plantam reſuſcitare, impoſſibile tamen non eſſe, ſi ſolerter res inſtituatur. Jubet autem in hunc modum inſtitui. *Recipe lignum quod primò fuerit carbo, poſtea cinis; & pone in cucurbita, unà cum reſina, liquore, & oleitate illius arboris. Omnium idem ſit pondus. Miſceantur, & in leni calore liquefiant; & fiet mucilaginoſa materia. Atq; ita habes tria principia, ex quibus naſcuntur omnia, omnia generantur, nempe phlegma, pinguedinem, & cinerem. Phlegma eſt mercurius, pinguedo eſt ſulphur, cinis eſt ſal: nam omne quod in igne fumat, & evaporat, eſt mercurius; quod flagrat & comburitur, eſt ſulphur; & omnis cinis eſt ſal. Cùm jam hæc tria principia ſimul habes, pone ea in ventre equino, & putrefac ad ſuum tempus. Si poſtea illa materia in pingue ſolum ſepeliatur & infundatur, videbis jam reviviſcere, & arborem & lignum parvum inde naſci, virtute priori nobilius.* Hæc ille. Quibus relatis, ſubjungit P. Kircherus, non eſſe opus tot operationibus ad ſalem vegetandum, cùm cineres plantarum (ut ipſe ſæpè in ſale abſynthii expertus fuit) terræ virgini inſiti, intra breve tempus ejusdem ſpeciei plantam, quæ in cineres reſoluta fuit, exhibeant.

Apparet tamen, Paracelſum praxin ſuam in opus nunquàm reduxiſſe, quoniam ad probandam poſſibilitatem palingeneſiæ, adducit quædam omnino

Digitized by Google

mnino falſa,& in Philoſophia abſurda, ut quòd leonũ catuli naſcantur mortui & vitæ omnis expertes, ſoloque leænæ aut leonis rugitu in vitam revocentur; cùm tamen non mortui, ſed ſopiti tantùm naſcantur, & rugitu illo excitentur. Si ergo verior non eſt plantarum reſuſcitatio è cineribus Paracelſi praxi, quàm catulorum leonum reſuſcitatio ad vitam rugitu leonino; omnino ridenda ac rejicienda eſt.

§. V. Plantula ex aqua deſtillata.

ANdreas Libavius Syntagmatis Arcanorum chymicorum lib. 1. cap. 22. poſtquam egiſſet de reſuſcitatione plantarum ex earum cineribus, ſubjungit in Appendice capitis jucundam hiſtoriam plantulæ ex aqua deſtillata natæ, perſcriptam ad ſe à Jeremia Cornario Archiatro Brandeburgico Culmbacii, adjunctâ pictura & phialæ & plantulæ in ea natæ, ſequentibus verbis. Plantula ex aqua deſtillata.

Plantula in aqua Triſelatina (qua eſt in Miſnia ad tres abietes, non procul Cjenaa urbe) deſtillata mihi nata picturam jam habes, ſed picturam: Utinam vidiſſes vivam, & haberes! qua profectò longè jucundior extitit, longè amabilior, quàm vides, & pictor effingendo vix adumbravit: ne dicam de colore, (erat enim pictura coloribus ſuis illuminata) *qui & pagina attritione ferè evanuit. Nunquam certè ſine magna admiratione vidi illam, quoties vitrum aſpexi; uti etiam alii. Vitrum per ſe omnino tale eſt, ut pictura exhibet, vel etiam paulò majoris capacitatis. Qui color ſubviridis in fundo inſperſus eſt,* (pictor ſic vitri umbram reddiderat) *is à vitro eſt, neutiquam ab aqua, vel ſedimento aliquo fundo adhærente; nam puriſſima aqua adhuc eſt, & planè phlegmatis omnis expers. In plantula ipſa non conſpicu ſtipitem, baſin, aut radicem cui innitatur, notabilem, niſi exiguam ſaltem: fundo enim vitri acuminato, ſeu paulatim* intùs *elevato, uti conflari ſolent vitra, vel filo adhærere videbatur; & ſic ad latera ſpargebat ramuſculos plenos foliolis, pro totius magnitudine non latis, ſed oblongis, etiam ſuaviter virentibus, inſtar pumila teneraq; plantula roriſmarini; foliolis oblongis, tenellis, ut in gramine acuto teneroque, coloris ex viridi citrini, non ſaturè virentis. Non dubito, quin potuiſſet altiùs aſſurgere & creſcere, cùm concuſſo nonnihil vitro firma & erecta perſtaret, ſine ullo motu tremulo: ſed (quod dolendum) frigore inexſpectato in feriis Nativitatis Dominica noctu aqua, ut & catera in frigido Muſeo, tunc temporis non calefacto, congelavit; unde plantula, poſt aquam denuò calore reſolutam, deprehenſa eſt frigoris vi læſa, & à fundo avulſa. Innatat itaq; jam aqua, quanquam colore integro. Saltem deminuta mole apparet, quadam viſcoſitate circa ipſam ſe ſe colligente.* Hæc Cornarius.

Libavius addit, aquam deſtillatam fuiſſe, teſtes adhibitos affirmaſſe, unà cum iis qui ipſam herbam in aqua viderant; & conſentire picturam rei ipſi, eoſdem teſtes ſuo teſtimonio comprobaſſe, atque hiſtoriam ſcriptam

ptam ſuâ manu ſubſcripſiſſe. Res contigit anno poſt natum Chriſtum 1608. Aqua deſtillata fuit in Junio menſe, à Martino Gallo Pharmacopæi miniſtro: herba primùm obſervata in Novembri: pictura facta 12. Decembris.

Hiſtoriam veriſſimam eſſe non dubito cum P.Kirchero. Plantula fortaſſis nata fuit è ſemine alicujus herbæ,quod aquæ priùs inextiterat; præſertim cùm nulla aqua ita deſtillatione depurari queat (inquit Kircherus) quin ſemper ei fæces remaneant etiam inſenſibiles.

Alias palingeneſiæ praxes reperies infrà Parte 2. hujus Appendicis, capite 1.

CAPUT XI.

Plantæ ficta aut picta à Natura.

Plantæ fictæ aut pictæ à Natura.

NAturam non in veris tantùm plantis producendis, ſed in fictis quoq; exhibendis, mirabilem atque imperſcrutabilem ferè ab humano ingenio ſe ſe exhibere, Artem Naturæ ſimiam multis modis ſimilia moliri atque perficere, innumera docent exempla. Pauca producam, à Natura incipiendo.

§. I. Plantæ lapidibus, aliiſque mineralibus à Natura impreſſæ.

Plantæ lapidibus à Natura impreſſæ.

QUidquid Natura in vegetabili regno præſtat in variis plantis producendis, præſtare videtur etiam in regno ſubterraneo, dum lapidibus gemmiſque variarum plantarum figuras imprimit ita ad vivum,ut unum alteri cedere non velle videatur. Nonnullis exemplis, quæ partim *vidi*, partim apud varios Auctores legi, rem confirmo.

Quatuor potiſſimùm lapidum genera ſunt, in quibus plantarum & arborum icones frugumque imagines à Natura mirè depictæ conſpiciuntur. Primùm ab *Imperato*, celebri Antiquario, *Nemoroſa petra*, ab aliis *petra Sinaitica*, ab *Agricola* Dendrachata, ab aliis Dendritis appellatur. Hic lapis ſi findatur, in internis parietibus exhibet arbores, &c. prata, ſylvas, flores omnis generis, non figurâ tantùm externâ,ſed coloribus etiam convenientibus expreſſos à Natura; unde & ab arboribus quas exhibent, *Ἀνδρίτες Dendrites* vocantur, & magnâ copia ex Hetruria Romam, aliaq; in loca, ad menſarum, ſcriniorum, aliarumque rerum decorem conciliandum advehuntur, & ego ipſe non paucos in Muſeo Kircheriano, in Ergaſteriis ac Viridariis Romanis vidi. Inveniuntur in Hetruria prope oppidum Bargam, uti & in monte Sinai,unde & *petræ Sinai* nominantur; nec non ad nemus Hercynium, ut ſcribit Agricola, & notiſſimum eſt in Germania.

Alterum

Alterum Genus à *Plinio* lib. 37. Hiſtor. Natur. cap. 11. appellatur *Borſycites.* Hæc gemma eſt, *in nigro ramoſa, candidis aut ſanguineis frondibus.* Tertium ſalicis ſerrata refert folia, unde & folium ſalicis appellatur. Quartum ab Imperato frumentatum dicitur, quòd triticeas aliarumque frugum ſpecies exprimat. Hæc omnia P. Kircherus olim in Imperati celeberrimo Muſeo vidit, & examinavit.

§. II. Modus quo Natura lapidibus imagines plantarum imprimere creditur.

AD indagandum modum, quo ejuscemodi imagines ſaxis intra terræ viſcera imprimuntur à Natura, præmittit Kircherus, notum eſſe omnibus, diverſi generis herbas & arbores in multis inacceſſis antiquarum fabricarum motibus, in rupium ac murorum lapideorum fiſſuris, aliisque in locis, quò nulla ſemina deferri unquam poſſe videtur, creſcere ſolere. Cujus rei cauſam cùm antiqui ſuperſtitioſiores neſcirent, ejusmodi arbores prodigioſas ac ominoſas mirabantur. Unde Plinius velut prodigium refert, bis enatam palmam in Capitolii faſtigio; & poſt palmam tempeſtatibus proſtratam, enatam ibidem ficum. Vidi ipſemet multis in locis, Romæ præſertim in Titi Veſpaſiani Amphitheatro, in Thermarum aquæductibus, in antiquorum fanorum ac fabricarum ruderibus, vel ex ipſis murorum ac ſaxorum fiſſuris ac rimis enatas caprificos, lentiſcos, ficus, betulas, hederam, cornum, ſambucum, cypreſſum, aliarumque arborum, fruticum, ſuffruticum, herbarum ſobolem. Cauſa utique eſt, quòd dictorum ruderum aut murorum rimæ replentur pulvere, & omnis generis ſeminibus, eò delatis vel vento, vel ab avibus, aut depoſitis unà cum volucrum excrementis: qui pulvis & ſemina cùm pluviâ aut rore macerentur; mirum non eſt quòd in plantas & arbores ſui generis pullulent.

His præmiſſis, ait P. Kircherus, cùm in terra lapideſcente variarum ſtirpium ac plantarum pulveres inſint, in quibus unà cum exiguo calore quid ſpermaticum adhuc ineſt; hoc in lapide adhuc molli materiem nactum utcunque aptam ad plantam producendam, cùm plantæ ſubſtantiam integram ex ea materia conſtituere non poſſit, præſtare id quod poteſt, hoc eſt, ſolas in materia arborum herbarumque imagines, plaſticâ facultate, quæ ſeminali virtuti adhuc aliquo modo inexiſtit, depingere, adeoq; Naturam hoc modo, cùm plantam integram producere nequeat, producere id quod poteſt, figuras nimirum plantarum. Hic modus an doctis arrideat, neſcio. Alios modos, quos idem affert, vide in Appendice de Animalibus cap. 9. & huc applica.

Digitized by Google

§. III. Variæ Orchidum ſive Satyriorum figuræ, à Natura impreſſæ plantis, & floribus.

Orchidum ſeu Satyriorum figuræ impreſſæ plantis.

ORchides ſunt illæ plantæ, quæ Satyria vulgò vocantur, à virtute quam habent ad Venerem, cui fabuloſi Satyri ſupra modum dediti dicebantur, incitandi. Harum plantarum figuras ſeu ſignaturas, plantis ac floribus nonnullis impreſſas, quicunque conſiderat, mirari meritò ſolet Naturæ in iis producendis ſeu potentiam, ſeu ſolertiam. In nonnullis ita luſit Natura, humanam iis figuram imprimendo, ut vix ſit in hominis corpore membrum, quod non repræſentetur, adeo ut integra in floribus humani corporis ſtructura cum utriusque ſexus notis diſtinctivis, in radicibus verò teſticulorum forma reluceat. In nonnullis etiam avis alicujus, in aliis cercopitheci ſeu ſimiæ, in aliis Delphini, apis, veſpæ, muſcæ, papilionis, culicis, cimicis, locuſtæ, leonis, bovini capitis, aliorumque animalium effigiem præ ſe ferunt.

Harum ac ſimilium plantarum (de quibus fusè agit *Joannes Baptiſta Porta* in libris de Phytognomia, *Fabius Colonna* in Opere de rarioribus plantis, aliique Botanici agunt) ut non ſolùm externam figuram, ſed admirandas quoque earum proprietates accuratiùs contemplaretur, & cauſam illarum geneſis perſcrutaretur P. Kircherus; curavit plurimas illarum ex montibus aſportatarum in domeſtico Collegii noſtri Romani horto plantari. Anatomiâ itaque illarum inſtitutâ, in una deprehendit uteri muliebris fœtu gravidi rudimentum, naturali utero prorſus ſimile. In apiformi Orchide, resciſsâ apis formâ, invenit effigiem virgunculæ ſcutellam ambabus manibus portantis, adeo affabrè expreſſam, ut omnes in admirationem traheret. In involucro quoque floris noctuæ figuram notavit, oculis, auribus, & adunco roſtro ſpectabilem. Anthropomorphæ orchidis flores & folia ſmicroſcopio inſpiciens, deprehendit flores per totum minutiſſimis humanæ figuræ imagunculis contextos.

§. IV. Modus quo Natura plantarum floribus varias figuras imprimere putatur.

P. *Kircherus* in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 1. cap. 9. ubi hujus rei cauſam indagat, ait, obſervatum fuiſſe ab iis, qui pecorum, armentorum, & equorum curam habent, poſt commiſſas ad propaginem animantes in campis in eo loco, ubi congreſſus factus fuit, ſequenti anno creſcere frequentes Orchides & Satyria. Hoc autem non alia de cauſa contingere putat Kircherus, niſi quòd ſpermaticus humor ſuperfluus humo ſparſus, & unà cum terreſtri ſucco mixtus, ac fermentatus, tandem in hujusmodi herbas adoleſcat. Idem contingere ajunt ex ſemine cadaverum, tum

Digitized by Google

tum hominum, tum animalium, qui in campis vel occiduntur, vel infirmitate quadam moriuntur. Cùm itaque in animalium ſemine non ipſa ſolùm animalia, ſed omnia eorum membra virtute inſint, & Natura ex ſemine terræ mixto producere nequeat animalia ipſa perfecta, deficiente vi plaſticâ ob materiæ & loci congrui defectum; facit quod poteſt, & ſaltem aliquid analogum animalibus quoad membra molitur, atque effingit.

Confirmat hanc ſuam opinionem ex eo, quòd hujuſmodi herbæ ferè omnium primæ ſint, quæ verno erumpunt tempore, quo videlicet animalia pleraque œſtro libidinis ſtimulantur.

Quòd verò ex ſemine humano, equino, bovino &c. non ſemper plantæ hominis, equi, bovis &c. effigiem referentes, ſed ſubinde apis, veſpæ, culicis &c. enaſcantur, id inde contingere putat, quòd dicta ſemina in terram cadentia, cùm ob virtutem plaſticam debiliorem perfecta animalium illorum, quorum ſunt ſemina, effigiem perfectam producere non poſſunt, producant ſaltem illis inſectis ſimilem, quæ ex homine, equo, bove, &c. naſci ſolent, nempe apis &c.

Confirmat hæc *Primò*, mirâ quadam ac novâ obſervatione, à *Bernardino Gomeſio*, & à ſe ipſo quoque factâ. Verba Gomeſii apud P. Kircherum in Mundo Subterraneo lib. 12. ſect. 1. cap. 9. & antea etiam in Obeliſco Pamphilio relata, hæc ſunt. *Referam rem novam, inauditam, neque viſam hactenus, neque ab ullo Scriptore, quod ſciam memoria traditam. Cùm Sagunti animi recreandi gratiâ apud alvearia verſarer, ac ſummopere mirarer inter ſingularia opera mirum fucorum obſequium atque benignitatem, atque in ipſis incluſum apum Seminarium*; deprehendi *quod unum me quidem in magnam admirationem induxit. Nam cùm interim captus à me fucus digitis atque ungue premeretur, ſi fortè vice aculei aliquid emitteret; ecce ruptis viſceribus atq; poſterioris partis pelliculâ, album ſeu croceum bovis caput, expanſis & tortuoſis cornibus, roſtroque adunco, affabrè formatum repentè emerſit. Quam rem ſummè qui aderant admirantes, atque idcirco ipſis denuò id experiri flagitantibus, aliis ſubinde quinque fucis à me preſſis, totidem ſimul boum capita eruperunt; Naturâ quidem, cui meritò ſumma ineſt cura apum, in hoc portento ſeminalem earum rationem atq; quandam cum bobus amicitiam exercente.* Hæc Gomeſius.

Quemadmodum igitur (ſubdit Kircherus) in ipſis inſectis imaginis quoddam rudimentum eorum animalium, ex quibus nata, reperitur; ita & in Orchidibus uſu venit; in quibus cùm vivum animal producere nequeunt, ſaltem quantum poſſunt, moliuntur, id eſt, ex inſita ſeminis ideali ratione figuram ejus, ex quo ſunt, exprimere conantur.

Confirmat *Secundò* obſervatione aliâ de ortu tuberis ſeu fungi cervini, quam *Matthiolus* ad Julium Moderatum ſcribit in hæc verba. *Cùm rebus novis te plurimùm delectari ſciam, tuber quoddam ſubterraneum, quod* Tuber cervinum.

hic cervinum, Boletum Bohemi vocant, cum hiſce meis litteris ad te mitto. Puto enim de eo te nihil unquam audiviſſe, quòd nulla apud antiquos recentioresve Scriptores extet hujus fungi memoria, quòdque reperiri non poſſit niſi in iis ſylvis, ubi plurimi habentur cervi ac venatores, qui hac Naturæ ſecreta nôrunt. Sed ſi tum hæc inaudita ſint apud vos, nolim te impoſterùm latere cervini fungi hiſtoriam, & vires. Fungum itaque hunc tuberum vulgarium more ſub terra naſci affirmant venatores, ubi cervino ſemine inficitur ſolum: id quod plerùmque fieri ſolet exempto è vulva genitali, aliquid adhuc ſeminis continente, maris impetum fugiente fœminâ. Hunc fortaſſe fungum cervinum invenire nemo poſſet, niſi cervi ipſi locum quodam ſtatuto anni tempore oſtenderent. Scalpunt enim, naturali quodam inſtinctu ducti, anterioribus pedibus locum, ubi globoſus fungus ſub terra deliteſcit; quod olfactu percipere eos affirmant: Spirat enim fungus gravi odore, præſertim recenter effoſſus. Qui ſecreta hæc nôrunt venatores & ruſtici, qui ſylvam frequentant, loca diligenter obſervant cervinis pedibus diducta, effoſſaque ſcrobe fungos eximunt, & pharmacopæis vendunt: qui diſſectos in particulas, & filo trajectos, ſiccant poſtea in umbra, ſervantq́, in medicum uſum &c. Hæc & alia Matthiolus.

CAPUT XII.

Plantarum ac Fructuum varia metamorphoſis, ab Arte inducenda.

Fructuum variæ figuræ, ab Arte inductę.

VArias ſæpe videmus figuras in plantarum ramis, foliis, floribus, fructibus, quas non tam Natura, quàm Caſus fortuitus, ob dictarum rerum inter ſe concurſum & adglutinationem, induxit. His ſimilia, aliaque mirabiliora inducit Ars, uti ex ſequentibus patebit. Cauſam ignorantes, ea tanquam miracula aut Naturæ prodigia mirantur; gnari verò myſterii, ſine ſtupore contemplantur.

Primò itaque poma, pyra, alioſque ſimiles fructus in formam capitis humani, equini, & cujus volueris animalis aptabis; ſi teſtacea vaſa in prædictorum capitum formam elaborata, creſcentibus pomis, aliiſve fructibus accommodaveris, ſeu circumdederis, pedunculo ſolo extrà prominente: hoc enim facto, validè creſcentia poma ac fructus replent vaſa, eorumque formam induunt. Si vaſa intus colore quocunque imbueris, induent & illos poma eadem, ut nativi videantur. Sic fiet, ut citrium aut aureum pomum hominis referat caput albeſcente vultu, purpuraſcentibus genis, flaveſcentibus aut nigricantibus capillis, dentibus candicantibus.

Idem

Digitized by Google

Idem obtinebis, ſi ex argilla, gypſo molli, aut ligno modulos intus excavatos formes, & fiſſos per medium fructibus circumponas, ac vimine forti liges, ne fructuum auctu aperiantur, aperto ſolùm loco quo petiolus extramittatur. Artificium hoc deſcribit Pontanus his verſibus:

Sin fortè in varias juvet & deducere formas
Naſcentem citrium, mutato & corpore mala:
Tu faciem è ligno, argilla, aut de ceſpite ductam
Subjice, & infantem tenerum nutricis amato
Conde ſinu: paulatim artus formabit, & inde
Ducet inumbratos ſignato in corpore vultus.

Secundò, Cucumeres in quamcunque velis formam transfigurabis, ſi teſtacea vaſa variè efformata feceris, eisque parvis adhuc circumpoſita obligaveris: formas enim ejusmodi, dum creſcent, implebunt, easque perfectè referent. Quòd ſi arundinem in longum ſectam, excavatamque, circumpoſueris cucumeri, aut cucurbitæ, dum adhuc tenera eſt, atque ligaveris; augeſcens explebit totam arundinis longitudinem. Hinc patet, quomodo eosdem cucumeres in tortuoſi draconis formam rediges. Si cucurbitam inter duos diſcos compreſſam teneas, dum creſcit; in orbem planum excreſcet. Eadem lagenariâ fiet, aut turbinatâ pyri formâ, ſi arctè funiculum illigabis in ea parte, quam anguſtam deſiderabis.

Tertiò, Amygdala, Perſicaque ut inſcripta naſcantur, efficies, ſi amygdalum, aut Perſici oſſiculum biduo triduove maceres; teſtam leviter confringas, ne nucleus lædatur; in eo exempto quidquid volueris ſtylo aliquantulum profundè ſcribas; papyro involvas, aut panno lineo; luto circumlinas, plantes, ac ſtercore fœcundes. Adultæ arboris fructus inſcriptum habebunt, quidquid nucleo inſcripſeras.

Hæc ſufficiant de Mirabilibus Plantarum. Innumera alia plura reperies apud varios Botanicos. Nos ad alia properamus.

PARS II.

MIRABILIA VARIA.

Cum Phyſica Curioſæ editio prima, ſive ob materiæ jucunditatem, ſive ob ordinis diſpoſitionem, ſive ob aliam quamcunque cauſam, adeo placuerit curioſo Lectori, ut breviſſimo temporis ſpatio exemplaribus omnibus diſtractis, alteram adornare editionem neceſſarium fuerit; Amicorum opem implorandam cenſui, ut ſi quid vel proprio ingenio

excogitatum, vel inter legendum ac meditandum notatum ad manus haberent, pro ſuo in me & litterariam Rempublicam affectu communicare non dedignarentur. Fecêre deſiderio meo ſatis non pauci. Quos inter primum meritò locum ſibi vendicat Prænobilis & Reverendiſſimus Dominus Godefridus Aloyſius Kinnerus à Lôvventhurn, Juris Utriusq; & Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, Fautor & Amicus integerrimus; *cujus frequentiſſimam jam antehac in aliis quoque Operibus meis mentionem feci. Is pleraque, quæ hac ſecundâ Appendicis hujus parte dabimus, communicavit. Quæ qualia ſint, & unde profecta, tum ex Epiſtola, quam ſubjicio, Pragâ 4. Martii præſentis anni 1665. ad me datâ, tum ex ſequentibus Capitibus (quibus ſubinde perbreves Annotationes ſubjiciam) perſpiciet Lector.*

EPISTOLA

PRÆNOBILIS AC REVERENDISSIMI Domini Godefridi Aloyſii Kinneri à Lövventhurn &c. ad R.P. Caſparum Schott Soc. JESU.

Admodum Reverende in Chriſto Pater,
Domine atq; Amice plurimum colende,
Salutem à Domino, & obſequia mea paratiſſima.

MUltum eſt quod gratuler tum Reverendæ Paternitati Veſtræ, tum ejusdem Phyſicæ Curioſæ pauculis abhinc annis in lucem evulgatæ, dum eandem adeo doctis arriſiſſe intelligo, ut divenditis jam univerſis exemplaribus, ad alteram acceſſione novâ locupletatam Bibliopola ſe velit accingere. Quòd verò pro ejusdem auctario meam quoque ſymbolam expetat R.V. vereor ut id faciat majore ſuo in me affectu, quàm fructu, cùm nondum eos in re literaria progreſſus feciſſe videam, ut quidpiam inter omnia mea reperiri poſſe judicem publico dignum. Tametſi non eo inficias, ſi deſiderium animi, naturaque inclinationem attendam, nemini omnino me in appetenda curioſa rerum phyſicarum cognitione facilè ceſſurum, proindeq; novas in ejuscemodi ſtudiorum genere detectas veritates plenis inanium de iis, quæ non ſunt, ſpeculationum libris anteponere: Attamen & illud cum pluribus non immeritò conqueror, adhuc infructuoſa ingeniorum litigia ſcholis potiùs placere, quàm ſyncerâ poſteros juvandi cupiditate, unicâ illâ per acervatas experientias viâ veritatem quæri; quod tamen niſi fiat, uti nullus unquam diſputationum, ita nec erit communis in rebus obviis ignorantiæ finis. Quòd ſi ergo Reverendæ Paternitati Veſtræ experimenta propria à me deſideret, equidem libentiſſimè

Digitized by Google

tiſſimè penuriam meam fateor, utpote qui huc uſque tot aliis diſtractus, ſtudiis ejuſmodi nil omninò vacaverim: ſin verò non diſpliceant ea, quæ ex aliis Autoribus excerpta eum in finem aliàs collegeram, ut dato tempore & occaſione propriâ experientiâ veritatem comprobarem; ſubjungam hic nonnulla, quæ à Phyſica Curioſa intentione haud quaquam videntur aliena, eum potiſſimùm in finem, ut, quanquam ea omnia in ipſis autoribus vulgata ſint, hac nihilominùs ratione pluribus innoteſcant, qui ipſos autores, utpote medica tractantes, forſan vix eſſent inſpecturi, deturque major occaſio ad experimenta attentanda. Hactenus Epiſtola. Sequuntur Mirabilia.

CAPUT I.

De Vegetabilium reproductione per Palingeneſin.

NIhil omnino in rebus naturalibus reperiri poſſe exiſtimo, quod majore me voluptate poſſet afficere, quàm ſi Palingeneſiam illam tot Autoribus celebratam oculis ipſis liceret uſurpare. Rem ipſam haud vanam; ſed arte verè factibilem, plures oculati bonæ fidei teſtes ſcripto perſuadent, quâ verò ratione ea repræſentatio inſtituenda ſit, nondum ſatis compertum eſt. Reverenda Paternitas Veſtra in pluribus ſuis Operibus, & alii etiam Autores evulgârunt modum, quem olim ab Amico acceptum. R. P. Athanaſio noſtro communicaveram; is verò multò jam antè ab Auguſtiſſimo Cæſare Ferdinando Tertio ſibi transmiſſum obtinuerat. Illum in melioris defectu ſemper ſuſpexeram, optaveramque ejus rei ſive per me, ſive per alios Amicos magis me ipſo in praxi deſtillatoria verſatos fieri probam; cujus me nondum compotem voti fecit fortuna. In ea tamen operatione neſcio quid deeſſe mihi videbatur, cogitabamque feliciùs fortaſſe rem aliâ viâ tentari poſſe, ſi cum ipſis herbis aut floribus jam perfectis fieret proceſſus. Confirmavit in ea me nuper opinione *Joannes Petrus Faber* in Opere ſuo Univerſalis Sapientiæ, ubi lib. 1. cap. 11. de Putrefactione ſcribit in hæc verba. Palingeneſiæ aliæ.

Dixit ergo Chriſtus: niſi granum mortuum fuerit & corruptum, ipſum ſolum manet, hoc eſt, niſi corpora rerum putreſiant & corrumpantur, ut ſeparetur eorum ſpiritus, & vindicetur ab excrementis ſuis, nullam de ſe dant germinationem & multiplicationem, quia ſolus eſt ſpiritus vita, qui ſeparatus à corpore ſuo, & depuratus ab excrementis ſuis, & corpori iterum puro ſuo unitus, germinationem & multiplicationem ex ſe ipſo promit, ut quàm plurimi Chymicorum viderunt ipſâmet experientiâ, ſales vegetabilium optimè depuratos & ſpiritu ſuo vegetabili imprægnatos, terra creditos & mandatos

germinare

Digitized by Google

germinare ac pullulare, & fructus ferre ejuſdem ſpeciei ex qua fuerunt extracti: imò & in phiala vitrea ampla incluſos, & hermeticè clauſos leviſſimo calore tepefactos exurgere in arbores & flores miros, flore & foliis viridantibus exornatos; quod Capite de Vegetantium Putrefactione, quâ ratione & quâ methodo id fieri poſſit, clariſſimè oſtendemus. Sed hæc leviſſimi momenti ſunt in putrefactione rerum; in ea enim latet aliquid aliud majoris multò ponderis, quàm germinatio hæc vegetantium, quæ vulgaribus tantùm hominibus eſt admirationi, qui tantùm mirantur quæ ignorant; at ſcientibus & Philoſophis veris hæc non ſunt admirationi, quòd videant ac ſciant, longè plura, & majora, precioſiorisque momenti in natura ipſa latitare & occulta eſſe. &c.

Capite porrò de Putrefactione Vegetantium, quod ſuprà allegaverat, ita poſt alia ſcribit: *Contundantur vegetabilia quævis, & ſuccus eorum exprimatur torculari aliquo; expreſſus ſuccus magnâ in quantitate reponatur ad putrefaciendum in fimo equino, in vaſe optimè clauſo vitreo, per 40. dies, aut 60. donec deferveat: poſtquàm deferbuerit, diſtilletur, ſuprapoſitâ cappâ vitreâ vaſi, in quo facta eſt putrefactio, & fiat diſtillatio in balneo Mariæ; & quod ſtillat per balneum, recohobetur ter aut quater ſuper id quod remanet in fundo vaſis diſtillatorii; & fiat in ſingulis recohobationibus putrefactio per octo dies: & ſic aſcendit copioſus ſpiritus ardens, & ſal volatile: quòd ſi non aſcendat, fiat purificatio materiæ aſcendentis aqua cum non aſcendente, & miſceantur ſimul, & filtrentur: & cùm per filtrum clarificata fuerint, conjungantur ſimul cum aqua ſeu ſucco clarificato, qui aſcendere non potuit per balneum; deinde deſtilletur omne lento cinerum calore ad ſpiſſitudinem mellis: huic addatur iterum & conjungatur quod ſtillaverit, & iterum filtretur & clarificetur, & toties hoc iteretur, donec quod remanet in fundo Alembici, ſit gummi clarum & limpidum: tunc temporis forti deſtillatione pellendum eſt omne, quod fortiſſimo calore aſcendere poterit; & tunc temporis ſal volatile & ſpiritus ardens aſcendunt, & oleum, quod quidem empyreuma redolet; quod quidem oleum rectificandum eſt, donec empyreuma non redoleat, in novis retortis ſuper fæces, quæ remanent in fundo, quæ calcinanda ſemper ſunt in ſingulis recohobationibus olei, ut empyreuma ipſius olei remanens in fæcibus diſpereat forti illâ calcinatione, & eâ etiam calcinatione purificetur ſal fixum, quod remanet & latet in ipſis cineribus ſeu fæcibus: quod quidem eſt extrahendum ex ipſis fæcibus cum aqua, quæ primò aſcendit poſt aſcenſionem ſpiritus: quod quidem ſal poſtquàm erit purificatum ab omnibus ſuis excrementitiis ſubſtantiis, quæ non ſapiunt ſalis indolem, quòd non in aquam ſolvuntur; tunc temporis conjungendum eſt cum aqua ſua optimè rectificata; & poſtquàm ſolutum eſt cum ipſa aqua, addendus illi ſpiritus ardens ſuus, & deinde ſal volatile, & ultimò oleum, & omnia ſimul circulanda ſunt in vaſe optimè clauſo lento calore per menſem, & ſimul agitanda bis in die, donec confundantur & permiſceantur. Poſtquàm confuſa ſunt & mixta, in B. M. deſtillanda ſunt, ut abſtrahatur ſuperfluum liquoris aquoſi, & remaneat tantùm gummi quoddam ſpiſſum; quod quidem*

Digitized by Google

quidem quò magis coquitur, eò magis etiam induratur, donec lapidis induat naturam. Quòd ſi hæc non eveniant, & permiſceri nolint hæ partes, poſtquàm ſic purificatæ fuerint; ſignum eſt clarum & evidens, partes has non ritè purificatas eſſe: quocirca iterum ſeparandæ ſunt & purificandæ, donec conjungantur & figantur in lapidē precioſum, qui virtutes & proprietates habet omnium vegetabilium. Nam quidquid natura poſuit & DEUS in natura vegetantium, illi lapidi ineſt ſumma cum potentia &c. Hæc ille; ubi tametſi nullam ampliùs mentionem faciat de umbratili generatione; ſat nihilominùs conſtat ex præcedentibus, illum eandem hoc loco deſcribere voluiſſe.

Ad eandem umbratilem rerum generationem hâc aut ſimili methodo inſtituendam faciunt ea, quæ habet *Martinus Kergerus* in libro ſuo de Fermentatione, ubi pag. 50. hæc ſcribit: *In ſalſa corporum ſubſtantia formam ſpecificam, ipſo corpore deſtructo, ſalvam conſervari, & ſub figura quadam umbratili poſſe conſpiciendam præberi, non ſolùm in vegetabilibus ſe præſtitiſſe, ſed etiam in paſſerculo ſe vidiſſe, pro certo quidam mihi narravit; & ſunt qui publico ſcripto confirmârunt, quòd hoc ipſum Claveus Gallus quaſi publicè pluribus demonſtraverit.*

Annotatio.

Extra orbitam ſaltare videtur Faber illâ ſuâ per tot ambages deductâ deſcriptione: unde tandem propoſiti oblitus, pro planta vegetabili reſuſcitata è ſucco ſuo, lapidem nobis obtrudit. Habebat P. Kircherus, cùm Romæ eſſem, Fabri opera Chymica omnia, ac diligenter lectitabat dum de Ægyptiorum Alchymia, quam Oedipo ſuo inſeruit, ſcriberet. Cùm igitur in Mundo Subterraneo, ut vidimus in præcedentibus, varias palingeneſiæ inſtituendæ praxes adducat, nullamq; hujus Fabrianæ mentionem faciat; eam non approbaſſe videtur.

CAPUT II.

Experimentum Arboris metallicæ viridis.

Habet nonnullam cum umbratili generatione ſimilitudinem arbor metallica, cujùs conficiendæ rationem plures docent. Ponam hîc eam praxin, quam non ita pridem reperi in Tractatu *Eraſmi Bartholini* de Figura nivis; quo loco propriam ſuam experientiam circa talium arborum productionem attentatam ita deſcribit pag. 24. ℞. *Aquam fortem ex nitro & alumine confectam; huic nummum argenteum, cui æs admixtum, injice, & ad ignem ſolvi permitte; vireſcetq; liquor ab ære diſſoluto. Ubi argentum omne diſſolutum animadverteris, aquam pluvialem arte clarificatam benè frigidam infunde, mox mercurium vivum injice; & animadvertes non multò pòſt, fundum* Arbor metallica viridis.

LIIIIII quaſi

quaſi ab excreſcente gramine vireſcere, ac tandem nemus quoddam portabile exſurgere: hoc ſi nullâ commotione turbetur, acquirit robur, & diu ad ſpectaculum gratiſsimum ſervari poteſt.

Alio tempore (inquit ibidem Autor) *ex pharmacopolio coëmptam adhibui aquam fortem non vulgaris virtutis, in qua appoſito igne mediocri etiam argentum diſſolvi. Deinde aquæ tepidæ diſſoluto argento paululùm aquæ fontanæ immiſi, nec cunctatus ſubjunxi mercurium. Tum nihil morante fontanâ, aquam fortem confeſtim in mercurium agere apparuit, ita ut brevi exurgeret eximiæ proceritatis arbor, totam vitri capacitatem occupans. Tam in fundo lagenæ, quàm in cacumine arboris, notabantur cryſtalli velut adamantes figurâ regulari conſpicui. Experimentum placuit in alio vitro repetere, ſed diſsimili eventu. Nam etſi denſæ arbores pullularent, teneræ tamen & temporariæ erant; ſic ut cùm ſponte evellerentur, ex alia radice rariores virebant trunci. Sed maximam dedit admirationem mercurius, ſummitatibus non ut antè cryſtalli formâ, verùm prorſus immutatus adhærens. Et niſi major mercurii quantitas experimento hanc effectûs varietatem dediſſet, neſcio cui imputanda cauſa foret.* Hæc Bartholinus loco citato.

CAPUT III.

De carnibus noctu lucentibus.

Carnes noctu lucentes.

PLura ſunt in rerum natura, quæ noctu lucem quandam à ſe ſpargunt abſque ſenſibili ullo igne aut flamma. De his notabiles aliquot hiſtorias oculatus earundem teſtis adfert *Thomas Bartholinus*, Daniæ Regis Archiater, quas ejusdem verbis exſcriptas ſubjungam.

Menſe Aprili hujus anni in macellum allata ſunt carnes recens mactata, & adhuc calentes, bovina & agnina, quæ certis quibusdam locis ſplendebant; & quando in obſcurum locum deferebantur, tam lucidè omnia illuſtrabant, ac ſi accenſa eſſet candela. Solæ verò partes ſpermaticæ ſeu membranoſæ ſplendere viſæ. Cùm putruerunt, fœtorem peſsimum habebant, eâdem luce ſuperſtite. Ita ille in Epiſtolis Cent. 1. Epiſt. 9. data Monſpelii 3. Septem. 1641.

Fuſiùs de eadem re ſcribit ad Fortunium Licetum eâdem Cent. 1. Ep. 12. in hæc verba: *Annus propemodum vertitur, cùm in Monte Peſſulano præſente me omnis mactatorum caro venum expoſita clariſsimâ locis obſcuris luce emicuerit, tam bovina, quàm ovilla, adhuc ab excoriatione calens, ſtellarum inſtar luminibus hinc inde, maximè tamen circa partes membranoſas & pinguedine tectas, diſtincta: aliquot dierum decurſu eandem luminoſi faciem ſummo doctorum ſtupore ſervavit, donec à putredine in obſcurum colorem terminaretur. A putredine recentis carnis lucem non auſus ſum deducere, cùm hanc demum illa eripuerit, & arbitrer in corporibus putredinem non tam inducere lucem, quàm educere*

Digitized by Google

cere ſeu manifeſtare antè tellam. Nec in perſpicuitate cum Aquapendente acquieſcere potui, quæ lucem externam ſupponit, quam velut in ſpeculo repræſentet, in carne noſtra non obſervatam. Difficile quoque eſt intellectu, quâ ratione octo dierum ſpatio unius externi luminis hauſtu illæſum lumen exhibere potuerit, quod ad ſubjecti illuminati moram metimur. Accedit eandem perſpicuitatem in aliis omnibus pari modo habentem vix ſæculo quovis vel tantillum lucis explicare. Ab immoderato hauſtu matutini roris deduxerunt, me interrogante, ipſi laniones non improbabiliter, ut videbatur, quia & aquam marinam illuſtri nocte ſæpe ſæpius lucere obſervavi, & pari luce veluti ſtellarum res quasvis immerſas diſtinguere. Unde autem in aquis lux? An à ſalſedine? an ſtellarum hunc tamen non pertingentium refractione? Niſi fallit conjectura, & in aquis & carne noſtra lux apparens ab inſita quadam repetenda, quam ubiq; eſt obſervare, præſertim in oculis multorum animalium, inſectis aliis, & igne. Jam autem inſitæ lucis originem noviſſe, Apolline interprete opus eſt. An à prima Creatione? An luce per univerſum diſperſa à Platone Mathematicisq; pleriſque prolata? &c. Huc usque Bartholinus.

Fortunius Licetus in Reſponſoria ſua ad præcedentem à Bartholino ad ſe ſcriptam adfert aliam huic ſimilem hiſtoriam ex *Aquapendente* lib. de Oculo cap. 4. cujus hæc ſunt verba: *Anno 1592. quo tempore Chriſti Redivivi ſolemnia celebramus, tres Romani juvenes ſtudioſi & nobiles agnum emerunt, ejusque partem ipſo die Paſcha comederunt; quod ſupererat, appenſum (ut fit) quodam loco ſervârunt: atque eò noctu cùm veniſſent, candelarum ſpecie complures illius agni partes collucere viderunt. Itaque agnum ad me miſerunt; quem cùm in loco obſcuro contueremur, carnem & adipem tantùm argenteo quodam ſplendore nitere animadvertimus; ſimulq; obſervavimus, particulam hœdinæ carnis, quæ illam agninam attigerat, itidem ſplendore perfundi. Quòd ſi etiam aliquis easdem carnes digitis contrectaret, agninas, inquam, aut hœdinas, ſtatim digitis ejus ſplendor adhæreſcebat; nec digitis modò, ſed & faciei. & cuivis denique corpori, quod contrectaretur, vel oblineretur. Obſervatum itidem eſt, ſplendidam maximè eam carnem eſſe, quæ contactu mollis perſentiebatur, id eſt, durum ſubjectum aliquod non habebat; quod erat indicium, diaphanum aëreum ibi adeſſe. Hoc idem obſervatum eſt in veſicula quadam aëre plena. In ſumma, ea pars, quæ ad candelæ lumen perſpicua erat, tota in tenebris erat luminoſa. Quæ verò caro propter ipſius profunditatem, aut os ſubjectum, opaca erat, ſine lumine in tenebris permanebat.* Hæc Licetus ex Aquapendente adfert in Epiſtola ſua reſponſoria ad Thom. Bartholinum.

CAPUT IV.

Alia noctu lucentium rerum hiſtoria.

OLaus Worm Medicus Hafnienſis de ſimili materia ad abſentem amicum Bartholinum ita ſcribit: *De luce tua cogitans, non poſſum quin refe-* Noctiluca varia.

ram, quid hiſce diebus mihi contigerit. Emerat in foro piſcario nuper ancilla mea inter alios piſces ſcorpium marinum, Schonveldio ſic dictum, nobis vulgò ein Ulct. *Hunc cùm excoriaſſet, ac exuvias cum capite in locum ſordibus excipiendis deſtinatum projeciſſet; poſt dies aliquot illac circa crepuſculum tranſiens famulus, vidit inſolitam lucem in tenebris ibidem micantem, quæ terroris haud parum ejus animo incuſſit; unde domeſticos reliquos convocans, oſtentum demonſtravit; qui attoniti cùm aliquamdiu lucem hanc aſpexiſſent, ex iis animoſior quidam propiùs ſe admovit, quid ſubeſſet rei, exploraturus. Offendit verò caput & corium piſcis exenterati, quod in diem ſequentem ſtudioſè aſſervavit. Manè me convenit, ac rei geſtæ hiſtoriam pluribus expoſuit. Accuratiùs verò obſervanti, quatuor quaſi diſcretæ lucula obſervabantur ex quatuor diverſis capitis partibus emicantes, ſupra quemvis oculum una, ad inferiorem mandibulam utrinque una. Hæ autem partes, unde lux emicabat, per candelam luſtratæ, non ut corium reliquum nigra, ſed candicantes & mucoſæ obſervabantur. Spectaculo hoc per noctes 4. aut 5. diverſis temporibus oculos pavi, aliisq; id monſtravi, donec calore ambientis exſiccatum caput paulatim lumine deſtitueretur.* Hæc ad verbum habentur apud Bartholinum Cent. 1. Epiſt. 82. Sunt & in eadem Cent. plures epiſtolæ idem argumentum de lucentibus ejusmodi fusè tractantes.

Scintillæ ex corpore fœminæ erumpentes.

Aliam hiſtoriam iſthuc ſpectantem recenſet idem Bartholinus in Hiſtoriis anatomicis Cent. 3. Hiſt. 70. de matrona quadam Veronenſi Domina Caſſandra Buri, à ſe conſpecta, his verbis: *Hanc nobilem matronam eo prærogativæ dignitatis, & ſtupendæ naturæ ſigno ſignavit Creator, ut quoties leviter linteo corpus tetigerit, ſcintillæ ex artubus copioſè proſiliant cunctis domeſticis conſpicuæ, non ſecus ac ſi è ſilice excuterentur, comitatæ etiam ſtridore omnibus audito. Sæpe ductâ manu per induſii manicam ſcintillas excipientem, obſervavit flammam caudato radio ad inſtar accenſarum exhalationum decurrentem, à qua ſæpe deluſa ancilla, ignem ſe intra ſtragula linea ingeſſiſſe per incuriam, cùm cubile hyemali tempore frigidiore de more calefacerent, quo tempore etiam clariores & copioſiores micant ſcintillæ, cum metu arbitrantur. Ignis autem iſte non niſi noctu aut obſcuro loco in morem luminum noſtrorum cernebatur, nec extra ſe urebat, quamvis materia ſuggereretur ad inflammandum promptiſſima, nec deniq; ut alii fulgores ad certi temporis menſuram deſinebat, ſed eâdem lucentis faciе adhuc effulgebat poſt meum ex Italia diſceſſum.*

Raram quoq; de noctu lucentibus hiſtoriam habet *P. Zucchius* in Philoſophia ſua Optica, quam pag. 48. ita ſcribit. *Sed nullum tale ſpectaculum in hoc genere aut vidi, aut audivi, aut legi, quale mihi Anconæ ad mare Adriaticū exhibitum eſt: ibi ad litus ſub marinis aquis deprehenditur maſſa argillacea tota intus fiſtuloſa, conſertis animalculis ex oſtraceo genere, quorū viſcidus humor, tam eos involvens intra cruſtam, quàm intus replens, tanto fulgore lucebat tractatus in tenebris, & tam diu, ut non ſolùm fulgentes ex eo manus illuſtrando cubiculo & adſtan-*

adſtantibus internoſcendis ſufficerent, ſed abluta aquam ita fulgentem exhiberent, ut incluſa intra vitream amphoram ad aliquod tempus legendis literis deſerviret.

Ad lucem quoque in animalibus abſconditam & illud pertinet, quod ſcribit *Joannes Veslingius* ad Thomam Bartholinum, & hic refert Centuria 1. Epiſtolarum, Epiſt. 27. Sic ergo Veslingius: *In recentiùs mactatorum pecudum cerebro tenuiùs diſſecto, nitorem aliquem luminis evidenter oculis uſurpamus. Memini cùm catuli Hyænæ viventis pericardium diſcinderem, cor igneo quaſi fulgore aliquantiſper micuiſſe, mirante, qui diſſectioni favebat, Aloyſio Cornelio Venetorum Conſule.*

Annotatio.

IN Magia noſtra Pyrotechnica, quæ eſt lib. 2. part. 3. Magiæ Univerſalis, Syntagm. 1. per totum, multis egimus de variis noctilucis materiis, cujusmodi ſunt lapis luminaris Bononienſis, conceptum lumen in tenebris conſervans; cicindela, Solenes ſeu dactyli marini, pulmo marinus, ligna putrida, ſquamma piſcium, lucius, gobius, rana piſcatrix, haleces, & pleraq; oſtreacea & cruſtacea maris ſoboles. Addidimus varias ac jucundas paraſtaſes, earum rerum ope exhibendas. Alio quoque loco mentionem fecimus ex Cardano cujusdam Monachi, qui quoties caputium à fronte per caput verſus occiput reducebat, aut manu ſolos capitis capillos diſſipabat, copioſæ erumpebant ſcintillæ.

CAPUT V.

De Cornibus, ut vocant, Monocerotum.

ASſervantur in plerisque Regum Gazophylaciis magni precii cornua coloris eburnei, ſtriis quibusdam cochlearum in morem per totam ſuam longitudinem quaſi tornata, quę mundus pro veris unicornuum cornibus hactenus agnovit. Verùm navigationes demum Groënlandicæ rei veritatem aperuerunt: quibus utiliſſimè detectum fuit, nequaquam illa cornua Monocerotum, ſed piſcium quorundam è Cetorum genere dentes eſſe, ut fusè & clarè oſtenditur apud *Thom. Bartholinum* in Epiſt. Cent. 1. Epiſt. 15. ubi id ipſum ad oculum demonſtrat Olaus Worm ex allata hiſtoria Cranii ejusmodi piſcis, cui dens conſuetus ſuo etiamnum loco inhærebat. Idem patet ex Epiſt. 89. & 90. ibidem.

Cornua Monocerotum adulterina.

Annotatio.

Quid de cornu Monocerotis ſentiendum.

SUprà lib.8.cap.58. latè diſcurrimus ex Veterum & Recentiorum ſententia, de Monocerote ſeu Unicornu; diſcuſſimusq;, num ſit in rerum natura, aut unquam fuerit animal unicornu, quale à diverſis Auctoribus deſcribitur, & ab ipſa Sacra Scriptura non uno in loco commemoratur. Ibidem diximus, veriſimilius nobis videri, eſſe inter alia, quibus ob unicum cornu, quod geſtant, Unicornis nomen convenit, unum aliquod peculiare, cui idem nomen propriè ac per antonomaſiam competat; idq; diſtinctum omnino eſſe à Rhinocerote. Lege ibi dicta.

Cornua Monocerotum, adulterina tamen, variis locis monſtrantur.

Mirum tamen meritò videri queat, hoc tempore, quo tota Aſia, Africa & America luſtrata diligentiſſimè non à mercatoribus tantùm, & lucro inhiantibus, ſed à curioſiſſimis rerum exoticarum perſcrutatoribus atque ſcriptoribus non ſemel fuit, nullibi tamen (quod ſciam) repertum fuiſſe vel veſtigium animalis, de quo agitur.

Magis mirum eſt, tam diverſis in Gazophylaciis, pharmacopoliis, fanis, ergaſteriis, aliisq; locis hactenus fuiſſe aſſervata cornua, quæ Monocerotis cornua dicebantur, ac tanta efficacia ad varii generis morbos pellendos eſſe aſſerebantur, ut præ illis vel ipſi Reges, Principes, ac Magnates nihil æſtimàrint aurum, nihil gemmas, nihil quaslibet præſtantiſſimas Medicorum panaceas. Nam Pariſiis in fano S.Dionyſii ſuſpenſum ſpectari dicitur unum quinq; circiter cubitos longum, ſtriatum, & in gyrum canaliculatum, ac more helicum contortum. Argentinæ in Cathedralis Eccleſiæ gazophylacio ſpectandum exhibetur aliud longitudinis juſti hominis, ſed ſtriis à Pariſino differentibus, magni ponderis, coloris flavi in pallorem vergentis; cujus extrema pars tantæ craſſitiei eſt, quantam pugnus explere poſſet. Venetiis ad S.Marcum ſimilia videntur cornua duo exquiſiti ſplendoris, ſeſquicubitalis longitudinis, craſſiora infernè quàm supernè, craſſiore tamen parte tres pollices conjunctos non excedente; quæ quidem pro veris & genuinis Monocerotis cornibus divulgantur. Similia apud Magnum Hetruriæ, aliosq; Italiæ Principes reperiri dicuntur, adeo ab illis æſtimata, ut theſaurus dici non mereatur, ubi dicta cornua defuerint. Dreſdæ in Saxonia, in aula Electoris, ac ejuſdem gazophylacio aſſervatur unum eandem utrimq; habens craſſitiem, undecim ſpithamas longum, aurea catena è trabe ſuſpenſum, cum adhærente ſagitta, ex ſimili ſubſtantia confecta. Non pauca in Anglia tum apud Regem, tam apud alios reperiuntur, ſtriata, & in gyrum canaliculata, Bellonio teſte. Omitto alia, quæ tum Romæ, tum alibi oſtenduntur.

Hæc & ſimilia alia quæcunq;, quæ veri ac genuini Monocerotis vera & genuina cornua antehac credita fuère, hoc noſtro ſæculo meritò à doctis Naturæ myſtis in dubium revocantur, & vel alterius cujuſdam animalis quadrupedis unicornis, vel potiùs piſcis Groënlandici ſimili cornu præditi, cornua eſſe creduntur.

Reperiri

Digitized by Google

Reperiri enim varia animalia, uno in fronte aut naſo cornu conſpicua, produnt diverſi Auctores, & patet ex dictis ſuprà citato lib. 8. Ajunt enim, Onagros quosdam Indicos monocerotos eſſe, rudi in fronte cornu, ad radicem lato, & in turbinem paulatim vergente inſtructos.

Similiter oryges, ſylveſtrium caprarum genus in India ſolitudinibus vagabundum, uno cornu inſtructos eſſe referunt, quod ex capite quatuor palmorum longitudine emergens, paulatim in helices lineas ſtriasq; limacum more contortas, ac tandem in acumen valde ſubtile terminetur. Rhinocerotis cornua paſſim ſunt obvia, & P. Kircherus tria in ſuo Muſeo aſſervat. Piſces quosdam Groënlandicos longo vel cornu, vel dente præditos, credito Monocerotis cornu ſimili, vulgatum jam apud omnes ferè Europæos eſt, & ex ſequentibus patebit.

Piſcis Groënlandici promuſcis pro cornu Monocerotis habetur paſſim.

Romæ retulit P. Kirchero Illuſtriſſimus Comes ab Arlenfelt, Sereniſſimo Daniæ Regi à Conſiliis intimis, & variarum rerum ſcientiâ atque experientiâ inſtructus, Regem ſuum miſiſſe aliquando, qui Septentrionalem Groënlandiæ Inſulam explorarent, ac viderent quid inde regno ſuo emolumenti accidere poſſet, ſi commercium cum Inſulanis inſtitueretur: at illos poſt multos tandem labores exantlatos reduces retuliſſe, ſe littora penè omnia luſtraſſe, at nec ædium, nec hominum veſtigia reperiſſe; ſolùm deprehendiſſe ingentes longorum cornuum acervos, quorum nonnulla ſariſſam æquabant: intellexiſſe quoque ex vicinarum Inſularum incolis, iſtiusmodi non cornua, ſed certorum prægrandium piſcium promuſcides eſſe, quibus ſe ſe contra Balænarum inſidias tuerentur, adeoq; haſce belluas perpetuò ſe ſe invicem infeſtare, accidereq; ſubinde, ut hæ promuſcides haſtiformes inter glacialium montium ſcopulos violenter decuſſæ, tandem ad vicinarum Inſularum littora appellerent, & complures quotannis ſub arena maris reperirentur. Addidit, integrum lintrem nautas ejusmodi cornibus impleviſſe, quæ deinde Regi & variis Principibus dono ceſſerint.

Scribit quoq; Antonius Deuſingius *in Diſſert. de Unicornu* § *26. in littore Groënlandiæ cornua non rarò à nautis Belgis reperiri, quæ omnia recta quidem, at canaliculis ſtriata ſint, & cochleæ inſtar tenuibus immiſſuris ſpiralibus circumducta, ductibus ipſis ſeu ſtriis ab imo ad ſummũ ſpirali circuitu ſe inflectentibus. Addit, veriſimile dudum viſum, eſſe piſcis alicujus cornua. Ante hunc* Mercator *in Atlante, in Islandiæ deſcriptione notat, circa Islandiam piſcem eſſe,* Narhual *dictum, qui habeat dentem in anteriori capitis parte prominentem ad ſeptem cubitos: & hunc nonnullos pro Monocerotis cornu vendidiſſe. Idem* Deuſingius *§. 29. narrat, vidiſſe ſe Amſterodami anno 1645. unum ejusmodi cornuum, recèns per nautas Belgas ex Groënlandia allatum, ac in littore Spitsbergæ repertum, & diligenter ab Aſſeſſoribus Societatis Mercaturæ ac Navigationis Groënlandicæ aſſervatum.* Oſſi capitis (*inquit*) id hærebat infixum, non adhærente ampliùs mandibulâ inferiore. *Addit §. 30. non è fronte enatum fuiſſe, ſed roſtri inſtar è parte extrema & anteriore oſſis*

capitis

Digitized by Google

capitis proceſſiſſe in directum, rectaque ad extenſionem illius antrorſum exporrectum, eo modo quo Xiphii piſces gladium vel ſerram dentatam ſecundùm extenſionem corporis in directum exporrigunt. Pergit §. 31. & ait, oſſi capitis ſat vaſto, ac magnitudine caput integrum equinum aut bovinum longè ſuperanti, ad quatuor circiter palmorum longitudinem, cornu prædictum fuiſſe inſertum, in ſtrias procedens ſiniſtrorſum, mox ubi è capitis oſſe enatum erat; Longitudinem fuiſſe ſeptendecim palmorum, ſeu ſex circiter pedum; craſſitiem, ubi è capite enatum, funiculo circumjecto ſumptâ menſurâ ſex digitorum cum quadrante. Aliud fragmentum idem ibidem vidit, decem palmos longum, è capitis oſſe exemptum, radicem habens, quâ inſertum fuerat, palmorum quinque: craſſitiem illius in circumferentia juxta radicem octo digitorum: magis fuſcum fuiſſe priori. Aliud integrum erat ibi, ſed minus, undecim palmos longum, præter radicem, ſimili modo ut præcedentia conformatum. Anno autem ſequenti 1646. eodem teſte, aliud Amſterodamum advectum fuit cornu ex Groënlandia, à nauta quodam privato (præter alia minora cornua) longitudinem habens ſeptem pedum cum ſemiſſe, circumferentiam inferiùs circiter novem digitorum. In Zelandia alicubi conſimile aſſervari cornu, ſtrigoſum, longum pedes duodecim, à nautis in ſcopulis Groënlandiæ non longè à littore maris repertum, aſſerit citatus Deuſingius ex Brinckio.

Quamvis autem (*proſequitur Deuſingius §. 33.*) hæc cornua eboris inſtar prædura ſint, habent tamen cruſtas cruſtis inductas (velut in cæpis tunicæ tunicis ſunt involutæ, aut in lapide Bezoar cortices corticibus ſuperinductæ.) Quod equidem in ſuperiori *illo* diffracto (de quo dixi) apparebat manifeſtè, in quo particula extremæ cruſtæ exempta erat; interior verò ſimili modo lævis ac polita cernebatur, nec aliâ ratione ſtriis & canaliculis ſpiralibus inſignita, quàm exterior. Cavitas autem in radice amplior eſt; eaque mox anguſtior reddita ad exortum cornu extra cranium prominentis, paulatim ipſius cornu decrementum verſus cuſpidem imitatur; ita ut fragmentum prædictum eâ quidem parte ubi diffractum erat, ſeu ubi ſuperior & acuminata portio erat ablata, vix minimum digitum cavitate exciperet. Illa ſecundùm longitudinem exporrecta cavitas, cornu eſſe potiùs quàm dentem, arguere videtur; quamvis in ipſum os capitis profunda inſertio ſuadeat contrarium. *Cornu quoque eſſe ſuadet & cavitas interna, & cruſta cruſtis ſuperinducta. Cornu itaque impoſterum appellabimus.*

Cornua, quæ hactenus Monocerotis cornua ſunt æſtimata, piſcis

His præmiſſis, Reſpondeo Quæſtioni initio Annotationis propoſitæ, & Ajo cum Deuſingio, Bartholino, Kirchero, *aliisq. Recentioribus nunc communiter, veriſimilius videri, cornua omnia, quæ hactenus pro Monocerotum cornibus habita fuère, eſſe piſcis Groënlandici cornua. Conjectura quibus moveor cum illis, hæc eſt, quòd aut omnia, aut pleraque illa, quæ in Europa dudum celebrata fuère, & in theſauros Principum relata, ac magno in pretio habita, dicuntur eodem modo confor-*

conformata, quo illa quæ nunc ex Groënlandia afferuntur, nempe erecta, ſtriata, intùs cava, ac è paulò latiore ambitu inferiori æquabiliter in cuſpidem ſurgentia. Tale eſt illud Pariſinum, teſte Bellonio *lib. 1. Obſervat. cap. 14. Talia ea quæ Angliæ Rex habet, teſte eodem. Similia ſunt tria quæ ſolebant Ultrajecti conſpici ad fanum D. Virginis, teſte* Deuſingio. *Talia duo quæ Romæ mercator quidam Belga, Gisbertus von der Pole dictus, habet in ſua officina, ex Batavia ad ſe tranſmiſſa, quæ ab omnibus communiter pro veris Monocerotis cornibus habebantur, & in magno pretio erant. Quod cùm ſciret P. Kircherus, acceſſit hominem, & rogavit ut inſpicere accuratè liceret. Deprehendit, eſſe longa novem palmos Romanos, craſſitudinem infernam pugno explebilem, ſtriata, ſpiris limacum more contortis, in obtuſum acumen terminata, coloris ſubflavi, eboris inſtar pondere graviſſima, mirificæ in medicamentis contra venena virtutis. Sed hæc ſufficiant.* Groënlandici cornua ſunt.

CAPUT VI.

De fornaculis Ægyptiacis, quibus pulli gallinacei excluduntur.

MUlti ſunt, quibus hodie fabula videtur, quod de Ægyptiorum induſtria reperitur apud Hiſtoricos, artem videlicet eosdem habuiſſe, maximam pullorum multitudinem absq; gallinarum incubatu certarum fornacularum artificioſo calore excludendi. Sed nihil eosdem fabuloſum ſcripſiſſe, etiam hodierna ejus rei docent exempla. Laudatus jam toties *Th. Bartholinus* Cent. 3. Hiſtor. Anatom. Hiſt. 100. adfert exemplum Danicum cujusdam nobilis, qui ope ſterquilinii pullos ex ovis gallinaceis ad libitum excludit. Centuria verò 6. hiſt. 11. fusè refert ac deſcribit Fornaculas Danicas, & Florentinas, quibus ignis operâ debito calore foventur ova, & intra quadrageſimum fermè diem excluduntur. Videri poteſt ibidem res tota fuſiùs deſcripta (quam totam hîc opponere epiſtolæ limites excederet) ubi & Autor fornacularum ipſarum figuras apponit. Fornaculæ Ægyptiacæ, quibus pulli gallinacei excluduntur.

Hîc opportunè mihi in memoriam venit, quod non ſemel recenſente Excell Dn. *D. Joanne Marco Marci* Regni Bohemiæ Archiatro audiviſſe me memini; noviſſe ſe nobiliſſimum quandam matronam, cujus Gynæceum conſpiraverat ad excludendum calore proprio pullum absque ope Gallinæ. Igitur diviſis operis ſingulas de Gynæceo partem ſibi laboris ſumpſiſſe, ovumque gallinaceum ſucceſſione mutuâ ſub axillis eâ pertinaciâ foviſſe, donec debito tempore revera pullus è teſta prodierit; cui caloris humani communicatio tantam erga homines appetentiam ingeneraverat, ut ab aſſidua eorundem ſocietate etiam repulſus amoveri non poſſet. Pullus gallinaceus ex ovo ſub axillis mulierum excluſus.

Annotatio.

Pulli gallinacei in fornaculis Ægyptiis quomodo excludantur.

In hodiernum adhuc diem Ægyptii pullos gallinaceos excludunt vi caloris in fornaculis ſeu clibanis. Fornaculas curioſè inſpexit Illuſtriſſimus Princeps Radzivillus, quas & in ſua per Ægyptum peregrinatione ſequentibus verbis deſcribit. Ante meridiem præterijmus,ad lævam,Ferchin civitatem cumprimis amplam: pro nocte verò venimus ad oppidum quoddam (relicta ad dexteram magnâ civitate Serbin) ibidemque, quòd jam Sol ad Occaſum vergeret,quievimus: ubi diligenter inſpeximus fornaces ſeu clibanos,in quibus artificioſè pulli gallinacei excluduntur. Sunt autem ex ſtramine formâ rotundâ contexti, & argillâ undique obliti, in ſuperiore parte feneſtram parvam rotundam habentes, ne Solis radii per directum, ova intus poſita offendere poſſint, quæ facilè cocta redderentur, quandoquidem à Sole tantum caloris terra concipit,ut in meridie vix aliquis unius Orationis Dominicæ recitatæ intervallo, calceis licèt indutus, terræ ardorem ſuſtinere, illi inſiſtendo, valeat &c. Fornaces iſtæ oſtiolum habent à Meridie,à Septentrione foramen,per quod fimo boum vel bubulorum fornax pro nocte calefit, ne ova lædantur à frigore. Interdiu Sol per fimum temperatum calorem clibano ſuppeditat, in cujus pavimento ova *diſtinctè* collocantur, ne unum aliud attingat: atque ita facili negotio, abſque gallinarum incubatione pulli celeriùs excluduntur. In omnibus oppidis & pagis ejuſmodi fornaces colonorum ædibus ſunt adjunctæ, quarum nonnullæ eâ ſunt magnitudine, ut tria millia ovorum commodè capere poſſint. *Hactenus Radzivillus.*

CAPUT VII.

De Invulnerabilitate ex cauſa naturali.

Invulnerabilitas ex cauſa naturali.

Fuſum ea de re diſcursū habet Bartholinus in Hiſtoriis anatomicis Cent. 6. Hiſt. 86. ubi plura invulnerabilitatis congerit exempla. Putant nonnulli, eandem naturaliter obtineri poſſe uſu radicis Doranici, quâ rupicapræ contra vertiginem ſe muniunt. Autor verò exiſtimat, eam ut plurimùm ex ſuperſtitionibus provenire. De Tauri (vulgò Uhr-Ochs) capite impenetrabili hæc refert: *Mirum narrabo, ſed pro teſte advocabo virum Illuſtriſſimum, & omni fide dignum, D. Marvirium, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici Legatum ad Auguſt. Daniæ Regem. Bovi ſylveſtri, vulgò* Uhr-Ochs *qui in Moſcovia & Boruſſia frequens eſt, tam firma vivo eſt frons, ut grandioribus globulis bombardarum non potuerit Sereniſſ. Elector in venatione frontem perfodere, aut occidere; at demortui calvaria ſtatim etiam levioribus globulis pertunditur.*

Cum

Cùm id mihi Nobiliſs. Vir inter Muſei mei ambulacra narraret, ſubiit animum admiratio, cauſamque vel in cranio, vel cute quæſivi. In cranio vivo lentum humorem ſuſpicabar obſirmare os, quod exſiccum faciliùs diſſilire in partes poſſit &c. Plura apud eundem videantur loco citato.

CAPUT VIII.

De Nivis & Glaciei utilitate.

Aërem in aquam vertere adminiculo glaciei aut nivis, docet *Eraſmus Bartholinus* in Tract. de Figura nivis, hâc ratione: *Accipiatur vitrum conica figura, & in illud pars nivis, aut glaciei fruſtum immittatur: ſi enim hoc ſuper tripodem collocetur in loco calido, aut æſtate ſummâ ſub dio; aër lateribus vaſis adhæreſcens condenſabitur in aquam, & vaſculo ſubjecto excipietur pro ratione caloris majori vel minori portione, ut hæc praxis quaſi menſura caloris eſſe poſſit.* Nivis & glaciei utilitates. Aërem in aquam vertere ope nivis, aut glaciei.

Deſtillationes ſuas ignibus huc uſque perfecit Alchimia; affirmat nihilominùs idem Author, ſe beneficio ſolius nivis ſpiritum vini præſtantiſſimum diſtillari conſpexiſſe. De eadem quoq; re ſcribit frater ejuſdem *Th. Bartholinus* in Tract. ſuo de Nivis uſu medico, in hæc verba: *Commodum ingens ex circumpoſita nive in ſpiritibus deſtillatis ſubtilioribus, qui inde illuſtrem ſplendorem & elegantiam nanciſcuntur. Et ſolâ glacie Alembico ſuperpoſitâ ſine ignis opera eliciuntur ſpiritus ex vino in laboratorio laborioſo Florentino Magni Ducis Hetruriæ.* Deſtillare vinum ope nivis.

Faciliùs nix liqueſcit ac ſolvitur, ubi terra eſt minùs compacta & poris hians, quia frigore non ita conſtringi poteſt, quin exhalationes calidæ nivem diſſolvant. Putant exinde aliqui, loca deſoſſi recèns theſauri prodi poſſe, cùm nix diu non ſuperincumbat, ob terram minùs conſtrictam, atque ideò copioſiùs exhalantem. Ex eodem *Barthol.* ibid. pag. 11. Anne ergo in rem tam candidam tam atrum proditoris nomen cadit? Vix puto: nam alioqui omnia loca recenter foſſa theſauros habebunt.

Amans juſtitiæ frigus eſt; quod damni intulit, denuò reſarcit. Docet hoc idem *Barthol.* pag. 127. hoc exemplo: *Poma frigore congelata aquæ gelidæ immittuntur, glacieſq; elicitur, quà cortex obducitur veluti cruſtâ, ſicque poma eſui apta redduntur.* Idem confirmat pag. ſequenti, ubi ſic habet: *Imò Crollius ad rem aptè lib. de ſignaturis internis: quemadmodum ab ovo frigore congelato per impoſitionem in aquam frigidiſſimam ad tempus, frigus inſtar glaciei extrahitur, & integrum reſtituitur; ita etiam membra frigore vitiata ſanantur per impoſitionem frigidæ aquæ nivalis: ita frigus extrahit frigus.* Frigus extrahit frigus è pomis, & membris humanis.

Hæc Bartholinus. Reſtituti porro membri per intenſionem frigoris exanimati, ope ejusdem frigoris, luculentum exemplum habetur apud *Barclaium* in Euphormione parte 4.c. 8.pag.mihi 436.in perſona Jacobi Scotiæ Regis, qui in itinere Norvegico aduſtum frigore digitum primò, deinde & aurem, per aquæ nivalis applicationem in ſe ipſo expertus eſt.

Aquam congelare in æſtate.

Congelatio aquæ artificialis extemporanea ita inſtituitur. Sal cum nive aut glacie commixtus in vaſe aquæ impoſito agitatur, & derepentè aqua vaſis latera circumambiens conglaciabitur. Res ſuccedit cum ſale communi, marino, nitro, aut etiam vitriolo, alumine, ſale Armoniaco, aut mercurio ſublimato. Quod magis mirandum eſt, patina nivem continens ſuper prunas ardentes collocetur, atque medio nivis imponatur vitrum aquâ plenum; prout nix ſenſim ab igne deliqueſcit, aqua congelabitur. Ex *Thomæ Willis* Tract. de Fermentatione cap. 12.

Huc & illud ſpectat ludicrum quidem, & inter jocos exhiberi ſolitum, cujus tamen cauſæ inveſtigatio etiam Philoſopho non ſit indigna, quo ſtiriam aut glaciei fruſtum infernè benè lævigatum, ut menſæ planicie ſuâ congruat, ſaleque conſperſum menſæ applicamus, moxque poſt moram exiguam ita firmiter cohærere advertimus, ut amoveri non poſſit.

Annotatio.

Quoniam de theſauri latentis ſigno mentio facta, placet referre quod jam jam à Viro doctiſſimo ac fide digniſſimo audio. Circa annum hujus ſæculi trigeſimum primum, dum Sueci poſt devictos ad Lipſiam Cæſarianos totam pœnè Germaniam devaſtabant, vir opulentus in Palatinatu inferiore, cupiens magnam argenteæ monetæ copiam abſcondere, capto conſilio à quodam ſibi fidiſſimo ac fideliſſimo amico, in hujus pomario juxta notam arborem terra eam infodit. Poſt multos annos, pace jam redditâ Germaniæ, redit ad amicum, & in noto utrique loco pecuniam, effoſsâ terrâ, quærit; ſed nihil invenit. Miratur uterque, cùm nec hic furti ſibi conſcius eſſet, nec illi ejusdem ſuſpicio, ob amici fidelitatem, ſuborriretur. Pergunt nihilominùs latè circa arborem fodere, ac tandem alio in loco, non minùs duobus paſſibus diſtante ab illo quo depoſuerant, integram atq; intactam reperiunt. An ergo naturali pondere ſuo ceſſerat? an virtute ſympathetica alibi latente eò attracta? an à malo genio loco dimota?

CAPUT

CAPUT IX

De Arcana rerum nonnullarum productione.

PLura in hanc rem ſcribit Martinus *Kergerus* Lib. de Fermentatione ſect. 1. cap. 6. è quibus hæc paucula ſubjungam. Oſtreis in ſalem converſis, mox ubi arenæ maris dictum ſalem commiſeris, ingentem novarum oſtrearum ſobolem inde cum tempore prodire comperies. Animaliā quorundā arcana productio.

Si ſerpens in minutas partes conciſus aquâ pluviâ maceretur, & Soli ad aliquot dies expoſitus per diem & noctem ſub terra condatur; exemptæ partes microſcopio conſideratæ innumeram ſerpentillorum copiam exhibebunt.

E mortuis ciconiis generantur ſerpentes, è gallinis araneæ, ex anatibus ranæ, è muſcarum majorum excrementis vermes proveniunt carnibus infeſti.

Cancrorum fluviatilium cinis in loco humido, vel in vaſe terreo ſinatur cum aqua modica; hinc intra 20. dies innumeræ atomi animatæ viſuntur; quæ ſi ſanguine bovino irrorentur, in cancros paulatim commutantur. Hinc origo ſcarabæorum ex terra Majali tempore pateſcere videtur.

Mel ſi cum rore majali unâ in grămine nocte plenilunium tulerit, in anguillas; cum pane ſecalitio (id eſt ex ſiligine) in formicas tranſit.

Stercus columbinum, aut anſerinum, urinâ hominis maceratum, pulices innumeros producit.

CAPUT X.

Miſcellanea de Magnete, Chalybe, & aliis.

IDem Martinus Kergerus circa magnetica adfert ſequentia, quæ non memini me apud alios legiſſe: Ferrum ex una parte cuſpidatum, ex altera obtuſum, ſubtiliter elaboratum, ſemper cuſpidem in Auſtrum convertit; quòd ſi partem obtuſam acuas, & alteram oppoſitam cudendo dilates aut reddas obtuſam, etiam ferrum ſitum antè ſuſceptum ſpontè mutabit, idque toties quoties placuerit. Magneticum experimentum novum.

Chalybs bonus æque ramenta ferri ad ſe attrahit absque ullo affrictu ad magnetem, non ſecus ac ſi fuiſſet affrictus.

Menſe Februario refringatur ex arbore ſurculus, qui per menſem integrum extra terram reſervetur, & flacceſcat; Menſe Martio idem ſurculus arte inſitoriâ trunco indatur; hic ſurculus avidiſſimè trunci reſtagnantem Emphyteuticum experimētum novum.

tem ſuccum hauriens tantopere proximâ æſtate proficit, quantopere alii menſe Martio recenter fracti, inſertique, vix biennio. Ex *Kergero* lib. de Ferment. ſect. 1. cap. 5. & 6.

Roſæ Hierichuntinæ experimentum novum.

Quod modò referam, ex relatione habeo Nob. & Doctiſſ. Dn. Wenceslai Ardensbach, Phyſici Oppavienſis, qui jucundum illud ſpectaculum propriis oculis uſurpavit. Roſa Hierichuntina frutex minutus eſt, contemptibilis quo ad aſpectum, faſciculoq; aridæ ſtipulæ ſimilior quàm flori; qui tamen ſi ad effloreſcendum proliciatur, gratiſſimum & admiratione plenum ſpectaculum oculis præbet; quod hâc induſtriâ fieri poteſt. Phialæ cuipiam latiori vinum aliquod generoſum infunditur, eidemq; immittitur aridus frutex. Hic ubi vini liquorem ſufficienter imbiberit, arefacta ſua filamenta ſenſim explicat, & intra ſpacium quadrante minus rubicundis undiq; floſculis ſuperbus apparet, non citra miraculi apud alios, præſtigiarum apud alios ſuſpicionem. Vino deinde exemptus, ſuos in penuaria ſua recondit floſculos, eodem rurſus artificio, quoties libuerit, exhibiturus. Fruticem ipſum Seren. meo Principi Carolo glor mem. à Patre quodam ex Palæſtina veniente dono datum ſæpius manibus tractavi; ſed quia nondum ejus virtus mihi nota tunc erat, experimentum non feci; quod absque dubio prædicto Seren. Archiduci, qui rerum abſtruſarum curioſiſſimus erat, mirum in modum placuiſſet. Fortaſſis alio tempore non denegabitur experiendi occaſio, cui modis omnibus conabor invigilare. Vinum porrò illud ab effloreſcentia medicatum fieri putant, & prægnantibus ad pariendi facilitatem prodeſſe.

Annotatio.

H*Actenus enarrata transmiſit, ut initio dixi, Dominus Kinnerus, intra Epiſtolæ anguſtias concluſa; quam tandem claudit ſequentibus verbis.* Sed nimis in longum vel præter opinionem meam excrevit epiſtola, cujus prolixitati R. P. V. facilè, ſpero, veniam dabit, cujus amicis precibus id ſaltem, quod licuit, nequaquam denegandum eſſe duxi, juxta conſuetam parœmiam: dat pyra, dat poma, qui non habet altera dona. Aliena ferè ſunt, quæ communico, per ocium inter Autorum lectionem in eum à me finem annotata, ut ſi DEUS Opt. Max. vitam, viresque largiatur, datâ opportunitate propriis experimentis comprobentur. Idem quoque propoſitus mihi finis eſt, dum eadem R. P. V. transcribo; hinc & Autorum loca paſſim adjungo, ut, ſi libuerit, dulciùs ex ipſo fonte bibantur aquæ. Si quibusdam ex his pro Phyſicæ Curioſæ editione alterâ uti placuerit, per me licet; ſic enim ea, quæ ſparſim alioqui deliteſcunt in Autoribus, in plurium oculos incurrentia ſalutarem fortaſſè nonnullis movebunt orexin, ut ad experiendam rei veritatem ſe plures accingant, tandemque in na-

in naturali Philoſophia ſcire potiùs aliquid, quàm opinari diſcamus: quod ſanè non deſperandum videtur, ſi experimentale ſtudium, quod hoc potiſſimùm ſæculo curioſis quibusdam ingeniis ſalubriter arridere cœpit, continuato porrò partitoq; in plures labore atque induſtriâ, ſua quotidie ſumpſerit incrementa. Ego certè id animitùs voveo, & ſi valetudo vireſq; concederent, omnibus modis in illud quoque ſtudium memet impenderem; fuiſſetq; major id exequendi occaſio, niſi præpropera mors in perſona Seren. Caroli res meas ac ſpes omnes in ipſo quaſi flore præcidiſſet. Alienis igitur inventis detinebo tantiſper curioſitatem meam, quando laborem & operas communi bono impendere diverſimodè prohibebor.

CAPUT XI.

Experimentum novum Mercurii intra tubum vitreum ſuſpenſi.

DE Mercurio intra tubum vitreum ad certam altitudinem, ſi intra alium Mercurium vaſi ſubjecto infuſum invertatur, ſuſpenſo, multa ſcripſimus in Mechanica Hydro-pneumatica, in 3. parte Magiæ, & in Technica Curioſa. Novum Experimentum, recenter in Hollandia à Nobiliſſimo atque Doctiſſimo Domino Chriſtiano Hugenio deprehenſum, circa eundem Mercurium jam non ad ordinariam & hactenus conſuetam, ſed majorem altitudinem ſuſpenſum, perſcripſit nuper ad me laudatus anteà Prænobilis Dominus *Kinnerus*, Epiſtolâ Pragæ datâ 4. Februarii 1665. in hæc, inter alia verba. Experimentum Mercurii intra tubũ ſuſpenſi.

Non poſſum hic committere, quin R. V. communicem inſigne quoddam Experimentum, quod paucis ante diebus Præſtantiſſimus & Ingenioſiſſimus Dn. Chriſtianus Hugenius, in Philoſophicis Mathematicisque diſciplinis ſupra modum excultus, Amicus meus literarius longè chariſſimus, à ſe nuper inventum, pro affectu in me ſuo gratioſè communicavit; quod ejusdem Nobiliſſimi & Clariſſimi Viri verbis, ex epiſtola ad me data depromptis, placet ſubjungere. Neſcio an Experimenta Antliæ pneumaticæ ad te pervenerint; ſed perveniſſe puto, cùm celebria admodum ab annis aliquot eſſe cœperint. Machinam ejusmodi mihi quoque ante triennium fieri curavi, atq; inſigne phænomenon primus animadverti, cujus ratio hucusque in obſcuro latet: Nempe Mercurium, qui in Torricellii experimento in tubo vitreo deſcendere ſolet, ut ſcis, ad altitudinem 28. circiter pollicum, eundem triduo aut quatriduo ab aëre repurgatum, tuboq; infuſum, donec totus repleatur, non ut prius inverſo tubo deſcendere, ſed nullo facto vacuo ſuſpenſum manere in altitudine prioris dupla & ampliùs; nam nondum terminus innotuit.

Purga-

Purgatur autem ab aëre ſolâ continuatione experimenti Torricelliani, aſſuſo uno aut altero aquæ digito; neq; ad hac machina eſt opus, ſed illa tantùm occaſionem ad inveſtigandum præbuit. Qui verò rationem phœnomeni reddere poterit (nam æquipondium aëris hîc non ſatis facit) magnus mihi erit Apollo. Hac Nobiliſſimus Hugenius. Quid ad hac dicemus, qui Mercurium in vitreo tubo ab aëre externo eidem æquiponderante ſuſpenſum teneri cum R. P. V. in Technica Curioſa penè demonſtratum eſſe credidimus? Nam illud quidem hoc ſtante experimento ſubſiſtere non poteſt, de cujus tamen veritate candor & induſtria Domini Autoris nil in me prorſus dubii relinquit. Redit hîc illud in memoriam, quod pluribus abhinc annis de hoc Mercurii ſuſpenſi negotio ad D. Jacobum DobrZenski tunc Ferrariæ degentem perſcripſeram, ubi ſpacium illud supernè vacuum repleri ajebam vaporibus quibusdam aqueis, quales circa & intra ☿ jam copioſos exiſtere apud me evicerat ejuſdem Domini Doctoris experimentum, quo è 6. ℔. Mercurii, 3. vel 4. uncias aqua quaſi purè elementaris elicuerat, idque toties quoties eundem Mercurium jam deſtillatum aëri libero expoſuerat. Videat obſecro R.P.V. Philoſophiam de Fontibus ejuſdem Domini Doctoris, in qua Pag. 26. & 27. & experimentum ſuum, & meam inde deductam conſequentiam prolixiùs allegat. Scripſeram equidem, niſi fallor, in alia deinceps epiſtola, rogaveramq; ut ☿ adhuc à deſtillatione calentem, priuſquàm novum aërem aut vaporem poſſet attrahere, tubo infunderet, probaretq; quis reſponderet eventus: quod ſi factum tunc fuiſſet, nil omnino dubito, quin ☿, non ſecus ac apud Hugenium, permanſurus fuiſſet abſque deſcenſu. Sed de his mentem R.V. libenter intelligam; quod ut quantociùs fiat, humaniſſimè rogo. Aperire ſe ſenſim incipit veritas, ad quam nos manuducere videntur experimenta; quibus ſi plura ſe ſe potiùs quàm inanibus ſpeculationibus occuparent ingenia, copioſiores utique ſucceſſu temporis pro veſtiganda veritate maximas, quàm nunc pro excogitandis novis noviſque indies Chymæris ſophiſmata numerare contingeret. Hortetur, obſecro, R.V. occaſione recudendæ proximè Phyſica ſua Curioſa, efficaci quapiam Paraneſi Europæ Principes, ut munificâ ſuâ liberalitate manus porrigant tam proficuo experimentorum ſtudio, cui ſublimia paſſim ingenia favere & aſſueſieri incipiunt, quorum conceptus ardor haud dubiè magis augeſceret, ſi liberalis Principum munificentia de publico ſufficeret alimenta: nam privato quidem ære atque conatibus vix in longum par eſſe poterit hominum quantumvis ingenioſorum induſtria, quod Nobil. Dn. Franciſcus de Verulamio in Opuſculis ſuis pridem deſideravit, & queſtus eſt. Hæc, & alia quæ ſequuntur, Kinnerus.

Hiſce ego reſpondi ut ſequitur, ſupponendo illa quæ ſcripſeram haud diu antea in Technica Curioſa de gravitate aëris, deque elatore ſeu vi dilatativa ejusdem, dum liber eſt ab alio aëre ambiente, ac ſe premente.

Præ-

Prænobilis ac Reverendiſſime Domine & Fautor.

EXperimentum novum Nobiliſſimi & Ingenioſiſſimi Domini Chriſtiani Hugenii confirmat vim elaſticam ſeu dilatativam aëris. Quoniam enim in tubi parte ſuperiore, deſcendente Mercurio, eſt æther & Spiritus Mercuriales, ut probavi in Technica Curioſa lib. 4. cap. 5. §. 3. pag. 252. æther autem quorumcunque corporum effluviis repletus, eſt aër, ut probavi eodem libro cap. 2. pag. 222. ſequitur, quòd in parte ſuperiore tubi ſit aër, tenuior tamen ac levior quàm aër tubum circumſtans, cùm hic pluribus effluviis, quàm ille, ſit repletus. Hic igitur aër, deſcendente Mercurio, exerit ſuam vim dilatativam, & aëri externo Mercurium ſuſpenſum tenenti obſiſtit, quò minùs illum ad majorem altitudinem pellat ſurſum. Quòd ſi Mercurius ab aëre (ut Nobiliſſimus Hugenius loquitur) hoc eſt, à Mercurialibus effluviis repurgetur; æther in ſuperiori tubi parte ſtabulans repletur paucioribus effluviis, ideoque minorem habet vim dilatativam, minùsque Mercurium ab aëre externo ſuſpenſum deprimit. Hinc fit, ut Mercurius non ad quamcunque, ut arbitror, ſed ſolùm ad majorem altitudinem aſcendat, tandemque ad certam menſuram pertingat, donec inter aërem externum & Mercurium internum fiat æquilibrium.

Hæc ratio nunc mihi occurrit; quam Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ & Doctiſſimi Hugenii judicio ſubmitto. Si Mercurius magis ac magis repurgatus, ſemper magis ac magis aſcendit, non tamen ad quamcunque altitudinem, ſed certam ac limitatam, quamvis variabilem, juxta aëris externi variationem quoad gravitatem ac levitatem; ratio hæc veriſimilis mihi videtur: Si autem ad quamvis altitudinem aſcendat Mercurius, ter quaterve tantùm repurgatus; corruit. Cuperem de hac re fieri certior ante Paſcha: cogito enim experimentum inſerere Phyſicæ Curioſæ denuò poſt Paſcha edendæ.

Hiſce meis, ac rationi à me adſignatæ novi Experimenti, reponit Ingenioſiſſimus Dominus Kinnerus ſequentia, in litteris Pragâ 21. Martii 1665. datis.

Admodum Reverende in Chriſto Pater,

Amice plurimùm Colende.

Salutem à Domino, & obſequia mea paratiſſima.

E Penultimis Reverendæ Paternitatis Veſtræ ad me litteris intellexi, gratam eidem accidiſſe communicationem experimenti novi à Nobiliſſimo & Clariſſimo Chriſtiano Hugenio nuper detecti, circa mercurii in vitreo tubo ſuſpenſionem; ſed non ea perinde percipio, quibus inſolitam illam dicti mercurii ſupra conſuetos & obſervatos hucusque terminos elevationem per circumſtantis externi aëris æquilibrium ſufficienter explicari exiſtimat. Si enim ea ſibi conſtant, quæ de hac materia Reverentia Veſtra in Te-

chnica Curioſa pag. 266. inter alia ſcribit in hæc verba : Ideo Mercurius in fiſtulis longioribus, quàm trium palmorum & novem circiter digitorum, deſcendit amoto digito ab inferiore orificio, quia cylindrus mercurii replens totam fiſtulam, gravior eſt, quàm cylindrus aëreus æqualis craſſitiei inchoatus ab aqua & mercurio vaſis ſubjecti, & extenſus usque ad Athmoſphæræ & ætheris puri confinia. *Et nonnullis interjectis, quæ brevitatis causâ non deſcribo :* donec tandem, ceſſante hinc atque inde impetu, fiat perfectum æquilibrium inter utrumque cylindrum quoad pondus, perfectaque conſiſtentia. *Si, inquam, hucusque ſcripta ſibi conſtant, non video, quâ ratione experimentum Domini Hugenii ejusdem æquilibrii beneficio valeat explicari. Ponamus enim fiſtulam dupla longitudinis ejus, ad quam hucusque mercurius non purgatus ſuſpenſus hærere viſus eſt, quam Reverentia Veſtra cum aliis aſſerit 3. palmorum & 9. circiter digitorum, ſitque proinde fiſtula, quam aſſumimus, palmorum 6. & 18. digitorum: in eam ſi infundatur mercurius ab aëre, vel ſpiritibus potiùs ſuis, purgatus, & conſuetâ aliàs praxi in ſimilem mercurium alio vaſe contentum immergatur; hæret (teſte Clariſſimo Hugenio) ſuſpenſus ita mercurius, nihilque omnino è fiſtula effluit, aut in vas ſubjectum deſcendit. Si igitur externi aëris æquilibrium hydrargyrum ita ſuſpendit, neceſſe erit, è Statica principiis, cylindrum mercurii altum 6. palmos & 18. digitos æquiponderare cylindro aëreo æqualis craſſitiei inchoato ab aqua & mercurio vaſis ſubjecti, & extenſo usque ad athmoſphæræ & ætheris puri confinia : ſed idem cylindrus aëreus (per ea quæ ſuprà attuli ex Technica) perfectè æquilibris aſſumptus eſt cylindro mercurii 3. palmorum & 9. circiter digitorum; aut ergo per Archimedem de Æquiponderantibus ſequitur, cylindrum mercurii 3. palmorum & 9. digitorum æquiponderare cylindro ejusdem mercurii altitudinis duplæ, quod extra rationem vectis eſt impoſſibile; aut mercurium in fiſtula æquilibrii jure hærere, ſaltem in utroque caſu, ſuſtineri non poteſt.*

Quòd ſi jam dicamus, ut vult Technica, perfectum æquilibrium quoad pondus eſſe inter cylindrum mercurialem trium palmorum & novem digitorum, & aëreum ex æquali baſe ad Athmoſphæræ ſummitatem extenſum; cur ergo mercurii purgati reliquum, quod in fiſtula dictæ altitudini ſuperſtat, adversùs omnes æquilibrii leges hæret ſuſpenſum? Certè, quò minùs mercurius liberè deſcendat, nil videtur obſtare; cùm & ipſe jam purgatus neceſſariò gravior ſit, quàm dum eidem ſpiritus leviores eſſent admixti, & ita præſertim jus æquilibrii (tanti utique momenti in rerum natura) poſtulare dicatur. Nec deſcenſum impedit vacui metus : cùm enim, juxta Technicam pag. 253. ſubtilis æther per vitri poros ultrò citròque liberè commeet, poterit is ſpacium à mercurio deſcendente relictum facilè complere.

Neque dici etiam poteſt, deeſſe hîc ex parte tubi ſuperiore vim aëris elaſticam, quæ dilatando aërem, mercuriumque ſubſtratum premendo non ſinat eundem ad majorem altitudinem ab aërea columna vaſi ſuperincumbente ſuſtolli. Hoc, inquam, non poteſt: jam enim ſic non ſolùm æquilibrium eſſet cauſa hærentis ſemper in eadem

ferè

ferè ſtatione mercurii; quod tamen pag. 266. Technica, ut ſuprà retuli, expreßè aſſeritur. Deinde mercurii potiùs deſcenſus cauſam prabet, ut tantillus aër ex puro athere ſpiritibusque mercurii compoſitus ſeſe nonnihil dilatare valeat, quàm ut idem aër ſe nimiùm expandendo toti columna aëreæ ſuperincumbenti impedimento ſit, quò minùs mercurium tubo contentum ad ſtatum æquilibrii jure debitum poſſit attollere. Infirma quippe, ſi qua detur, vis illa aëris elaſtica videtur eſſe, & cui etiam Technica pag. 298. non concedit virtutem ſe exerendi, niſi quoties aër liber eſt ab extrinſeco obſidente, & niſum ſuum cohibente. Et cur, quaſo, ſi vel ad altitudinem digiti transverſi mercurio ſuperfundatur aqua, illicò mercurius intra fiſtulam nonnihil aſcendit, nil obſtante vi aëris elaſticâ? Quòd ſi hac tantillo aqua cedit, certè non video, quâ ratione columna aërea poßit obſiſtere, quò minùs eadem mercurium fiſtulâ concluſum ad æquilibrium ſecum perfectè conſtituendum attollat.

Hac occurrebant, qua occaſione experimenti Hugeniani contra externi aëris cum mercurio æquilibrium nonnihil facere videbantur; qua ſubtili trutina doctißimi Reverentia Veſtra judicii ponderanda libenter ſubmitto, nec eadem contradicendi animo ſcripſi, ſed ut ejuſdem deſiderio, quo meam ſuper his mentem intelligere cupiebat, obſecundarem. Finio, & me ſanctißimis Sacrificiis commendans maneo

Admodum Reverendæ Paternitatis Veſtræ

Pragæ 21. Martii 1665.

Addictiſſimus ac paratiſſimus Servus

Godefridus Aloyſius Kinnerus.

His iterum reſpondi, in Experimento ordinario, & hactenus uſitato, Mercurium intra tubum manere ſuſpenſum ad certam altitudinem, non vi ſolius æquilibrii à columna aërea externa cauſati, ſed ſimul etiam vi elaſticâ interni aëris in tubo Mercurio ſuperincumbentis, qui, quia ab aëre externo premente liber eſt, vim illam ſuam elaſticam exerit. Itaque quia ex una parte aër externus tubum circumſtans ſurſum pellit Mercurium intra tubum, vel potiùs impedit quò minùs deſcendat; ex altera verò parte aër internus ob vim ſuam dilatativam impedit Mercurium, quò minùs altiùs aſcendat, preſſus ac ſurſum pulſus ab aëre externo; ideo hæret ſuſpenſus. Et ita intelligi volo quæ ſcripſi in Technica, dum dixi, Mercurium hærere ſuſpenſum ob æquilibrium inter ipſum & aërem externum. At quia, dum Mercurius ab aëre & effluviis ſuis repurgatus eſt, nullus aër poteſt ſuperiorem tubi partem replere, & ſuſpenſum Mercurium deprimere; ideo aër externus, non habens adverſarium, qui Mercurium à ſe ſurſum pulſum pellat deorſum, vim habet ad majorem conſuetâ altitudinem eundem pellendi, ad tantam nimirum, donec inter externum aërem & internum Mercurium fiat perfectum æquilibrium. Et quidem

Digitized by Google

ratio, ut antea dixi, veriſimilis mihi videtur, ſi Mercurius internus ab aëre repurgatus non ad quamcunque, ſed ſolùm ad certam ac determinatam altitudinem magis quàm antea pellatur ſurſum. Quod ultimum inſinuare videtur Hugenius, dum ait, nondum exploratos eſſe terminos, ad quos aſcendat. Experientiam, ob alia negotia, non feci: facilè tamen à quolibet fieri poteſt. Faciant curioſiores,& veriſimiliorem Experimenti rationem indagent.

CAPUT XII.

De Cornibus foſſilibus.

Cornua foſſilia.

CApite quarto præcedente egimus de cornu Monocerotis. Reperiuntur etiam cornua foſſilia, ſic dicta, ob ſimilitudinem externam, quâ cornua referunt, cùm tamen revera potiùs lapideam naturam, aut oſſeam, ligneam, alteriusve rei obtineant. Sunt enim multiplici differentia inter ſe diſtincta. *Anſelmus Boëtius* in ſua de Gemmis Hiſtoria, ait, ſe habere domi plures quàm viginti eorum differentias; & eorum aliqua referre dentes, tibias, maxillas, aliasque corporis partes, & *pauca eandem* faciem oſtendere: unum etiam manifeſtè exteriori cortice oſtendere lignũ fraxini, alia prope Brunam Moraviæ urbem inventa figuram trunci juglandis intrinſecus & extrinſecus. Omnia venduntur pro cornibus Monocerotis magno ubique pretio, tanquam potentiſſima ad venena propulſanda.

Mirâ & variâ arte ab ipſa Natura in ſubterraneis locis efficiuntur. Quædam enim, ut Kircherus ex Agricola notavit, naſcuntur ex margæ cujusdam ſpecie, quæ dum irrigatur ac ſolvitur aquâ vi lapidificâ *imbutâ*, illa lactis ſpecie per terræ cavitates tranſiens, ubi materiam *corniformem* invenerit, abſumptâ humiditate, in corneam quaſi duritiem convertitur. Si lacteus ille liquor in lignum aliquod aridum incidat, intra poros ſeſe inſinuat, ac mox ſeroſum humorem ad ſe attrahens, & hunc, & lignum ipſum in lapidem corniformem convertit, ita tamen ut ſpecies ligni cognoſci, & odor ſubinde deprehendi poſſit, ut notavit etiam citatus Boëtius.

Variis in locis effodiuntur ejusmodi cornua, maximè verò in ſubterraneis Germaniæ montium cryptis, teſte *Agricolâ*, uti in ſylva Hercynia prope pagum Baumansholz dictum ſub ditione Comitũ Stolbergenſium, prope Heidelbergam, Spiram, Hildeshemium, in Moravia, Sileſia, Saxonia, aliisque in locis. *Cùm vallo ac munimentis cingeretur Orſuvia* (inquit Deuſingius Diſſertat. de Unicornu §. 39.) *ex ipſa foſſa eruta ſunt tria ejusmodi cornua, ſesquicubitalia circiter, quæ à militibus ac operariis diffracta ſunt, ac inter varios diſtributa.* Eodem teſte, *in paludoſis prope Goudam lacũ ſimile cornu à ruſtia foſſore*

Digitized by Google

foſſore olim inventum, ac tenui pretio mercatori cuidam venditum. Similiter aliquando in patria mea(inquit idem)*in Comitatu Möerſenſi,non longè à Rheni ripa,ſimile cornu à ruſtico quodam erutum:*Simileq; *prope Velaſiam juxta Lippam fluvium inter fodiẽdum inventum anno 1622.*Prope Grõningam ante plures annos elegans ejusmodi cornu foſſile repertum eſſe, ac divenditum alicui Canonico,qui ſibi è parte craſſiore torno poculum concinnari curârit,teſtatur idem exBrinckio. Ex illo autem tornatili opere colligit Deuſingius, ſolida eſſe foſſilia illa cornua, non ut ſupradicta piſcium cava.Helvetiorum Hiſtoria refert, anno 1520. ad littus fluminis Arula, prope Bruck, in Dominio Marchionis Badenſis,Monocerotis cornu inventum fuiſſe ſat magnum: quod cùm neque verum Monocerotis cornu fuerit,nec unum exGröenlandicorum piſcium cornibus; ſupereſt ut fuerit cornu foſſile, P. Kirchero etiam aſſentiente. Brinckius apud Deuſingium ex aliorum relatu teſtatur, prope pagum Bohemiæ, juxta fluvium , à quodam ruſtico unicornu cum cranio è terra aliquando eſſe erutum, quod in Theſauro Imperatoris deinde fuerit aſſervatum. Fuerit fortaſſis cornu foſſile, cui protuberans materia adnata, cranii portionem expreſſerat.

Ad virtutem medicam foſſilium ejusmodi cornuum quod attinet, notat Boëtius ſuprà citatus, cùm ea ſint exſiccantis aſtringentisque naturæ, fluxus ſiſtere, oculorum mederi lachrymis,cordi corroborando conferre, contra venena, peſtem, febresque malignas præſentiſſima eſſe antidota, *tantò quidem potentiora, quantò materia ex ſe & ſua natura venenis adverſantur, ut ſunt fraxinum &c. ſudores enim mirificè movent, & unà virulentum venenoſi humoris in corpore ægri ſtabulantis halitum expellunt*; *unde & epilepſiam, cardiacam paſſionem, cordis tremorem, alioſque cordis affectus, hujusmodi foſſile cornu febri cum aqua propriata ſumptum remedium eſt.* Hîc ſiſto calamum, & finio.

DEO
OPTIMO MAXIMO, EX QUO, IN QUO, ET PRO QUO SUNT OMNIA, SIT HONOR ET GLORIA, IN TEMPORE ET ÆTERNITATE AMEN.

Nnnnnnnn 3 INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Abbatis ſpecie Diabolus apparet. 290
Accipiter, ejuſque ſpecies. 954. docet pullos ſuos capere aves. 955. Accipitrum mores & docilitas. ibid.
Achaius myrmecophagus. 792
Acolis avis ſive coturnix aquatica. 952
Acus piſcis eſt duplex. 1053. quomodo pariat. 1054
Adamantis & gemmarum mira venatio per aquilas. 948
Adjuratio ſpectrorum. 302
Adoleſcens à Diabolo occiditur. 275
Aëris tres regiones, earumque qualitates. 1186. ſingularum altitudo. 1197. ſuprema incaleſcit motu. ibid.
Agnus biceps. 580. Agnus monſtroſiſſimus. ibid. Agnus triceps. 581
Agnus Dei fugat ſpectra. 322
Agilitas quorundam. 502
Agrippa cogit Dæmonem intrare cadaver. 132
Ai, ſive Ignavus aut Pigritia quale animal. 784
Aiatochtlus. 787. ejus deſcriptio. ibid. Aſtutia in formicis capiendis. 788. In cervis capiendis. 790
Alce quale animal juxta Veteres ſcriptores. 778. Juxta Recentiores. 779 Alcis nomen ac etymon. 780. Alce Veterum an nullibi fuerit. ibid. Alce quale ſit animal ex noſtra ſententia. ibid. ejus deſcriptio. 781. Alces cum lupis pugnant. 782. Cicurantur. ibid. Alcium pelles. ibid. Cornua ad quid ſerviant. ibid. Ungues ad quid. 783 Alces epilepſia corripiuntur. ibid.
Aleator à Dæmone punitur. 48
Alimentorum qualitas cauſa monſtrorum. 623
Aloſa. 1055. delectatur cantu. *ibid.*
Ambra quid ſit? 1084. *devoratur* à Cetis. ibid.
Americæ primus inventor fuit eò delatus vi tempeſtatis. 730
Amia piſcis. 1056. Amiæ ſe mutuo defendunt. ibid. pugna earum cum Lamiis & Delphinis. *ibid.*
Anates. 956. Cornicines. ibid. non conſiſtentes. 957. Septentrionales. ibid. Anatum facetum aucupium. ibid.
Androgyni ſeu Hermaphroditi. 395. eorum varia exempla. 396. olim necabantur tanquam monſtra portentoſa. ibid. an liceat iis matrimonium contrahere. 397. quæ ſit eorum cauſa. ib. Androgyna ſine cruribus ſaltans. 598
Angelos ac Dæmones corpus habere putarunt veteres nonnulli. 3. Angeli ac Dæmones ſunt incorporei. 3. Producti fuerunt à Deo. 5. non ante mundum corporeum. ib. ſed cum mundo. 6. In cœlo ſidereo. ib. In ſtatu gratiæ. 7 Angelorum

Digitized by Google

gelorum via quantum duraverit. ibid. Eorum magnus numerus. 8. Non cognoſcunt ſecreta cordium. 11. Inter ſe loquuntur. 15. Intra ſuam ſphæram poſſunt ſe contrahere ac dilatare. 17. Non poſſunt ſe movere quacunque celeritate. ib. Poſſunt eſſe in indiviſibili. 19. Corpora quomodo moveant. ib. Quomodo alios ſpiritus. 21. In corporibus aſſumptis non exercent operationes vitales. 23. Cur aſſumptis corporibus non videantur ab omnibus præſentibus. 24. Angelus cuique hominum attributus. 37. Et cuiq; regioni. ib. Angeli in quibus corporibus appareant. 287. Angeli ſunt Auctores ſonorum ac tumultuum mortem aliquando præcedentium. 675

Anguillæ, earumque ortus. 1060. victus, & alia. ibid.

Animas defunctorum apparere hominibus, perſuaſio fuit gentilium. 242. Judæorum, Mahumetorum, Juriſconſultorum. 244. Patrũ, Theologorum, Hiſtoricorum. 246. Animas damnatorum ſæpe apparere hominibus probatur exemplis. 250. Animæ purgandæ ſæpe apparuerunt. 253. Quænam frequentiùs appareant. 292. Damnatæ animæ cur appareant. ib. Animæ defunctorum juvantur ſuffragiis vivorũ. 326. Animæ Damnatorum an aliquando ad nos redeant. 557 Animalia varia ex putrida materia orta. 57. Imperfecta reviviſcunt naturaliter. 129. Animalium articulatè loquentium exempla. 555. Animalia omnia in hominis utilitatem cedunt. 678. Eorum cognitioni vacare Deo gratum. 679. Animalium hiſtoriis fides adhibenda. ib. Animalium naturas primus docuit Deus, didicit Adamus. 681. Animalis definitio. ibid. Animalium diviſiones variæ. ibid. Diviſio Ariſtotelica. 682. Animal nullum immortale. ibid. Eorum origo ex Veterum ſententia. 685. Animalium vera origo. 686. Animalia quædam in igne vivunt. 708. In nive. 709. Animalia plura à Deo quàm duo in ſingulis ſpeciebus producta. 711. Animalia plurima ex putrida materia naſcuntur. 713. Animalia ex putri naſci ſolita an à Deo producta. 714. Animalia adulterina. 716. An à Deo creata. 717. Animalia an ante peccatum homini noxia. 720. Animalia carnivora an ab initio comederint carnes. 721. Animalia quomodo translata in novum orbem. 730. Animalium ex terra productorum exempla. 733. Animalia ex putrefactione nata. 737 Animalium variorum ſagacitas. 747. Animalium homines amantiũ exempla. 749. Quorundam pietas, prudentia, diſcretio. ibid. Ridentium & lacrymantium exempla. 752. Animalia bruta an judicio & diſcurſu polleant. 753. & ſeqq. fusè. Animalia fœtida. 800. Animalium quorundam arcana productio. 1381

Annæ animalia fœtida. 931

Anſer ferus. 958. Magellanicus. 951

Anta animal Braſiliæ. 791

Anthias piſcis. 1061

Antiperiſtaſis an, & quid ſit. 1205

Aper. 793. Apri novi Orbis. 794. Apri muſica capti. 795. Aprorum mirabilia. ibid. Aprorum in medicina uſus. 796

Apparitiones ex pacto in vita inito factæ. 333. an tale pactum ſit licitum. 335

Apos-

Apoſtumes animal manticatum. 824
Aqua benedicta Dæmones pellit. 321
Aquam congelare in æſtate. 1380
Aquatilia, eorumque genera. 1051. Differentiæ. ibid. Generatio. 1052
Aquila. 934. Aquilarum ſpecies. ibid. Aquilæ deſcriptio. ibid. Aquilarum nutrimentum ibid. viſus. 935. volatus. ibid. nidi incubatus. ibid. Aquilæ pullos ſuos quomodo probent & educent. ibid. Aquilarum docilitas & generoſitas 936. prædandi ac pugnandi ratio. 937. Aquilam vincit Polypus. 938. Aquila cum tauris & cervis quomodo pugnet. ibid. Aquila marina. 941. Valeria. 942. Oſſifraga. 945. Aquila an & quomodo renovet ſenectutem ſuam. 946. Aquila criſtata. 984. Aquila virgæ. ibid. Aquilæ miræ magnitudinis. 949
Araneæ qua arte telas texant. 750
Arbores ſtatuis & aliis rebus prægnantes. 640. Arbores notabilis magnitudinis in Germania. 332. Arbor illuſtris, aurea, triſtis. 1334. Arbor ſentiens, Frondiviva, Ferrifera. 1336. Arbor crepitans. 1340. Arbor Occidentalis miræ magnitudinis. 1341. Arbor philoſophica ad oculum creſcens. 1351. & ſeqq. Variæ Arbores intra phialam. 1353. Arbor metallica viridis. 1369
Archopithecus, ſive Pigritia. 784
Ardea ut clauſum oſtreum aperiat. 751
Aries Arabiæ, Indicus, Guineenſis. 918
Armadillus animal loricatum. 787
Asbeſtus ab igne non læditur. 704
Aſinus. 797. Aſinorum varietas, cibus, mores, & Aſinus mimicus. ibid. Aſini quibus cum rebus habeant antipathiam & ſympathiam. 799. Aſinorum uſus in medicina. ibid.
Aſio avis. 1020
Aſtra non ſunt cauſa operationum mirabilium Energumenorum. 555
Arabilarii cur invadantur à Dæmone. 570
Auditus mirabilia. 490
Averſantium certos cibos exempla. 458 cauſa averſionis certorum ciborum. 461
Aves ex qua materia à Deo productæ. 687. Aves ex lignis putridis. 689. Aves quomodo devenerint in novum Orbem. 732. Aves ſub nive recluſæ. 953. earum venatio. ibid. Avis Scythica. 947. Avis nivea ſeu Ceoan. 952. Avis evocatrix nivis, ſeu Cenotzqui. ibid. Aves innumerabiles circa Britanniam. 977. Aves Paradiſi. 1010. Avicula Americana *crabronis* magnitudine. 1039. Avis monſtroſa. 619.
Auræ aves. 950. Aurarum avium Regina. ibid.

B.

Baby-rouſa. 811
Balænarum deſcriptio. 1062. magnitudo 1063. Balænæ carent dentibus. ibid. Balæna vulgi. ibid. Balænarum natura & mores. 1064. amor erga fœtus. ibid.
Barbatorum enormiter exempla. 451
Bezoar unde fiat. 858. Bezoardicum animal quodnam ſit. ibid. Bezoar etiam ex Simiis. 860
Bibonum inſignium exempla. 407
Bicorporum monſtrorum cauſa. 622
Biſon. 807
Boas Draco miræ magnitudinis. 734
Bonaſus quomodo ſe defendat contra canes. 808
Bononienſe monſtrum. 608

Bos ſub cumulo fœni repertus. 437. Bos domeſticus. 801. ejus ingenium. ibid. Boves clitellati in Cambaia. 802. Boum Indicorum velocitas & magnitudo. ib. eorundem cornua varia. 803. Boves unicornes, gibboſi & aliarum formarum. 804. candidi, Bocameli. 805

Britannicæ aves dictæ Brantæ, Berniclæ, Bernichiæ. 960. earum ortus ex variis. 961. & ſeqq. an ſint. 974. ſunt anſeres. ibid. earum ortus ex noſtra ſententia. 976

Bruta animalia, an mente, diſcurſu & libertate ſint prædita. 739. iis quinam tribuant mentem. 740. Bruta an ſibi loquantur. 769. diſciplinæ ſunt capacia. 744. non ſunt mente prædita. 756. non habent voluntatem, nec indifferentiam, aut libertatem propriè. 757. habent memoriam. 760. non tamen ideo ſunt ratione prædita. ibid. non propriè rident. 761. flent aliquando. 763. aliqua proferunt voces articulatas. 765. Non loquuntur tamen propriè. 766. aliquod judicium formant. 767. non diſcurrunt. 768. Brutorum ſagacitas ab inſtinctu naturæ. 769. eorum capacitas diſciplinæ & opera mira non arguunt rationem. 770. eorum ſolertia naturalis arguit ſimulachrum rationis. 771. Bruta animalia habent rationem humanæ rationi analogam. 772.

Bubalus 809. Bubalorum an duo genera, ejus deſcriptio. 810. Bubali truculentia. ibid.

Bubo. 978

Bufones ex putredine nati. 738

Buſſequæ robur. 500

Butorius ſive Butaurus. 978

Butro. 808

C.

Cabala Judæorum vana. 1277

Cæcorum mirabilia. 487. Cæcus per naſum videns. 489. Cæcus tactu colores diſcernens. ibid.

Camelus. 812. ejus forma, natura, proprietas. ibid. Camelorum duo genera. ibid.

Cameli Africani. 813. Bactriani & Arabici in quo differant. 814. Cameli omnes an habeant gibbum in pectore. ibid. Cameli ruminant. ibid. habent plures ventres. Fel & genua eorum. Cameli an biſulci, vel ſolipedes, ipſorum cibus, potus, mores, uſus. 815. Cameli ſaltare quomodo doceantur. 816

Camelopardalis. 818. ejus deſcriptio, inceſſus. 818

Camelo-cervus. 819. vomitu ſe defendit. 820

Canis exemplum ex Plutarcho. 753. Canis. 826. Canis Ulyſſiponenſis mirum exemplum. ibid. Canum Albanorum mirum robur. 828. Canum fidelitas & amor erga heros. 830. Canes Dominos à Draconibus liberant. 832. Canum fidelitatis alia exempla. ibid. Canum ingenium, docilitas & ſagacitas. 835. Canis muſicus Florentiæ. 836. Canes mimici. 837. Canes cæcorum duces. ibid. Canum memoriæ exempla. ibid. Canes veru cum carne vertentes, Canes ex lapicidina effoſſi, Canes ſub jugo currum trahentes. 838. Canis inſequens cervum parit diverſos catulos, Canes

Rhodienſes odore agnoſcunt Turcas, Canis ab eſu ovorum recentium deſueſcit. 839. Canis Marchionis Mantuæ. 840
Canis piſcis & ejus magnitudo. 1065. ejus dentes. ibid. corpus reliquum. ib. Ejus ſævities. 1066
Caneſcentes puellæ in vindictam miraculoſæ. 420. Canitiei acceleratæ cauſa. ibid.
Cantharus piſcis. ibid.
Capillorum mirabilia. 493
Capitis humani oſſa ex apoſtemate extracta. 579
Cappa. 861
Capræ domeſticæ. 851. ſympathiam cum quibus rebus habeant. 852. earum natura, mores, ſolertia. ibid. Capræ Libycæ. 853. Capra Moſchifera. 856. Bezoardica. 858. Caper lactans hædos. 860. Caprea ſive Capreolus. 856. Capreæ contra ventum currunt. ibid.
Caprimulgus avis. 979
Carigueya. 820. manticatum animal. ib.
Carigueyæ alia deſcriptio. 821
Carnes noctilucentes. 1370
Caſtor ſeu Biber amphibium animal. 840. ejus natura & mores. 841. Caſtores ut ligna convehant. ibid.
Caſtor & Pollux viſi in prælio. 202
Catharrorum extractio nova. 1289
Catoblepa. 841. ejus aſpectus omnibus noxius. 842
Catoptromantiæ miri effectus. 558
Caudati quidam in Anglia nati. 630
Caupo perjurus à Dæmone abripitur. 47
Cauſæ monſtrorum. 619. materialis. 620 efficiens. 622. finalis. 626
Cenotzqui avis vocatrix nivis. 952
Centauri quid ſint. 352. eorum origo. 354
Ceoan avis nivea. 952
Cercopitheci. 843. Eorum mores. ibid. pernicitas. ibid. dexteritas. 844. familiaritas cum hominibus. ibid. Cercopithecus aprum occidit. 845. Cercopitheci Hiſpalenſis aſtus. ibid. Cercopitheci averſantur crocodilos. ibid. Braſilienſes ad cantum conveniunt. ibid.
Cerigo animal manticatum. 824
Cervorum mirabilis ſagacitas. 751
Cervorum natura & mores. 846. cicures alicubi trahentes vehicula. ibid. Cervorum ætas. 847. ſympathia cum rebus aliquibus. ibid. ingenium. ibid.
Cete. 1067. Cetorum deſcriptio. ibid. eorum fiſtula & oculi. ibid. vaſtitas eorum. 1069. Cetus captus in Friſia. 1070. Bizantii. 1071. in Anglia. ibid. Cetorum nonnullorum caro, oſſa, coria, pinguedo. 1072. ex eorum ſceleto domus integræ erectæ. ibid. Ceti inſtar Inſularum. 1073. Cetorum vaſtitas ex SS. PP. 1074. Ceti aliquot ingentes. ibid. Ceti cur in tantam molem excreſcant. 1079. ut capiantur. 1080. Ceti & Balenæ inter ſe pugnant. 1083. filios ſuos abſcondunt. ibid.
Cetus monſtroſus. 618
Chiromantia quæ illicita. 1295
Chiurca animal manticatum. 824
Chryſaethus prima aquilarum ſpecies. 919
Ciacalis. 861
Cibos inſolitos comedentes. 457
Ciconia. 979. Eſt avis migratoria. 980. ejus mores & accidentia varia. ibid.

Cina-

Digitized by Google

Cinamomus avis. 981
Circumforanei lepida hiſtoria. 43
Clakis, Clakuſe, Claikees, aves Britannicæ. 960
Cœlum motum an ſecum rapiat aërem. 1192
Cognitio Angelorum ad quæ ſe extendat. 11
Colapiſcis. 372
Columbæ, earumque fœcunditas. 982
Compenſatio manuum, brachiorum in hominibus ſine manibus & brachiis. 590
Concubina cujusdam Clerici apparet. 307
Conger ſive Congrus. 1084
Cordis mirabilia. 496. Cor piloſum in aliquibus. ibid.
Cornix litteras defert de loco in locum. 743. Cornices articulatè loquuntur. 766. Cornix & ejus natura. 983
Cornua boum miræ magnitudinis. 803. Cornua mobilia aliqui boves habent. 804. Cornua Monocerotum adulterina. 1375
Cornutus infans. 585
Corporeæ res non pellunt Dæmonem directè. 312. quædam tamen poſſunt indirectè pellere. 313
Corpus aſſumere poſſunt ac ſolent Angeli, & Dæmones. 22. Corporis aſſumptio per Angelos quid requirat. ibid. Corpora qualia aſſumant Angeli ac Dæmones. ibid. Corporum conditiones, in quibus ſpectra apparent. 283. Corpora verorum animalium, in quibus ſpectra apparent. ibid. Corpora cadaverica & elementaria & mirè efformata, in quibus ſpectra apparēt. ibid. & 285. Corporum forma, in quibus eadem apparent. 287. Corpora à dæmonibus aſſumpta an ſemper defectum aliquem habeant. 288. Corpora ſpectrorum cur frigida ſint. 291
Corvus. 984. Corvorum pulli à parentibus initio deſeruntur. ibid. Corvi furaces ſunt. 984. loqui articulatè diſcunt. 985
Crucis ſignum contra Dæmonem. 318
Cuculus in alienis parit nidis. 985
Culices ex putrefactione nati. 738
Cuniculi. 848. eorum ingenium. ibid. differentiæ. 849
Cuntur avis vaſta. 985
Curicaca avis. 986
Cygnus. 986. quomodo volent. 987. an canant, incertum. ibid.
Cynamolgi. 375
Cynocephali. 850. eorum natura & mores. 851. Cynocephalorum hominum exempla. 374
Cynoproſopi. 376. olim fuerunt. ibid.

D.

Dabuh ſeu Jeſeph. 863. quomodo capiatur. ibid.
Dæmonum varia nomina. 25. eorum primum peccatum quale fuerit. 26. eorundem locus, qui nunc ſit. ibid. Dæmonum varia ſunt genera. 28. Dæmones ignei. ibid. aërei. 29. Terreſtres, aquatici, ſubterranei. 30. lucifugi. 31. Dæmonum miniſterium præcipuum eſt tentare homines. 32. Dæmon non eſt author omnium peccatorum hominum. 33. multa mala infert homini. ibid. Dæmones habent aliquam formam Reipublicæ. 34. Dæmonum ſubjectio mutua in quo fundetur. 35. Dæmonum novem ordines.

Digitized by Google

nes. 36. Dæmon unus ſingulis hominibus attributus. 37. Dæmones an ſingulis regionibus præſint, incertum. 38. An ſingulis vitiis præſint. 39. Dæmon abripit quendam in infernum, qui infernum eſſe negabat. 48. Dæmones vocati à quodam adſunt, eumque terrent. ibid. Dæmones poſſunt ignem de cœlo dejicere. 51. Ventos excitare. 52. Tempeſtates ciêre, Corpora de loco ad locum transferre. ibid. Reddere res inviſibiles. 53. Statuas ambulare facere, Inanimata & animata bruta facere loqui: Cadavera & corpora ex aëre formata aſſumere. Figuras apparentes rerum effingere. Spiritus animales modificare. Humores corporis concitare. ibid. Dormientium phantasmata perturbare. Affectus varios concitare. 54. Dæmon decipere tribus modis poteſt. 55. An efficere queat, ut ſit in diverſis locis corpus. 83. Poteſt reddere hominem immunem à læſione. 97. Item à tormentorum dolore. 98. Dæmones quomodo reddant aliquos immunes à læſione & dolore. 99. Dæmon familiaris Drepanitanus. 134. Cardani. 138. Dæmones domeſtici. 141. Dæmon familiaris Simonis Magi. 142. Dæmones incluſi annulis, vitris &c. ibid. Cur annulis & vitris includi ſe ſinant. 143. Dæmones familiares plerumque dominis ſuis noxii. ibid. Dæmones montani ſive metallici. 144. Domeſtici. 146. Dæmones quinam maximè moleſti ſoleant eſſe hominibus. 241. Quinam frequentiùs appareant hominibus. 266. Dæmonis ſuccubi mira hiſtoria. 277. Dæmonis incubi hiſtoriæ. 278. Dæmon apparet juveni in parentem impio. 293. Sub forma humana apparet variis figuris. 295. Sub ſpecie Angeli & Chriſti apparet. ibid. Dæmones obſidentes convitia jaciunt in alios. 298. Dæmones à bono dehortantur. ibid. Ad bonum hortantur. ibid. Dæmones quomodo à Magis immittantur in homines. 533. Dæmones plures invadunt aliquando unum hominem. ibid. Qua forma invadant Energumenos. 539. Dæmones eſſe an evidenter probetur ex operibus magorum. 560. Dæmones fugari rebus corporeis aliqui putant. 563. Dæmones non pelluntur directè rebus corporeis. 567. *Poſſunt* indirectè pelli dictis rebus. ibid. Dæmones quo ſenſu delectentur rebus corporeis & locis aliquibus. 568. Dæmones à Magis non coguntur. 570. Dæmonis ſtudium nocendi. 148. De Dæmonibus varia & curioſa. 188. Dæmon apparens an ſemper habeat deformitatem. 190. Dæmon cur olim ſæpius quàm nunc apparuerit, & cur non vocatus appareat, ſecus aliquando vocatus. 191. Dæmones ſubterranei & montani. 192

Dace avis. 987

Dama Veterum. 854. Recentiorum. ib.

Danta. 862. Phlebotomiam docuit. ibid.

Dantes. ibid.

Daſypus pinuum. 863. ejus liberalitas erga alia animalia. 864

Delphini, eorumq; deſcriptio. 1085. natura & mores. 1086. amor erga catulos ſuos. ibid. amor erga ſe invicem. 1087. gaudent ſocietate hominum.

Digitized by Google

num. 1088. Delphinorum amor erga pueros. 1089. eorum gemitus & fletus. 1091
Dentium mirabilia. 495. Dens in palato. 496
Depilatorum ſubitò exempla. 450
Deus non eſt auctor operum Energumenorum. 551. cur monſtra naſci permittat. 631
Dexteritas mira hominis carentis brachiis. 592
Digitorum ſex aut pluriũ exempla. 596
Diomedeæ aves. 988. quales fuerint. 990
Diſcurrere videntur quædã bruta. 755
Diſputatio inter ſurdum & mutum. 401
Dorcas. 853
Dormientium longo tempore exempla. 436. Dormiens bos ſub tumulo fœni repertus. 437
Draco marinus. 1091
Draco volans. 1121. ejus generatio. ibid. ſignificatio. 1123. Dracones & ſerpentes alati dantur. 1152. varia exempla. 1154. Draco alatus in campis Romanis occiſus. 1155. Draco alatus Rhodienſis. 1156. Dracones alati in Helvetia viſi. 1159. Draconis volantis mira hiſtoria. 1161. alia. 1162. adhuc alia. 1164. Draconum & ſerpentum non alatorum exempla. 1165. & 1169. Draco ſacer maximus in India. Dracones ſerpentum interfectores. ibid. Draco Bononienſis. 1171. ipſius ortus. 1173. Draconum geneſis. 1174. Dracones & ſerpentes cicurati. 1175
Dromedarius. 817

E.

Ebrietatis mirum exemplum. 218
Ebrietatem quæ impediant. 408
Echeneis ſive Remora. 1092. quæ & qualis ex antiquis. 1093. ex recentioribus. 1095. Echeneidis effectus. 1098. Echeneidis naves detinentis exempla. 1100. quomodo & qua virtute naves detineat. 1101. an detur, incertum. 1112. detentio navium, quæ Echeneidi adſcribitur, unde ſit. 1113
Echinus vulgaris. 864. qua arte uvas deferat in cavernas ſuas. ibid. Echinus Braſilienſis duplex. 865. Echinus marinus. 1095. & 1115
Edones ac Bibones inſignes. 403. exempla recentia. 405
Ejulator animal. 883
Eleemoſynis juvantur animæ defunctorum. 330
Elephantum virtutes ex Plinio. 741. Elephanti humanum ſermonem intelligunt. 743. capaces ſunt diſciplinæ militaris. 744. Elephantorum ſolertia ac prudentia. 746. Elephanti quomodo foſſam transgrediantur. ibid. ut ſe à calore defendant. 747. Elephanti odoratu præſtant. ib. eorum amor, fidelitas, gratitudo. 748. Elephanti amor erga puerum. ibid. Elephas rivalis. ibid. Elephanti ut flumina trajiciant. 752. Elephantorum magnitudo, color, cutis, cauda. 866. Elephanti ſunt gloriæ cupidi. 868. ſermonem humanum intelligunt. 869. eorum prudentia, memoria, gratitudo. 870. eorundem juſtitia. 872. vindicant ſe de injuria illata. ibid. eorum amor erga dominos ſuos. 873. & erga ſobolem propriam. ibid. eorum docilitas. ibid. Elephas ludit pila, ambulat ſupra funem, ſcribit, tripudiat. 874. Elephanti theatrici. ibid. Elephanti quomodo capiantur. 875. quomodo

cicurentur.ibid. delectantur muſica. 876. Elephantorum pudor. ibid.
Emeu avis,ejusq; deſcript.& mores.990
Energumeni quid ſint. 521. Energima quid ſit. ibid. Energumenus ut quis dicatur, quid requiratur. ibid. Energumeni revera ſunt aliqui homines. 522. Energumenorum à Chriſto ſanatorum exempla. 523. ſanatorum ab Apoſtolis. 525. Energumeniſmus quid ſit ſecundùm Atheos. 527. Energumeni an aliorum hominum ope fieri queant. 531. Energumeni varii ope aliorum à Dæmone obſeſſi.ibid. Energumenis quæ mala inferant Dæmones. 535. Energumeni non ſemper cruciantur à Dæmone. 537. Energumenorum operationes variæ. ibid. eorum locutiones. 538. Energumenos veros à falſis diſcernendi ſigna. 540. Energumenos aliqui ſe fingunt. ibid. Energumenorum alia ſigna. 542. adhuc alia. 544. Energumenorum opera an probent evidenter dari Dæmones. 550. Energumeni cur à Dæmone obſideantur. 561
Ephialtes. 216
Equus inſigniter jubatus. 493. cum cute lacerata natus. 602. Equæ Hiſpanicæ an vento concipiant. 696. Equæ non concipiunt vento, ita ut perfectum animal pariant. 702. Equi lacrimantes. 752. Equorum natura & mores. 878. docilitas. 879. Equi ad numeros ſaltant. ibid. Equus adorat Regem. 880. Equi memoria valent.ibid. Equorum amor erga dominum. 881. Equi flentes. ibid. Equa leonem occidit. ibid.
Experimentum novum magneticum. 1381
Experimentum emphyteuticum. ibid.
Experimentũ roſæ Hierichuntinæ. 1382.
Experimentum novum Mercurii intra tubum ſuspenſi. 1383
Extaſis cõtingere poteſt naturaliter. 125. eam procurare poteſt Dæmon. 126. Extaſis diabolicæ exempla. ibid. Extaſis cujusdam ſagæ.ibid. Extaſim paſſa ſaga putat ſe interfuiſſe cœtui nocturno ſagarum. 127. Extaſim patientes non vagantur anima extra corpus. ibid. Extaſim naturaliter patientes. ibid.

F.

Faces magicæ ſomnum profundũ conciliantes. 104
Fœminæ an ſint monſtra. 643
Fœtus humani in utero formatio. 478. Fœtus humani primæ partes quænam formentur in utero. 480. Fœtus humani ſitus in utero. ibid. Fœtus Muſſipontanus extra uterum in abdomine. 651. de quo varia. ibid.
Falco ejusq; mores & deſcriptio. 991
Falconis cum ardea pugna. 992
Familiares Dæmones an dentur. 134. eorum exempla. 138. Familiaris Genius Socratis, Plotini, Agrippæ. 142. Familiaris ſpiritus Hudekin. 140
Felis campanam pulſare docta. 745. Felis pro fele in ciſternam lapſa implorat opem à domeſticis 839. Felis ordinaria. 883. Feles aggreſtes malabaricæ volantes. ibid. Felium ſympathia & antipathia. ibid. Valerianæ radicem depereunt. 884. Felium mira. ibid. Felis Zibethica. ibid.
Ferrum è nubibus lapſum. 1239
Ficus Indica miræ magnitudinis. 1337

Fide

Fide vera ac viva pelluntur Dæmones. 314
Formas varias induit Diabolus. 299. Formam undequaque pulchram ut aſſumat Dæmon, rarò permittitur. 295. Forma brutorum ac monſtrorum eſt propria ſpectrorũ Diabolicorum. 295. Forma humana perfecta non convenit ſpectris Diabolicis. ibid. Forma ſpectrorum humanorum. 300
Formatrix virtus cauſa monſtrorum. 622
Formicarum ſolertia. 745. antra. 752
Fornaculæ Ægyptianæ, quibus pulli gallinacei excluduntur. 1377
Foſſiles piſces. 1116. Exempla ex antiquis. 1117. Ex recentioribus. 1120. quomodo intra terram generentur. 1122. quomodo reſpirent. ibid.
Fringilla articulatè loquens. 766
Fructuum variæ figuræ ab arte inductæ. 1364
Fulgur & Fulguratio. 1227
Fulmen. 1223. ejus natura & generatio. 1224. Materia. 1225. Efficiens. 1226. Motus. 1229. Tempus. 1230. Odor. 1231. Effectus varii. ibid. Fulmineus lapis. 1238. Fulmen, quæ non ferire dicatur. 1240. Fulmini quæ obnoxia. 1243
Fumus piſcis à Tobia adhibitus, & qua virtute fugaverit Dæmonem. 311

G.

Galeus glaucus, ejuſque amor erga fœtum. 1123. hominem invadit. ibid. Galli gallinacei monſtroſi. 616. Gallinarum partus monſtroſi. 617. Gallinæ an vento concipiant. 699. Gallus & gallina, eorumque natura. 992. Gallinarum ova hypenemia. 994. Galli gallinacei an aliquando ova ponant. 995. Gallinaceorum pullorum generatio. ibid.
Gemellorum unus niger alter albus. 608
Gemmarum mira venatio per aquilas. 948
Germani duo à Diabolo abripiuntur. 275
Gigantes olim fuiſſe conſtat ex S. Scriptura. 384. Gigantum exempla & teſtimonia ex antiquis. 385. Gigantes Siculi. 387. Gigantum exempla antiqua. 388. recentia. 390. Gigantes cur naſcuntur. 391. Gigantum gigantes olim erant. ibid. Gigantes miræ magnitudinis. 509
Giraffa idem, quod Camelo pardalis. 818
Glanis ſive Silurus. 1123. ingens in Tibiſco captus. ibid. Glanidis generatio. 1124. feras & homines invadit. ibid. tonitruo ſideratur. 1125. ejus captura. ibid.
Glis. 885. Glirem peperit mulier. 525
Graculus. 995
Grues, & miræ eorum actiones. 996
Gruum ſagacitas. 747
Gryphes an ſint aut fuerint. 997. & ſeqq. Gryphes aliqui vocant picos. 999. Gryphes dari videtur ſupponere S. Scriptura. 1000. Gryphes dantur. 1003. Gryphes ut deſcribantur ab Auctoribus fabuloſis. ibid. Gryphes quænam ſint aves, certo non ſcitur. 1004. Gryphes videntur eſſe aquilæ maximæ & rapaciſſimæ. 1005
Gurguit avicula audax. 1005
Gulo animal. 886
Guſtus mirabilia. 492

Hal-

Digitized by Google

H.

Halcyon ſive Alcedo. 1006
Halietus ſecunda ſpecies aquilarum. 941 pedes quales habeat. 942
Hammelenſium puerorum hiſtoria. 452
Haringus ſive Harengus. 1125
Harpyiæ. 1007
Hau ſive Hauth quale animal. 786
Herba Dutroa perturbans & riſum movens 1335. Herba vitam & mortem indicans. 1337. Herba inebrians. 1340. Herbarum ſympathia & antipathia. 1345. Herbarum & Plantarum effectus mirabiles. 1346. & ſeqq.
Hermaphroditorum 4. ſunt differentiæ. 397
Heidelbergenſe monſtrum. 608
Hinnus. 914
Hippocentauros dari aliqui negant, aliqui dubitant. 352. dari probabilius eſt. 354. quinam id aſſerant. 356. Hippocentaurorum vera origo. 357. Hippocentaurum vidit S. Antonius. 358. Hippocentauri viſi variis in locis. 359. vocantur piloſi apud Iſaiam. 360. non ſunt homines. 371
Hippotamus. 886
Hippurus piſcis. 1120
Hirci Zelotypi. 853. Hirci ſpecie ſæpe apparet Dæmon. 288
Hirundines 1007. Hyeme abeunt aut conduntur. ibid. docent pullos ſuos cantum. 745. qua arte nidum conſtruant. 750
Hirundo aquatica. 1127. ad ventum ſe vertit. 1136
Hiſtoria mirabilis de capite hominis occiſi loquente. 231
Hiſtoria miranda, quæ in Concilio Nicæno contigit. 247
Hoitzitziltototl avicula Americana crabronis magnitudine. 1039
Hominum in beſtias mutatorum exempla. 84. 87. 89. Hominis excellentia. 351. Homines dubii. ibid. Homines marini. 363. Homines ex permiſtione viri cum beſtia an poſſint naſci. 369. Item ex permixtione bruti cum muliere. 370. Homines variarum formarum. 374. Homines caudati. 398. longas aures habentes. 399. Aſtomi. 400. Brachyſtomi, elingues. ibid. Monoculi. 401. Acephali & oculos in pectore habentes. 402. Homines aversis plantis. ibid. Sciopodæ. ibid. Hominis in beſtias mutati mirabile exemplum. 439. Homines omnis generis obſidentur à Dæmone. 534. aliquando ſine ſua culpa. 562. aliquando ob peccata aliena. 563. Homines cum variis appendicibus carneis nati. 601. Hominis gratia omnia condita ſunt. 678. Hominis origo ex mente gentilium. 684. Homines quomodo in novem orbem devenerint. 727. & ſeqq. Hominum ſubterraneorum hiſtoria. 503. Homines Melitenſes & pagi ſubterranei. 506. Homines ſubterranei Hetruriæ & variarum regionum. 508
Humana forma eſt omnibus ſpectris communis. 294
Huſo piſcis. 1128. timidus eſt. ibid.
Hyæna ſermonem & vomitionem hominis imitatur. 765. ejus natura. 888. non eſt utriusque ſexus. ibid. Hyænæ mira. ibid. ejus natura & mores juxta recentiores. 889
Hydrophobia. 216
Hiſtrix. 890. Hiſtrici. ſimile animal. 889.

Jaquara

I.

Jaquara & Jaquarete. 891
Ibex. 854. Ibicum ſaltus. ibid. Ibices cicurantur. 855
Ibis. 1008
Ichneumon. 891. ejus aſtus. 892
Ichtyocolla piſcis. 1129
Idengraphia licita eſt. 1288. vana tamen. 1290
Jejunio juvantur animæ defunctorum. 331
Ignis lambentis cauſæ. 1212. quidditas & adjuncta. 1214. Ignis parcit quibusdam rebus. 704. Ignis fatuus. 221. Ignes ſubterranei an ſint cauſa vaporum & exhalationum. 1202
B. Ildegardis opinio de Energumenis. 526
Illuſionis Diabolicæ exempla. 148. & ſeqq. non ſunt omnes tales illuſiones, quales eſſe creduntur. 154. Illuſiones Diabolicæ quibus indiciis deprehendantur. 156. Regulæ diſcernendi Diabolicas illuſiones. 157. Illuſiones Diabolicæ per oracula. 162
Imaginationis vis in dormientibus. 449
Imaginatio cauſa monſtrorum. 624
Imaginationis vis in mulieribus. 626
Incubi ac ſuccubi Dæmones an ſint. 61
Incubi Dæmonis exemplũ 63. Incubi ac ſuccubi Dæmones an veram prolem generare poſſint. 64. Incubus Dæmon nunquam videtur generaſſe veram prolem humanam. 65
Inediæ diuturnæ tolerantiam procurare poteſt Dæmon. 106. Inediæ diu toleratæ exempla. 107. & 409. Inediam ac imbibentiam quamdiu poſſit homo naturaliter tolerare. 412. Inedia diuturna cur tolerari queat. 413. Inedia diuturna ope Diaboli procurata. 414
Infans crucifixi imaginem referens. 586. Infans cum capite oblongo. ibid. Infans oblongus Stetini natus. ibid. Infans ſine auribus. 587. cum naribus apertis, ſine collo. ibid. Infantes cum 4. oculis. 588. Infans bifrons mirè monſtroſus. ibid. Infans cum aure leporina, & alius cum aſinina. ibid. Infantes cornuti. ibid. Infans valde monſtroſus Haganoæ natus. 589. Infans cum cauda piſcis. ibid. Infans cum cute circumflua. 601. alius cum 5. cornibus arietinis. ibid. alius armati ſpecie natus. 602
Inſtinctus naturæ in brutis quid ſit. 769
Intellectum poteſt juvare Dæmon. 114
Joannæ Papiſſæ fabula examinatur. 423
Judæus Tyrolenſis monſtroſo ventre. 623
Judicio videntur pollere bruta. 753
Julius Cæſar poſt mortem in prælio viſus. 203
Invulnerabilitas ex cauſa naturali. 1378
Juvenes maturè caneſcentes. 419
Juventam poſſet reddere Dæmon, ſi Deus permitteret. 103

K.

Kircherus mirabiliter ſanatus à B. Maria Deipara. 467. ejusdem ſomnium. 455

L.

Lacrymæ quid ſint, & quomodo fiant. 764
Lagopus. 1008

Digitized by Google

Lapidoſus fœtus. 603
Larus. 1009
Lamiæ. 345
Lemmer animalcula. 699
Leo, ejusque deſcriptio. 892. Leonum differentiæ variæ. 893. Leo lacrymatur. 894. Leonis natura & mores. ibid. Leones quomodo capiantur. 895. quomodo cicurentur. 896. Leo injuriarum memor & ultor. ibid. Leo carnem ſuum contubernalem ulciſcitur contra urſum. 897. Leo ſervat Androclum. ibid. Leones duo ulciſcuntur catulorum ſuorum cædem contra urſam. 898. Leo militem caſtigat, non occidit. 899. Leonis magnanimitas in occaſione pugnandi. ibid.
Leopardus ſeu Panthera. 900. quibus cum rebus antipathiam habet. ib. ab hominibus auxilium petit pro catulis. 901. parcit hædo convictori. ibid.
Lepus, ejusque mores. ibid.
Levini Lemnii opinio de energumenis. 554
Lignum incombuſtibile. 704
Linguæ mira. 494
Locutio Angelorum. 16
Locutio brutorum & aliarum rerum ope Angelorum ac Dæmonum. 96
Longævorum exempla. 415. Longævitatis cauſa. 517
Loxia. 1009
Lucius piſcis. 1129. Lucius Friderici Imperatoris. 1130
Ludibria oculorum, quæ ſpectra aliquibus videntur. 222. Item aurium. 223
Lunaticorum duo ſunt genera. 547. cur diabolus faciat aliquos Lunaticos. ibid.
Lupus, ejusque ſpecies variæ. 902. Luporum fames & voracitas. ibid. Antipathia & ſympathia, & mira alia. 903. Lupi miræ aſtutiæ. 904. Luporum ſpecies. 904
Luſcinia. 1010
Lutra. 905. piſcibus veſcitur. ibid.
Lycantropia. 216. Lycantropi an ſint energumeni. ibid. Lycantropi aliqui ſunt Dæmoniaci. ibid.
Lynx. 906. acutè cernit. ibid.

M.

Magi Pharaonis an, & quomodo produxerint veros ſerpentes. 60
Mala graviſſima & plurima inferunt energumenis Dæmones. 535
Malefici famoſi. 347
Manati, piſcis Indorum. 1130. cicur in Hiſpaniola. ibid.
Manticata animalia varia. 822
Manucodiatæ ſive aves Paradiſi. 1010. eorum forma, locus, generatio, victus. 1011. an ſint apodes. ibid.
Mapach, ejusque mores. 906
B. Maria opem fert cuidam Religioſo. 324
Marii & Maximini robur. 501
Maripetus. 907
Mars in prælio viſus. 203
Melancholiæ effectus. 1296
Melanaëtus, ſive Aquila Valeria. 942
Melis montanus. 907
Memoriam juvare poteſt Dæmon. 113
Memoriæ mirabilia. 497. Memoriæ mirabiliter deperditæ aut auctæ exempla. 498. Memoria quorundam animalium. 753

Digitized by Google

Menippus Lycius à Dæmone mulieris ſpecie decipitur. 376
Mente captus putat ſe occidere Diabolum. 217
Mergus. 1016. Mergi cicures ad piſcandum adhibentur. ibid.
Merops. 1016. alit parentes. 1017
Merula. ibid.
Meteorologicas impreſſiones poſſe excitare Dæmones, confirmatur variis hiſtoriis. 120
Meteora. 1180. eorum materia. 1184. locus. 1186. Meteora ignea varia. 1214. eorum cauſæ. 1218. Meteora aërea. 1250. aquea. 1264
Miles apparens non poteſt fugari gladio. 306. Militum & armorum ſimulacra in aëre quid ſint. 656
Milonis Crotoniatæ robur. 459
Milvus. 1017. Milvi migrant hyeme. 1018. reduces cuculum adducunt. ibid.
Mira ope Dæmonum per Magos patrata. 39. Mira à Magis Pharaonis patrata. 40. à Simone Mago. ibid. à variis Magis. 41. Mira quæ Dæmones per ſe fecerunt. 44. Mira, à Dæmonibus patrata, an vera ſint vel fucata. 49. Mira, quæ Dæmones per motum localem immediatè efficiunt. 51. Item per applicationem activorum cum paſſivis. 54. per deluſionem. 55
Mirabilia energumenorum. 520
Miſſæ ſacrificio juvantur animæ defunctorum. 328
Mola piſcis. 1131
Moleſtiæ à ſpectris illatæ quomodo diſtinguant diabolica ab humanis. 299. Moleſtiæ ſpectrorum humanorũ. 301
Monachis inſidiatur Dæmon. 289
Monedula frumentum abſcondit. 996
Monoceros, ejuſque natura & mores ex Veterum ſententia. 910. ex ſententia Recentiorum. 911. quale animal ex vera ſententia. 913. non eſt idem cum Rhinocerote. ib. quomodo capiatur. 914. Monoceros piſcis. 1132
Monſtrum Cracovienſis lacus. 227. Monſtra marina homini-formia. 362. Monſtrum quid ſit. 572. Monſtrorum ſcriptores. 573. Monſtra acephala. ib. Monſtra humana bicipitia. 574. Tricipitia. 579. Heptacephala. ibid. Monſtra humana cum capite non humano. 582. cum capite canino. ibid. cum facie ranæ. 583. Monſtra humana cum capite fœdo. 585. Monſtroſi infantes. ibid. Monſtrum Genuenſe. 586. Monſtra humana ſine brachiis. 589. cum brachiis mutilis. 595. multiplicatis. ibid. cum manibus truncatis. 594. vitiatis. 595. Monſtra varia. 596. Monſtra Plantarum varia. 638. 642. Monſtra an, & quæ baptizari poſſint. 647. Monſtra gemelli ſibi invicem congeniti. 648. Pars illorum communis quâ animâ vivat. 650. Monſtra ſunt ſigna Dei monentis. 626. Monſtrorum varia præſagia. 627. Monſtrum ex Dæmone incubo. 628. Monſtra à Deo permiſſa ob hominum peccata. 629. Monſtrorum cauſæ in particulari. 632
Montium quorundam altitudo. 1199
Morbos inferre poteſt ac ſolet Dæmon. 102. Morbus non eſt cauſa operationis energumenorum. 552. nec ut quis peregrino loquatur idiomate. 553

Digitized by Google

Morphnus aquilæ ſpecies. 944
Mors infelix quænam ſit. 302
Moſchus quid ſit, & unde fiat. 856
Moſchiferum animal quodnam ſit. 858
Motus an ſit cauſa caloris. 1195
Mugil piſcis. 1132
Mulieres ad concipiendum & pariendum quando aptæ. 477. Mulieres barbatæ. 482. eruditæ. 483. bellicoſæ. 485. Mulier ex beſtia quare pariat beſtiam. 626
Mullus piſcis. 1132
Mulus & Mula. 914. Mulæ in Syria pariunt. ibid. Mulæ cur ſteriles. 915. Mulorum ac Mularum mores. ibid. Mulus ex hiatu terræ prodiit. 916
Muræna. 1133. cum vipera congredi dicitur. 1134
Mures ex putrefactione orti. 737
Muſtelæ vulgares. 909. cum ſerpentibus quomodo congrediantur. ibid. Muſtelæ ſylveſtres. ibid. Muſtela zibethica 910. Muſtela marina. 1096
Myrmecophagus ſeu Tamendoa. 908

N.

Nabis ſeu Camelo-pardalis. 916
Nabuchodonoſoris in beſtiam mutati hiſtoria, 441. qua ratione id cötigerit. 445
Nani ac Pygmæi. 377. variis in locis reperiuntur. ibid.
Narcotica pharmaca. 104
Naſum moventes. 492
Necromantiæ variæ ſpecies. 1278
Nereides ſeu Nymphæ an dentur. 365. earum varia exempla. ibid.
Nhamdia piſcis. 1134
Nhaquunda piſcis. 1135
Nicolai Zerinii mors. 516
Nivis & glaciei utilitas. 1379
Noctambulonum exempla. 448. cur noctu ambulent. 449
Noctua. 1019. Noctuam de die comparentem aves circumdant. ibid.
Noërza muſtelæ genus. 916
Nomen JESU prolatum fugat Dæmones. 324
Notæ ad diſcernenda ſpectra diabolica ab humanis. 294. Notæ ad diſcernenda ſpectra humana inter ſe. 300
Nubium altitudo incerta eſt. 1198. earum figura. 1264
Nycticorax. 1020. Idem cum Oto ſeu Aſione. Ibid.

O.

Obſequia à ſpectris humanis præſtita. 301
Obſidentur verè homines à Dæmone. 525. cur id Deus permittat. 563
Odoratus mirabilia. 491
Odore vini inebriati. ibid.
Onager, ejuſque natura & mores. 916 libidinis æmulum timet. 917
Onocentaura deſcribitur. 355
Onocrotalus. 1021. Onocrotalus Mechlinienſis. ibid. Onocrotali vox, cibus, voracitas &c. 1022
Ophir an ſit novus Orbis. 728
Oraculum Delphicum. 162. Dodonæum. 165. Mileſium, ſeu Didymæum & Branchidicum. 166. Trophonium. 168. Pharenſe, Patrenſe, Appollinis Thyrxei. 170. Colophonium, & alia in Græcia. 171. Oracula cur tam frequentia in Græcia. 173. Alia Oracula varia Jovis & Apollinis. 174. & ſeqq.
Qua

Qua virtute & quo Auctore Oracula gentilium ſint edita, & cur defecerint. 177. de Oraculorum falſitate & ambiguitate, atque de hujus cauſa. 186

Orbis novus fuit antiquiſſimis temporibus habitatus. 727

Orbis ſeu Phyſa piſcis. 1135

Orca piſcis. 1137. cum balænis pugnat. 1138

Organizare an poſſint corpora Angeli ac Dæmones. 25

Oryx. 917. caniculæ ortum obſervat. ibid. Lunæ exortum averſatur. ibid.

Oſſifraga aquilæ ſpecies. 945. cum vipera pugnat. 946

Oſtentum Lubecenſe. 270

Otus ſeu Aſio. 1020

Ova ſubventanea. 703

Ovis, ejusque mores. 918. Oves enormiter caudatæ. ibid. Oves Peruanæ. ibid.

Ourany-Ourang. 923

P.

Paleologus Imperator mirabiliter ſanatur. 466

Palingeneſia ſeu reſuſcitatio. 1355. & ſeqq. & 1367

Papio. 919

Partus numeroſi exempla. 470. ejus cauſæ. 476. Partus tempus vel contractum, vel protractum. ibid. Partus non naturalis varii modi. 480

Paſſer Vicilinus Mexicanus. 129

Paſſer ſolitarius. 1017

Paſtinaca marina. 1138

Peccata ſunt cauſa cur homines à Deo obſideantur. 561

Pecchii caſus miſerandus. 466

Pecuniam veram an poſſit dare Dæmon. 116. eam rarò dat. 117

Pedum mira dexteritas. 590

Pelecanus, quænam ſit avis, anceps eſt. 1023. quænam ſit ex antiquorum ſententia. 1024. Pelecanus & Platea ſunt eadem avis. ibid. quænam ex recentiorum ſententia 1027. ex noſtra ſententia. 1030. Pelecanus num diſtinguitur ab Onocrotalo. 1031

Pena animal. 919

Penetratio corporum an fieri poſſit à Dæmone. 81

Perdices an vento concipiant. 701. edunt aliquando ova ſubventanea. 703

Perenopterus. 944

Philomela pullos ſuos docet canere. 743

Phoca ſeu vitulus marinus. 1139. mira ejus cum mari ſympathia. 1140.

Phœnix an, & qualis ſit ex antiquis. 1032. ex Patribus. 1035. ex ſemipriſcis & recentioribus. 1037. Phœnicem eſſe in rerum natura, quibus argumentis aliqui probent, alii refutent. 1038. Phœnicem eſſe hieroglyphicum aliqui putant. 1040. Phœnix non eſt in rerum natura. 1042. quale hieroglyphicum. ibid.

Phyſa ſeu Orbis piſcis. 1135. ad ventum ſe vertit. 1137

Phyſeter. 1140

Pica humanas voces imitatur. 1242. ejus natura & mores. 1243

Picus,ejusq; natura & mores. ibid.
Pigritiæ animalis natura & mores. 784. ejus vox. 785
Piloſi apud Iſaiam Prophetam quinam ſint. 360. Piloſi homines. 600
Piſcis Monachi forma. 363
Piſces monſtroſi. 617
Piſces & aves an ex ſola àqua producti à Deo. 691. Piſces è cœlo delapſi. 692. Piſces habent memoriam. 760. Piſcium qui magis aut minus ſalubres. 1052. Piſcium ſomnus modicus, viſus debilis. 1053. Piſcis ingens navem Luſitanorum in Oceano Indico detinet. 1075. Piſces ingentes in novo Orbe. ibid. Piſces vaſtiſſimi ex Plinio. 1076. alius ex Cluſio. 1077. ex aliis. 1078. Piſces aliqui cur in tantam molem excreſcant. 1079. Piſces foſſiles. 1116. Piſces intra lapides reperti. 1121. Piſcis volans mirabilis. 1131
Plantæ artificioſæ. 1351. Plantæ heliotropiæ. 1349. Plantarum Palingeneſia. 1355. Plantæ fictæ aut pictæ à natura. 1360.
Plateæ aves. 1024
Pluvia. 1267. ſanguinea. 1268. ranarum. 1269. variarum rerum. 1270. lapidum. 1271
Polydamæ robur. 500
Polypus vincit aquilam. 938
Portentorum mirabilia. 656. Portenta Belgica. 658. Germanica ibid. Portentorum aëreorum ſignificatio. 664. Portenta varia. 665. Portentis Deus præmonet homines. ib. Portenta hominum mortem præcedentia. ibid. Portenta excidium Hieroſolymitanũ præcedentia. 667. Portenta varia ex antiquis. 668. Portentum ante peſtem Neapolitanam. 670. Portentorum mortem aliquorum præcurrentium cauſæ. 671
Poteſtas Dæmonum in Energumenos quænam. 534
Procellæ, earumque ſpecies. 1262
Promuſcis piſcis Grœnlandiæ pro cornu Monocerotis habetur. 1375
Pſitaci articulatè loquentes. 766. Pſitacorum differentiæ variæ. 1044
Puer cum barba natus. 494. cum capite elephanti. 582. cum manibus & pedibus anſerinis. 595. Pueri alii monſtroſi. 599. Puer natus ex femore viri an baptizari debuerit. 645
Pungitivus piſciculus. 1141
Putorius. 919
Pygargus. 943
Pygmæorum integras nationes fuiſſe, probabile eſt. 379. Pygmæorum exempla ex antiquis & recentioribus. ib. Pygmæorum gentes fuiſſe, defenditur. 381. eos agnoſcit S. Scriptura. 383. Pygmæi Septentrionales ac Dæmunculi ſubterranei. 515
Pyrauſta. 705
Pyrigoni volucres. ibid.
Pythones quid ſint. 548. quomodo reſponſa dent ope Dæmonis. ibid. aliqui ſunt Energumeni. 549

Q.

Quadrupedum. 4. ſunt genera. 777
Querquedulæ. 1045
Quirapanga. 1046

Raia.

Digitized by Google

R.

Raia. 1141
Ranæ ex putrefactione ortæ. 737. cum pluvia de cœlo delapſæ. ib.
Rangifer. 920
Receptaculum fœtus cauſa monſtrorum. 50
Regulus avis. 1046. contra aquilam pugnare conatur. ibid. dum aſſatur in veru corylaceo ſponte vertitur. ibid.
Reipublicæ Dæmonum forma. 36
Reliquiæ SS. pellunt Dæmones. 317
Remedia pellendi ſpectra diabolica. 214. Humana bona. 326. Humana mala. 331
Reſuſcitatorum hominũ, ut apparebat, exempla. 130. Reſuſcitari homines remediis naturalibus non poſſunt. 132. poſſunt illuſione Dæmonis. ibid.
Revelatio occultorum ſignum probabile energumeni. 541
Reverſus Indicus piſcis. 1143
Rhinoceros. 920. ejus cornu. ibid. laceſſitus fuit vehementiſſimè. 921
Rhinoceros avis. 1047
Rhombus piſcis. 1143
Riſus non convenit propriè brutis. 761. quomodo fiat. 762. immodicus mortem afferre poteſt. ibid. ſoli homini competit. ibid.
Robur eximium quorundam. 499
Roſarum odorem averſantium exempla. 491
Rupicapra ſeu Dorcas. 853. quomodo capiatur. ibid. prudentia ejus & pietas. 854
Ruſtici cujusdam ſimplicitas. 477

S.

Sagarum conventus. 76. Sagæ ſæpè corporaliter ſuis conventibus interſunt. 77. Sagæ quomodo per diruptos muros ingrediantur. 82
Salamandra. 706. vivit aliquamdiu in igne. 709
Salmo piſcis. 1144
Salomonis exorciſmus & radix. 570
Samuelis anima an verè apparuerit Sauli. 259
Sanitas mirabiliter reſtituta. 465. Sanitatem reſtituere poteſt Dæmon. 102
Sancti comparentes homines caſtigant. 299
Sardæ & Sardinæ. 1145
Satyri an dentur. 358. non ſunt homines. 372
Schnak animal Tartaricum. 924
Scientias quomodo tribuere poſſit Dæmon. 114
Sciurus. 922
Scolopax. 147
Scotus an fuerit ſepultus vivus. 438
Secreta cordium latent Angelos ac Dæmones. 12
Semenda avis Indica fabuloſa eſt. 1038
Seminis vitia ſunt cauſa monſtrorũ. 621
Senes repueraſcentes. 418
Septem dormientes. 437
Sermo ſpectrorum. 298
Serpentes & Dracones alati dantur. 1152. Serpentum & Draconum non alatorum exempla. 1165. Serpentes Ægyptii & Æthiopici miræ magnitudinis. 1166. Serpentes Norwegici. 1168. Serpentes alii miræ magnitudinis. ib.
Serpen-

Digitized by Google

Serpentes ac Dracones cicurati. 1175
Serpens marinus. 1145
Servoy animal manticum. 824
Sexum mutantium exempla. 421. Sexum diſſimulantium exempla. ibid. Sexum an Dæmon poſſit mutare. 107. Sexus mutati hiſtoriæ antiquæ. ibid. recentes. 108. Sexus mutatio quomodo fiat. 110
Siderum influxus cauſa monſtrorum. 623
Signa diſcernendi ſpiritus apparentes. 267
Simia marina. 1146
Simius ex muliere liberos ſuſcepit. 621. & 754. Simia vulpina ſeu Simi-vulpa. 824. Simius & Simia. 922
Sirenes quid ſint. 367. aliæ natatiles, aliæ volatiles. 368. aquatilium exemplum. ibid.
Sol an calefaciat per lumen. 1187. cur minus hyeme quàm æſtate. 1189. eſt cauſa principalis vaporum. 1203
Somnum diuturnum conciliare poteſt Dæmon. 104. Somnia mira aliquorum. 452. Somnium Kircheri. 453
Soni à ſpectris quomodo excitentur. 281 Soni ac ſtrepitus portendentes mortem. 672. eorum cauſa. 673
Spectra quid ſint. 197. Spectra vera dari probatur. 198. Spectra vera dari ſine impudentia negari non poteſt. 214. Spectra falſa probari poteſt ex multis capitibus. 215. Spectra variis in locis. 225. Spectra quid ſint. 240. aliqua ſunt Dæmones. 241. Spectra quænam frequentiùs appareant. 265. Spectra variis modis percipiuntur ab hominibus. 269. Spectra ſub variis formis viſa. ibid. Spectra audituí objecta. 271. Spectra varia damna inferentia. 274. Spectra tactui objecta. 273. Spectra ſonos ac tumultus excitantia. 281. Spectra quomodo tangant. 282. cur appareant. 292. quibus. 293. quando. 294. Spectra pelli poſſunt. 304. quibus modis pellantur. ibid. Spectra turmarum militarium. 336. Spectra fœminea, quas Sybillas, Nymphas, albas Dominas, nocturnas &c. appellant. 339. fatales ſorores, virgines ſylveſtres. 340. Sybilla in ſpecu Nurſino habitans. 342. Spectra Empuſa & Hecate. 345. Striges. 344
Speculi magici exemplum. 558
Sphæra extenſionis Angelicæ quanta ſit, & cujus figuræ. 17
Spirituales creaturas dari probatur. 4
Steganographia Trithemii non eſt Diabolica. 1287
Stella diſcurrens, volans, cadens. 1219 earum locus & motus. 1220
Stigmata à Dæmone impreſſa doloris expertia. 99
Strepitus quomodo excitentur à ſpectris. 282
Struthiocamelus. 1047
Sturio ſeu Accipenſer. 1146
Sturnus græcè locutus. 766
Su animal. 923
Succubi Dæmonis exemplum. 63. & 284. Succubus Dæmon non poteſt veram prolem generare. 66. Succubis ex Dæmonibus nati quales ſint. ib.
Surdi ſubmiſsè loquẽtes percipiunt. 490
Sylveſtrium hominum exempla. 329
Sympathiæ & Antipathiæ exempla. 1284

Tactus

T.

Tactus mirabilia. 492
Tamandua. 792
Tatus. 787
Taxus. 924. ejus latibulum conſpurcat vulpes. ibid. quomodo id extruat. 925
Tempeſtates à Dæmonibus & Magis excitatæ. 123
Terra an producere poſſit animalia. 733
Theſauros veros rarò dant Dæmones. 117. Theſauros quærentes à Dæmone puniti. 119
Thunnus. 1148
Tigris. 925. Tigrides non ſunt omnes ſexus fœminei. ibidem. eorum catuli quomodo capiantur. 926. Tigrides quomodo cicurentur. ibidem. quomodo homines perſequantur. ibid.
Tilia Neoſtadiana prodigioſæ magnitudinis. 1329
Tinnunculus. 1048
Tlaquatzin animal manticatum. 822
Torpedo piſcis. 1147
Torti in equuleo cur non loquantur aliquando. 101. Tortos in equuleo quæ ſtupefaciant. 102
Tranſlatio ſagarum ad ſua conventicula. 67
Trithemii locus de variis Dæmonum generibus explicatur. 28
Tritones an ſint. 361. eorum exempla. ib. eorundem forma. ibid. non ſunt homines. 372
Tucani memoriam vix ullam habent. 758
Turdus humanos ſermones imitans. 766
Turtur. 1048

V.

Vaccæ Hollandicæ. 805
Valerianæ radix felibus grata. 884
Veneficæ famoſæ. 348
Venena innoxiè ſumpta. 456
Ventorum natura & cauſa. 1251
Vermes in aqua calida illæſi. 705
Veſpertilio. 1049
Veterum opinio de Angelis. 2
Virunculi montani ac domeſtici an ſint homines. 146
Virtutes animalium quorundam. 748
Vituli monſtroſi. 580
Vitulo-monachus. 615
Vivificare poteſt Dæmon animalia imperfecta. 129. perfecta non poteſt. ib. nec hominem. 130
Unguenti armarii ſuperſtitioſus uſus. 1253
Voces ſpectrorum non ſunt verè & univocè Voces. 282. Vox & loquela Dæmonum qualis. 291. Spectrorum Vox. 296
Voracitatis & bibacitatis immodicæ exempla & cauſæ. 404
Urogallus. 1049
Urſus, ejusque natura. 927. Hiſtoria mira de Urſo & Venatore. ibidem. Urſorum mores. 929. Urſi an fœtum informem edant. ibid. Urſi fœminas amant. ibid.

Digitized by Google

Uranoſcopus piſcis. 1149
Urus. 806
Utilitates ex ſpectrorum apparitionibus. 293
Vulpanſer. 958
Vulpecula marina. 1149
Vulpes qua cautela flumen congelatum tranſeant. 755. Vulpes communis. 930. Vulpium mores. ibidem. Vulpes Peruvianæ. 930. Vulpes Indicæ. ibid.
Vultures an vento concipiant. 699

X.

Xiphia ſeu Gladius. 1149

Z.

Zainus. 931. Zainorum mores. 932
Zibethica felis. 884. Zibeth quid ſit? ibid.
Ziga piſcis. 1150
Zigæna piſcis. 1151

FINIS.

ERRA-

ERRATA.

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
2	16	*ſibi*	*ſub*
3	2	*ait*	*agit*
ibid.	29	*Patavium*	*Petavium*
28	17	χθονιυς	χθονίυς
31	12	*choreum*	*choream*
51	27	*excidentia*	*excedentia*
52	23	*modos*	*nodos*
54	penult.	*ſummam*	*ob ſummam*
103	18	*quo*	*quod*
130	27	*ſupertatis*	*ſuperatis*
138	1	*quid id*	*quin id*
149	28	*afficaretur*	*affricaretur*
152	33	*fragile*	*fragilem*
164	35	*Pharſaticum*	*Pharſalicum*
168	19	*Trophorinum*	*Trophonium*
171	16	*Pulengerus*	*Bulengerus*
172	15	*Myrincorum*	*Myrinaorum*
178	4	*Pœotia*	*Bœotia*
180	31	*habituum*	*halituum*
193	19	*puriferis*	*auriferis*
195	31	*tegulam*	*tegulam*
201	20	*unguentem*	*ungentem*
216	31	*ac*	*ad*
218	32	*aeriti*	*veriti*
ibid.	34	*adorati*	*adorti*
270	11	*loum*	*lorum*
374	7	*noſtris*	*noſtra*
418	22	*profectioribus*	*provectioribus*
426	14	*alia*	*alii*
432	29	*menſibus*	*menſibus 3.*
438	ult.	*mirabilis*	*mirabilius*
461	21	*fœdior eſſe*	*fœdior ſolet eſſe*
494	14	Chio	Clio

Qqqqqqqq 2 Pag.

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
507	31	*durâ*	*purâ*
558	34	*baco*	*abaco*
562	4	*Tornano*	*Totnano*
564	8	*aliis aliis*	*aliis alii*
566	14	*Hyporicon*	*Hypericon*
569	28	*cachtnnante*	*cachinnante*
580	7	*oppoſitum*	*appoſitum*
587	31	*pefectis*	*perfectis*
591	13	*quàm quàm*	*quàm*
602	1	*or*	*ori*
628	16	*Sobrninum*	*Sorbinum*
649	5	*obſumere*	*abſumere*
706	13	*teſtatut*	*teſtatur*
726	22	*wiminutam*	*imminutam*
783	32	*ungis*	*unguis*
787	25	*condit*	*condi*
790	14	*auſtum*	*aſtum*
791	7	*anduſtis*	*aduſtis*
797	4	*rerrarum*	*terrarum*
798	10	*poſternebat*	*proſternebat*
820	16	*ſed defendit*	*ſe defendit*
854	5	*ſame*	*fame*
866	ult.	*aderatur*	*odoratur*
886	31	*LX*	*XL*
887	4	*talis*	*talus*
924	2	*mſilis*	*ſimilis*
943	2	*refuſcens*	*ruſeſcens*
966	36	*allam*	*aliam*
981	29	*deprehenſiſſet*	*deprehendiſſet*
1064	11	*attingint*	*attingit*
1131	18	*715. & 716.*	*617. & 618.*
1145	15	*aut*	*ut*
1287	8	*dignitis*	*dignitas*
1293	4	*incantatas*	*incantantes*
1298	3	*eſſet*	*eſſe*
1346	20	*vispera*	*vipera*
1347	14	*extin cum guit*	*extinguit*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google